Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

C 649.7.5

Harvard College
Library

VE RI
TAS

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS IV

IN IV REGUM, I-II PARALIPOMENON, JOB (I-XXXVII)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVII

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

4

IN IV REGUM, I-II PARALIPOMENON, JOB (I-XXXVII)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVII





Digitized by Google

C 649.7.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

ENARRATIO

IN QUARTUM LIBRUM REGUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

QUIA post mortem Josaphat regis virtuosi, et Achab nomine regis indigni, facta est notabilis mutatio, tam in regno Juda quam Israel, ideo post descriptionem mortis amborum regum, hic incipit novus et quartus liber, tractans de posteritate successoribusque illorum. Hinc quidam scribit : Postquam in tertio libro actum est de utroque bipartitove regno, pro tempore illo quo floruit, hic agitur inde pro tempore quo cadere cœpit. Quod quamvis forsan aliquo modo possit salvari, non tamen videtur irreprehensibiliter dictum, quum constet regnum Juda cadere incepisse tempore Roboam : sub quo decem tribus ei ablatæ sunt, et ipse cum populo suo ad idololatriam lapsus, regi Ægypti tributarius effectus est, ut secundo Paralipomenon legitur, et supra tertio Regum libro. Similiter regnum decem tribuum cadere cœpit statim ut vitulos aureos adorare exorsi sunt. Propter quod Abia rex Juda occidit de eis (regnante Jeroboam) quinquaginta millia una die, sicut secundo Paralipomenon fertur; et jam diu ante mortem Achab, reges Israel se invicem occiderunt, et merito defecerunt ac numero decem tribus, in tantum, quod tempore Achab non nisi septem millia erant, qui processerunt secum adversus Syros, et ducenti triginta pueri principum provinciarum, ut patuit tertio libro. Denique regnum Juda magis floruit postea sub Ezechia, imo et sub Ozia ac Joathan et Josia, quam tempore Roboam et Abiæ, sicut ex dictis in tertio, et dicendis in hoc quarto libro monstratur. Verum est tamen, quod regnum decem tribuum magis defecit post Achab quam ante.

II *Par.* XII; III *Reg.* XII; XIV, 22-26.

Ibid. XII, 28-32; XV, 29, 30.

II *Par.* XIII, 17.

III *Reg.* XX, 15.

IV *Reg.* XV, 1-7, 30-35; XVIII; XIX; XXII; XXIII, 1-29; II *Par.* XXVI-XXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN SECUNDUM LIBRUM MALACHIM

ID EST

QUARTUM REGUM

IN HOC AGITUR DE CASU REGNI JUDA ET ISRAEL,
PROPTER REGUM SUORUM PRÆVARICATIONEM;
DE CAPTIVITATE ET TRANSMIGRATIONE POPULI, ET DE SUBVERSIONE
URBIS JERUSALEM ET TEMPLI IN EA.

ARTICULUS PRIMUS

ENARRATIO CAPITULI PRIMI : PRÆVARICATUS EST AUTEM MOAB IN ISRAEL.

A PRÆVARICATUS *est autem Moab in Israel,* id est, rex ac populus Moabitarum renuerunt de cetero solvere consueta tributa regi Israel, ad quæ erant constricti, *postquam mortuus est Achab,* qui filio suo Ochozia bellicosior fuit atque potentior, et magnos contra Syros habebat triumphos [III Reg. xx, 20, 21, 29-34.]: ideo, eo vivente, non renuerunt tributa persolvere. *Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria :* quia dum quadam die in deambulatorio superioris cœnaculi domus suæ incederet, lapsus est improvise per cancellos seu apodiamenta, vel luridas * [* luriculas] ejusdem cœnaculi; *et ægrotavit,* corpore conquassato ex lapsu. *Misitque nuntios, dicens ad eos : Ite, consulite Beelzebub deum Accaron,* id est, quem habitantes in urbe Accaron nomine, pertinente ad Philistæos, colunt, *utrum vivere queam,* id est, an possim curari, *de infirmitate mea hac.* Dæmones namque quandoque per idola [I Reg. vi, 1-9.] dabant responsa atque remedia, vel ab afflictione quam intulerunt cessando, vel naturalia applicando : et hoc propter vitia hominum, Deus quandoque justo permisit judicio, sicut pro tempore Antichristi ait Apostolus, quod Deus mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati. [II Thess. ii, 10, 11.]

Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens : Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, B *et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron?* quasi dicat, Utique, in terra Israel est verus Deus, qui ubique est præsens, et a multis in Israel colitur : ideo non debuistis ad Beelzebub habere recursum. *Quamobrem hæc dicit Dominus : De*

Digitized by Google

lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris tu, Ochozia, de ægritudine tua. *Et abiit Elias. Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis : Quare reversi estis? At illi responderunt ei : Vir occurrit nobis, et dixit ad nos, Ite, et revertimini ad regem qui misit vos, et dicetis ei : Hæc dicit Dominus, Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis : Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc,* et fecit reverti vos? *At illi dixerunt : Vir pilosus est,* quia longos habuit pilos in capite, in barba, puta intonsus, tanquam eremi cultor; vel vocatur pilosus, quia hirsutum habuit tegumentum instar beatissimi Joannis Baptistæ, qui de pilis camelorum habuit vestimentum; *et zona pellicea,* id est de corio, *accinctus renes,* id est circa renes. *Qui ait : Elias Thesbites est,* cum quo pater istius, videlicet Achab, frequenter habuit conflictum verborum.

Matth. III, 4. — III *Reg.* XVIII, 16-18; XXI, 19-24.

Misitque ad eum quinquagenarium principem et quinquaginta viros qui erant sub eo : quos misit armatos, non ob reverentiam sancti Prophetæ, sed ut vi facerent eum secum venire, si sponte venire abnueret. *Qui ascendit ad eum,* id est usque ad pedem vel aliquantam altitudinem montis; *sedentique in vertice montis,* forsan Carmeli, ubi orationi et contemplationi erat intentus, *ait,* non ex devotione, sed ironice, tanquam idololatra verum veri Dei irridens cultorem, quem putavit sibi per violentiam posse subjicere : *Homo Dei, rex præcepit ut descendas. Respondensque Elias dixit quinquagenario : Si homo Dei sum* vere per cultum condignum, non ridiculose ut putas, *descendat ignis de cœlo* aereo, *et devoret te et quinquaginta tuos.* Hoc dixit Elias zelo justitiæ et divino instinctu, quo etiam noverat, quo animo ille fuit locutus : juxta quem modum sacratissimus princeps Apostolorum imprecatus est mortem Ananiæ et conjugi ejus, ut in

Act. V, 3, 4, 9.

A Actis narratur. *Descendit ergo ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo.*

Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi : Homo Dei, hæc dicit rex, Festina, descende. Respondens Elias ait : Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, et devoravit illum et quinquaginta ejus. Huic ergo successit, sicut et B priori, quia eodem animo loquebatur. Et mirum, quod ex prioris et suorum combustione non fuit conversus aut territus. An forsan putavit se protegendum virtute deorum suorum, et præcedentem deos non invocasse? Utrum vero omnes isti fuerint usque ad cineres devorati ab igne, vel solum occisi, puto incertum, quemadmodum etiam reor incertum, an interfectio horum contigerit ministerio angeli sancti, sicut Assyriorum, an ministerio angeli mali, ut occisio Ananiæ et suæ uxoris, secundum C Bedam super Acta Apostolorum.

IV *Reg.* XIX, 35. — *Act.* V, 5, 10.

Iterum misit principem quinquagenarium tertium, qui creditur fuisse Abdias propheta; vel si fuit idololatra, jam exemplo priorum fuit conversus; *et quinquaginta cum eo. Qui quum venisset, curvavit genua contra Eliam,* id est coram eo seu ex opposito situ, *et precatus est eum, et ait : Homo Dei, noli despicere animam meam, et animas servorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis* D *erant. Sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ. Locutus est autem angelus Domini ad Eliam, dicens : Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur et descendit cum eo ad regem.* Sicque Elias ivit cum quinquagenario tertio, ne ille sine Elia rediens, male tractaretur a domino suo. Elias quoque constanter corripuit regem, prædixitque ei mortem, qua mox regem invadente, illæsus recessit Elias. Unde subditur, *et locutus est ei : Hæc dicit Domi-*

Digitized by Google

nus, Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

Mortuus est autem juxta sermonem Domini quem locutus est Elias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Juda. Non enim habebat filium. Reliqua autem verborum Ochoziæ quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Circa hæc rursus oritur difficultas de computatione annorum istorum, quum dictum sit præcedenti libro, ipsum
III *Reg.* XXII, 42, 52. Josaphat regnasse annis viginti quinque, et anno regni ejus septimodecimo istum Ochoziam sumpsisse regnandi exordium; qui regnavit tantum annis duobus etiam incompletis, ita quod mortuus fuit anno Josaphat octavodecimo aut nonodecimo, sicque supererant adhuc sex aut septem anni de Josaphat regno: non ergo Joram frater Ochoziæ cœpit regnare anno secundo Joram filii Josaphat, sed ante hunc Joram per sex annos aut septem. Insuper, infra in principio capituli tertii scriptum est:
IV *Reg.* III, 1. Joram filius Achab regnavit super Israel anno octavodecimo Josaphat regis: non ergo anno secundo Joram filii Josaphat.

Ad ista, ut recitat Lyra, respondent Hebræi, quod Josaphat iturus ad bellum, Joram filium suum instituit regem: qui Joram regnavit cum Josaphat patre suo octo circiter annis, qui anni aliquando deputantur in regno Joram filii Josaphat. Quumque hic dicitur, quod Joram frater Ochoziæ cœpit regnare anno secundo Joram filii

A Josaphat, accipitur hic annus secundus Joram filii Josaphat quo cœpit cum patre suo regnare: qui annus fuit octavusdecimus regni Josaphat regis, ut infra legitur. IV *Reg.* III, 1. Porro Magister in historiis circa hæc scribit: Duo anni quibus regnare dicitur Ochozias, sunt quibus regnavit solus et sanus, antequam cecidit per cancellos. Reliqui vero vel octo vel novem anni, quibus eo languente frater ejus Joram administrationem regni agebat, non sibi, sed fratri deputantur. Unde in octavodecimo
B anno regni Josaphat Joram frater Ochoziæ regnasse perhibetur, quia tunc regni administrationem pro fratre languente suscepit. Scriptura vero quæ dicit, quod Joram filius Achab regnavit anno secundo Joram filii Josaphat regis, attendit tempus quo solus cœpit regnare fratre suo defuncto. Illa quoque scriptura quæ postea dicit, videlicet infra octavo capitulo, quod anno quinto Joram filii Achab regnavit Joram filius Josaphat, attendit tempus, quando pro fratre suo adhuc vivente regimen *Ibid.* VIII, 16.
C administrare cœpit.

Moraliter docemur ex isto capitulo, in omni necessitate et infirmitate ad Deum verum confugere, nec in incerto divitiarum aut in rebus vanis confidere, nec sortilegorum aut divinorum investigare consilia vel optare subsidia. Rursus patet ex dictis, quam enorme et periculosum sit, sanctos homines irridere, et qualiter viri sancti aliquando suam injuriam ulti sunt, in quantum eorum injuria in Dei injuriam redundavit: quod et sequenti docetur capitulo,
D per hoc quod Eliseus pueris ipsum subsannantibus maledixit, et mox ab ursis sunt lacerati.

Sensus moralis. I *Tim.* VI, 17. IV *Reg.* II, 23, 24.

Digitized by Google

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : FACTUM EST AUTEM, QUUM LEVARE VELLET DOMINUS ELIAM PER TURBINEM.

POST descriptiones virtutum et miraculorum magni et justi Eliæ, describitur hic quædam præmiatio ejus. *Factum est autem, quum levare vellet Dominus Eliam per turbinem,* hoc est impetu quodam et per impulsum seu involutionem ventorum, *in cœlum* aereum : quia per aerem volitando venit in paradisum terrestrem; *ibant Elias et Eliseus de Galgalis.* Locum etenim qui Galgala appellatur, Elias ante suam translationem voluit visitare tanquam sacrum, quoniam transito Jordane, filii Israel circumcisi sunt ibi, et castra fixerunt in eo, ac Pascha celebraverunt ibidem, ut habetur in libro Josue. (*Josue* v, 8-10.) *Dixitque Elias ad Eliseum : Sede hic,* puta in Galgala, *quia Dominus misit me,* hoc est, ire jussit, *usque in Bethel* ad visitandum et consolandum filios prophetarum ibi morantes. *Cui ait Eliseus : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te,* id est, a tua corporali præsentia separari non volo quamdiu manes in terra hac. Non ex inobedientia aut pertinacia dixit et juravit hoc Eliseus, sed ex caritate magistri sui præcipua. Cur ergo dixit ei Elias, Sede hic? Forsan ad probandum et experiendum caritatem carissimi discipuli ad se, et ut Eliseus cum vehementiori affectu secum pergendo, majorem gratiam mereretur; vel ad designandum, quod dona ac opera singularis excellentiæ ac supererogationis, sint potius occultanda, quantum convenienter fieri potest, et quantum est ex parte ejus, cui talia condonantur, quamvis propter aliorum profectum, quandoque aliter oporteat fieri. Elias autem jam erat elevandus in cœlum : qui tantam suam excellentiam, quantum in se erat, maluisset

A celare, quemadmodum Christus, peractis quibusdam miraculis, præcepit ne vulgarentur. (*Matth.* xvii, 9; *Luc.* v, 14.) Itaque Elias non præcipiendo, sed magis pie tentando, et secundum unam considerationem hortando, locutus est, Sede hic.

Quumque descendissent Bethel, hoc est ad urbem sic dictam : quæ non fuit Jerusalem, quæ et ipsa alio nomine Bethel vocatur, sed fuit in decem tribuum terra; (*Gen.* xii, 8; xxviii, 19; *Josue* xviii, 13.) *egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, et dixerunt ei : Numquid nosti,* B *quia hodie Deus tollet dominum tuum* Eliam *a te? Qui respondit : Ego novi.* Ex quibus verbis elicitur, quod tam aliqui ex illis filiis seu discipulis prophetarum, quam ipse Eliseus, ex revelatione noverant Eliam mox transferendum, et gratia prophetali fulserunt. *Silete,* id est, de hac re non loquamini amplius, ne Elias hortetur me hic remanere. *Dixit autem Elias ad Eliseum : Sede hic :* juxta sensum prætactum; *quia Dominus misit me in Jericho* ad visitandum filios prophetarum ibidem. *Et ille* C *ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Quumque venissent Jericho, accesserunt filii prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei : Numquid nosti, quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait : Et ego novi; silete. Dixit autem ei Elias : Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, et quinquaginta viri de filiis prophetarum* D *secuti sunt eos. Qui et steterunt econtra longe. Illi autem ambo,* videlicet Elias et Eliseus reversi a Jericho, *stabant supra*

Digitized by Google

Jordanem. Tulitque, id est accepit, *Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas Jordanis, quæ divisæ sunt in utramque partem,* [*Exod.* XIV, 16, 21.] sicut mare Rubrum percussum Moysis virga. Divisæ sunt itaque aquæ Jordanis non virtute pallii Eliæ, sed per omnipotentiam Dei, per intercessiones et merita gloriosi Eliæ. *Et transierunt ambo per siccum* [*Josue* III, 17.] fundum Jordanis, sicut et filii Israel tempore Josue.

Quumque transissent, et aquæ ad pristinum locum redissent, *dixit Elias ad Eliseum : Postula quod vis ut faciam tibi,* dando aut desuper impetrando, *antequam tollar a te.* Unde elicitur, quod Deus jam revelavit Eliæ quod Eliseo daretur divinitus, quod rogaret, et item quod Elias jam scivit suam translationem innotescere Eliseo. *Dixitque Eliseus : Obsecro, ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Hoc dupliciter explanatur. Primo, quod Eliseus petivit gratiam spiritualem Eliæ concessam ad prophetandum et ad faciendum miracula, fieri dupliciter seu duplicari in se, ita quod haberet eam in dupla proportione, respectu Eliæ. Sicque exponunt quidam Catholici et Hebræi, dicentes hoc esse impletum, quoniam Elias suscitavit mortuum unum dumtaxat, Eliseus duos. [III *Reg.* XVII, 22: IV *Reg.* IV, 34, 35; XIII, 21; II, 14, 22, 24; III, 20; IV, 6, 17, 34, 41, 44; V, 14, 27; VI, 6, 17, 18; VII, 18; XIII, 21.] Eliseus quoque infra legitur sedecim fecisse miracula, Elias octo jam ante. [III *Reg.* XVII, 1, 16, 22; XVIII, 38, 45; IV *Reg.* I, 10, 12; II, 8.] Et juxta hunc modum petivit Banaias, ut Deus faceret solium Salomonis sublimius solio David. [III *Reg.* I, 37.] Sed quia præsumptuosum videretur fuisse, quod Eliseus petisset tanto Prophetæ ac suo magistro sic præferri ac præfulgere in donis istis, Salvatore dicente, Non est discipulus super magistrum; [*Matth.* X, 24.] hinc alii tam Catholici quam Hebræi communiter sic exponunt : Fiat spiritus tuus duplex, id est, gratia Spiritus Sancti tibi concessa ad duo præfata, concedatur et mihi propter commune bonum populi nostri, quoniam te sublato, indigent simili tui.

Qui respondit : Rem difficilem postulasti, id est magnam et arduam et difficulter impetrabilem, quia utrumque horum est supernaturale, et præsertim ut habeatur A æqualiter mihi. *Attamen si videris me quando tollar a te, erit quod petisti ; si autem non videris* me in ipsa separatione a te, *non erit* quod postulasti. Istud totum sic fuit revelatum Eliæ a Domino. Sed quare non fuisset petitio Elisei impleta, si non vidisset Eliam in raptu illo? poterat namque Elias meritis suis ac precibus succurrere Eliseo, quamvis in illo puncto ipsum non conspexisset. Ad quod dicendum videtur, quod incessabilis et diligentissima illa directio oculorum Elisei ad Eliam, fuit effectus B et signum suæ devotionis ac caritatis ad Eliam, imo magis ad Deum. Ideo illum intuitum continuando, ex tali radice capacem se præbuit gratiæ tantæ : a quo intuitu si torpuisset, detrimentum hujus gratiæ sustinuisset.

Quumque pergerent, et incedentes sermocinarentur de divinis et pertinentibus ad salutem, ipso Elia Eliseum ad profectum et ad directionem Israeliticæ plebis hortante, et ut filiis prophetarum præesset, *ecce currus igneus et equi ignei diviserunt* C *utrumque.* Igneæ illæ similitudines currus atque equorum, angelico ministerio fuerunt formatæ, quemadmodum stella quæ Magis apparuit, et columba ac nubes quæ super Christum apparuerunt. [*Matth.* II, 2, 9. *Luc.* III, 22; *Matth.* XVII, 5; *Act.* I, 9.] Et alii qui dicunt, quod in curru illo et equis angeli apparuerunt, sicut interdum apparent in aliarum similitudine rerum. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum* aereum, sicut expositum est. In Ecclesiastico dicitur ad Eliam, Qui receptus es in turbine ignis, in curru igneorum equorum. [*Eccli.* XLVIII, 9.] Unde D elicitur, quod igneo curru ascendit in turbine, transferentibus eum angelis sanctis, sicut angelus transtulit Habacuc vatem de Judæa in Babylonem. [*Dan.* XIV, 35.] *Eliseus autem videbat* eum sic elevari, non cessans eum inspicere timore terribilium, quæ apparuerunt ibidem; *et clamabat : Pater mi, pater mi.* Repetitio, est caritatis indicium, confirmationisque signum, vel doloris de separatione ostensio. *Currus Israel et auriga ejus.* Hoc dixit non de igneo curru apparente aut ejus auriga : de cujus tamen au-

Digitized by Google

riga textus nihil loquitur; sed ipsum Eliam vocavit currum Israeliticæ plebis, et aurigam ejusdem plebis, quoniam instar currus populum illum sustentavit, et ejus supportavit ac supplevit defectus, direxitque eum sicut auriga quadrigam : et juxta hunc IV *Reg.* XIII, 14. sensum, hæc eadem verba rex Israel infra profert de Eliseo. *Et non vidit eum amplius.*

Apprehenditque Eliseus *vestimenta sua, et scidit illa in duas partes* ex dolore separationis a carissimo suo magistro ; *et levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei,* B quia Elias dejecit illud pro consolatione dilecti sui discipuli, ut aliquid haberet quasi ex testamento patris sublati, atque ut illo pallio vestiretur, in signum quod magistro suo succederet in duplici gratia jam præfata, et per illud miraculum faceret, quemadmodum subditur. *Reversusque stetit super ripam Jordanis, et pallio Eliæ quod ceciderat ei* ex ordinatione divina, *percussit aquas,* sequens in hoc ipsum Eliam, qui paulo ante sic fecerat, atque ut meritis Eliæ fieret aquæ divisio, *et non* C *sunt divisæ* ut ante, ut per hoc Eliseus adverteret se inferiorem meritis sui magistri, sicque humiliaret se, nec de subita sui promotione ac potestate extolleretur. *Et dixit : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc?* quasi dicat : Nonne vere ubique præsens est atque omnipotens? hoc est, non meritis meis, sed pietate et gratia Dei, meritisque Eliæ precor hanc Jordanis impetrare divisionem. *Percussitque aquas* cum ista humilitate, *et divisæ sunt huc atque illuc, et transivit Eliseus.*

Videntes autem hæc *filii prophetarum qui erant,* id est habitabant, *in Jericho econtra,* id est stantes ex adverso Jordanis : quia (ut ante in isto habetur capitulo) quinquaginta viri de filiis illis sequebantur Eliam et Eliseum, et steterunt econtra longe ; *dixerunt : Requievit spiritus Eliæ super Eliseum :* quod ex tanto perpenderunt miraculo. *Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram* duliæ adoratu, *dixeruntque illi : Ecce cum* A *servis tuis,* scilicet nobiscum, *sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, et projecerit eum* Spiritus Domini *in unum montium aut in unam vallium,* id est in aliquem locum, sicut aliquando contigit ei quod transpositus fuit virtute divina per angelum de loco ad locum. Unde supra libro tertio Abdias dixit Eliæ : Quumque recessero a te, III *Reg.* XVIII, 12. Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro. *Qui ait : Nolite mittere,* quoniam certus sum ad quem translatus sit locum, et quod non invenietur a vobis, nec revertetur, nisi circa finem mundi ad *Apoc.* XI, 3 *et seq.*; *Malach.* IV, 5, 6. prædicandum cum Enoch contra perfidiam Antichristi, quemadmodum in Apocalypsi et Malachia continetur. *Coegeruntque eum,* id est importune rogaverunt, *donec acquiesceret et diceret, Mittite :* quod dixit, ne amplius pateretur importunitatis illius molestiam, et ne ipsi manerent in dubio ; et item ne suspicarentur, quod ipse reditum abhorreret Eliæ, ne major eo esset in plebe illa. *Et miserunt quinquaginta viros. Qui quum quæsissent tribus diebus, non invenerunt. Et reversi sunt ad eum. At ille habitabat in Jericho, et dixit eis : Numquid non dixi vobis, Nolite mittere?*

Consequenter describuntur alia duo Elisei miracula. *Dixerunt quoque viri civitatis* Jericho *ad Eliseum : Ecce habitatio civitatis hujus optima est,* id est conveniens situs et pulcher locus, *sicut tu ipse prospicis ; sed aquæ pessimæ sunt,* id est valde nocivæ : et forsan morbum ingerebant po- D tantibus, seu utentibus eis, et terram fecerunt infertilem. Ideo subditur, *et terra sterilis,* non ex se, sed ex aquæ illius irrigatione : siquidem terra promissionis fuit valde fructifera, etiam in circuitu Jericho. *At ille ait : Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal.* Cur voluit vasculum novum habere? Forsan ne aliquis suspicaretur, quod in vase quo voluit uti, fuissent quædam alia vim sanandi aquam habentia, sicque curatio aquæ adscriberetur causæ naturali, non divinæ virtuti. *Quod quum*

Digitized by Google

attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait, oratione præmissa et certificatus de sua exauditione : *Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has,* id est, jam eas eripio a corrupta earum dispositione, *et non erit in eis ultra mors neque sterilitas :* quæ fuerunt in aquis non formaliter, sed causaliter, quia morbum letalem inferebant potantibus, et terram vicinam reddebant infructuosam. Misit autem in eas sal, propter mysticas rationes quæ inducentur; et ut miraculum esset præclarius, quia ex salis admixtione aquæ impotabiliores efficiuntur, et corrumpuntur magis quam meliorantur : et juxta hunc
Is. xxxviii, 21.
modum jussit Isaias massam ficorum superponi ulceri Ezechiæ. *Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei quod locutus est.*

Ascendit autem inde Eliseus in Bethel, ad consolandum filios prophetarum de recessu Eliæ. *Quumque ascenderet per viam, pueri parvi :* tamen adultæ ætatis et ratione utentes, ita quod mortaliter peccaverunt, faciendo quod subditur; *egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes : Ascende, calve; ascende, calve.* Erantque pueri isti (ut creditur) a parentibus suis idololatris informati, ut facerent istud. *Qui quum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini,* id est, mala pœnalia eis imprecabatur virtute divina, et nomen Domini invocando, vel juxta beneplacitum Dei, et per nomen ipsius : quod fecit zelo justitiæ, ne pueri illi in tanta malitia crescerent, sed punirentur in vita ista, et gratia sibi concessa a Deo manifestaretur hominibus signo sequente, nec alii pueri similia facere attentarent, ac vitiosi parentes in suis filiis, quos male instruxerant, castigarentur. *Egressique duo ursi de saltu,* id est silva seu nemore, ductu angelico et nutu divino, *laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros* ceteris culpabiliores. Nec tamen eorum parentes audebant hoc in Eliseo ulcisci, timentes plagari. Itaque in isto secutus est Eliam, qui quinquagenariis maledixit.
IV Reg. i, 10, 12.
Abiit autem inde, visitatis filiis prophetarum, *in montem Carmeli :* in quo Elias consuevit orationi et contemplationi vacare, ut et ipse hoc faceret ibi;
III Reg. xviii, 19, 42.
et amore magistri sui ac propter sanctitatem loci illuc accessit : *et inde reversus est in Samariam* urbem regni metropolim, ut ibi communitati prodesset.

ARTICULUS III

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI SECUNDI MYSTICA.

ELIAS in multis Christum præfiguravit. Denique translatio Eliæ in paradisum terrestrem, designavit non solum Christi, sed et omnium electorum elevationem de terra in cœlum summum, de exsilio isto ad patriam, de miseria ad salutem. Quemadmodum autem instante Eliæ translatione, ivit ipse cum Eliseo, et visitavit suos discipulos; sic Salvator passione sua instante, assidue adfuit suis Apostolis, perambulavitque Jericho et visitavit Bethaniam.
Matth. xx, 17-19, 29; Marc. x, 32-34, 46; Luc. xviii, 31-33, 35; xix, 1, 29.
Et sicut Eliseus chorum præfigurans Apostolorum, nequaquam consensit ab Elia nondum translato separari; sic beati Apostoli de separatione Christi ab eis per passionem, nec audire nec intelligere aliquid potuerunt, ob nimiam et aliqualiter sensualem eorum ad Christum affectionem : in tantum, quod dum dixisset eisdem, Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis : tradetur enim gen-
Luc. xviii, 31-34.

Digitized by Google

tibus, et illudetur, etc.; ipsi nihil horum intellexerunt. Insuper, sicut Elias consolabatur suos discipulos de suo recessu, et specialiter Eliseum, exhortans eum ad deprecandum quod vellet, et exaudiretur; sic Filius Dei suam passionem discipulis prænuntiando, statim pro eorum consolatione Matth. xx, 19. se tertia die resurrecturum prædixit. Et specialissime in Cœna illa novissima multipliciter Joann. xiv, 1-3, 13, 14, 16, 17; xv, 7-11, 15, 16, 26, 27; xvi, 20-24. consolabatur Apostolos, admonens eos ad exorandum cum omni fiducia, et quod exaudirentur promittens : quibus et Spiritum suum promisit, et gratiam propheticæ revelationis ac virtutem agendi miracula contulit, in tantum ut dixerit : Ibid. xiv, 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia Ibid. xvi, 13. ego ad Patrem vado. Itemque : Quum venerit (inquit) ille Spiritus veritatis, doce- Ibid. xiv, 26. bit vos omnem veritatem. Et denuo : Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

At vero, per hoc quod Elias dixit ad Eliseum, *Si videris me quando tollar a te, erit quod petisti; si autem non videris, non erit,* præsignatum videtur, quod ad recipiendum promissa Christi, oportuit oculo fidei Christi ascensionem cognoscere. Quemadmodum etiam Elias ascendens, pallium suum Eliseo projecit; sic Christus scandens in alta cœlorum, humanitatis suæ mysteria, incarnationisque fidem et corpus ac sanguinem sub Sacramenti velamine dereliquit. Et sicut Eliseus pallio Eliæ aquas divisit; sic discipuli Christi per præfata mysteria fecerunt miracula, fluctusque sæculi transierunt illæsi. Quid autem per igneum currum, equosque igneos, nisi angelicæ potestates signantur, de quibus can- Ps. ciii, 4. tatur, Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem? Quorum subsidiis elevantur electi ad contemplan- Philipp. iii, 20. dum divina, ita ut conversatio eorum sit modo in cœlis. Insuper, sicut filii prophetarum viso Elisei miraculo, dixerunt, *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum,* et occurrerunt ei, adorantes eumdem; sic Christiani videntes signa Apostolorum, noverunt spiritum Christi venisse in eos, et honoraverunt eos ut Christi vicarios.

Denique, per Eliseum qui misit sal in aquas, ut sanarentur a sua corruptione et infructificatione, intelligitur Deus Pater, qui Sapientiam increatam, unigenitumque Filium suum misit in vas novum, id est in mundissimæ Virginis uterum, vel in corpus purissimum quod assumpsit; sicque sanavit aquas Jericho, id est fluxum, instabilitatem, fomitem, sæcularem scientiam et inquietudinem mundi, generisque humani, infundendo hominibus sapientiam salutarem, qua reformatæ sunt mentes credentium et fructuosæ effectæ, et virtutes, quibus in Deo sunt stabilitæ.

Postremo, per pueros vitiosos Eliseum irridentes, expressi sunt Judæi, qui Christo in passione illuserunt : propter quod ab ursis duobus, videlicet Tito et Vespasiano, sunt dilaniati. Item, quoniam Bethel interpretatur domus Dei, per Eliseum ascendentem in Bethel, intelligitur quæcumque devota persona intrans Ecclesiam aut cœnobium ingrediens, et de virtute in virtutem ascendens : quæ a sæcularibus Ps. lxxxiii, 8. hominibus irridetur, juxta illud beati Job : Deridetur justi simplicitas; lampas con- Job xii, 4, 5. tempta apud cogitationes divitum. Ideo ab ursis, id est malignis spiritibus devorantur, qui recte per ursos sunt figurati, ob varias ursi proprietates. Quarum prima est, quod ursus tenet fortissime id quod capit. Sic dæmones eos quos fallunt et vincunt, totis conantur viribus retinere, imo et gravioribus vitiis implicare. Secunda, quod ursus debilis fertur esse in capite, et robustus in renibus. Ita diabolus in exordio suggestionis pestiferæ non est fortis, sed nisi tunc protinus repellatur, tentationem continuando, et concupiscentiam inflammando, amplius invalescit. Tertia, quod captus, eosdem frequenter reiterat passus. Sic dæmon ab aliquo victus, multipliciter nititur qualiter iterum vincat illum : quod certum est de illo, quem unusquisque exercitatorem habere asseritur. Nam et dia-

Luc. IV, 3-13. bolus semel victus a Christo, adhuc eum bis tentare præsumpsit, victusque tertio, recessit ab eo ad tempus, ut Lucas testatur evangelista. Ideo quod communiter dicitur, et ab Origene sumptum videtur, dæmonem semel ab homine victum, nunquam amplius tentare eumdem, non censetur magnæ esse auctoritatis : et de hoc super librum Josue plenius dictum est, ubi verba Josue XI. Origenis ex sua homilia sunt introducta. Quarta est, quod canes plurimum odit. Sic diabolus virtuosos prædicatores, idoneosque pastores, qui per canes designantur, odit A gravissime. Quinta est, quod in calido lebete cæcatur. Sic dæmon in corde fervido penitus superatur. Sexta, quod dominus ursi facit eum cucubare, id est, caput in terram defigere et pedes levare. Ita qui dæmonis victor est, faciliter ei illudit. Septima, quod tantum diligit mel, quod pro eo occiditur. Sic immundus spiritus in tantum cupit hominem virtuosum in Domino suaviter repausantem, decipere et de ejus casu gaudere, quod ista ex causa multoties superatur, dum hominem talem tentare et vincere nititur.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : JORAM VERO FILIUS ACHAB.

HOC loco describitur grandis victoria regi Israel data, et quædam narrantur Elisei prodigia. *Joram vero filius Achab regnavit super Israel,* id est decem tribus, *in Samaria,* in qua tanquam metropoli residebat, *anno octavodecimo Josaphat re-* IV Reg. I, 17. *gis Judæ.* Qualiter intelligendum sit istud, in litterali expositione præcedentium dictum est. *Regnavitque duodecim annis ; et fecit malum coram Domino,* aureos vitulos adorando, *sed non sicut pater suus* Achab, *et mater. Tulit enim,* id est, abstulit et confregit, *statuas Baal quas fecerat pater* III Reg. XII, 28-33. *ejus. Verumtamen peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis,* puta a vitulorum cultura. Ex hoc aliqui trahunt, quod Joram iste non solum abstulit idola Baal, sed et idola Chananæorum, quibus (ut supra ha- Ibid. XXI, 26. betur) Achab servivit.

Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, per suos ministros, quoniam terra regni sui abundat pecorum pascuis, *et solvebat regi Israel,* utpote ipsi Achab, *centum millia agnorum,* et * centum millia * id est ovium, *et centum millia arietum cum vel-* B *leribus suis,* lana opertis : itaque non poterat satisfacere, nisi solvendo pecora illa viva atque lanata. *Quumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus quod habuit cum rege Israel,* id est, amplius solvere recusavit rex Moab magnum illud tributum. *Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel. Misitque ad Josaphat regem Juda,* cujus filii uxor fuit soror sua, *dicens : Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui re-* C *spondit : Ascendam* tecum ; *qui meus est, tuus est ; populus meus, populus tuus,* id est, ad tuum auxilium est paratus ; *et equi mei, equi tui.* Simili modo responderat Achab regi patri istius : Populus (inquiens) III Reg. meus et populus tuus, unum sunt ; et equi- XXII, 5. tes mei, equites tui : ut patuit supra tertio libro. Quæri potest, an Josaphat rex peccavit in isto. Videtur, quod imo, quia (ut dictum est) jam fuerat increpatus a Domino per Prophetam, quod auxilium præbuit impio Achab, et rursus quod cum Ochozia D amicitiam habuit ; sed Joram iste fuit iniquus, sicut et illi. Achab quoque videba-

Digitized by Google

tur justam præliandi causam habere, ut patuit. Ad quod dicendum videtur, quod peccavit in isto, nisi forsan excusetur per hoc, quod Joram non fuit tam impius sicut Achab et Ochozias, quoniam abstulit statuas Baal, sicque temporalem istam forsan promeruit prosperitatem.

Dixitque Josaphat : *Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ,* quod ex una parte conjungitur deserto Ægypti, per quod filii Israel tempore Moysis perrexerunt. *Perrexerunt igitur* simul *rex Israel,* qui hic primo nominatur, quoniam principalis fuit in causa ista, *et rex Juda, et rex Edom,* quem Josaphat secum adduxit, ut Magister in historiis ait, quia pro tunc Idumæa adhuc erat sub rege Juda, et tributaria ei. Sed quomodo rex Idumææ dicitur isse cum Joram, quum tunc nondum rex fuerat constitutus in terra Edom a tempore David, qui abstulit Idumæis regium sceptrum? Unde infra habetur: In diebus ejus, videlicet Joram filii Josaphat, recessit Edom ne esset sub Juda, et constituit sibi regem. Respondetur, quod sicut in Scripturis rex sæpe vocatur dux, ita hoc loco dux dicitur rex. *Et circumierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui et jumentis quæ sequebantur eos. Dixitque rex Israel,* deficiente eis aqua in eremo illa : *Heu, heu, heu,* ex vehementia doloris ter ait, Heu. *Congregavit nos Deus tres reges,* cum subditis suis, *ut traderet* nos *in manu Moab:* quia Moabitæ jam perceperunt adventum istorum regum, nec poterant convenienter reverti ex aquæ defectu. Quamvis autem istud non fuit verum, quod scilicet Dominus congregaverit reges illos ob causam hanc, tamen rex Israel hoc timuit et putavit.

II Reg. VIII, 14. IV Reg. VIII, 20.

Et ait Josaphat: Estne hic, id est in aliquo loco non multum remoto, *Propheta Domini,* utpote verus et sanctus Propheta, *ut deprecemur Dominum per eum?* id est, ut ille oret pro nobis, et impetret nobis aquam, et nos quoque oremus pro causa eadem. In isto patet humilitas Josaphat, qui licet esset vir valde fidelis et virtuosus, non tamen per se ipsum præsumpsit Dominum pro miraculoso rogare effectu. *Et respondit unus de servis regis Israel : Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ,* id est, tanto Prophetæ servivit, cujus spiritus super istum quievit. Quidam aliter interpretantur, dicentes, quod in sacrificio quo Elias obtulit bovem in monte Carmeli, ut dictum est tertio libro, Eliseus fudit aquam super manus Eliæ, moxque de digitis Eliæ tanquam ex fontibus aqua copiose manavit, ut in præallegati expositione libri tactum est. *Et ait Josaphat : Estne apud eum sermo Domini? Descenditque ad eum rex Israel, et Josaphat, et rex Edom.*

IV Reg. II, 15. III Reg. XVIII, 30 et seq.

Dixit autem Eliseus ad regem Israel : Quid mihi et tibi est? id est, quæ conventio nobis, quum sis idololatra? Unde Apostolus : Quæ (ait) conventio luci ad tenebras? Et Jeremias : Quid paleis ad triticum? *Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ,* id est ad prophetas Baal. Non consultorie, sed ironice dixit hoc Eliseus. *Et ait illi rex Israel : Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? Dixit ad eum Eliseus : Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem,* id est revererer, quum sit cultor Dei fidelis, propter quod etiam verecundor me ab eo avertere, et ejus desiderium non implere, *non attendissem quidem te, nec respexissem.* Non ex elatione, sed zelo justitiæ dixit hoc sanctus vir, abominans impium ut talem, quemadmodum de viro justo fertur in Psalmo : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Hinc et Philosophus in Ethicis de proprietatibus magnanimi loquens, inter cetera ait, quod sit aspernativus, quoniam aspernatur vitiosos in quantum tales. Merito igitur in Ecclesiastico de Eliseo asseritur : In diebus suis non pertimuit principem. Verumtamen his objici potest, quoniam principes, quamvis perfidi et iniqui, sunt honorandi propter sui dignitatem officii, et tanquam

II Cor. VI, 14, 15. Jer. XXIII, 28. Ps. XIV, 4. Eccli. XLVIII, 13.

Rom. xiii, 4. ministri Dei, sicut ad Romanos loquitur Paulus : propter quod princeps Apostolorum docet, esse obediendum etiam dyscolis dominis. 1 Petr. ii, 18. Respondetur, quod superioribus in his quæ ad eorum cathedram pertinent, sunt obedientia et reverentia exhibendæ; in aliis non oportet.

Nunc autem adducite mihi psaltem, id est peritum in citharizando aut ludendo in organo. *Quumque caneret psaltes :* quia ludendo in organo simul cantavit aliquid de laudibus Dei, quemadmodum David facere consuevit; *facta est super eum,* utpote Eliseum, *manus Domini,* id est, omnipotentia Dei mentem ejus tetigit et illustravit gratia revelationis propheticæ. Gratia enim prophetiæ, est donum actuale, non proprie habituale, quia non adest cordibus Prophetarum ad libitum, sed juxta beneplacitum Dei, et secundum dispositionem et aptitudinem hominum, quia se possunt ad illuminationem talem per devotionem et elevationem mentis aptare, et quoniam diversæ melodiæ ac harmoniæ diversos causant effectus in hominum cordibus. Eliseus videns sibi lumen propheticæ gratiæ non fulgere, voluit se ad illud per elevationem animi præparare : ideo fecit psaltem coram se ludere et cantare, quoniam melodia illa cum laude Dei ad elevationem disponit, præsertim in quibusdam, qui ex naturali dispositione ad hoc magis dispositi sunt : quorum nonnulli ex discantu et consonantia melodiæ celerrime et intense moventur ad fletum, compunctionem et contemplationem. Denique quædam melodiæ excitant ad compassionem et planctum inde nascentem. Hinc tibicines in funeribus carmen lugubre concinebant. Quædam vero ad audaciam provocant, ut tubæ in præliis ; quædam ad devotionem, ut cantus et organa in divinis. Refert Lyra, quod Rabbi Salomon asserat gratiam prophetiæ recessisse ab Eliseo, quia exasperatus fuit contra regem Israel : quod dictum reprobat Lyra, quia ex zelo justitiæ id processit. Verumtamen in exasperatione illa, sicut in ira per zelum, potuisset esse A aliqualis excessus, præsertim quum secundum Gregorium, etiam ira per zelum aliqualiter turbet cordis oculum ; idcirco ad tranquillationem cordis Elisei poterat harmonia illa conferre.

Et ait : Hæc dicit Dominus : Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas, id est in alveo seu fundo hujus exsiccati torrentis profundas aliquas foveas, in quibus aqua mox ventura recipiatur. *Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis,* id est, non audietis, *ventum, neque* cernetis *pluviam* B in hac hora, *et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos et familiæ vestræ, et jumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini,* qui frequenter, sicut et nunc, plus largitur quam petitur. Ideo subditur : *Insuper tradet Moab in manus vestras ; et percutietis omnem civitatem munitam,* id est habitatores fortium civitatum Moabitici regni, *et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidi-* C *bus. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce aquæ veniebant per viam Edom, et repleta est terra,* præsertim alveus ille, *aquis.* Circa hoc Josephus protestatur, quod in superioribus partibus Idumææ pluerat vehementer tribus diebus, sicque per iter Idumææ descendit aqua per alveum in fossata.

Universi autem Moabitæ audientes quod ascendissent tres reges, ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, et steterunt in D *terminis,* id est in extremitatibus territorii sui, ut hostibus prohiberent ingressum in suam regionem : et forsan in terminis illis erant loca angusta ad introeundum, sicque facilius poterant ibi resistere. *Primoque mane surgentes, et orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinem :* quia aquæ præfatæ radiis solis percussæ, apparuerunt turbidæ et quasi sanguine rubricatæ ; vel supernaturaliter inerat color talis his aquis pro Moabitarum deceptione.

Digitized by Google

Dixeruntque: Sanguis gladii est, id est gladio fusus : quasi dicant, Interfecerunt se invicem. *Pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo. Nunc perge ad prædam, Moab. Perrexeruntque in castra,* id est ad exercitus seu tentoria, *Israel. Porro consurgens Israel,* id est Joram cum populo suo et adjutoribus suis, *percussit Moab. At illi fugerunt coram eis,* id est, qui percussionem evaserant, fugam arripuerunt. *Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab, et civitates destruxerunt; et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt; et universos fontes aquarum obturaverunt, et omnia ligna fructifera* Moabitarum *succiderunt* Joram cum suis, *ita ut muri tantum fictiles,* id est latericii, *remanerent.* In Deuteronomio fuit præceptum : Non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est, et non homo : ergo in isto facto transgressi sunt legem. Ad hoc aliqui dicunt, quod de licentia Dei fecerunt hoc, quia Eliseus prædixit quod facerent istud, sicque Deus dispensavit in lege sua. Alii dicunt, quod lex loquitur de arboribus quæ erant in terra promissionis, non de his quæ erant extra eamdem. *Et circumdata est civitas* metropolis regni Moab *a fundibulariis,* qui per gyrum posuerunt machinas bellicas ad projiciendum lapides magnos, *et magna ex parte percussa.*

Deut. xx, 19.

Quod quum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios, ut irrumperent ad regem Edom, id est, violenter et cum impetu exirent ac fugerent per eam partem, in qua Idumæi urbem circumdederunt, quia ibi obsidio fuit debilior. Vel forsan ex speciali indignatione contra regem Edom, quod filiis Israel ferret præsidium, voluerunt percutere eum. *Et non potuerunt,* quia ab hostibus fuerunt repulsi in urbem. *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum* deo suo, scilicet soli, ut fertur, quem coluit. Itaque obtulit primogenitum suum in holocaustum, ut deus suus succurreret sibi in tanta angustia, vel ut adversarii intuentes tantam suam necessitatem, compaterentur atque recederent : ideo super murum in præsentia hostium immolavit. *Et facta est indignatio magna in Israel;* vel quia hi qui erant cum rege Israel, detestati sunt factum illud inhumanum, scilicet proprii filii occisionem, et contra hoc indignati; vel sibi invicem indignabantur, quod ad tantam angustiam perduxerunt adversarios suos, *statimque* ex compassione *recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam.* Vel Deus indignatus est filiis Israel propter eorum peccata, quibus et ipsi iram meruerunt et ultionem divinam, sicut et Moabitæ, quum tamen adversarios suos tam graviter opprimendo, non pœniterent, nec castigarent se ipsos : sicut tempore Moysis plagavit Deus filios Israel, qui carnes sibi dari petierant ad edendum. Nam quamvis contulit eis carnes, tamen protinus eos percussit propter eorum concupiscentiam vitiosam, juxta id Psalmi : Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.

Exod. xvi, 3, 13; *Num.* xi, 4, 33, 34.

Ps. lxxvii, 30, 31.

Præterea quidam hic scribit, non esse probabile nec rationabile, dicere quod populus Israel ex compassione ab obsidione recesserit, quia immolatio illa fuit magis offensiva Dei, quam placativa ; et rursus, quia ex illa immolatione perpenderunt, quod Moabitæ non potuerunt diu resistere, sicque ex hoc incitati fuissent ad continuandum obsidionem. Ideo ponit et approbat expositionem Rabbi Salomonis, dicentis quod rex Moab interrogavit sapientes suos cur Deus Israel ita juvaret Israeliticum populum : qui dixerunt, quod propter merita Abrahæ, qui voluit filium suum Isaac immolare. Quo audito, rex Moab obtulit filium suum deo suo, videlicet soli. Unde tunc facta est indignatio seu ira super populum Israel, quoniam angelus præsidens Moabitis, commemoravit coram Deo scelera filiorum Israel : idcirco misit Deus pe-

Digitized by Google

stem in eos, sicque compulsi sunt ab obsidione recedere. Sed ista reprobat Rabbi Paulus, quoniam Moabitæ sacras historias de Abraham nescierunt; et alia multa inducit quæ non procedunt formaliter. Addit tamen, potius esse credendum, quod sacerdotes Moabitæ dixerunt regi suo, quod filii Israel deos suos, scilicet Moloch et ejusmodi, cum tanta coluerunt devotione, quod filios suos eis immolaverunt : quemadmo-
Ps. CV, 37. dum scriptum est, Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. Quo audito, rex obtulit filium suum ; et tunc facta est indignatio in Israel, quoniam tam perniciosum exemplum præbuerunt gentilibus.

Sensus moralis. Moraliter, ex isto capitulo edocemur, in omni tribulatione ad Deum confugere; deficiente nobis aqua sapientiæ salutaris (de
Joann. IV, 13. qua ait Salvator : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum), fontem sapientiæ invocare, juxta quod admo-
Jacob. I, 5, 6. net sanctus apostolus Jacobus : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei ; postulet autem in fide nihil dubitans. Præterea ex consideratione propriæ defectuositatis, insufficientiæ et indignitatis, debemus spiritualium et perfectorum virorum pietatem rogare, ut orent pro nobis; et tam Sanctos triumphantis Ecclesiæ, quam virtuosas personas Ecclesiæ militantis, in subsidium implorare,
Job V, 1. secundum illud in Job : Ad aliquem Sanctorum convertere. Quod si aqua ista defuerit nobis, trademur in manus Moab, id est diaboli qui superbus est valde : quoniam neminem diligit Deus, nisi qui cum *Sap.* VII, 28.
sapientia inhabitat. Si vero voluerimus aquam istam suscipere sine vento, id est clamore disceptationis humanæ, et sine pluvia informationis philosophicæ, faciamus in alveo, id est intimo fundo cordis nostri, fossas et fossas, id est profundas considerationes, ex quibus vera humiliatio generatur : ut tam ex contemplatione majestatis divinæ et perfectionis Sanctorum ipsius, quam ex propriæ vilitatis, fragilitatis ac vitiositatis attentione, humiliemus nos jugiter valde, sicque fluentis sapientiæ desuper impleamur.

Amplius, exemplo Elisei discamus veræ mentis constantiam; et omnem inordinatum timorem abjicere, nec homines formidare, nisi in Deo : quia qui aliter ti- *Prov.* XXIX, 25.
met, cito corruet; nec æmulemur in ma- *Ps.* XXXVI, 1, 7.
lignantibus, nec eos qui in sæculo prosperantur, appretiemur : imo pro nihilo reputemus omnes aversos a Domino, in quantum sunt tales. Postremo, dum nobis divina illuminatio deest, studeamus cor nostrum sursum erigere per psalmorum et canticorum atque orationum depromptionem, per pectoris tunsionem, corporis prostrationem, genuflexionem, per oculorum ad cœlum directionem, per manuum expansionem, per gemitum et singultum ac consimilia, quæ devotionis sunt incitamenta.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : MULIER AUTEM QUÆDAM DE UXORIBUS PROPHETARUM.

PROSEQUITUR jam Scriptura miracula Elisei, et recitantur hic quatuor ipsius miracula. *Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum, clamabat ad Eliseum.* Expositores catholici et Hebræi unanimiter aiunt, feminam hanc fuisse conjugem Abdiæ prophetæ : et erat multum devota. Ideo ad Eliseum tanquam ad Dei amicum, in necessitate sua confugit, *dicens : Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti*

Digitized by Google

quia servus tuus fuit timens Deum filiali A timore. Hoc vidua commemoravit, ut Eliseus magis ad compatiendum sibi flecteretur, tum quia ipsa vidua erat, cui præsertim est succurrendum, tanquam personæ humano solatio destitutæ, tum propter viri sui virtutes. *Et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi* pro debito viri mei, quod persolvere nequeo. Fuit equidem Abdias indebitatus ex sub-
III Reg. xviii, 4. ventione (ut creditur) qua centum prophetas in speluncis nutrivit, quibus necessaria procurando, debita hæc contraxit. Ideo B piissimum fuit, uxori ejus succurrere: quod sciens Eliseus, celerrime ei subvenit. *Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar* pro temperamento æstivalis caloris, juxta illius consuetudinem regionis. Aliqui tamen exponunt, Quo ungar, id est reficiar, illud in cibis pro condimento ponendo. *Cui ait: Vade, pete ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, et ingredere,* C *et claude ostium tuum, quum intrinsecus fueris tu et filii tui; et mitte inde in omnia vasa hæc,* id est, aliquid de oleo illo funde in singula vasa ista, *et quum plena fuerint, tolles.*

Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se et super filios suos. Illi offerebant vasa, id est, filii ejus præsentaverunt vasa matri, *et illa infundebat.* Quumque infunderet parum quid olei in vasa, crevit oleum in quolibet vase et multiplicaba-
Matth. xiv, 17-21. tur in semetipso, sicut panes quinque, ex D quibus Christus pavit quinque millia virorum, superfluentibus duodecim cophinorum fragmentis. Quod qualiter factum sit, an scilicet per creationem, multiplicationem, augmentationem, seu alio modo, doctores super tertium Sententiarum inquirunt. *Quumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum,* id est, crescere et multiplicari sic desiit, omnibus vasis illis impletis.

Venit autem illa et indicavit homini Dei, gratias referens ei, et juxta ipsius voluntatem volens oleo uti. *At ille: Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo,* id est, ex pretio olei debitum illi persolve; *tu autem et filii tui vivite,* id est, vitam sensitivam vestram *de reliquo* oleo non vendito, vel de reliquo pretio debitis superfluo sustentate. Ac si dicat: Tantum vendatis de oleo, ut debita persolvatis, et de residuo reficiatis vos, vel etiam vendatis pro parte, prout convenit vobis, ut de pretio ejus necessaria ematis.

Sequitur aliud signum. *Facta est autem dies quædam, et transibat Eliseus per Sunam civitatem,* id est per urbem sic nuncupatam. *Erat autem ibi mulier magna,* id est multum notabilis, utpote prudens, virtuosa, dives ac nobilis. Quam (ut refert Lyra) Rabbi Salomon dicit fuisse sororem Abisag, quam David in senio suo accepit: quod verum non esse, satis ex littera probat Lyra, quia jam tempore Elisei fuisset circiter centum viginti annorum; et si dicatur miraculose concepisse, ideo senium non obstare, objicitur quod in textu vir ejus senex vocatur, et ob hoc ipsa non habere filium insinuatur. Verumtamen si Rabbi Salomon dicat eam sororem, id est cognatam illius Abisag, cessat objectio: quoniam sicut viri ejusdem cognationis frequenter vocantur fratres, sic feminæ ejusdem parentelæ, sorores, et præsertim nobiles. *Quæ tenuit eum,* non violenter, sed rogando humiliter ac instanter, *ut comederet panem,* id est, cibum et potum acciperet. Omne etenim alimentum nomine panis exprimitur. *Qui quum frequenter inde transiret, divertebat ad eam, ut comederet panem.*

Quæ dixit ad virum suum: Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Hoc enim consideravit ex moribus ejus, ex custodia visus, ex verborum modestia, apparatuque vultus, ex sobrietate et maturitate ipsius. Per exteriora quippe noscuntur interiora, probabili saltem et conjecturali noti-

Digitized by Google

Prov. xvii, 24. tia. Unde in Proverbiis legitur : In facie prudentis lucet sapientia; oculi autem stultorum in finibus terræ. Et iterum fertur : Ibid. xxvii, 19. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Hoc est quod in Ecclesi- Eccli. xix, 26, 27. astico scriptum est : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo. Rabbi Salomon, ut recitat Lyra, dicit, quod mulier sanctitatem Elisei animadvertit ex hoc, quod nulla musca vel immunditia alia super mensam ejus resedit. Sed non videtur, quod mulier in tantum appropinquaverit mensæ Elisei, quod hoc adspicere quiverit, quia nec ad alloquendum cameram ejus intravit, in qua ipse seorsum comedit, ut statim patebit. Sæpissime autem ponit Rabbi Salomon ille abusiva et frivola. *Faciamus ergo,* hoc est præparemus, *ei cœnaculum parvum, et ponamus in eo lectulum et mensam et sellam,* id est sedile, *et candelabrum, ut quum venerit ad nos, maneat ibi,* ut possit seorsum comedere, et orationi insistere, et suas necessitates exercitationesque facere. Sic Rabanus aliique exponunt.

Facta est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. Dixitque Eliseus *ad Giezi puerum suum : Voca Sunamitem istam,* hoc est feminam de Suna urbe Samariæ oriundam, seu in ea manentem. *Qui quum vocasset eam, et illa stetisset coram eo,* id est extra et prope ostium cœnaculi Elisei, ita quod invicem poterant se videre; non tamen intravit cœnaculum (Eliseo præsente), ut infra innuitur. Nam et protinus subditur : *dixit* Eliseus *ad puerum,* hoc est ministrum suum Giezi : *Loquere ad eam.* Ecce quod sanctus vir non loquebatur immediate ad illam. Unde et satis conjicitur, quod per notabilem distantiam stetit ab Eliseo amota. *Ecce sedule,* id est assidue, *ministrasti nobis : quid vis ut faciam tibi? Numquid habes negotium, et vis ut loquar regi sive principi militiæ* pro te? id est, si eges auxilio meo, libenter te apud regem juvabo. Sciebat quippe Eliseus se a rege Joram et principe suæ militiæ in honore haberi, tanquam successorem Eliæ, et quia procuravit IV Reg. iii, 17, 18. regi et adjutoribus ejus aquam : quibus et prædixit victoriam, prout præcedenti habetur capitulo. *Quæ respondit,* compendiose tanquam femina prudens, quia non decet mulierem sine necessitate verba multiplicare, potissime coram sapientibus viris : *In medio populi mei habito,* id est inter consanguineos et propinquos, ita quod nullus mihi injuriatur : idcirco non indigeo ad regem recurrere, et si indigerem, propinqui mei loqui possent pro me.

Et ait Eliseus, non ad mulierem, sed ad Giezi : *Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi : Ne quæras,* id est, non oportet hoc quærere, quum certum sit et facile sine interrogatione queat perpendi, imo tu posses hoc per te satis advertere; *filium enim non habet :* id est, quum sit matrona tam dives et magna, certum est quod nihil terrenum sic optet ut prolem, quum et in lege sit scriptum, Maledicta sterilis; *et vir* Deut. vii, 14. *ejus senex est,* ita quod præ senio eam non valet fecundare, deficiente in eo calore : ideo indiget supernaturaliter adjuvari ad prolificandum. *Præcepit itaque* ministro suo, *ut vocaret eam.* Unde elicitur, quod honestissima mulier illa interim abiit, conferentibus scilicet Eliseo et Giezi; nec ex curiositate remansit evidenter aut clam ad auscultandum quid illi colloquerentur, quum tamen sciret, aut probabiliter æstimare posset, quod loquerentur de ea.

Quæ quum vocata fuisset, et stetisset ante ostium : ex quo palam est, quod cameram Elisei non introivit; *dixit ad eam : In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium :* hoc est, anno revoluto, si vixeris, habebis in utero filium eadem hora quæ nunc, non numero, quoniam tempus quod præteriit, idem numero non iteratur, sed specie. Simili modo angelus legitur dixisse ad Abraham, Tempore isto, vita comite, habebit Gen. xviii, 10. filium Sara uxor tua. Porro, ut in Schola-

Digitized by Google

stica historia dicitur, In Hebræo sic continetur : In tempore isto, quum tempus vitæ, subaudi, adhuc erit tibi, habebis filium. Et concordat, quod Lyra asserit in Hebræo haberi : In tempore isto, sicut est tempus vitæ, amplexaberis filium, hoc est, anno revoluto eris sana, et amplexaberis filium tibi natum, ut quidam exponunt Hebræi. *At illa respondit : Noli, quæso, mi domine, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.* Curialiter loquitur femina ista, non quod putaret Eliseum esse mendacem, aut fallere velle, sed ad insinuandum, id quod promisit Eliseus esse impossibile per naturam, atque implicite rogans, ut verificaret et obtineret a Domino quod spopondit. Unde, ut fertur, Hebræi legunt : Noli deficere ancillæ tuæ. Verbum enim Hebraicum designat utrumque : sic quod credidit verbis Prophetæ, quamvis ex admiratione prima facie ita locuta fuerit.

Et concepit mulier, et peperit filium in tempore et in eadem hora qua dixerat Eliseus. Sicque quod ait, In tempore et in eadem hora, refertur ad verbum hoc, Peperit. Nec obstat, quod dixerat Eliseus, Habebis in utero : quia infra unam horam poterat habere in utero prolem, et parere eam. Denique supernaturale fuit, quod senex ille generavit, et item, quod Eliseus non solum præscivit hoc, sed etiam horam determinatam. Rursus supernaturale fuit, quod scivit prolem dandam debere filium esse, non filiam.

Crevit autem puer ; et quum esset quædam dies, et egressus esset ad patrem suum, et ad messores, ait patri suo : Caput meum doleo, caput meum doleo. Unde patet, quod jam fuit adultæ ætatis : et forsan calor intensus læsit puerulum, sicut habetur de marito Judith, quod instabat super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est. *At ille dixit puero : Tolle, et duc eum ad matrem suam. Qui quum tulisset et duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est. Ascendit autem et collocavit eum,* scilicet puerum mortuum mater sua, *super lectulum hominis Dei :* quia cameram illam alii non intrabant ex facili causa ; *et clausit ostium,* ne quis puerum mortuum inveniret : cujus mortem nec suo manifestavit marito, ut aliqui opinantur. *Et egressa, vocavit virum suum, et ait : Mitte mecum, obsecro, unum de pueris,* hoc est ministris nostris, *et asinam,* super quam vehar, *ut excurram,* hoc est, velociter pergam super asinam equitando, *usque ad hominem Dei, et revertar. Qui ait illi : Quam ob causam vadis ad eum ? Hodie non sunt calendæ, neque sabbatum.* In calendis seu exordiis mensium et sabbatis, tanquam in festis diebus, solebant Judæi ire ad audiendum doctrinam Scribarum ac Prophetarum. *Quæ respondit : Vadam,* hoc est, precor ut permittas me ire. *Stravitque asinam* per ministrum, *et præcepit puero, Mina et propera :* asini namque et asinæ non vadunt velociter, nisi ad hoc impellantur ; *ne mihi moram facias in eundo ; et hoc age, quod præcipio tibi.*

Judith VIII, 3.

Profecta est igitur, et venit ad virum Dei in montem Carmeli. Quumque vidisset eam vir Dei coram, ait ad Giezi puerum suum : Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in occursum ejus, et dic ei : Rectene agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum ? Scivit enim Eliseus, quod mulier tam pudica, non venit ad se per iter tantum sine ingenti causa. *Quæ respondit : Recte.* Dicunt aliqui, quod in hoc sit mentita, et quod non oporteat eam a mendacio excusari. Verumtamen dici potest, quod verissime ita respondit. Recte etenim, id est juste, circa eam et filium ejus acciderat, quoniam Deus justo judicio ita disposuit, et pro majori sui ipsius gloria et honore, et pro ampliori parentum pueri ædificatione et gaudio. *Quumque venisset ad virum Dei in montem* Carmeli, in quo Sanctus ille continue exercitiis vitæ contemplativæ vacavit, *apprehendit pedes ejus,* quasi oblita consueti femineique pudoris, necessitate compulsa et victa, affectu honesto ; *et accessit Giezi ut amoveret*

Digitized by Google

eam. Unde perpenditur, quod Eliseus non solebat admittere mulierum contactum, neque ad pedes. *Et ait homo Dei : Dimitte illam,* ne abstrahendo eam, augeas ejus dolorem : quia non est afflicto addenda afflictio, nisi specialis et rationabilis exigat ratio. Sicque discretus et pius Propheta ex compassione relaxavit suum rigorem, et toleravit venerabilis matronæ attactum : quod nequaquam ex carnali processit affectu, sed ex vehementia quadam spiritualis amoris. Hinc subditur : *anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit me, et non indicavit mihi,* id est, mihi non revelavit, quid urgeat eam. Non enim omnia revelabantur uni Prophetæ, nec donum
IV *Reg.* III, 15. prophetiæ semper actualiter adfuit Prophetis, ut dictum est, sed juxta moderamen sapientiæ Dei tangebantur a Spiritu Sancto.

Quæ dixit illi : Numquid petivi filium a domino meo? quasi dicat, Ego non rogavi te, ut mihi filium impetrares, sed tu primo mihi inde locutus es, et promisisti : idcirco decet te recuperare donum quod impetrasti, et nunc mihi ablatum est; alioqui impetratio illa est mihi causa majoris doloris. Sic et Rebecca dum pueri in suo
Gen. XXV. 22. utero collidebantur, dicebat : Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere? *Numquid non dixi tibi, Ne illudas me?* Hoc supra dixisse non legitur, sed non omnia scripta sunt. Vel quod supra dixit, Noli mentiri ancillæ tuæ, nunc resumit sub verbis istis : quia illusio videbatur filium procurare, nec conservare.

At ille ait ad Giezi : Accinge lumbos tuos, disponendo te ad eundum velociter, *et tolle baculum meum in manu tua, et vade,* ut per baculum meum, loco mei, fiat miraculum. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei.* Quum salutare, sit salutem optare, videtur quod alium non salutare, sit caritati contrarium ; et quod salutanti non respondere, sit ingratitudinis et scandalizativum : cur ergo Propheta commisit hæc suo discipulo? Et respondendum, quod actus virtutum sunt exer-

A cendi loco et tempore opportuno. Quamvis itaque proximum salutare et salutantem resalutare, sint actus laudabiles in se, tamen ex rationabili causa possunt suspendi atque differri, ut scilicet interim quis altioribus vacet, et a Deo mentis intentionem non revocet, occasionemque vitet confabulationis illicitæ. Sic igitur Eliseus commisit hæc Giezi, quatenus tanta intentione, devotione, ac diligentia opus expleret sibi injunctum, ut mentem nequaquam hinc inde effunderet, nec commisceret collo-
B quia : juxta quem modum Christus in Evangelio loquitur, missis a se ad prædicandum discipulis, Neminem per viam sa- *Luc.* x, 4.
lutaveritis. *Et pones baculum meum super faciem pueri,* ut divina pietate, et fide ac precibus et meritis meis puer resuscitetur.

Porro mater pueri ait Eliseo : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te,* nisi veneris mecum. Habuit namque ista matrona majorem in Eliseo fiduciam, quam in ejus ministro. *Surrexit ergo, et secutus est eam. Giezi autem præcesserat*
C *ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox neque sensus :* hoc est, puer non revixit, quia nec Giezi tantæ fuerat fidei, nec mater pueri in Giezi actibus confidebat : atque, ut dicunt Hebræi quidam, ipse Giezi non implevit in via Elisei præcepta ; sed occurrentibus interrogantibusque respondens, jactanter dixit se missum ad suscitandum defunctum. Est et mystica ratio, quoniam omnia illis in figu- I *Cor.* x, 11.
ra, teste Apostolo, contigerunt. Porro, per baculum Elisei, tenor et rigor legis Mosai-
D cæ exprimuntur; per ipsum autem Eliseum puero incumbentem, Dei Filius incarnatus, humano generi condescendens. Non ergo resuscitatus est puer, per superpositum sibi baculum, sed per incumbentem super se Eliseum, ad designandum, quod non lex Moysis, sed virtus et gratia Christi spiritualem vivificationem hominibus est largita. Ideo loquitur Paulus : Nihil ad perfe- *Hebr.* VII, 19.
ctum adduxit lex. Et rursus : Si data esset lex, quæ possit vivificare, vere ex lege es- *Galat.* III, 21.
set justitia. Hinc et evangelista Joannes :

Joann. I, 17. Lex, inquit, per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Reversusque est in occursum ejus, et nuntiavit ei, dicens : Non surrexit puer.*

Ingressus est ergo Eliseus domum. Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus. Ingressusque, clausit ostium super se et super puerum, et oravit ad Dominum pro pueri suscitatione. *Et ascendit* lectulum, *et incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. At ille reversus* a contactu corpusculi exanimis, *deambulabat in domo,* hoc est in camera illa, *semel huc atque illuc,* exspectans an in defuncto illo aliqua signa vitæ inciperent apparere : quibus nondum apparentibus, *et* rursus *ascendit et incubuit super eum ; et oscitavit puer septies, aperuitque oculos* in signum quod vere revixit, imo et spiritualiter septem donis Spiritus Sancti esset vivificatus. Possent hic multa dici, cur Eliseus ita super puerum incubuit, seque incurvavit, et membra sua membris pueri superposuit, et qualiter hoc agendo contraxit se, et de spirituali significatione istorum : quæ supra in tertii libri expositione sunt inducta, ideo brevitati studendum est. III Reg. XVII, 21.

Et ille vocavit Giezi et dixit ei : Voca Sunamitem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait : Tolle filium tuum. Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram. Tulitque filium suum, et egressa est; et Eliseus reversus est in Galgala. Circa hoc Magister in historiis scribit : Hunc locum sæpe frequentavit Eliseus, tum propter loci religionem seu sanctitatem (de qua in expositione secundi capituli dictum est), tum quoniam ibi natus est. Et in ortu suo tale prodigium contigit ibi, ut unus ex vitulis aureis acute mugiret. Quo audito, in Jerusalem sacerdos divino nutu ait : Propheta in Israel natus est, qui sculptilia deorum atque fusilia destruet. IV Reg. II, 1.

Sequitur tertium signum. *Erat autem fames,* id est caristia, *in terra* Israel propter idololatrarum facinora ; *et filii prophetarum,* hoc est discipuli eorum, *habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris : Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum. Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus, concidit in ollam pulmenti. Nesciebat enim quid esset,* id est cujus speciei et proprietatis atque saporis. Porro colocynthidæ sunt cucurbitæ silvestres et amarissimæ herbæ, instar vineæ se diffundentes in sepibus, habentes folia similia foliis vitis. *Infuderunt ergo sociis, ut comederent. Cumque gustassent de coctione* pulmenti, *exclamaverunt, dicentes : Mors in olla, vir Dei,* hoc est mortifera quædam amaritudo ; *et non potuerunt comedere. At ille : Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait : Infunde turbæ ut comedat. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla,* nec in pulmento præfato : quod factum est non virtute farinæ, sed orationibus ac meritis Elisei ; vel precibus ejus data fuit supernaturaliter illi farinæ vis dulcorandi, amaritudinemque pellendi.

Sequitur quartum miraculum. *Vir autem quidam venit de Baalsalisa,* id est oppido sic vocato ; vel (ut aliqui dicunt) sunt duæ dictiones, et legunt sic, *de baal,* hoc est planitie aut regione, *Salisa,* id est urbis sic dictæ, sicque *baal* est hic nomen commune ; *deferens viro Dei panes primitiarum,* id est panes triticeos primitivos, hoc est de primis frugibus anni illius. Nam quia fames fuit in terra, de tritico adhuc recente fecerat panes festinanter vir iste, quos speciali devotione detulit Eliseo. Hinc istud non est intelligendum de panibus primitiarum qui offerebantur in Pentecoste, Num. XXVIII, 26.
prout in libro Numerorum habetur, nec de polenta quæ offerebatur in Pascha, sicut Ibid. 20, 21.
in eodem libro legitur. *Et viginti panes hordeaceos.* Nam hordeum in terra illa citius maturescit, sicque de hordeo plures

Digitized by Google

fecerat panes. Aliqui tamen dicunt, quod omnes panes isti erant hordeacei, nec in Hebræo haberi conjunctionem hanc, *et,* nec eam esse de textu. *Et frumentum novum,* id est grana confricata. Unde in Hebræo fertur haberi, Et granatam. *In pera sua,* hoc est in sacculo. *At ille,* scilicet Eliseus, *dixit* ministro : *Da populo ut comedat. Responditque minister ejus : Quantum est hoc?* quasi dicat, Valde modicum est, *ut apponam coram centum viris.* Erant enim tam parvi panes, ut unus vix sufficeret viro uni. Denique aliqui dicunt, quod populus ille fuit centum viri. Alii opinantur, quod populus erat plus quam centum viri. Ideo dixit minister, Quantum est hoc, ut apponam centum viris? quasi dicat, Non sufficiunt centum viris, et per consequens minus sufficiunt populo. Vel, secundum quosdam, duos panes primitiarum posuit ante centum. *Rursum ille ait : Da populo ut comedat. Hæc enim dicit Dominus : Comedent, et supererit :* hoc est, fragmenta manebunt satiatis, quia panes fuerunt miraculose multiplicati, sicut de oleo dictum est in isto capitulo. *Posuit itaque coram eis : qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.*

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI QUARTI INTELLECTU.

Mulier illa devota, una de uxoribus prophetarum, est figura Ecclesiæ filios duos habentis, scilicet activos et contemplativos, seu conversos ex Judaismo et paganismo ; et quia Ecclesia doctrinis atque oraculis Prophetarum est fecundata, bonorumque operum fructibus fertilis facta, recte una de uxoribus Prophetarum vocatur. Nam et Synagoga olim fuit hujus-
II Cor. III, 6. modi : quæ nunc solam occidentem litteram sequens, de semine vitæ concipit mortem. Creditor hujus uxoris, est corpus
Sap. IX, 15. corruptibile, aggravans animam, seu mun-
I Joann. V, 19. dus positus in maligno : a quibus Ecclesia multa accepit, et quasi accommodavit obsequia, quoniam caro per sensus exteriores et interiores, et per singula quæque membra in multis deservit fidelibus ; similiter homines sæculares Ecclesiasticis obsequuntur. Hic creditor, utpote corpus, vult sibi a Christifidelibus satisfieri pro suis obse-
I Petr. II, 11. quiis, et militat adversus animam. Ecclesia vero hunc adversarium suum, omnes Ecclesiæ filios impugnantem ut serviant concupiscentiis suis, non potest efficaciter refrenare ac regere, nisi divino munere adjuvetur : ideo clamat ad Eliseum, id est, Christi pietatem et gratiam obtinere precatur, asserens mortuum esse virum suum timoratum, id est chorum sanctorum pastorum et vere efficacium prælatorum, qui olim optime gubernaverunt, et direxerunt Ecclesiam. Cui Christus respondet, ut hoc ipsum modici olei quod ipsa habet, id est unctionem et doctrinam sibi concessam, mittat in vacua vasa, id est, communicet aliis, instruendo eos pro posse, qualiter debeant conversari, et carnem domare : quod caritative et pie ac obedienter agendo, merebitur cœlitus adimpleri, ac divinis abundare charismatibus gratiosis, ita ut copiose queat instruere proximos, et corpori, quod ei tenetur, impendere; quia, ut ait Apostolus, Debitores sumus non car- Rom. VIII, 12.
ni, ut secundum carnem vivamus.

Præterea, Sunamitis illa mulier magna, designat animam vere fidelem, præsertim contemplativam, quam verus Eliseus, id est Christus, variis modis misericorditer visitat. Ideo suggerit viro suo, id est intelle-

Digitized by Google

ctui, qui animam habet dirigere, ut præpa-
rent Christo in se *parvum cœnaculum,* id
est cor humile ac devotum, in quo Salva-
tor cœnet cum anima, quemadmodum in
Apoc. III, 20. Apocalypsi protestatur : Ego sto ad ostium,
et pulso ; si quis aperuerit mihi januam,
intrabo ad illum, et cœnabo cum eo, et
ipse mecum. Reficitur enim Christus no-
biscum, dum nostris congratulatur pro-
fectibus. Et ponant in isto cœnaculo *le-*
Is. LXVI, 12. *ctulum,* id est pacem et tranquillitatem
Ps. LXXV, 3. internam, quia in pace est locus ejus, qui
super quietum descendit, et demoratur in
ipso. Lectulus quoque est quies contem-
plationis, in qua Sponsus quiescit cum
Cant. I, 15. Sponsa, quæ ait : Lectulus noster floridus.
Et sellam, id est discretionem et veram
virtutum ac veritatis examinationem. Nem-
Ps. LXXXVIII, 15. pe judicium, id est discretio et justitia,
præparatio sedis ejus. *Et mensam,* id est
divinam Scripturam, in qua quadruplex ex-
positio, est quadripartita spiritualium fer-
culorum præbitio. *Et candelabrum,* id est
oculum mentis, seu rectam intentionem :
Matth. VI, 22. de qua loquitur Dominus, Si oculus tuus
simplex fuerit, totum corpus tuum luci-
dum erit.

Huic mulieri cum qua Filius Dei hu-
militer commoratur, quamdiu prædicta in
ipsa reperiuntur, deest aliquando fructus
internæ fecundationis, ita quod ad tempus
sterilis redditur, eo quod vir ejus, videlicet
intellectus, inveterascit, id est, vetustate
peccati dejicitur, et passionum squalore
inficitur, ita quod animam non gubernat,
sed a sensualitate potius gubernatur, et
corpori servit. Sed Christus animam quam
elegit, misericorditer prævenit, atque in-
sperata fecunditate adimplet : et potest
per Giezi, prædicator verbi cœlestis intel-
ligi. Quumque fructus ex caritate proce-
dens, ex calore concupiscentiarum et vi-
tiorum fuerit mortificatus, Christus orante
anima miseretur, et suum mittit ministrum
cum baculo, id est comminatione Scriptu-
ræ ac rigore justitiæ, vel etiam cum susten-
tatione clementiæ, et consolatione Paginæ
sacræ : quia et clementia per baculum de-
A signatur, juxta id Psalmi, Virga tua et ba- Ps. XXII, 4.
culus tuus ipsa me consolata sunt. Verum
ministro non sufficiente ad suscitandum,
Dominus et Salvator manum porrigit ad-
jutricem, et oculum suum ponit super ocu-
lum animæ, dum sapientia sua intellectum
animæ erudit ; manum quoque suam su-
per manum animæ, dum sua omnipotentia
virtutem animæ roborat ; et os suum super
os animæ, dum eam ad loquendum salu-
briter dirigit. Domini etenim est guberna- Prov. XVI, 1.
re linguam, et ori adhibere custodiam.

B Præterea, per filios prophetarum desi-
gnantur claustrales, et personæ devotæ in
congregationibus habitantes coram Eliseo,
hoc est Christo, et ejus vicariis : quibus
Christus et ejus vicarii jubent necessa-
ria corpori et animæ exhiberi. In quibus
necessariis decoctionibus ac refectionibus
corporalibus ac spiritualibus frequenter
colocynthidæ commiscentur, id est pauper-
tas, tenuitas victus atque vestitus, absti-
nentia, jejunium, disciplina, subtractio
consolationis internæ, tentationum et ad-
C versitatum amaritudo, exercitationum mo-
lestia, ita ut clament ad Dominum : Mors
est in cella. Sed piissimus Dominus Jesus in-
fundit farinam, dando consolationem men-
talem, alacritatem devotam, patientiam for-
tem, illuminationem piissimam, amoris
sancti fervorem, in tantum, ut omnia quæ
videbantur amara, reputentur dulcissima,
et gaudeatur in eis, sicut in omnibus divi- Ps. CXVIII, 14.
tiis, ac dicatur : Non sunt condignæ pas- Rom. VIII, 18.
siones hujus temporis ad gloriam illam fu-
turam. Itemque : Sicut pro Christo abundat II Cor. I, 5.
D tribulatio nostra, ita per Christum abundat
consolatio nostra. Et denuo : Secundum Ps. XCIII, 19.
multitudinem dolorum meorum in corde
meo, consolationes tuæ lætificaverunt ani-
mam meam.

Insuper, per virum qui Eliseo panes por-
tavit primitiarum, intelliguntur gloriosi
Apostoli et Prophetæ, qui Christo humi-
liter adscripserunt quidquid sapientiæ et
virtutis fuit in eis, atque primitias spiritus Rom. VIII, 23.
sibi datas : quorum dona et opera, exem-
pla et documenta, fecit Salvator toti chri-

Digitized by Google

stiano populo anteponi, ut reficerentur ex A illis: nec potuerunt totum accipere, hoc est, imitando implere.

Denique ex isto capitulo multa sumuntur saluberrima documenta. Et primo, ex hoc quod mulieri viduæ tam pie ac copiose ac miraculose subventum est, eo quod maritus ejus contraxerat debita, prophetas Dei servos ac pauperes sustentando : ostenditur, quam salubre ac placitum Deo sit, pauperibus, et vere religiosis, ac indigentibus domesticis, ac devotis necessaria impertiri. Quantum etiam hospitalitas pie exhibita, B Deo complaceat, constat ex eo, quod Sunamitis illa Eliseum tam frequenter ac reverenter hospitando, meruit supernaturaliter fecundari, defunctumque filium suscitari, imo et contra futuram avisari caristiam, (IV *Reg.* VIII, 1.) ut infra habetur. Opera enim pietatis ac misericordiæ non in futuro dumtaxat, sed in præsenti quoque præmiantur copiose a Domino. Denique, ex hoc, quod Eliseus et venerabilis mulier illa habuerunt se ad invicem tam custodite ac spiritualiter, irreprehensibiliter et devote, ita quod Eliseus C cum illa seorsum nulla videtur habuisse colloquia, et per intermedium ministrum verba direxisse ad illam, nec ipsam admisisse ad cœnaculi sui ingressum, nec eam cognovisse ex nomine, quia non aliter quam Sunamitem, eam vocasse describitur (non enim, ut Rabanus aliique testantur, tantam cum ipsa familiaritatem habebat, ut proprium ejus sciverit nomen) : hinc (inquam) perpenditur, quam timorate, pudice et custodite mutuo debeant se habere viri et feminæ, potissime spirituales per- D sonæ, et omnem incautum vitare intuitum, periculosum contactum, suspectum colloquium, separatam præsentiam, familiaritatem nocivam, et cuncta quæ ad vitiosam possunt concupiscentiam excitare, et solo spirituali amore esse contentæ.

Amplius, quamvis præclarissimi viri Elias ac Eliseus fuerint magni valde et gloriosi Prophetæ, nihilo minus ad laudem Omnipotentis, et commendationem et confortationem evangelicæ legis perpendere possumus, quanta sit beatissimorum excellentia Apostolorum super Prophetas : siquidem in toto veteri Testamento nullus legitur mortuum suscitasse, nisi Elias unum, Eliseusque duos; Apostoli autem plurimos valde suscitaverunt defunctos : non utique cum tanta difficultate, ut Elias et Eliseus, (III *Reg.* XVII, 22; IV *Reg.* IV, 35; XIII, 21.) qui toties super defunctos incubuerunt, sed sola et brevi oratione, imo interdum cum quadam jussione. Demum sacratissimus princeps Apostolorum, per baculum suum ad defunctos discipulos per viventes suos discipulos longe missum, tres mortuos suscitavit, ut in Martyrologio recitatur Sanctorum : quorum trium unus fuit S. Maternus, qui quadraginta diebus fuerat mortuus.

Præterea, si interdum exercitiis et refectionibus nostris colocynthidæ, id est tribulationes, desolationes, amaritudines, fuerint mixtæ, studeamus has dulcorare, admiscendo farinam, id est dominicæ passionis acerbitatem (quæ si rite pensetur, omnis afflictio mitigatur), cœlestisque patriæ jucunditatem, et quantus sit fructus adversitatum æquanimiter perpessarum ; et impleamus illud Apostoli : Tristatur aliquis vestrum? oret; æquo animo est? psallat. At- (*Jacob.* V, 13.) que pensemus, quanta in futuro erit celeriter eorum damnatio, qui nunc in labore hominum non sunt, nec cum hominibus (*Ps.* LXXII, 5.) flagellantur. Quod si ad ista non fuerimus sufficientes, rogemus summum Eliseum Dominum Jesum Christum, ut ipse consolationis suæ farinam dignetur infundere ; et interim ab omni negligentia, pusillanimitate, ac vili consolatione abstineamus sine cessatione.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : NAAMAN PRINCEPS MILITIÆ REGIS SYRIÆ, ERAT VIR MAGNUS.

DESCRIBUNTUR hic duo Elisei miracula : Primum est, curatio viri gentilis a lepra ; secundum, introductio lepræ in proprium vitiosum discipulum. *Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus,* id est magnæ reputationis ac audientiæ, *apud dominum suum, et honoratus.* Nam propter suam probitatem, fortitudinem atque prudentiam, honorabatur a rege suo et satellitibus ejus, præsertim quia erat communitati valde proficuus. Unde subjungitur : *per illum enim dedit Deus salutem Syriæ,* id est pacem temporalem et prosperitatem Syris : quoniam erat in præliis prudens ac strenuus, latrunculosque vastavit. Et aliqui dicunt III *Reg.* XXII, 34. eum fuisse, qui Achab regem jaculo perforavit : quod puto aut incertum, aut falsum, quamvis Rabbi Salomon dicat hoc, qui cum talibus dictis curiosis incertis frequenter se occupat, ut Rabbi Paulus testatur. Et quamvis Lyra videatur hic consentire huic Rabbi Salomonis dicto, aut saltem illud non reprobare, tamen ex eo quod in expositione libri tertii scribit, patet falsitas dicti istius. Ibi etenim scribit, quod is qui regem Achab sic sagittavit, fuit pedester ; certum est autem, quod princeps militiæ fuit equester. Videtur autem Naaman iste fuisse vir bonus in genere suo et virtuosus, loquendo de virtutibus acquisitis : propter quod meruit temporalem istam victoriam adjutorio Dei, eo modo quo Hieronymus asserit Deum Romanis adhuc gentilibus contulisse monarchiam, propter eorum virtutes. *Erat autem vir fortis,* ideo aptus ad militiæ principatum, *et dives, sed leprosus.* Et quamvis leprositas poterat ei ex naturali causa venisse, non tamen sine speciali providentia A Dei, qui per tam gravem corpoream infirmitatem voluit eum ad suam misericordiam trahere, quia et virtuosus erat modo prætacto.

Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. Quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus meus ad Prophetam qui est in Samaria : profecto curasset eum a lepra quam habet. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum B regem Syriæ, *et nuntiavit ei, dicens : Sic et sic locuta est puella de terra Israel,* utpote quod Propheta ibi exsistens, posset me a lepra curare. *Dixitque ei rex Syriæ : Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui quum profectus esset, et tulisset* ipse Naaman *secum decem talenta argenti, et sex millia aureos,* id est aureorum denariorum pro sumptu in via, atque ad dandum Prophetæ, si curaretur ab eo, *et decem mutatoria vestimentorum,* id est decem paria vestium, vel decem nova vestimenta: C quæ mutatoria appellantur, quoniam pro veteribus vestibus recentes accipiuntur ; *detulit litteras* ex persona et nomine regis Syriæ, *ad regem Israel in hæc verba : Quum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum,* id est, curari procures per Prophetam regionis tuæ, *a lepra sua.* Vel quasi honorando regem ait, Ut cures eum a lepra.

Quumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua. Rex enim Israel ita D accepit verba regis Syriæ, quasi rex Syriæ ab ipso requireret, quod ipsemet leprosum illum curaret : ideo scidit vestimenta sua, quasi tantam non valens

Digitized by Google

sustinere blasphemiam. *Et ait : Numquid Deus ego sum, ut occidere possim et vivificare ? quia iste.* Aspernatorie loquitur de rege Syriæ, tanquam de homine tam erronee et insidiose sibi scribente. *Misit ad me, ut curem hominem a lepra sua,* quum tamen a lepra curare, sit supernaturale, et soli Deo possibile, sicut mortuum suscitare. *Animadvertite et videte, quod occasiones quærat adversum me,* id est, quam multis calliditatibus conetur mihi nocere et prævalere, quia et nunc nititur me inducere, ut usurpem mihi quod Dei est, B hoc est, leprosum curare attentem, sicque Deum offendam, qui irascens tradat me in manum regis istius. Hanc Catholicorum expositionem quidam improbare studens, dicit eam non consonare litteræ sequenti, in qua Eliseus regem Israel reprehendit de vestium scissione : quod non fecisset, si rex Israel propter reverentiam nominis Dei vestimenta sua scidisset. Et addit : Ideo aliter dicitur, quod scilicet vestes scidit ex impatientia, putans quod rex Syriæ quæreret occasionem movendi guerram C contra se, petendo a se rem impossibilem sibi. Circa hæc dico, quod præinducta Catholicorum expositio, vera est et textui consona, quia rex Israel dixit : Numquid Deus ego sum ? quasi dicat, Ex dolore tantæ blasphemiæ vestes scindo. Quod autem sequentia huic expositioni non obvient, mox patebit.

Quod quum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens : Quare scidisti vestimenta tua ? Non dicit hoc reprehen- D dendo, quod vestes suas ex detestatione blasphemiæ scidit, sed quod verba regis Syriæ aliter et melius intelligere potuit, quia nec rex Syriæ ea sic intellexit, sicut rex Israel : nec intendebat hoc malum, quod rex Israel suspicabatur eum intendere ; sed potius, ut rex Israel ab Eliseo, tanquam a viro sibi subjecto, procuraret servum suum curari. Denique interrogationes hujusmodi, quibus sic dicitur, Quare hoc aut illud fecisti, non semper intel-

A ligendæ sunt reprehensive, sed quandoque per modum admirationis, quandoque per modum solatii aut bonæ jocationis, ut quum in Genesi Laban ait ad Abrahæ servum : Cur foris stas ? Et supra libro secundo *Gen.* XXIV, 31.
Areuna dixit ad David : Quid causæ est, ut II *Reg.* XXIV, 21.
dominus meus veniat ad servum suum ? In Evangelio quoque benignissima Christifera Virgo ait suo Dilecto : Fili, quid fecisti nobis sic ? *Luc.* II, 48.
Et juxta hos modos verba Elisei possunt intelligi. *Veniat ad me, et sciat* per suæ curationis effectum, *esse Prophetam in Israel,* ad gloriam Dei conversionemque sui.

Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit ante ostium domus Elisei. Misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens : Vade, et lavare, hoc est, nudum te lava, *septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis,* non solum in carne a lepra, sed etiam mente a lepra spirituali, id est perfidia. Ob mysticam causam infra tangendam, jussit hoc Eliseus ex divino instinctu ; et item ut curatio illa mirabilior appareret, et tota Deo adscriberetur, quum certum esset, in aqua Jordanis nullam esse virtutem curandi lepram ; sicque Naaman citius converteretur, et crederet, sicut et factum est.

Iratus Naaman, recedebat dicens. Irascebatur, quia commissio seu jussio illa Elisei videbatur sibi omnino irrationabilis esse. Respexit enim ad naturalem vim aquæ, non ad omnipotentiam Dei, quæ nondum sibi innotuit. *Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.* Unde videtur Naaman æstimasse, quod in persona Elisei fuerit virtus aliqua lepræ curativa : ideo misit eum Propheta ad fluenta Jordanis, quatenus non sibi, sed Deo suam attribueret curam. Præterea, quamvis in lege prohibitum fuit tangere leprosum, non ta- *Lev.* XIII, 44-46.
men his, qui suo tactu, Deo inspirante, curare poterant lepram. *Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in*

Digitized by Google

eis et munder? Quum ergo vertisset se, et abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei : Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras eam spe sanitatis recuperandæ. Habuit autem Naaman se tam mature, amorose et pie ad servos suos, quod vocabant eum patrem magis quam dominum. *Quanto magis, quia nunc dixit tibi, Lavare, et mundaberis? Descendit, et lavit* se *septies in Jordane juxta sermonem viri Dei.* Nam quia vir prudens erat, rationabili persuasioni etiam subditorum suorum obtemperavit. *Et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est,* hoc est, perfecte curata est, et pura effecta instar infantilis corpusculi : quod tanto est purius, quanto minus habet de extraneis materiis sibi adjunctum. Quemadmodum enim vinum paulatim a sua puritate recedit, quanto plus lymphatur, et tandem ex aquæ admixtione corrumpitur; sic caro ex alimentorum appositione pedetentim impurior redditur, quousque tandem omnino dissolvitur, ut primo de Generatione docet Philosophus.

Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, ut ei gratias ageret, ac munera largiretur, atque ut Dei magnalia fateretur, seque de cetero fidelem futurum protestaretur, *venit, et stetit coram eo;* vel quia domum Elisei intravit, vel quoniam Eliseus exivit ad eum; *et ait : Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel,* id est, quod nulla gens colat verum Deum nisi plebs Israel. Quamvis enim in aliis gentibus fuerint aliqui boni Deum colentes secundum legem naturæ, cum fide Christi venturi implicita aut explicita, illi tamen erant paucissimi; sed in Israel sub Eliseo fuerunt multi. Et quod ait, In Israel, non est intelligendum tantum de tribubus decem, sed et de regno Juda, quod tunc sub Josaphat pro majori parte coluit Deum, quam populus decem tribuum. Itaque, quod ait, Scio quod non sit Deus in universa terra, nisi in Israel, non est intelligendum, quod Deus omnipotens et immensus, erat terminis terræ Israel circumscriptus, quum ipse ubique per essentiam, præsentiam, potentiamque exsistat, sicut ait per Jeremiam, Numquid non cœlum et terram ego impleo? *Jer.* XXIII, 24. sed quod in populo Israelitico potissime colebatur, secundum sensum præhabitum.

Obsecro itaque ut accipias benedictionem, id est munerum collationem, *a servo tuo. At ille respondit : Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam,* ne videar vendere donum Dei, aut pro illo quidquam accipere. *Quumque vim faceret,* id est, ipse Naaman instantissime et cum importunitate quadam rogaret Prophetam aliquid accipere, *penitus non acquievit.* Si Naaman nondum perfecte instructus in his quæ fidei sunt, præbuit temporalia dona tanquam pretium beneficii sibi exhibiti, illicite præbuit, quamvis per ignorantiam excusetur. Si autem præbuit temporalia illa tanquam sustentaculum vitæ, et tanquam liberale atque gratuitum donum ex caritate, devotione et gratitudine, bene egit : et illo modo Eliseus recipere poterat, ut dictum est in expositione primi libri. I *Reg.* IX, 8. Attamen propter majorem perfectionem recipere noluit. Primo, ne simoniacis daret aliquam occasionem simoniacæ pravitatis. Secundo, ob majorem ædificationem illorum gentilium, ut viderent servum veri Dei temporalia cuncta despicere, et ex caritate et pietate, non ex cupiditate, subvenisse infirmo, nec quærere propria commoda, sed aliorum subsidia. Tertio, ad insinuandum quam enorme sit crimen, in exhibitione spiritualium aliquod temporale per modum pacti, conventionis aut conditionis, exigere, quando tantus Propheta etiam sponte oblata renuit acceptare. Ex quo constat, quam incaute et periculose multi modo se habeant, qui sub paupertatis prætextu, colore, seu apparentia aut exsistentia, in exhibitione spiritualium temporalia exigunt : quod non solum jure divino, sed sacris quoque canonibus ac Patrum decretis districtissime prohibetur. Unde ad vitandum hujuscemodi scelus, religiosis

Digitized by Google

præcipitur, ne ultra numerum personarum, quem valent sustentare, recipiant. Et rursus ab Urbano Papa V, Gregorioque XI jussum est, ne religiosæ personæ directe aut indirecte, per se, interpositamve personam aliquid temporale a recipienda vel recepta quærant persona in ejus receptione, nec antea nec postea, sicut de hac re nuper in quibusdam plenius demonstravi tractatulis. Verumtamen quæri potest, quum sanitas sit res corporalis, cur pro ea accipere aliquid tanquam pretium, sit simoniacum. Respondetur, quod sanitas in se, corporale quid est; sed taliter et supernaturaliter præstita, spirituale fuit bonum atque desuper gratuite datum.

Dixitque Naaman : Ut vis, id est, secundum tuam fiat voluntatem. *Sed, obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra,* id est, de terra regni hujus mecum faciam deportari, quantum queunt portare duo burdones : quæ sunt animalia genita ex equo et asina, quemadmodum muli ex equa et asino generantur. Cur autem Naaman voluerit secum ferre de terra illa, subjungitur : *non enim faciet servus tuus ultra holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino,* id est soli universorum dominatori vero Deo : ac si dicat, De terra ista ædificabo altare, super quod vero Deo deinceps sacrificabo. Aliqui tamen dicunt, quod terram illam attulit secum, ut sterneret eam in fanis idolorum, quatenus super eam stans, Deum Israel adoraret ; sed primum verius reputatur. Poterat tamen de terra et saxis Syriæ ædificare altare ; sed ex devotione ad Deum Israel, voluit de terra cultus sui illud construere, reputans illam sanctam propter cultum Dei in ea.

Hoc autem solum est, de quo, mihi ignoscendo vel non imputando ad culpam, *depreceris Dominum pro* me *servo tuo : quando dominus meus* rex Syriæ *ingreditur templum Remmon,* id est idoli sui sic dicti, *ut adoret* idolum illud, *et illo innitente super manum meam :* quia tunc reges innitebantur super aliquem principem ha- A bentem officium sustentandi regem, sicut modo innituntur reginæ, prout in libro Esther de ipsa regina Esther habetur, quod super unam famularum innitebatur, quasi corpus suum præ deliciis ferre non sustinens ; (*Esther* xv, 6.) *si adoravero in templo Remmon, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.*

Istud a diversis, variis modis exponitur. Quidam exponunt sic : Si adoravero in templo Remmon, non idolum illud, sed verum Deum ; tamen si simulavero me B idolum adorare, quia hoc sine offensa regis mei vitare non valeo, ut hoc Dominus mihi indulgeat. Et dicunt, quod Eliseus hoc sibi concessit, dispensando secum ad hoc agendum. Sed quoniam simulatio idololatriæ, est culpabilis in se et scandalizativa, et contra illud Apostoli, Ab omni specie mali abstinete ; (I *Thess.* v, 22.) et contra illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus : (*Matth.* v, 16.) ideo alii asserunt, quod Eliseus non potuit istud permittere, nec dispensabile fuit. Idcirco exponunt sic : Si adoravero in templo Rem- C mon verum Deum, non simulando idoli adorationem, sed quantum ad locum communicando cum rege idololatra, ita ut in eo fano Deum verum adorem, in quo ipse idolum suum : quod non est malum in se, quia ubique Deus potest adorari et coli ; et tamen poterit apud ignorantes habere speciem mali, quia videntes me illuc introire cum rege, poterunt æstimare, quod pro ea causa illuc ingrederer, pro qua ipse. Et quantum ad hoc, indiguit dispensatione, quam facere poterat Eliseus, præsertim ex D instinctu divino ; vel, ut aliqui dicunt, solum declaravit, hoc ipsi Naaman non esse illicitum. Unde aliqui adstruunt, quod quamvis idololatria et ejus simulatio fuerint vitiosæ de lege naturæ, non tamen id quod habet speciem talis simulationis, dummodo non sit in eo idololatria aut simulatio ejus. Præterea quidam exponunt sic, quod Naaman solum petivit, ut suum officium, scilicet, sustentare regem, posset licite facere in fano ; sicut et extra fanum, et ut ante suam curationem facere consu-

Digitized by Google

evit, et quod Eliseus concessit hoc, quia non fuit illicitum. Sed istud non videtur textui consonare, in quo legitur Naaman postulasse, ut si adoraret in templo Remmon, Dominus super hoc sibi ignosceret; nec ait, ut si sustentaret regem, de hoc sibi a Deo ignosceretur.

Circa hæc inter cetera redarguit Lyra quosdam, dicentes quod Naaman fuit neophytus, quoniam proprie loquendo νεόφυτος dicitur, qui de novo ad aliquam legem conversus est. Naaman autem non fuit conversus ad Judaismum, quia non fuit circumcisus. Verum contra hoc loquitur Rabbi Paulus, Licet Naaman non fuit conversus ad Judaismum, nec circumcisus, fuit tamen neophytus, quia de novo conversus ad legem naturæ, secundum quam idololatria et ejus simulatio sunt illicitæ.

Qui dixit ei : Vade in pace. Abiit ergo Naaman *ab eo,* scilicet Eliseo, redeundo ad propria, sanitate adepta, et petitionibus suis concessis; *electo terræ tempore,* id est tempore apto ad remeandum ; vel, electo, id est prospero tempore terræ, quando videlicet consecutus fuit desideria sua. Attamen, ut ait Petrus Comestor, Hebræus sic habet : Abiit ab eo aliquanto terræ spatio. Etenim Legere uno modo vocatur Transire, sicut quum dicitur, Nauta legit mare; sicque Electo capitur pro Pertransito, et tempus pro spatio temporali.

Dixitque Giezi puer viri Dei, victus cupiditate : *Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit. Vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid. Et secutus est Giezi post tergum Naaman. Quem quum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus* propter reverentiam Elisei, *et ait : Rectene sunt omnia? Et ille ait : Recte. Dominus meus misit ad te, dicens : Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum. Da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. Dixitque Naaman : Melius est ut accipias duo talenta ; et coegit eum.* Ex cupiditate finxit mendacium : imo ex avaritia oriuntur fraus, perjurium, mendacium, furtum, rapina, traditio, homicidium, simonia. *Ligavitque* Naaman per suos ministros, *duo talenta argenti in duobus saccis,* id est marsupiis magnis, *et duplicata vestimenta,* id est duo paria aut duo recentia vestimenta, sicut expositum est, *et imposuit duobus pueris suis,* id est, ipse Naaman injunxit duobus de suis ministris, ut ista deferrent ad locum quo Giezi vellet, *et portaverunt coram eo. Quumque venisset jam vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit* illa *in domo, dimisitque viros,* qui hæc portaverunt, reverti ad Naaman dominum suum ; *et abierunt.*

Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus : Unde venis, Giezi? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam, id est ad aliquem locum distantem. Mala terrenorum concupiscentia victus, putavit se posse tantum latere atque decipere vatem. *At ille ait : Nonne cor meum in præsenti erat,* id est, quasi præsentialiter intuebatur, considerationeque adfuit, *quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* quia hoc totum mihi ministerio angeli per imaginarias formas ostendebatur. Sic et Apostolus protestatur : Nam etsi corpore absens sum, tamen mente præsens sum, gaudens et videns ordinem vestrum. (*Coloss.* II, 5.) *Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum :* id est, lepra similis lepræ illius in specie, inficiet te ; et posteros, id est imitatores tuæ iniquitatis, fœdabit et resperget lepra ac facinus simoniæ, per lepram Naaman figuratæ. Unde qui spiritualia vendunt, proprie Giezitæ vocantur; similiter qui sine prævio pacto post spiritualium exhibitionem temporale quid exigunt. Et sicut in novo Testamento a Simone Mago, ita in lege Mosaica a Giezi hoc scelus videtur sumpsisse exordium. (*Act.* VIII, 18-24.) Et ecce si tam graviter est punitus, qui spi-

Digitized by Google

rituali prius exhibito, gratis petiit temporale, qualis erit illorum damnatio, qui nondum facta exhibitione gratuita, paciscuntur ?

Porro super illud, Melius est ut accipias duo talenta, dicit Lyra in Hebræo haberi : Jura, scilicet quod te miserit Eliseus. Sed Rabbi Paulus contradicit : et bene, ut puto. Non enim est verisimile, quod Naaman, qui cum tanta reverentia obviavit ipsi Giezi, et paratissimus fuit ad dandum,

A imo duplum dedit ejus quod petebatur, exegerit a Giezi juramentum, quasi non credens verbis ipsius.

Et egressus est ab eo leprosus : sentiens etenim plagam Dei, territus exiit, et mansit seorsum ; *quasi nix :* per quod insinuatur fuisse valde leprosus, quoniam albor in cute et color transparens, signa sunt (*Lev.* XIII, 10, 11.) lepræ, ut in Levitico scribitur. Unde et in libro Numerorum legitur : Ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. (*Num.* XII, 10.)

ARTICULUS VIII

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS CAPITULI QUINTI.

PER Naaman Syrum leprosum, designatur plebs gentilis, quæ lepra incredulitatis erat infecta, vitiisque diversis laborans ; per regem Syriæ, sublimitas terreni imperii paganorum ; per latrunculos Syriæ, deceptores et persecutores justorum. Radiantibus ergo miraculis et doctrinis Apostolorum, discipulorumque Salvatoris, admirati sunt plurimi infideles, reges et principes, qui a civili brachio Christianorum petierunt internæ remedium sanitatis. Sed imperatores, reges, principesque civiles, advertentes sibi non esse commissum baptizandi obsequium, direxerunt paganorum legatos ad Christum et spirituales ejus vicarios : qui præceperunt gentilibus, intus curari optantibus, ut in Jordane septies lavarentur, id est, in fonte Baptismatis septiformi gratia Spiritus Sancti regenerarentur. Quod rudes gentiles prima facie abhorrebant, reputantes indignum, a corporeo elemento interiorem quærere opem, mentisque sanitatem in quam corporalia videntur non posse imprimere ; verumtamen rationabiliter informati acquieverunt, præsertim quoniam baptizari, leve et modicum fuit respectu circumcisionis valde pœnalis. Baptizata autem gentilitas, facta est pura instar corpusculi infantilis, id est

B ab omni labe peccati mundata, et tanquam modo progenita, ad innocentiam est reducta. Quo facto, ad Christum cum majori virtutum profectu est reversa, et regratiata eidem ac confitens quod in nulla natione, gente aut tribu sit verus Deus, nisi in populo christiano : quia cognovit idolatriæ falsitatem, solique vero Deo de cetero sacrificare decrevit.

Insuper, conversis paganis multa temporalia sanctis Apostolis dare volentibus, ipsi nequaquam acquieverunt, transitoria cuncta spernentes, atque quod gratis acceperant, gratis dantes. (*Matth.* X, 8.) Sed Giezi, id est quidam posteri eorumdem, a spirituali fervore dilapsi, et quæ sua sunt cupientes, pro spiritualibus temporalia quæsierunt, sicque (*Philipp.* II, 21.) simoniacæ pravitatis infecerunt se labe. Nihilo minus impendentibus spiritualia, licet temporalia in stipendium vitæ suscipere, quum dicat Salvator : Dignus est operarius mercede sua. (*Luc.* X, 7.) Et Apostolus : Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus ? (*I Cor.* IX, 11.) Non tamen

D cum pacto talia percipiendi, sunt spiritualia exhibenda.

Quemadmodum cum Naaman dispensatum videtur, ut regi suo communicaret modo præfato ; sic in primitiva Ecclesia,

Digitized by Google

in omni civitate, villa et domo, uno credente, et alio non credente, necesse fuit dispensari, ut fideles infidelibus cohabitarent, et communicarent in multis, id est in rebus non illicitis in se ipsis, prout ad Corinthios scribit Apostolus de cohabitatione conjugalium fidelis ac infidelis. (I Cor. VII, 12-17.)

Postremo, per lepram Naaman, potest intelligi interior infectio atque perversitas cujuslibet peccatoris, præsertim pertinacia proprii sensus, immansioque propriæ voluntatis. Quæ duplex pestifera lepra per descensum in Jordanem curatur, id est in A consideratione humilitatis ac baptismatis Christi, qui in omnibus exinanivit se ipsum; nec solum Patri æterno, sed et Matri virgineæ, imo et Joseph fabro lignario subditus fuit; nec suam, sed Patris venit facere voluntatem; et omni rationabili suggestioni ac petitioni promptissime acquievit. Quumque nulli esset obnoxius culpæ, tamen propter nos dignatus est baptismum suscipere. De spirituali demum significatione hac lepræ, sanctus et gloriosus Pater Bernardus optime loquitur in sermone tertio de Resurrectione Domini. (Philipp. II, 7. Luc. II, 51. Joann. V, 30; VI, 38. Matth. III, 13.)

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : DIXERUNT AUTEM FILII PROPHETARUM.

CONTINUATUR hic narratio mirabilium Elisei. *Dixerunt autem filii prophetarum ad Eliseum : Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis,* id est arctus et strictus. Multos etenim converterat Eliseus, et devotarii illi numèro ac merito creverunt sub ejus regimine. Dicuntque aliqui, quod Giezi discipulus Elisei ex sua avaritia fuit filiis prophetarum Eliseum visitantibus gravis, ne consumerent ea quæ Eliseo dabantur, quæ ipse in proprium malebat convertere usum et commodum : ideo, eo propter lepram remoto, plures ad sanctum virum sunt congregati. *Eamus usque ad Jordanem, et tollant singuli de silva materias singulas,* id est ligna, *ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit : Ite. Et ait unus ex illis : Veni ergo tu cum servis tuis. Respondit : Ego veniam. Et abiit cum eis.*

Quumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. Accidit autem ut quum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam. Exclamavitque ille et ait: Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum, quod sic perdidi, *mutuo acceperam.* Quasi B dicat : Si meum fuisset, minus curarem, sed nunc doleo vehementer, quum non habeam quod pro illo restituam. Unde constat, quod pauperes erant discipuli illi, et simplicibus habitaculis, quæ ipsimet sibi construebant, erant contenti : quo multorum etiam religiosorum curiositas sumptuosa arguitur. *Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo* Eliseus *lignum, et misit illuc,* id est in eum aquæ locum, in quem ceciderat ferrum; *natavitque ferrum :* non C virtute ligni in aquam projecti, sed imperio Dei ac ministerio angeli; atque, ut aliqui opinantur, lignum illud in aquam missum, ad formam manubrii fuit redactum, et ferrum per se intravit in illud. *Et ait : Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud.*

Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, infestando regnum decem tribuum. *Consiliumque iniit cum servis suis, dicens : In loco illo et illo ponamus insidias,* id est viros armatos insidiantes, qui occulte D improviseque noceant Israelitis. *Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens : Cave*

Digitized by Google

ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque rex Israel in locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, id est loca insidiarum Syrorum, capiendo eos ibidem, vel præveniendo eos, ita quod non poterant se ibi locare ; *et observavit se ibi, non semel neque bis* tantum, sed sæpius.

Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re. Et convocatis servis suis, ait : Quare non indicastis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? revelando ei secreta mea : hoc enim putavit rex Syriæ. *Dixitque unus servorum ejus : Nequaquam, domine mi rex,* id est, non, ut putas, aliquis nostrum pandit tua secreta regi Israel, *sed Eliseus propheta qui est in Israel, indicat regi* Israel *omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo,* id est quædam de omnibus, quantum necessarium est regi Israel ea scire. *Dixitque eis : Ite, et videte ubi sit, ut mittam et capiam eum.* Si rex Syriæ credidit Eliseum cognoscere omnia verba a se etiam in conclavi prolata, frustra misit ad inquirendum ubi esset, quum Eliseus interim, si vellet, fugere posset ; sed tanta est excæcatio impiorum, ut quum unum credant atque considerent, non considerent aliud quod ex illo est consequens :
Matth. II, 3-8. 16. sicut Herodes credidit puerum sibi a Magis denuntiatum, esse Christum in lege et Prophetis promissum ; et tamen misit ad occidendum eumdem, putans se posse cassare oracula Prophetarum de Christo prædicta. *Annuntiaverunt ei dicentes : Ecce in Dothain. Misit ergo illuc equos et currus, et robur exercitus : qui quum venissent nocte, circumdederunt civitatem.*

Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus est. Viditque exercitum in circuitu civitatis, et equos et currus. Nuntiavitque ei, dicens : Heu, heu, heu, domine mi. Quid faciemus? id est, qualiter obsidionem hanc evademus ? *At ille respondit : Noli timere : plures enim nobiscum sunt,* scilicet angeli sancti ad nostra subsidia præparati, *quam cum illis.* Sic et Ezechias secundo Paralipomenon locutus est : Nolite timere; multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo est brachium carneum; nobiscum est Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster. *Quumque orasset Eliseus* pro bono communi et subventione divina, *ait : Domine, aperi oculos pueri hujus, ut videat,* id est, da ei exterioribus oculis intueri auxilia nobis parata, ut mente intelligat ea quæ sine tua cooperatione et illuminatione videre non valet. *Et aperuit Dominus oculos pueri :* non solum solito modo, quo et omnia naturalia principaliter fiunt a Deo, quoniam prima causa plus influit, quam quæcumque causa secunda ; sed speciali manerie, dando puero virtutem videndi quæ alii etiam adstantes non videbant. *Et vidit. Et ecce mons* civitatis Dothain, in qua Eliseus fuit, *plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei :* per quos angelica agmina designabantur, quorum ministerio similitudines illæ curruum et equorum igneorum apparuerunt in aere. II Par. XXXII, 7, 8.

Hostes vero, scilicet Syri, *descenderunt ad eum,* puta ad Eliseum, ut caperent eum. *Porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens : Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus ne viderent, juxta verbum Elisei,* non omnimoda cæcitate, sed ea quæ appellatur acrisia, qua aliquid videtur confuse et indistincte, non autem distincte cognoscitur. Sic isti viderunt Eliseum et Dothain civitatem : quod scilicet Eliseus esset homo quidam, et quod urbs illa oppidum quoddam exsisteret; sed quod homo ille esset Eliseus, discernere non valebant. *Dixit autem ad eos Eliseus : Non est hæc via* per quam itur ad urbem, in qua Eliseum invenietis, *neque ista est civitas* in qua commoratur. Non enim in Dothain, sed in civitate nomine Samaria habitavit communiter, ut infra in isto insinuatur capitulo. Unde et præcedenti capitulo ait puella : Utinam fuisset dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria. *Sequimini me, et ostendam vobis virum quem quæritis.* vers. 32. IV Reg. V, 3.

Digitized by Google

Duxit ergo eos in Samariam. Quumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus : Domine, aperi oculos istorum, ut videant, id est, prædictam cæcitatem tolle ab eis, ut discernant ea quæ vident. *Aperuitque Dominus oculos illorum.* Ecce quanta fecit Omnipotens ad instantiam Elisei. Unde constat, quod magnus erat amicus Altissimi, et Propheta eximius. *Et viderunt,* id est discreverunt, *se esse in medio Samariæ.* Propter quod merito timuerunt, videntes se esse in medio hostium. Ex prætacta quoque plaga cæcitatis erant perterriti. Talis quoque cæcitas contigit duobus discipulis, cum quibus in die resurrectionis Christus transivit, quorum oculi tenebantur, ne eum cognoscerent, ut habetur in Luca; ac Sodomitis in foribus Lot, ut patet in Genesi. *Dixitque rex Israel ad Eliseum, quum vidisset eos : Numquid percutiam eos, pater mi,* qui tam paternaliter subvenis mihi et regno meo? *Et ille ait : Non percuties ; neque cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutias,* hoc est, ut auctoritatem habeas jure belli ad occidendum eos. Ex isto probatur, quod Sancti veteris Testamenti inimicos suos dilexerunt, et benefecerunt eisdem reddendo bonum pro malo, sicut subjungitur; *sed pone panem et aquam coram eis,* id est cibum et potum, quæ nomine panis et aquæ significari in Scripturis consueverunt : quod etiam ex sequentibus innotescit : *ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. Appositaque est eis ciborum,* haud dubium quin et potuum, *magna præparatio. Et comederunt, et biberunt, et dimisit eos, abieruntque ad dominum suum.*

Luc. XXIV, 16.

Gen. XIX, 11.

Et ultra non venerunt latrones Syriæ, scilicet viri prædicti aut alii Syri, qui vocantur latrones, id est injusti persecutores et vastatores Israeliticæ plebis, *in terram Israel* ad nocendum, propter humanitatem et gratiam eis exhibitam ab Eliseo et rege, et ne rursus cæcitate percuterentur, et tanquam ingrati occiderentur. Sed his videtur obviare quod subditur : *Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ* A *universum exercitum suum, et ascendit et obsidebat Samariam.* Respondetur, quod in Scripturis per talem modum loquendi designatur aliqua temporis mora præ solito diuturna, quamvis non toto tempore duratura : juxta quem sensum scriptum est in Isaia, Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Nec discent ultra belligerare. Aliqui vero dicunt, quod latrones Syriæ non venerunt ultra in Israel tempore Elisei : quibus obviat quod ista obsidio facta est B Eliseo in Samaria exsistente, ut statim patebit.

Is. II. 4.

Mich. IV. 3.

Factaque est fames magna in Samaria, et tamdiu obsessa est civitas a Syris, *donec venundaretur caput asini,* qui tamen est animal comestioni ineptum, nisi in necessitate, atque immundum secundum legem, *octoginta argenteis ; et quarta pars cabi,* id est mensuræ sic nuncupatæ, *stercoris columbarum, quinque argenteis* denariis. Stercore illo columbino condiebant cibaria sua pro sale, ut Josephus refert. C Aliqui tamen dicunt, per stercus columbæ intelligi ejus vesiculam, in qua recipit grana deforis sumpta : quæ vesicula projici solet, sed tunc reservabatur, ut grana ipsius venderentur famelicis. *Quumque rex Israel transiret per murum* ad considerandum custodias ejus, id est propugnacula vel armatos in eis, *mulier quædam exclamavit ad eum, dicens : Salva me, domine mi rex,* id est, succurre mihi. *Qui ait : Non te salvet Dominus,* id est, nec a me, nec a Deo consequaris auxilium. Hoc dixit D ex subita perturbatione et indignatione, putans quod mulier illa quæreret sibi necessaria vitæ dari, quibus et ipse indiguit. Propter quod subditur : *unde te possum salvare de area vel de torculari ?* quasi dicat : Nec blada quæ servantur in area, nec vinum quod in torculari exprimitur, tibi valeo exhibere. *Dixitque ad eam rex : Quid tibi vis? Quæ respondit : Mulier ista dixit mihi : Da* mihi *filium tuum, ut comedamus eum hodie,* id est infantulum, ut eum occidam et coquam, quia tu abhorres

Lev. XI. 26.

eum occidere, *et filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei altera die : Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum,* contra condictum, volens eum morti subtrahere, aut sola forsan comedere.

Quod quum audisset rex, scidit vestimenta sua, ex vehementi dolore, quod tanta esset in urbe et plebe sua caristia, et quod tam inhumanum scelus contigit ibi, *et transivit per murum. Viditque omnis populus* ibi præsens *cilicium, quo vestitus erat rex ad carnem* suam *intrinsecus,* id est super nudum corpus, quod afflixit asperitate cilicii, ut misericordiam impetraret a Domino. Coluit enim Dominum una cum aureis vitulis : sicque imitabatur Achab patrem suum, qui audita comminatione Eliæ, scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, ut patuit supra libro tertio. *Et ait rex : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum,* id est super reliquam corporis sui partem, *hodie,* id est per totam hanc diem : hoc est, nisi hodie fecero eum decapitari, Deus me puniat, et pœnæ pœnam adjiciat. Hoc juravit, vel quia putavit Eliseum impetrasse hanc populi afflictionem, Dominum exorando in ultionem criminum populi, sicut Elias impetravit pluviarum subtractionem ; vel quia suis orationibus non impetravit relevamen a tantis miseriis.

III *Reg.* xxi, 27.

Ibid. xviii, 1.

Eliseus autem sedebat in domo sua, in qua Samariæ morabatur, *et senes sedebant coram eo :* quos Josephus vocat discipulos ; sicque sapientia et maturitate morum fuerant senes, ætate quoque quidam eorum. *Præmisit itaque virum,* id est, rex misit ante se spiculatorem ; *et antequam veniret nuntius ille* usque ad domum Elisei, *dixit* Eliseus *ad senes :* jam enim revelatum sibi fuit a Domino : *Numquid scitis, quod miserit filius homicidæ huc,* scilicet Joram rex filius ipsius Achab, qui in mortem Naboth consensit inique : sicque Eliseus tam

Ibid. xxi, 7-16.

A aspernanter locutus est de Joram et Achab non ex elatione, sed zelo justitiæ propter illorum facinora ; *ut præcidatur caput meum? Videte ergo quum venerit nuntius,* videlicet spiculator ad decollandum me missus, *claudite ostium, et non sinatis eum introire.* Non ex inordinato mortis timore dixit hoc Eliseus, sed quoniam vita sua adhuc tam necessaria fuit communitati, et propter id quod subditur : *ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est,* id est, rex mox sequitur eum. Pœnituit enim
B Joram de illa commissione, ideo voluit spiculatorem de exsecutione prohibere ; et quamvis temere id juravit, tamen ex discretione voluit revocare, et ab Eliseo consilium auxiliumque deposcere. *Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius qui veniebat ad eum, et ait* rex vel nuntius ex parte regis : *Ecce tantum malum a Domino est,* id est, tanta adversitas, vel etiam tantum crimen, scilicet interfectio atque comestio proprii filii, a Deo accidit permissive. *Quid amplius exspectabo a Domino?* quasi di-
C cat : Non potest mihi pejus succedere, ita ut desperatio posset me ad omne crimen præcipitare.

Juxta mysticum sensum, securis, qua ligna ad ædificandum præciduntur, est sermo divinus, quo homines convertuntur, et relicta vanitate, Christo ac ejus Ecclesiæ incorporantur. Unde beatissimus Christi præcursor : Jam (inquit) securis ad radicem arboris posita est. Hujus securis ferrum, est comminatio divini judicii ac æterni supplicii. Manubrium vero, est consolatio
D æternorum, spesque præmiorum, quæ tenet operantem in opere bono : quia (ut ait Apostolus) debet in spe, qui arat, arare. Hoc ferrum cadit in aquam et mergitur, dum prædicator de comminationibus tormentorum et rigore divinæ justitiæ immoderate sermocinatur, non admiscendo consolatoria verba : propter quod audientes magis ad quamdam desperationem seu desolationem et pusillanimitatem, quam ad spiritualem profectum moventur. Quod sentiens prædicator, clamat ad Christum,

Sensus mysticus.

Matth. iii, 10.

I *Cor.* ix, 10.

qui dat prædicatori abundantiam verbi ad A prædicandum de infinita misericordia Creatoris, de pœnitentiæ fructu, de gaudiis Beatorum, de exemplis eorum qui post peccata gravissima efficaciter pœnitendo, facti sunt magni Sancti : sicque ferrum ad manubrium redit. Insuper, per regem Syriæ et ejus insidias, designantur diabolus et ejus ministri, qui callidissimis modis conantur veros Israelitas subvertere. Sed Eliseus, id est sapientes prælati et prædicatores idonei, astutias dæmonum non ignorantes, non cessant Dei populum avisare : B propter quod spiritus illi nequissimi sume conantur ipsos qui præsunt ac prædicant, vinculis constringere vitiorum, ac in suam redigere captivitatem ; sed excæcantur a Domino, dum non permittuntur secretiora quæque opera bona electorum cognoscere. Verumtamen interdum tam diu ac valide obsident et impugnant Ecclesiam, quod maxima spiritualium bonorum penuria, defectus prædicationum, ariditas cordis in ea est. Tunc ergo prælati et principes debent intime condolere, et sua corpora castigare ; a sanctis quoque hominibus implorare subsidium, præsertim a Domino.

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : DIXIT AUTEM ELISEUS : AUDITE VERBUM DOMINI.

QUAM gratiose et miraculose, insperate, incredibiliterque celeriter Deus sub- C venit populo Israel in tribulatione præfata, hic recitatur : et hoc potissime ex propria pietate, precibus quoque ac meritis Elisei, discipulorumque ejus et aliorum bonorum in Israel, qui nec Baal nec vitulos adoraverunt ; et etiam propter quædam pœnitentialia opera regis, qui (ut præceden-
IV *Reg.* VI, 30. ti habetur capitulo) portavit cilicium, et forsitan alia fecit similia, quæ non sunt scripta : quæ quamvis non fuerint meritoria gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, quia idololatra fuit, tamen temporalem D merebantur remunerationem.

Dixit autem Eliseus ex revelatione divina : *Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras,* id est crastina die, † *hora quæ nunc est,* scilicet eadem specie, *modius similæ,* id est farinæ purissimæ, *uno statere erit,* id est, pro tali modica moneta seu pondere parvo emetur, *et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ. Respondens unus de ducibus,* id est principalibus servis regis, *super cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait : Si Dominus fecerit etiam cataractas,* id est fenestras seu meatus per quos imber descendit, *in cœlo* aereo in quo nubes volitant, aperiri, hoc est, si Deus fecerit mox copiosissimam pluviam descendere, *numquid poterit esse quod loqueris ?* quasi dicat, Nullatenus fieri poterit. Sed quia caristia ista non fuit in urbe Samaria ex defectu pluviæ, sed obsidionis diuturnitate, quidam exponunt sic : Si Deus plueri farinam et hordeum instar aquæ, adhuc tamen non posset hoc fieri : quod tamen videtur manifeste falsum fuisse ; sed dux ex mera incredulitate loquebatur ita perverse. *Qui ait : Videbis oculis tuis* corporalibus, quod prædixi de emptione et venditione hordei ac farinæ, *et inde non comedes.*

Quatuor ergo erant viri leprosi : qui, ut aliqui opinantur, fuerunt Giezi et tres filii ejus, qui consenserunt ei in crimine ; *juxta introitum portæ,* id est, extra et prope portam morantes, quia leprosi extra por- *Lev.* XIII, 46.
tam jubebantur manere ; *qui dixerunt ad invicem : Quid hic esse volumus donec mo-*

Digitized by Google

riamur? Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur; sive manserimus hic, moriendum nobis est. Venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ. Si pepercerint nobis, vivemus; si autem occidere voluerint, nihilo minus moriemur. Surrexerunt ergo vespere, ut venirent ad castra Syriæ. Quumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt : siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum et equorum et exercitus plurimi. Dicunt aliqui, quod sonus ille divina virtute ministerio angelorum fuit solum in auribus Syrorum, deinde in imaginatione quasi ex sono foris exhibito : sicque in appetitu sensitivo secutus est maximus timor et fuga in corpore. Alii dicunt, quod sonitus ille fiebat per angelos in aere : quod satis probabile est, quamvis utroque modo potuerit fieri. *Dixeruntque* Syri *ad invicem : Ecce mercede conduxit adversus nos rex Israel reges Hethæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos. Surrexerunt ergo et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos, et asinos in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes,* id est, solum cogitantes, qualiter vitam suam possent ab imminente periculo, ut putabant, eruere.

Igitur quum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt, et biberunt. Tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt. Et rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum; et inde similiter auferentes, absconderunt. Dixeruntque ad invicem : Non recte facimus. Hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur. Venite, eamus, et nuntiemus in aula regis. Leprosis non licuit aulam regis intrare, sed nuntiaverunt custodibus portarum urbis, et illi in palatio. Hinc subditur : *Quumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis,* id est portariis, *dicentes : Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria. Ierunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus. Qui,* scilicet rex, *surrexit nocte,* audito isto rumore : tamen non credidit, sed suspicatus est fraudem in Syris, quoniam bellatores multis industriis atque versutiis uti solent, et interdum fugam simulare. *Et ait ad servos suos : Dico vobis quid fecerint nobis Syri. Sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes : Quum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus. Respondit autem unus servorum ejus : Tollamus quinque equos qui remanserunt in urbe : quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel, alii enim consumpti sunt; et mittentes, explorare poterimus. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens : Ite, et videte. Qui abierunt post eos usque ad Jordanem. Ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis, quæ projecerant Syri, quum turbarentur. Reversique nuntii, indicaverunt regi.*

Et egressus populus, diripuit castra Syriæ, id est, omnia quæ reliquerunt in loco obsidionis, et in locis per quæ fugerunt Syri, acceperunt ipsi filii Israel. *Factusque est modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini. Porro rex ducem illum in cujus manu incubuerat, constituit ad portam : quem conculcavit turba in introitu portæ, et mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait : Duo modii hordei statere uno erunt, et modius similæ statere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ; quando responderat dux ille viro Dei, et dixerat, Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit fieri quod loqueris? et dixit ei, Videbis oculis tuis, et inde non comedes. Evenit ergo ei sicut prædictum erat, et conculcavit eum populus in porta, et mortuus est.* Textus iste planissimus expositione non eget.

Digitized by Google

Sensus spiritualis. Spiritualiter vero docemur ex isto capitulo, quam omnipotenter, multipliciter, pie et insperate sciat Dominus in se confidentibus subvenire : idcirco in ipso est semper sperandum. Quod si in Ecclesia quacumque aut congregatione fuerit spiritualium alimentorum extrema inopia ac deformatio maxima, non tamen est diffidendum. Dominus enim interdum facit gratiam abundare, ubi abundavit iniquitas; (*Rom.* V, 20.) et dum vult, prævenit gratiose, atque de infidelium ac reproborum damnatione suos ditat electos : quia, ut ait Scriptura, Pestilente flagellato, (*Prov.* XIX, 25.) stultus, id est peccator, sapientior erit. Sed fides requiritur, quoniam infidelem sua conculcat perfidia. Postremo, sicut leprosi dixerunt, Si tacuerimus, sceleris arguemur ; ita et nos nisi gratiam nobis concessam communicaverimus proximis nostris tempore opportuno, et Deum de suis mirabilibus ac beneficiis laudaverimus, ingrati Deo inveniemur et transgressores apostolicæ jussionis, qua dicitur : Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (I *Petr.* IV, 10.) Nempe unicuique mandavit Deus de proximo suo. (*Eccli.* XVII, 12.)

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : ELISEUS AUTEM LOCUTUS EST AD MULIEREM.

DESCRIBUNTUR in isto capitulo adhuc quædam magnalia Elisei, et quædam vitiosa de regibus Juda et Israel. *Eliseus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat,* id est, a morte suscitavit, (IV *Reg.* IV, 34, 35, 16, 17.) imo et concipi procuravit, *filium, dicens : Surge, et vade tu et domus,* id est familia *tua, et peregrinare ubicumque repereris,* id est, commodum tibi esse prospexeris inter gentiles. *Vocabit enim Dominus famem,* id est, venire jubebit in ultionem idololatriæ, aliorumque scelerum Israel, *et veniet super terram,* id est super habitatores terræ istius, *septem annis.* De qua, sicut super Joelem scripsi, (*Joel* I.) multi exponunt quod a Joele de maxima caristia prænuntiatur ; et ita hæc fames fuit etiam in regno Juda. Imo, si ibi non fuisset, verisimile est, quod Eliseus suggessisset huic devotæ matronæ, potius se transferre ad terram Juda, quam ad gentilium regionem. Denique, quia hæc mulier sollicita fuit de provisione Elisei (IV *Reg.* IV, 8, 10.) in necessariis vitæ, idcirco et ipse eidem vicem rependit in isto, ne pateretur penuriam. Tanta est equidem virtus misericordiæ, ut opera ejus in præsenti quoque remunerari incipiant. Quidam per famem intelligunt angelum præpositum fami. Ex quo sumitur argumentum, quod sicut angelus aliquis præsidet regioni, et aliquis angelus malus alicui culpæ, sic et aliquis angelus alicui pœnæ. Unde in Apocalypsi habetur, quod angelus ascendens ab ortu solis, clamavit quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari. (*Apoc.* VII, 2.) Verumtamen pœnarum inflictio aliquando exercetur per angelum bonum : ut de Assyriis constat, quorum centum octoginta quinque millia angelus bonus occidit. (IV *Reg.* XIX, 35 ; II *Par.* XXXII, 21 ; *Is.* XXXVII, 36.) Et angeli qui erant in domo Lot, percusserunt populum Sodomæ cæcitate. (*Gen.* XIX, 11.) Aliquando vero fit per angelum malum : sicut de excommunicato scribit Apostolus, Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis. (I *Cor.* V, 5.)

Quæ surrexit, et fecit juxta verbum hominis Dei. Et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philistiim diebus multis. Quumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philistiim. Unde patet, quod interim habitavit in re-

Digitized by Google

gione Palæstinorum, in qua, prout in Genesi recitatur, (*Gen.* xxi, 34; xxvi, 1.) Abraham cum Sara, et Isaac cum Rebecca tempore famis morati sunt. *Et egressa est* de urbe Suna, in quam rediens primo intravit, quia de ea fuit, *ut interpellaret,* id est, de jure suo alloqueretur, *regem* Israel, scilicet Joram, *pro domo sua et pro agris suis.* Nam interim contribules ipsius aut alii invaserant et occupaverant bona ipsius. A

Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens : Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. Occasione hujus B verbi, aliqui opinantur istud contigisse antequam Giezi lepram incurrit, quum non sit probabile, quod rex loquebatur cum leproso. In Scripturis quippe non semper servatur ordo rei gestæ in narratione historiæ. Verumtamen istud incertum est, quia nec in lege fuit prohibitum affari leprosum, nec Joram iste fuit legem observans. Ex speciali quoque causa reges et magnates quandoque loquuntur leprosis, sicut jam patuit de rege Syriæ et Naaman (IV *Reg.* v, 4, 5.) leproso : sicque accidere potuit, quod rex C Israel certitudinaliter cupiens edoceri de mirabilibus Elisei, personaliter alloqui voluerit Giezi. Aliqui vero putant, quod Eliseus ex pietate interim Giezi istum curaverit, non obstante quod dixerat lepram Naaman ei perpetue adhæsuram, (*Ibid.* 27.) quia quantum ad perpetuitatem illam fuit hoc comminatio, et de rigore justitiæ, aut mysticus intellectus, ut dicunt.

Quumque ille narraret regi, quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem D *pro domo sua et pro agris suis. Dixitque Giezi : Domine mi rex, hæc est mulier, et hic est filius ejus, quem suscitavit Eliseus. Et interrogavit rex mulierem. Quæ narravit ei vera esse. Deditque ei,* id est assignavit, *rex eunuchum unum, dicens : Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos reditus agrorum a die qua reliquit terram usque ad præsens,* id est, omnia quæ ei debentur de jure, jube ei restitui auctoritate mei. Hoc fecit rex propter virtutes feminæ hujus, et ob reverentiam mirabilium Dei, et quoniam Eliseo hæc mulier erat tam cara ac familiaris.

Sequitur aliud vaticinium Elisei. *Venit quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat :* cujus ægritudinis causam Josephus tangit, dicendo, quod audiens se ab obsidione Samariæ territum aufugisse cum tanto damno, nemine invadente aut invadere præparato, sed divino miraculo, præ tristitia et confusione, seu ira et indignatione, infirmitatem hanc incidit. *Nuntiaveruntque ei, dicentes : Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Hazael : Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens : Si evadere potero de infirmitate mea hac? Ivit igitur Hazael in occursum ejus, habens secum munera, et omnia bona,* id est quædam de omnibus bonis, *Damasci, onera quadraginta camelorum.* Estque hyperbole, quemadmodum Pharao jussit mandari Jacob : Omnia bona Ægypti, vestra erunt. (*Gen.* xlv, 18, 20.) Oblitus videtur Benadad, quod Eliseus nihil accipere voluit a Naaman curato. (IV *Reg.* v, 16.) *Quumque stetisset coram eo, ait : Filius tuus Benadad rex Syriæ.* Ecce quantæ reputationis jam fuit Eliseus etiam apud gentiles propter mirabilia sua. *Misit me ad te, dicens : Si sanari potero de infirmitate mea hac?*

Dixitque ei Eliseus : Vade, dic ei : Sanaberis. Videtur Propheta in hoc commisisse Hazaeli, ut mentiretur regi, et ipsum deciperet : quia subjungitur, *Porro,* pro Sed, *ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Istud autem non convenit sancto viro et vati Dei. Ad hoc diversimode respondetur. Primo, quod Eliseus dixit hæc verba per modum propheticæ denuntiationis, ut sit sensus : Dic ei, id est dices ; quia agnovit quod Hazael dicturus erat regi quod esset curandus. Alii dicunt, quod ironice fecit ei hoc dici tanquam regi idololatræ indigno divina responsione, ex zelo justitiæ. Lyra vero tangit quemdam modum, juxta quem hic esset litteræ sensus : Dic ei, Non sanaberis. Sed hoc non apparet, quia secundum hoc verba subjuncta

Digitized by Google

jam tacta, videlicet, Porro ostendit mihi A Dominus quia morietur, non differrent a verbo præhabito, scilicet Dic ei, Sanaberis. *Stetitque cum eo,* id est Eliseus cum Hazaele : quem, ut Magister in historiis ait, traxit ad partem, et dixit ei, quæ sequuntur, secrete ; et volens loqui cum Hazaele, vix poterat ab erumpentibus lacrimis [se] continere. Ideo subditur, *et conturbatus est usque ad suffusionem,* id est tristem ac lugubrem apparatum, *vultus ;* nec se poterat diutius refrenare, sicut subjungitur, *Flevitque vir Dei. Cui Hazael* B *ait : Cur dominus meus flet? At ille dixit : Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala,* idcirco ex compassione populi mei ploro. *Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio :* quod fuit crudele ; *et parvulos eorum elides :* quod fuit crudelius ; *et prægnantes divides :* quod crudelissimum fuit. *Dixitque Hazael : Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus : Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore,* id est, futurum esse C post Benadad, ad puniendum idololatras Israel, ut supra libro tertio legitur Dominus
III *Reg.* xix, 15, 17. prædixisse Eliæ, qui et hoc ipsum insinuavit Eliseo.

Qui quum recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui, scilicet Benadad, *ait ei : Quid tibi dixit Eliseus? At ille respondit : Dixit mihi, Recipies sanitatem.* In hoc videtur Hazael esse mentitus, quoniam Eliseus dixit : Dic ei, Sanaberis ; nec dixit, Sanabitur. Tamen, ut fertur, in Hebræo habetur : Dic ei, Vivens vives *. *Quumque venisset dies altera, tulit* Hazael *stragulum,* id est stratorium quod superponitur lecto aut sedi, *et infudit aqua,* id est, madefecit illud in aqua, *et expandit super faciem ejus,* vel ad refrigerandum faciem regis, qui æstuabat calore, sive, ut Josephus narrat, ad suffocandum regem, quem asserit strangulatum ab Hazaele ad regnum adspirante. *Quo mortuo, regnavit Hazael pro eo :* et forsan non habuit filium, saltem aptum ad regnum. D

* non vives

Deinde narratur prosecutio regni Juda. *Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, regnavit Joram filius Josaphat regis Juda. Triginta duorum annorum erat quum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem* patre suo defuncto. *Ambulavitque in viis,* id est vitiis et idololatriis, *regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab. Filia enim Achab, videlicet Athalia, erat uxor ejus :* quæ patris sui idololatrias sequens, ad eas quoque suum traxit maritum. *Noluit autem Dominus disperdere Judam propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi* III *Reg.* xi, 36. *lucernam et filiis ejus cunctis diebus. In diebus ejus recessit Edom ne esset sub Juda,* id est, populus Idumæorum recessit a dominio hujus Joram, et noluit ei solitum tributum persolvere, videns eum esse hominem diffortunatum, et patre suo impotentiorem ; *et constituit sibi regem.* Nam regem proprium qui solvebat tributa regibus Juda, populus ille Edom occidit, ut Josephus contestatur. *Venitque Joram in Seira,* id est ad locum aut oppidum sic vocatum, *omnisque exercitus cum eo. Et surrexit nocte, percussitque Idumæos qui eum circumdederant, et principes curruum* bellicorum ; *populus autem* Edom, qui evadere potuit, *fugit in tabernacula sua. Recessit ergo,* per cordis aversionem pactique violationem et rebellionem, *Edom, ne esset sub Juda, usque in diem hanc.* Tuncque impletum est, quod Isaac dixit ad Esau : Tempus veniet ut excutias et solvas *Gen.* xxvii, 40. jugum ejus de cervicibus tuis. *Tunc recessit et Lobna in tempore illo.* Erat illa urbs ad regnum Juda pertinens, et tamen propter scelera Joram, fuit ei rebellis, et adversariis ejus se confœderavit.

Reliqua autem sermonum Joram et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David. Verumtamen non in sepulcro regum, ut secun- II *Par.* xxi, 20. do Paralipomenon habetur, sed privatum sepulcrum sine regalibus exsequiis ei ex-

Digitized by Google

hibuerunt, ut Josephus adjicit: et hoc propter scelera ejus, quæ præallegato Paralipomenon libro describuntur. *Et regnavit Ochozias filius ejus pro eo.*

II Par. xxi, 4, 6, 10-13.

Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram regis Juda. Viginti duorum annorum erat Ochozias quum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem. Hic etiam dictus est Azarias et Ahazias, sicque videtur fuisse trinomius. *Nomen matris ejus Athalia, filia Amri regis Israel.* Jam dictum est sæpe, quod uxor Joram fuit filia Achab, cujus pater fuit Amri. Quomodo ergo vocatur filia Amri? Respondetur quod avi quandoque vocantur patres nepotum suorum ac neptium. Aliqui tamen dicunt, quod fuit immediata filia Amri, et soror Achab; sed filia ejus asseritur, quoniam modo Amri defuncto, ipse Achab eam nutrivit ut filiam. *Et ambulavit in viis domus,* id est posterorum ipsius *Achab, et fecit malum coram Domino sicut domus Achab: gener enim,* id est filius, *domus Achab fuit. Abiit quoque cum Joram filio Achab ad prœliandum contra Hazael regem Syriæ, in Ramoth Galaad, et vulneraverunt Syri Joram. Qui reversus est ut curaretur in Jezrael: quia vulneraverunt eum Syri in Ramoth prœliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrael: quia ægrotabat ibi.* Hic textus difficultates non habet.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI NONI : ELISEUS AUTEM PROPHETES VOCAVIT UNUM DE FILIIS PROPHETARUM.

E*LISEUS autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi : Accinge lumbos tuos,* ut expeditius eas, *et tolle lenticulam olei hanc,* id est, vas istud continens oleum sume, *in manu tua :* et forsan erat quasi parva amphora seu ampulla; *et vade in Ramoth* urbem terræ *Galaad. Quumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi. Et ingressus, suscitabis eum de medio fratrum suorum,* hoc est, ipsum Jehu vocabis ad te præ ceteris cognatis et collegis atque principibus exercitus Israel, inter quos eum invenies, *et introduces* eum *in interius cubiculum,* id est cameram secretiorem; *tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices : Hæc dicit Dominus : Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes.* Voluit enim Eliseus ipsum Jehu clam ungi, nec ejus unctionem ab exercitu sciri, quousque juvenis ille qui unxit, abisset, ne quis posset de fautoribus Joram regis in juvenem illum insurgere, ne Joram perciperet ista, et item ne juvenis videretur aliquid proprii quærere emolumenti.

Abiit ergo adolescens puer Prophetæ in Ramoth Galaad, et ingressus est illuc. Ecce autem principes exercitus sedebant. Et ait : Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu : Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit : Ad te, o princeps. Et surrexit, et ingressus est cubiculum. At ille fudit oleum super caput ejus. Et ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Unxi te regem super populum Domini Israel. Et percuties domum Achab domini tui. Et ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini de manu Jezabel; perdamque omnem domum Achab, et interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, et clau-

Digitized by Google

sum, et novissimum in Israel. Et dabo domum Achab sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrael, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, et fugit.

Jehu autem ingressus est ad servos domini sui Joram, id est ad ceteros principes. *Qui dixerunt : Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te?* Ecce quod homines illi carnales, idololatræ ambitiosi, juvenem illum devotum discipulum Elisei, temporalia aspernantem, reputabant insa-
I Cor. II, 14. num. Carnalis etenim homo non sapit ea quæ sunt spiritus, sed stultitia est illi. Un-
Sap. v, 4. de in fine dicturi sunt impii : Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam. Vel dicebant illum insanum, quia aufugit celerrime. *Qui ait eis : Nostis hominem,* id est, ex habitu ejus potestis perpendere quod sit de filiis prophetarum : qui religioso humilique utebantur vestitu, *et quid locutus sit,* utpote aliquid de verbis et negotiis prophetarum. *At illi responderunt: Falsum est,* quod certitudinaliter et determinate sciamus quid dixerit, *sed magis narra nobis. Qui ait eis : Hæc et hæc locutus est mihi. Et ait : Hæc dicit Dominus : Unxi te regem super Israel. Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt : Regnabit Jehu.*

Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram, id est, ipse et alii principes condixerunt cum juramento delere posteritatem Achab. *Porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse et omnis Israel contra Hazael regem Syriæ, et reversus fuerat, ut curaretur in Jezrael propter vulnera : quia percusserant eum Syri prœliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque Jehu : Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat et nuntiet* regi *in Jezrael* unctionem meam in regem pro eo.

Et ascendit Jehu cum suo exercitu, *et profectus est in Jezrael,* id est, viam il-
A luc ducentem cœpit incedere. *Joram enim ægrotabat ibi, et Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram. Igitur speculator qui stabat super turrim Jezrael* ad speculandum an aliqui venirent illuc, quatenus rex se observaret, *vidit globum Jehu venientis,* id est exercitum Jehu instar globi coadunatum et solidum. *Et ait : Video ego globum. Dixitque Joram : Tolle currum, et mitte in occursum eorum, et dicat vadens : Rectene sunt omnia? Abiit ergo qui ascenderat currum, in*
B *occursum ejus, et ait : Hæc dicit rex : Pacatane sunt omnia? Dixitque Jehu* nuntio Joram regis venienti ad se in curru : *Quid tibi et paci?* id est, pax tibi non debetur, quum sis fautor ejus qui turbator est communitatis, et jam ex Dei præcepto est occidendus. *Transi, et sequere me,* id est, vade post tergum meum, nec præsumas ante me ad dominum tuum reverti. *Nuntiavit quoque speculator, dicens : Venit nuntius ad eos, et non revertitur* solus et ante alios ad denuntiandum tibi, qualiter
C stet inter exercitum tuum et Syros, quemadmodum ei commissum est. *Misit etiam currum equorum secundum. Venitque ad eos, et ait : Hæc dicit rex : Numquid pax est? Et ait Jehu : Quid tibi et paci? Transi, et sequere me. Nuntiavit autem speculator, dicens : Venit usque ad eos, et non revertitur. Est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi. Præceps enim graditur.* Hoc dixit, vel de persona Jehu, quem speculator quasi principalem inter alios consideravit, et ivit præceps, id est
D cum impetu atque velociter; vel de toto exercitu, qui instar ipsius Jehu, cum festinantia veniebat.

Et ait Joram rex Israel : *Jungite currum,* id est, currum meum disponite, et equis applicate, ut in curru illis occurram. Similiter rex Juda suum currum parari præcepit. *Junxeruntque currum ejus. Et egressus est Joram rex Israel, et Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis,* id est unusquisque eorum in curru suo. *Egressique sunt in occursum Jehu, et invenerunt*

Digitized by Google

eum in agro Naboth Jezraelitæ. Quumque vidisset Joram Jehu, dixit : Pax est, Jehu? id est, suntne inimici nostri devicti, quia redis ab obsidione? *At ille respondit : Quæ pax?* ac si dicat, Nulla pace es dignus, nec pace temporis, nec pace pectoris, nec pace æternitatis. *Adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ,* id est idololatriæ ejus, quæ sunt spirituales fornicationes, et maximæ aversiones mentis a Deo, *et veneficia,* id est maleficia *ejus* inficientia, *multa vigent :* quibus aut consentis, aut non debito modo resistis, ideo pax vera esse non potest sub tali regimine. *Convertit autem Joram manum suam :* quam forsan extendit ad Jehu ad contingendum manum ipsius, vel signum insidiarum ostendendo suis cum manus elevatione ; *et fugiens ait ad Ochoziam : Insidiæ, Ochozia.*

Porro Jehu tetendit arcum suum, et percussit sagitta *Joram inter scapulas,* scilicet a parte dorsi, quia erat in fuga, *et egressa est sagitta per cor ejus :* sumendo cor pro membro corporali, quod in animalibus est primum vivens, et ultimum moriens ; *statimque corruit in curru suo. Dixitque Jehu ad Badacer ducem : Tolle, projice eum in agro Naboth Jezraelitæ. Memini enim quando ego et tu sedentes in curru, sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus levaverit onus hoc super eum,* id est, per Eliam prædixit hanc pœnam infligendam ipsi Achab, hoc est ei in filio suo, quia filius est aliquid sui patris. Congruenter autem servat Jehu metaphoram, dicendo, Levavit onus hoc : quoniam sicut pœnam ob ejus gravitatem nominat onus, sic pœnæ inflictionem vocat leva-
III Reg. xxi, 19, 23. tionem. *Dicens : Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus,* id est, utique in ultionem effusionis sanguinis ipsius Naboth filiorumque ejus occisorum de præcepto Jezabel, et consensu ipsius Achab, puniam te in agro ipsius Naboth, quem vidi heri, id est, approbavi præterito tempore quando vixit, quia complacuit mihi.

A Hinc elicitur, quod et filii Naboth fuerunt secum aut cito post eum occisi. *Nunc ergo tolle et projice eum in agro juxta verbum Domini.*

Ochozias autem rex Juda, videns hoc, fugit per viam domus horti, id est per viam quamdam occultam domus hortum habentis notabilem ; *persecutusque est eum Jehu, et ait : Etiam hunc percutite in curru suo,* quum sit de semine Achab ex parte matris. *Et percusserunt eum in ascensu Gaver,* id est loci sic dicti, *qui est juxta* B *Jeblaam. Qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi.* Primo autem ipse Ochozias fuit in Jezrael, et metuens ibi inveniri a II Par. xxii, 9.
Jehu, fugit in Samariam ; ac ibi inventus, ductus est ad Jehu in ascensu Gaver, et letaliter vulneratus est ibi ; ac inde devenit in Mageddo urbem, ibique obiit, prout in expositione libri secundi Paralipomenon dictum est plenius. *Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, et tulerunt in Jerusalem, sepelieruntque eum in sepulcro cum patribus, in civitate David. Et* C *in anno undecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias super Judam.* Quomodo verum sit istud, quum scriptum sit præcedenti capitulo, Anno duodecimo IV Reg. viii, 25.
Joram filii Achab, regnavit Ochozias? Respondetur, quod ipso Joram rege Juda gra- II Par. xxi, 15, 18, 19.
vissime ægrotante, prout secundo Paralipomenon habetur, cœpit Ochozias iste filius ejus secum regnare : quod fuit undecimo anno regni Joram filii Achab. Et ita loquitur istud capitulum. Præcedens vero capitulum loquitur de tempore, quo cœ- D pit regnare, patre suo defuncto : quod fuit duodecimo anno regni Joram filii Achab.

Venitque Jehu in Jezrael. Porro Jezabel introitu ejus, scilicet ipsius Jehu in Jezrael, *audito, depinxit oculos suos stibio,* id est tali unguento seu cerussa, qua meretrices pro oculorum utuntur ornatu, *et ornavit caput suum,* id est, vultum suum compsit ac decoravit, ac caput suis ornamentis fulcivit. Nam et stibio facies fit rubea. Unde et in Jeremia habetur : Quum Jer. iv, 30.
vestieris te coccino, et ornata fueris mo-

Digitized by Google

nili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris. Hinc una filiarum beati Job, ob suam ingenitam pulchritudinem, *Job* XLII, 14. Cornustibii est vocata. Sic autem ornavit se Jezabel jam satis antiqua, ut intuentibus pulchrior appareret, ob aliam quoque causam mox inducendam. *Et respexit per fenestram, ingredientem Jehu per portam.* Nempe, ut Josephus ait, ipsa stetit tunc supra turrim juxta portam. *Et ait : Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum ?* Supra libro tertio legitur, III *Reg.* XVI, 10, 15, 18. qualiter Zambri interfecit Ela filium Baasa, regem Israel : qui Zambri regnavit septem diebus; et videns se capiendum ab Amri, qui post eum regnavit, succendit se cum palatio. Est itaque sensus : Tu, Jehu, qui per nequitiam, rebellionem et proprii domini occisionem, factus es similis Zambri tyranno, non poteris pacem habere, nec regnare aut prosperari, sicut nec ille. Sic expositores catholici exponunt hunc passum.

Circa quod scribit Lyra : Hæc expositio non concordat litteræ præcedenti, quoniam Jezabel, ut inveniret gratiam apud Jehu, ornavit se : ideo non est verisimile, quod dixerit ei verbum pungitivum. Idcirco Hebræi exponunt sic : Numquid pax est ? et ibi fit punctus, et est sensus : Rogo ut habeas pacem mecum. Et sequitur : Amri interfecit dominum suum ; quasi dicat : Istud non est novum, quod tu interfecisti Joram dominum tuum, quia Amri similiter fecit, et tamen regnavit in pace, et post eum filius ejus Achab; quasi dicat : Sic poterit esse tibi. Sed contra hæc loquitur Rabbi Paulus : Amri non interfecit dominum suum, quia ipse Zambri non fuit dominus ejus, quoniam proditorie usurpavit sibi regnum. Unde expositio Hebræorum hoc loco non valet. Primo, quia fundatur super falsam litteram, quoniam Jezabel non dixit : Amri interfecit, etc. ; sed, Zambri... Ideo expositio doctorum nostrorum, puta catholicorum, tenenda est. Nec discordat a littera præcedenti. Nam Jezabel caput suum ornavit, non ut appareret gratiosior

A ipsi Jehu, sed in ejus contemptum, et ex quadam desperatione atque superbia. Videns enim quod non esset locus pacificandi, voluit ipsum Jehu contemnere et vituperare in facie, induendo se honorabili habitu, et prænosticando ei quod taliter sibi contingeret, quemadmodum contigit ipsi Zambri. Nec est mirandum de audacia Jezabel, quia secundum Vegetium, libro de Re militari, quum nihil spei superest, arma sumit formido : quia sæpe contingit desperatis, ut prorumpant in verba igno-B miniosa contra affligentes, licet non possint evadere manus ipsorum, præsertim dum tales superbi sunt, ut Jezabel.

His verbis Rabbi Pauli consentiendum videtur. Nam et consonat Josepho, qui sic refert : Jezabel dixit, Bonus servus qui occidit dominum suum : quasi dicat, Non bonus est, sed pessimus. Hinc Magister in historiis quasi in omnibus Josephum sequens, exponit sic : Sicut Zambri non habuit pacem, ita nec tu habebis. Idcirco nec verum est, quod omnes Hebræi pun-C ctuent et exponant ut recitat Lyra. Insuper puto, quod Jezabel ita ornavit se, non quasi blandiendo regi Jehu, sed ut incuteret ei quemdam reverentialem timorem, ut scilicet ipse Jehu videns eam in tanto decore et apparatu, expavesceret manum in eam extendere : quemadmodum in gestis legitur Romanorum, quia dum Longobardi quadam vice obtinuissent intrassentque Romam, ac passim Romanos occiderent, ipsi senatores se omni suo decore et gloria vestierunt ; seditque unusquisque eorum D in sede sua in propria domo : ad quos Longobardi ingressi, reverebantur eos, nec audebant occidere, imo adorabant eos ut deos. Attamen quum unus Longobardorum manu sua attrectaret barbam ultimi senatoris, ille non ferens hoc, baculo suo impegit in illum : quo facto indignati Longobardi, primum interemerunt illum, deinde per ordinem alios.

Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, et ait : Quæ est ista ? Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Quis mecum,

Digitized by Google

quis? hoc est, quis est de parte mea? *Et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi,* facto ostendentes, quod vellent ei obedire. Verumtamen huic dicto non videtur concordare narratio Josephi, sic narrantis : Jehu ad eam respiciens, interrogavit quæ esset. Et forsan sermo Hebræus utrumque designat. *Et dixerunt : Hæc est illa Jezabel. At ille dixit eis : Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam* juxta imperium Jehu, quia incitaverat virum suum ac filios ad diversa idololatriæ crimina, et interfecit prophetas; *adspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam.* (III *Reg.* xviii, 4.)

Quumque introgressus esset ut comederet, biberetque, ait : Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam, quia filia regis est. Quumque issent ut sepelirent eam, secundum præceptum Jehu, eo quod fuerit filia regis, utpote regis Sidoniorum, ut patuit tertio libro, *non invenerunt nisi calvariam,* id est supremum os capitis ejus, *et pedes et summas manus,* id est manuum summitates, ut Josephus tangit. *Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu : Sermo Domini est,* id est impletio verbi Dei per Eliam prolati. Ideo subditur, *quem* sermonem *locutus est per servum suum Eliam, dicens : In agro Jezrael comedent canes carnes Jezabel.* Unde elicitur, quod canes ora sua de carnibus Jezabel adimplentes, fugerunt et comederunt eas in agro Jezrael civitatis. *Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrael, ita ut prætereuntes dicant,* præ admiratione et aspernatione ipsius : *Hæccine est illa Jezabel?* id est, estne misera ista sic a canibus devorata, Jezabel illa, olim tam pompatica et ornata? Porro, ut Josephus scribit, Jehu his auditis, valde obstupuit prophetiam Eliæ, id est tam miram et evidentem, atque inopinatam impletionem ipsius. (*Ibid.* xvi, 31. — III *Reg.* xxi, 23.)

ARTICULUS XIII

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : ERANT AUTEM ACHAB SEPTUAGINTA FILII IN SAMARIA.

HIC refertur, qualiter reliqui de semine et familia atque obsequio regis Achab, occisi sint. *Erant autem* ipsi *Achab septuaginta filii in Samaria,* id est, in urbe illa habuit tot filios habitantes : quo constat, quod multas habebat uxores aut concubinas. Aliqui tamen dicunt, quod vocantur filii ejus, quia erant nepotes ipsius, id est filii Joram filii sui : et forsan aliqui erant filii sui immediati, aliqui mediati. Denique et in libro Judicum legitur Gedeon septuaginta filios habuisse, eo quod plures habuerit conjuges. (*Judic.* viii, 30.) *Scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam ad optimates civitatis,* hoc est honorabiliores, *et ad majores natu* civitatis Samariæ, *et ad nutritios Achab.* Secundum Josephum, misit litteras duas, utpote unam post aliam, sicut et in isto habetur capitulo. *Dicens : Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas et arma, eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri,* scilicet Achab aut filii ejus Joram, *et eum ponite super solium patris sui,* id est, constituite eum regem. Hæc scripsit, volens (ut Josephus ait) mentes Samaritanorum cognoscere. *Et pugnate pro domo domini vestri,* id est pro defensione filiorum et domesticorum ipsius Achab seu Joram. Non intendebat Jehu illos hortari ut facerent hæc, sed potius voluit eos sua

Digitized by Google

audacia perterrere, ac significare, quid eis restaret agendum, nisi sibi obtemperarent. Hinc subditur :

Timuerunt illi vehementer et dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomodo nos valebimus resistere? Miserunt ergo præpositus domus, et præfectus civitatis, et majores natu, et nutritii, ad Jehu, dicentes : Servi tui sumus : quæcumque jusseris, faciemus; nec constituemus nobis regem. Quæcumque tibi placent, fac. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens : Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Jezrael. Porro filii regis septuaginta viri apud optimates civitatis nutriebantur. Ex hoc apparet, quod jam erant virilis ætatis et filii Achab immediati : nisi forsan ratione sexus viri dicantur, vel quoniam quidam eorum erant ætatis virilis; siquidem Josephus vocat eos infantes. *Quumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros,* eos decollando, *et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jezrael. Venit autem nuntius ad eum, et indicavit ei, dicens : Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit : Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane,* id est, ex utraque parte facite ex capitibus illis cumulum.

Quumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum : Justi estis, in quantum interfectioni horum præbetis consensum, et mihi favetis. *Si ego conjuravi contra dominum meum* Joram regem, *et interfeci eum, quis percussit omnes hos?* hoc est, si ego tyrannice et injuste regem occidi, quis istos ejus filios interfecit? ac si dicat : Ex eo ipso quod optimates Samariæ occiderunt filios regis ac domini sui timore mei, constat, quod ego non nisi divina virtute, auctoritate, et commissione occidi dominum meum : ideo Samaritani non audebant resistere mihi, quoniam Deus corda eorum perterruit intuitu mei. Itaque

IV Reg. IX, 14, 24. Jehu non negavit se conjurasse contra dominum suum, occidisseque illum, quum

A hæc præcedenti capitulo de eo legantur; sed negavit se hoc injuste aut usurpatorie peregisse. Ideo subditur : *Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ,* III Reg. XXI, 17-24, 29. id est, omnia quæ de eradicatione Achab et domus suæ, per Eliam prædixit, implevit effectu.

Percussit igitur Jehu omnes qui reliqui erant de domo Achab in Jezrael, et universos optimates ejus, et notos, et sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. (B) Quod hic dicitur de sacerdotibus, quidam dicunt hic per anticipationem narrari, quia postea sacerdotes Baal occidit. Potest tamen simpliciter intelligi de sacerdotibus aureorum vitulorum ministris Achab, aliorumque idolorum, quæ Achab rex coluit : qui (ut tertio libro præhabitum est) tam abominabilis fuit, quod etiam Chananæorum coluit deos. Ibid. XVI, 31-33; XXI, 26.

Et surrexit et venit in Samariam. Quumque venisset ad cameram Pastorum in via, (C) ad quam (ut fertur) pastores consueverunt concurrere ad vescendum et quiescendum prope iter : quod forsan de pastoribus regis aut magnatum sic fuit; *invenit fratres Ochoziæ regis Juda.* Secundo Paralipomenon habetur, quod invenit principes Juda et filios fratrum Ochoziæ : quo constat, II Par. XXII, 8. quod isti vocantur hic fratres Ochoziæ, quia nepotes et consanguinei ejus erant. *Dixitque ad eos : Quinam estis vos? Qui responderunt* Jehu regi : *Fratres Ochoziæ regis sumus, et descendimus ad salutandos filios regis et filios reginæ.* (D) Ignorabant enim ipsum Ochoziam jam esse a Jehu occisum. *Qui ait : Comprehendite eos vivos. Quos quum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta cameram, quadraginta duos viros, et non reliquit ex eis quemquam :* quoniam erant ex parte matris de semine Achab, sicut et Ochozias.

Quumque transisset inde, invenit Jehu rex ipsum *Jonadab filium Rechab in occursum sibi. Et benedixit ei,* hoc est, bona

Digitized by Google

ei imprecabatur. *Et ait Jehu ad eum : Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo?* Jonadab iste, ut Josephus narrat, fuit vir bonus ac justus, et olim ipsius Jehu amicus; laudavitque ipsum Jehu, quod juxta Dei voluntatem domum Achab exterminasset. De Jonadab isto et posteris ejus, habetur in Jeremia, ubi Rechabitæ nati ex
r. xxxv, 6. semine Jonadab, dicunt : Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum, et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, sed in tabernaculis habitabitis. Unde innotescit, quod erant viri valde religiosi, terrenorum omnium contemptores. Atque, ut expositores fatentur, erant ex semine Je-
od. xviii, 12. thro cognati Moysis : qui Jethro ad legem Moysis fuit conversus. *Et ait Jonadab : Est. Si est, inquit, da mihi manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum, dixitque ad eum,* hoc est Jonadab : *Veni mecum, et vide zelum meum pro Domino,* id est qualiter zelo divini amoris idololatras Baal necabo, cultumque Baal exterminabo ex Israel : et ut Josephus loquitur, optima nimis ac gratissima erat inspectio ista viro bono ac justo. *Et impositum currui suo, duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria, usque ad unum, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam.*

Congregavit ergo Jehu omnem populum, et dixit ad eos in dolo : *Achab coluit* ipsum *Baal parum,* respectu cultus quem ego ei impendam; *ego autem colam eum amplius. Nunc igitur omnes prophetas Baal et universos servos ejus, et cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me. Nullus sit qui non veniat. Sacrificium enim grande est mihi Baal. Quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. Et dixit : Sanctificate,* id est, sacrificiis deputate, *solennem diem Baal. Vocavitque et misit in universos terminos Israel, et venerunt cuncti*

A *servi Baal. Non fuit residuus ne unus quidem, qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal. Et repleta est domus,* id est templum, *Baal a summo usque ad summum,* id est ab una extremitate ejus usque ad aliam. Refert Josephus, quod Baal fuit deus Tyriorum. Achab ergo volens placere socero suo Jobal* tunc regi Tyriorum atque Sidonis, templum fecit Baal in Samaria, et sacerdotes ei instituit, ipsosque omni religionis cultura venerabatur. *Dixitque* Jehu *his qui erant super vestes,* id est sacrarum
B vestium superstitionis illius custodibus seu matriculariis : *Proferte vestimenta universis servis Baal :* quibus in sacris Baal uti solebant, ut sic discernerentur a ceteris. Tamen, secundum Josephum, Jehu præcepit pontifici cultus Baal, ut daret omnibus vestes. Unde elicitur, quod jussit hoc tam supremo inter illos, quam inferioribus custodibus hujusmodi vestium. *Et protulerunt eis vestes. Ingressusque Jehu et Jonadab filius Rechab templum Baal, ait cultoribus Baal : Perquirite, et videte,*
C *ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli. Ingressi sunt igitur ut facerent victimas et holocausta. Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis : Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius.*

Factum est autem quum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus et ducibus suis : Ingredimini, et percutite eos; nullus evadat. Percusseruntque eos,
D videlicet servos Baal servi Jehu, *in ore gladii, et projecerunt milites et duces. Et ierunt in civitatem templi Baal, et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem,* id est templum, *Baal, et fecerunt pro ea,* id est in loco fani illius, in contemptum Baal, *latrinas,* id est subterraneos cuniculos ad mundandas urbis vias, *usque in diem hanc.*

Delevit itaque Jehu Baal de Israel. Verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat,

* Ithobal

Digitized by Google

qui peccare fecit Israel, non recessit Jehu, *nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel et in Dan.* Ideo Josephus dicit eum impium fuisse in Deum, enormiterque peccasse, quod permisit Israelitas adorare vitulos illos. *Dixit autem Dominus ad Jehu,* per aliquem prophetarum, et forsan per eum a quo fuit unctus in regem : *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem* inclusive *sedebunt super thronum Israel,* id est, reges decem tribuum erunt. Deus etenim nullum bonum deserit irremuneratum. Jehu autem cuncta quæ fecit, fecit extra caritatem exsistens, videlicet vitulorum cultor aureorum : ideo non æternam, sed temporalem est sortitus mercedem. (IV *Reg.* ix, 7-10.)

Porro Jehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini Dei Israel, in toto corde suo. Non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel. In diebus illis cœpit Dominus tædere, id est per modum nauseantis et abominantis se habere, *super Israel,* id est circa decem tribus, propter diuturna, multa et maxima eorum facinora, et quia nequaquam a tam diuturno vitulorum cultu cessabant. Juxta hunc modum scriptum est et in Jeremia : Non poterat vos Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum. In Isaia quoque : Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. (*Jer.* xliv, 22. *Is.* xliii, 24.) *Percussitque eos Hazael in universis finibus Israel, a Jordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aroer, quæ est super torrentem Arnon, et Galaad, et Basan :* quia divino erant auxilio destituti; nec poterat Jehu resistere Hazaeli, quia ingratus fuit Deo, vitulos adorando.

Reliqua autem verborum Jehu, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria; et regnavit Joachaz filius ejus pro eo. Dies autem quos regnavit Jehu super Israel, viginti et octo anni sunt, in Samaria.

Posset hic quæri, an Jehu peccavit sic mentiendo, et dolose ac insidiose agendo. Et videtur quod non, quia Scriptura de his eum commendat. Ad quod potest quis dicere, quod laudatur de verbis et factis suis ex radice qua operabatur, quia ex zelo Dei, et propter finem intentionum, quia ut eradicaret cultores Baal; et tamen in verbis et factis ejus poterant venialia peccata esse admixta. Tamen simulatio ejus et alia quæ videntur in factis ejus culpabilia fuisse, ut quod miseros illos sic animavit et inflammavit ad cultum Baal solennem, excusatur sive in toto sive in tanto, quoniam aliter non valebat intentum perficere.

Denique patet ex dictis, qualiter Deus per unum reprobum punit peccata alterius reprobi : et interdum is per quem alium punit, est minus iniquus quam ille; quandoque est pejor eo, secundum imperscrutabilem abyssum judiciorum Altissimi. (*Ps.* xxxv 7.) Postremo, per Jehu possunt intelligi hi qui zelum Dei habent, non tamen debita discretione : qui alios corrigunt, et tamen ipsi in aliquibus vitiis perseverant; et subditos suos ab aliquibus culpis emendant, corripiunt et castigant, et nihilo minus in aliquibus vitiis deserunt eos; et quosdam sic corrigunt, quod quosdam in suis permittunt peccatis tabescere ac perire : imo et ipsi simul pereunt cum eisdem, non pensantes illud Jacobi, Quicumque totam legem impleverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. (*Jacob.* ii, 10.)

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ATHALIA VERO MATER OCHOZIÆ.

De Athalia ambitiosissima regni imperatrice, et de Joas vero regni herede nunc agitur. *Athalia vero mater Ochoziæ* regis Juda, *videns*, id est cognoscens, *mortuum* esse *filium suum*, id est interfectum a Jehu, *surrexit et interfecit*, per suos ministros, *omne semen regium*, id est posteros natos ex semine David, quibus poterat jus regnandi competere, quatenus ipsa sola regnaret. Unde Josephus ait : Studuit ut nullum de domo David relinqueret, ut nullus ex eis ad regnum ulterius perveniret. Verumtamen quod ait Scriptura, Interfecit omne semen regium, intelligendum est cum aliquantula exceptione. Nam unus evasit infantulus, sicut subjungitur. *Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ*. Inconvenienter ergo quidam ait, quod Josaba ista fuit soror Joram. Nam et Josephus et Magister in historiis dicunt, quod Ochozias ex uno patre habuit sororem nomine Josaba.
II Par. xxii, 11. Idem asseritur secundo Paralipomenon. [Tollens] Joas filium Ochoziæ juniorem ac minimum, imo anniculum, *furata est eum de medio filiorum regis* Ochoziæ, *qui interficiebantur*. Ecce quanta fuit crudelitas atque ambitio impiissimæ Athaliæ hujus, quæ regnandi libidine interfecit filios filii sui, quum tamen aviæ soleant valde diligere filios ac filias filiorum et filiarum suarum. *Et nutricem ejus de triclinio*, id est cœnaculo ; *et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur*.

Eratque cum ea in domo Domini clam, id est occulte, *sex annis*. Circa hæc Lyra allegat et approbare videtur Rabbi Salomonem, dicentem, quod Joas et nutrix sua fuerunt custoditi in solario templi, ad quod nemo audebat accedere, nisi sacerdotes et

A Levitæ custodientes vasa sancta ibi reposita : ideo melius poterant ibi celari. Et quamvis secundum legem non licuerit ibi esse infantulo et nutrici, tamen in tali ac tanta necessitate id licuit : propter quod Joiada pontifex ita disposuit, sicut Achimelech pontifex dedit David et pueris ejus I Reg. xxi, 6.
panes propositionis ad manducandum. Sed his obviare videtur quod secundo Paralipomenon conscriptum est, quod abscondit II Par. xxii, 11.
puerum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum, hoc est in dormitorio sacerdo-
B tum in templo ministrantium, ut etiam Hebraica glossa exponit. Hinc Josephus protestatur, quod portavit eum in cubiculum, et clausit ibidem. In Scholastica quoque fertur historia, quod abscondit eum in domo Domini, id est in domunculis sacerdotum hebdomadariorum, quæ erant circa templum. Verumtamen pro horum concordia aliqui opinantur, quod primo fuit âbsconditus in cubiculo lectulorum, deinde pro majori cautela in præfato templi solario.

C *Porro Athalia regnavit super terram septem annis. Anno autem septimo misit Joiada pontifex :* cujus uxor præfata Josaba fuit. Ibidem.
Etenim tribus sacerdotalis, ac regia, tanquam ceteris digniores, frequenter erant matrimonio junctæ. Quo autem et ad quos ac propter quid miserit Joiada, non hic, sed secundo Paralipomenon recitatur, quo legitur : Assumpsit centuriones Azariam et Ismael et Maasiam, qui circum- Ibid. xxiii, 1, 2.
euntes Judam, congregaverunt Levitas, et ut adjicit Josephus, etiam sacerdotes, de
D cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem. *Et assumens centuriones et milites* centurionibus illis subjectos : et erant quinque

Digitized by Google

centuriones, ut Josephus scribit, et prædlegatus Paralipomenon liber consonat; *introduxit* eos *ad se in templum Domini,* id est in partem templi quam poterant introire, puta in atrium, vel forsan ex necessitate et dispensatione in primam et exteriorem templi partem, quæ dicitur Sancta; *pepigitque cum eis fœdus,* id est, pactum iniit de modo constituendi ipsum Joas in regem, *et adjurans eos in domo Domini,* ut scilicet fideliter sibi adstarent, et ea quæ dixit eis, in secreto tenerent, quousque res sortiretur effectum : super quo exegit ab eis juramentum, ipsique juraverunt; *ostendit eis filium regis,* videlicet ipsum Joas filium Ochoziæ.

Et præcepit illis, dicens : Iste est sermo quem facere debetis. Tertia pars vestrum introeat sabbato, in quo puer iste Joas ungetur in regem, *et observet excubias domus regis,* id est, vigilias teneat, et iter custodiat quod ducit ad palatium, ne quis de domesticis Athaliæ ex palatio erumpens, possit regem invadere. Porro in Paralipo-
II *Par.* XXIII, 5. menon legitur : Tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum et Levitarum et janitorum, erit in portis. Quolibet etenim sabbato intravit unus de viginti quatuor supremis sacerdotibus, tamen sub pontifice constitutis; et cum uno illo intraverunt viginti quatuor sacerdotes exsistentes sub eo, turbæque Levitarum et cantorum ac janitorum deputatæ eidem; et tunc populus confluxit ad templum,
I *Par.* XXIII-XXVI. prout hæc primo Paralipomenon plenius describuntur, et ibi exposita sunt. *Tertia autem pars* vestri *sit ad portam Sur,* per quam ascendebatur de civitate ad regiam domum, ad custodiendum ne ex illa parte aliquis violentiam regi aut nobis queat inferre; *et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum :* quorum officium erat vel facere scuta, aut ante regem ea portare; *et custodietis excubias domus Messa,* id est custodum regis : per quam domum seu portam ascendebatur de palatio regis in templum. *Duæ vero partes e vobis,* videlicet *omnes egredientes sabbato,* A id est, tam sacerdotes, Levitæ, cantores ac janitores, qui expleto officio suæ hebdomadæ, exeunt sabbato templum, quam illi qui egrediuntur domos suas, ut ingrediantur templum diluculo sabbati quo alii exeunt, ad ministrandum in templo per suam hebdomadam, *custodient excubias domus Domini,* id est, in templo erunt vigilantes et intenti, *circa regem; et vallabitis,* id est circumdabitis *eum* pro ejus munimine, *habentes arma in manibus vestris.* Nempe sabbato illo pontifex retinuit B secum eos qui expleverant suæ septimanæ officium : qui alias solebant abire, sed pro majori subsidio tunc manserunt. *Si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur,* id est, si quis adversariorum intrare præsumpserit ambitum templi, mox educatur et extra templum ac atria ejus necetur. *Eritisque cum rege introeunte et egrediente.*

Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat eis Joiada sacerdos. Et assumentes singuli viros suos, id est singuli C centuriones subjectos sibi milites, vel singuli sacerdotes ministros inferioris gradus eis subjectos, *qui ingrediebantur ad sabbatum,* ad ministrandum in templo in sua hebdomada, *cum his qui egrediebantur sabbato,* suo (ut dictum est) impleto obsequio, *venerunt ad Joiadam sacerdotem,* id est pontificem, *qui dedit eis arma et hastas regis David, quæ erant in domo Domini,* id est in armamentario a David constituto in templo, ut Josephus dicit, id est, quod David per Salomonem fieri jussit, ut D quidam exponunt; vel etiam David fecit ibidem aliquam domum armorum. *Et steterunt singuli* sacerdotes *habentes arma in manu sua,* imo et gladios evaginatos, ut Josephus addit, *a parte templi dextera usque ad partem sinistram altaris et ædis,* id est in exteriori parte templi, in qua erat altare incensi per gyrum, occupantes per ordinem spatium illud usque ad sinistram altaris ac ædis seu templi, *et circa regem.*

Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema et testimonium. Fece-

Digitized by Google

II Par. xxiii, 11. *runtque eum regem, et unxerunt,* Joiada pontifex et filii ejus, ut in Paralipomenon dicitur; *et plaudentes manu,* id est, signa lætitiæ cum manuum agitatione monstrantes, *dixerunt: Vivat rex.* Naturale est equidem hominibus, libenter habere verum et hereditarium principem, et malle subesse viro quam feminæ. Ideo videntes regem inunctum et diademate coronatum, et de loco suæ absconsionis productum in medio, et testimonium positum super eum, id est librum legis in manu ejus, juxta il- *Ibidem.* lud in Paralipomenon, Dederunt in manu ejus tenendam legem : ut scilicet jugiter exerceretur ac meditaretur in ea, juxta il- *Deut.* xvii, 18. 19. lud Deuteronomii, Postquam rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum : hæc, inquam, videntes, gavisi sunt valde, et vociferati sunt in altum.

Audivit autem Athalia vocem populi currentis, et ingressa ad turbas in templum Domini. Nam de industria permiserunt eam intrare ut caperetur; et in præcepto Joiadæ, qui mandavit, ne quis permitteretur intrare in templum vel atrium, ipsa intelligebatur excepta. Dicitque Lyra, quod permissa fuit intrare cum sua comitiva. Porro Josephus scribit, quod sacerdotes eam mox acceperunt, armatos vero qui eam sequebantur, intrare prohibuerunt: quod verius reor. *Vidit regem stantem super tribunal juxta morem,* id est super solium judiciale, in signum, quod esset populi judex. In II Par. xxiii, 13. Paralipomenon legitur : Quumque vidisset regem stantem super gradum in introitu. III Reg. x, 18-20. De solio isto dictum est tertio libro, in his quæ de templo Salomonis introducta sunt ibi. *Et cantores et turbas* * prope eum, omnemque populum terræ canentem tubis,* id est quosdam de omnibus quos pontifex convocavit. *Et scidit vestimenta sua, clamavitque : Conjuratio, conjuratio.* In Parali- II Par. xxiii, 21. pomenon fertur clamasse, Insidiæ, insidiæ : quia conjurationem et insidias appellavit

* tubas

A conspirationem et practicam contra se factam. *Præcepit autem Joiada centurionibus qui erant super exercitum, et ait eis : Educite eam extra septa templi,* id est extra circuitum et clausuram ipsius, *et quicumque eam secutus fuerit* ad ferendum ei auxilium, *feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos : Non occidatur in templo Domini. Imposueruntque ei manus, et impegerunt,* id est impulerunt, *eam per viam introitus equorum juxta palatium:* quæ via sic vocabatur, quoniam nobiles et poten- B tes, veniendo ad templum, poterant usque ad locum illum venire equestres, sed inde processerunt pedestres; *et interfecta est ibi.* Prohibuit quippe pontifex occidi eam in sacro loco, ne sanctum violarent, occidendo in eo venefieam, ut Josephus loquitur.

Pepigit ergo Joiada fœdus inter Deum et inter regem et inter populum, id est, regem ac populum hortabatur, obligavit et adjuravit, ut Deo fideliter deservirent, ideo subditur, *ut esset populus Domini* per cultum et obedientiam; *et inter regem et* C *populum,* ut regi essent favorabiles et subjecti, rex quoque eos debite gubernaret. *Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal :* quod, Josepho referente, Joram rex et uxor ejus Athalia construxerant Baal, ad Dei injuriam et ipsius Achab honorem; *et destruxerunt aras ejus, et imagines contriverunt valide :* imo et totum templum illud sacrilegum, ut in Paralipomenon legitur. II Par. xxiii, 17. *Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domi-* D *ni,* id est, custodiam ac diligentiam templi ac regis in eo, commisit Joiada sacerdotibus ac Levitis. *Tulitque centuriones, et Cerethi et Phelethi legiones, et omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini. Et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum. Lætatusque est omnis populus terræ, et civitas conquievit. Athalia autem occisa est gladio in domo regis. Septemque annorum erat Joas quum regnare cœpisset.* Quid autem per Cerethi et Phele-

Digitized by Google

II *Reg.* VIII, 18. thi designetur, diffuse expositum est supra. Sicque conversi ad epulas, festivitatem multis diebus, secundum Josephum, peregerunt.

Sensus moralis. Moraliter docemur ex isto capitulo, quanta mala operetur ambitio, quæ nec propriæ parcit proli. Denique personæ quæ præsunt cum ambitione, et suam verentur præsidentiam perdere, frequenter occidunt spirituales filios suos, quibus vel blandiuntur, vel debitam correctionem et correptionem non exhibent, ne forte illos offendant, aut proprio commodo et honore priventur, aut de suæ stationis præsidentia expellantur. Insuper hic docemur, qualiter A pontifices et sacerdotes debent instruere reges ac principes ad divinæ observantiam legis, atque ut invicem ordinate se habeant hi qui præsunt et qui subsunt, ut superiores inferioribus suis debitam directionem, defensionem, sollicitudinemque impendant, ac inferiores superioribus suis obedientiam, gratitudinem et honorem exhibeant, et omnes in visceribus caritatis se amplectantur; sicque dissipent templum Baal, hoc est omnem vitiosam adhæsionem, occupationem et affectionem ad vana sen- B sibilia et caduca, ne venter, aut nummus, aut venus, aut honor mundanus, sit deus et idolum alicujus.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : ANNO SEPTIMO JEHU REGNAVIT JOAS.

II *Par.* XXIV. NUNC de regno et actibus Joas regis Juda, fit mentio, et historia hujus capituli libro secundo Paralipomenon plenius continetur, atque ibidem exposita est. *Anno septimo Jehu* regis Israel, *regnavit,* id est, regnare incepit *Joas. Quadraginta annis regnavit. Nomen matris ejus Sebia de Bersabee. Fecit Joas rectum coram Domino,* id est, juste vixit, *cunctis diebus quibus docuit eum Joiada sacerdos,* id est, quamdiu Joiada pontifex secum vixit ac ipsum direxit. *Verumtamen excelsa non abstulit:* quia nec Joiada ad hoc agendum instigasse eum videtur, sed ea ratione permisit in excelsis offerri, qua et Asa ac Jo-
III *Reg.* XV, 14; XXII, 44. saphat justi reges Juda, ut in expositione tertii libri dictum est sæpe. *Adhuc enim populus immolabat, et adolebat in excelsis incensum.*

Dixitque Joas ad sacerdotes : Omnem pecuniam sanctorum, id est ordinatam vel deputandam ad usum divinum, *quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus,* id est, quam prætereuntes peregri- C nantes, et per loca templi transeuntes causa orationis ac immolationis obtulerint in templo, *quæ offertur pro pretio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum,* id est secundum dispositionem eis convenientem, et juxta ordinationem eis præfixam, *et instaurent sarta tecta domus, si quid necessarium viderint instauratione,* id est, innovent et reforment seu reparent ea quæ in tectis templi quæ plana erant, aut in D aliis templi partibus reparatione egebant. Verumtamen templum a Salomone constructum, non fuit adhuc multum antiquum, sed (ut Josephus refert) Joram et Athalia II *Par.* XXIV, 7.
uxor ipsius, eorumque filii fecerunt multas læsiones ac destructiones hinc inde in partibus templi, et ornamenta ejus abstulerunt, et applicuerunt ea ad structuram et decorem fani Baal. *Igitur usque ad vicesimum* [*tertium*] *annum Joas regis, non instauraverunt sacerdotes sarta tecta templi. Vocavitque rex Joas Joiadam pontificem*

Digitized by Google

et sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instauratis templi? Negligentius enim egerunt sacerdotes in hac re, ut in Paralipomenon legitur. *Nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum,* a populo ad usum prætactum eam colligendo, *sed ad instaurationem templi reddite,* id est exponite *eam* his qui de illa pecunia emant necessaria instaurationi. *Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo,* ad reponendum eam eo modo quo ante, *et instaurare sarta tecta domus.*

II Par. xxiv, 5.

Et tulit, id est accepit, *Joiada pontifex gazophylacium unum,* id est arcam seu repositorium oblationum, *aperuitque foramen desuper,* ut per illud mitterentur oblata in arcam illam, *et posuit illud* gazophylacium *juxta altare,* vel holocausti, quod erat in atrio, vel thymiamatis, quod erat in exteriori et prima parte templi. Tamen, quia subjungitur, *ad dexteram ingredientium domum Domini,* videtur quibusdam de altari quod erat in atrio, intelligendum : quia in atrium intrabant vulgares, non in ipsum templum, id est in Sancta vel in Sancta sanctorum. Unde in Paralipomenon legitur, quod posuerunt arcam juxta portam Domini extrinsecus. *Mittebantque in eo,* id est in gazophylacio illo, *sacerdotes qui custodiebant ostia* templi : nam ostia atriorum custodire, fuit officium janitorum ; *omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini* pro instauratione prædicta. Unde supra in isto capitulo dicitur : Omnem pecuniam quæ illata fuerit in templum Domini, quæ offertur pro pretio animæ, id est, quam quilibet virilis ætatis, qui potest ad bellum procedere, offert pro sua persona: quia præcepit rex, ut quilibet talis offerret pro hoc usu dimidium siclum argenti, ut Josephus refert ; et quam sponte, id est etiam illam pecuniam quam ditiores et devotiores ultra hoc obtulerunt ex libero arbitrio et speciali devotione.

Ibid. 8.

Quumque viderent pecuniam nimiam, id est valde copiosam, *esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis et pontifex,* ad afferendum gazophylacium per manus Levitarum, ut in Paralipomenon additur. *Effundebantque et numerabant pecuniam quæ inveniebatur in domo Domini,* coram rege, Josepho teste, ut nulla esset suspicio fraudis ; *et dabant eam juxta numerum atque mensuram,* id est cum certo numero et congruente mensura, *in manu eorum qui cæmentariis domus præerant,* id est in manus magistrorum operum qui præerant reparatoribus murorum tectorumque templi, *qui* magistri operum *impendebant eam in fabris lignorum, et in cæmentariis his qui operabantur in domo Domini, et sarta tecta faciebant; et in his qui cædebant saxa, et ut emerent ligna et lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini, in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum,* id est, exhibebant pecuniam fabris lignariis, cæterisque artificibus, utpote cæmentariis et saxorum cæsoribus, ad emendum ac præparandum necessaria, scilicet ligna, saxa, cæmentum, etc.

II Par. xxiv, 11.

Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ, id est vasa aquatilia, *et fuscinulæ,* id est tridentes ad carnes extrahendas de caldaria, *thuribula et tubæ et omne vas aureum et argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini,* id est nulla vasa seu instrumenta cultus divini in templo. Quod intelligendum est sic, quod directe et ex intentione primaria non fiebant hujusmodi vasa de illa pecunia, quia non fuit oblata, nisi ad sarta tecta instauranda ; sed quia multum ex ea superfuit instaurationi, de illo residuo incidentaliter facta sunt aliqua vasa sacra, prout in Paralipomenon recitatur. *His enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini. Et non fiebat ratio his hominibus qui pecuniam accipiebant, ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam :* id est, ratio non exigebatur ab eis qualiter exposuissent pecuniam, quia eorum fidelitati hoc committebatur, quoniam erant fide condigni. *Pe-*

Ibid. 14.

Digitized by Google

cuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, id est, pecuniam oblatam pro remissione culparum omissionis et commissionis non posuerunt cum præfata pecunia in gazophylacio, *quia sacerdotum erat,* sicut et sacrificia, ideo eis dabatur.

Tunc, id est tempore illo, et quum Joas a via justitiæ recessisset, mortuo Joiada præsule, *ascendit Hazael rex Syriæ, et pugnabat contra Geth* urbem Philistiim, *cepitque eam, et direxit faciem suam ut ascenderet in Jerusalem.* Ideo Joas perterritus, misit ei munera copiosa, ut textus consequenter dicit. *Quamobrem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverat Josaphat, et Joram, et Ochozias patres ejus reges Juda, et quæ ipse obtulerat, et universum argentum quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis,* ut hæc omnia converterentur in usum cultus Dei ac templi : propter quod non erant de cetero humanis usibus applicanda, nisi forsan in necessitatis articulo, vel prius comminuerentur, sicut et nunc aliquando fit de sacris vasis. Unde et infra legitur Ezechias talia regi Assyriorum [IV *Reg.* xviii, 16.] misisse. *Misitque Hazaeli regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem.*

Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Surrexerunt autem servi ejus, et conjuraverunt inter se : quorum unus fuit Ammonites et alius Moabites, sicut in Paralipomenon legitur [II *Par.* xxiv, 26.]; *percusseruntque,* id est occiderunt, *Joas in domo* sua *Mello :* de qua dictum est supra libro secundo et tertio [II *Reg.* v, 9; III *Reg.* ix, 15. *et* xi, 27.]; *in descensu Sella.* In Paralipomenon dicitur, quod interfecerunt eum in lectulo suo [II *Par.* xxiv, 25.]. Unde videtur, quod domus Mello fuit sita in descensu Sella. *Josachar namque filius Semaath et Jozabad filius Somer servi ejus percusserunt eum, et mortuus est. Et sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David :* non tamen in sepulcris regalibus [*Ibidem.*], sicut in Paralipomenon legitur, quia divinæ religionis exstitit inimicus, ut Josephus loquitur. *Regnavitque Amasias filius ejus pro eo.*

Multa ad expositionem hujus capituli pertinentia et de sensu ejus morali continentur in expositione secundi libri Paralipomenon [*Ibid.* xxiv.]. Idcirco hic omittuntur.

ARTICULUS XVI

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ANNO VICESIMO TERTIO JOAS FILII OCHOZIÆ REGIS JUDA.

Agitur hic de duobus regibus decem tribuum atque de morte Elisei. *Anno vicesimo tertio* regni *Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israel in Samaria decem et septem annis. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, et non declinavit ab eis. Iratusque est furor Domini,* id est rigor divinæ justitiæ, *contra Israel,* scilicet contra ipsum regem et populum ejus iniquum in vitiis communicantes, *et tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, et in manu Benadad filii Hazael cunctis diebus.*

Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, id est divinæ pietatis respectum, seu piissimum Deum omnia intuentem, quia vidit sibi non prodesse cultum invocationemque vitulorum, idcirco ad Dei invocationem convertit se. *Et audivit eum Dominus,* dando sibi temporale subsidium,

Digitized by Google

quamvis iniquo. Nam opera bona ex genere, facta extra caritatem, possunt temporalia bona mereri. *Vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ :* ex quo elicitur, quod Deus exaudivit preces regis magis propter angustias et pressuras atque miserias subditorum, quam propter merita regis. Nam et in populo illo erant aliqui boni, præsertim Eliseus sanctissimus et ejus discipuli, qui orabant pro bono communi. *Et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu regis Syriæ.* Quidam per salvatorem istum Israeliticæ plebi tunc datum, intelligunt angelum bonum regni illius, cujus virtute et ope repressus fuit rex Syriæ ab impugnatione Israelis majori. Vel salvator iste fuit beatissimus vir Eliseus, cujus oratione ac meritis Deus populum illum a Syris protexit ; vel ipse rex Joachaz, cui Dominus inspiravit sic ad Deum verum confugere, et per hoc misericordiam impetrare præfatam.

Habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis, sicut heri et nudiustertius. Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt. Siquidem et lucus permansit in Samaria, id est locus arboribus consitus, in quo consueverunt colere Baal, et exercere luxuriam : et ita hoc erat de quibusdam ipsius Baal reliquiis. Lex autem præcepit destrui lucos. *Et non sunt derelicti Joachaz de populo, nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum : interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura areæ,* id est, supplantaverat ac destruxerat decem tribus ut pulverem, et sicut pulvis conteritur in excussione granorum in horreo ; sed modo prætacto reparatus est populus ille sub Joachaz rege. Hinc Josephus scribit : Quum Joachaz his anxietatibus teneretur, ad preces Dei confugit. Deus autem pœnitentiam pro virtute suscipiens, et corripere magis quam perdere hujusmodi hominem volens, concessit ei belli pericula declinare : pace itaque potita, provincia rursus ad statum pristinum, copiamque est reversa. *Reliqua autem sermonum Joachaz, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel ? Dormivitque Joachaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in Samaria ; regnavitque Joas filius ejus pro eo.*

Exod. xxxiv. 13; *Deut.* vii, 5; xii. 3.

Sequitur de alio rege Israel. *Anno tricesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israel in Samaria sedecim annis. Et fecit quod malum est in conspectu Domini. Non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulavit. Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel ? Et dormivit Joas cum patribus suis. Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israel.*

Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est : erat quippe valde grandævæ ætatis ac venerandissimus senex. *Descenditque ad eum* visitandum *Joas rex Israel, et flebat coram eo,* dolens se ac regnum suum tanto patrono privandum, tanto consiliario et auxiliario destituendum, tam sanctissimo ac fidelissimo mox cariturum tutore, Propheta ac patre. *Dicebatque : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus.* Tanquam diceret, O pater mi prædilecte. Etenim quod bis ait, *Pater,* et addit, *mi,* signum fuit præcipuæ ac specialis dilectionis suæ ad sanctum virum. Itaque, Pater mi, quum sis auriga et currus Israel, id est director et sustentator Israeliticæ plebis, quid defuncto te faciemus ? Hinc Josephus refert : Cœpit Joas flere ac ingemiscere, ac patrem eum vocare, et dicere regnum suum sub ipso fuisse securum, et propter ipsum se nunquam armis contra hostes indiguisse, sed illos prospere sine dimicatione vicisse ; et quod ipse Eliseus decedendo relinqueret filios Israel Syris ac aliis hosti-

Digitized by Google

bus captivandos, idcirco vitam suam ac A populi sui de cetero non esse securam, sed gratum sibi esse, ut simul cum ipso a præsenti luce recederet. Itaque eodem sensu, quo supra Eliseus dixit Eliæ, Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus ; etiam Joas hæc Eliseo locutus est : quæ verba supra magis exposita sunt.

IV *Reg.* II, 12.

Et ait illi Eliseus, volens tristem consolari : *Affer arcum et sagittas. Quumque attulisset ad eum arcum et sagittas, dixit ad regem Israel : Pone manum tuam super arcum. Et quum posuisset ille manum* B *suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, et ait : Aperi fenestram orientalem :* quia in plaga orientali respectu terræ Israel erat Syria sita, cujus dejectionem voluit Propheta prædicere. *Quumque aperuisset, dixit Eliseus : Jace,* id est, sagittando emitte, *sagittam,* per fenestram præfatam. *Et jecit. Et ait Eliseus : Sagitta salutis Domini,* id est, sagitta hæc et ejus projectio, signum est et figura salutis seu prosperitatis atque victoriæ tibi desuper conferendæ ; *et sagitta salutis contra Sy-* C *riam,* id est, Syrorum dejectionem designat. *Percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam,* id est, partem Syriæ, utpote Syros commorantes in parte suæ regionis, quæ vocatur Aphec, superabis omnino. Denique Eliseus manus suas superposuit manibus regis, ut meritis suis ac precibus daretur regi victoria. *Et ait : Tolle,* id est affer, *sagittas. Qui quum tulisset, rursus dixit ei : Percute jaculo terram* sagittando in eam. *Et quum percussisset tribus vicibus,* id est, tres sagittas emisis- D set ex arcu in terram, ut Josephus tangit, *et stetisset,* id est, a sagittatione cessasset, *iratus est* ira per zelum *vir Dei contra eum,* eo quod tam cito desierat ab exsecutione suæ commissionis, quam continuare debuerat, quousque Eliseus ei insinuasset ut inde cessaret ; *et ait : Si percussisses* terram jaculis *quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem,* Syros totaliter superando, et regnum eorum eradicando, hoc est, toties eos vicisses, quoties jaculo terram percussisses. *Nunc autem percuties eam tribus vicibus,* id est in tribus præliis, sicut et terram ter jaculis percussisti.

Sed quare Eliseus non commisit regi, ut sexies aut septies terram percuteret jaculo? Ad quod quidam respondent, revelatum fuisse Prophetæ, quod si rex percussionem illam terræ cum jaculo sæpe continuaret, Syros exterminaret omnino ; non tamen concessum sibi fuit a Deo, ut hoc ipsum regi manifestaret, nec sibi fuit revelatum quoties esset rex terram jaculo percussurus ; sed quum percussisset ter eam, statim fuit revelatum Prophetæ, quod rex ter percuteret Syros. Siquidem Spiritus Sanctus variis modis tangit animas Prophetarum, et nunc istud, nunc illud eis revelat, et jam in generali, jam in particulari sicut voluerit. Sed rursus quæri potest, cur toties vicit Syros quoties terram percussit. Ad quod dici potest illud Apostoli : Quis *Rom.* XI,
cognovit sensum Domini? Et rursus : Quam 34, 33.
incomprehensibilia sunt judicia ejus ! Et quod loquitur Jeremias : Quis adfuit in *Jer.* XXIII,
consilio ejus ? Verumtamen dici posset, 18.
quod rex Joas obediendo Prophetæ in re illa, quæ prima facie videbatur inutilis, aut etiam ridiculosa, aliquo modo triumphare promeruit : sicut et de tanti Prophetæ decessu tam vehementer dolendo, gemendo ac flendo, consolationem istam aliqualiter merebatur, sicque toties prævalere, quoties obedierat sancto viro, terram percutiendo. Præterea, quod dictum est, Tolle sagittas, quidam exponunt sic, Remove sagittas a te, et percute jaculo, id est cum lancea, terram : quæ expositio non consonat Josepho.

Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. De quo Josephus contestatur : Defunctus est in justitia famosissimus, et in Dei studiis valde præclarus ; et apud Hebræos memoriam claram ac sepulturam magnificam habere promeruit, qualem viro ita religioso decebat impendi. *Latrunculi autem de Moab venerunt in terram* Israel *in ipso anno. Quidam autem sepelientes homi-*

Digitized by Google

nem, viderunt latrunculos et projecerunt A *cadaver in sepulcrum Elisei,* cupientes se expedire de corpore sepeliendo timore latronum, ne caperentur ab eis. *Quod dum tetigit ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos,* virtute ac meritis Elisei, ad declarandam excellentiam meritorum ipsius, et quod verus fuerat Dei propheta. Eccli. XLVIII, 14, 15. Hinc in Ecclesiastico fertur de Eliseo: Mortuum prophetavit corpus ejus; in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.

Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel B *cunctis diebus Joachaz. Et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos, propter pactum suum, quod habebat cum Abraham et Isaac et Jacob, et noluit disperdere eos, neque projicere penitus usque in præsens tempus. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo. Porro Joas filius Joachaz tulit,* id est, vi prælii abstulit, *de manu Benadad filii Hazael urbes, quas* Hazael *tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii. Tribus vicibus percussit eum,* id est exerci- C tum regis Syriæ Joas rex Israel, sicut Eliseus prædixit, *et reddidit civitates Israeli.*

Sensus spiritualis. Juxta spiritualitatem, ex isto capitulo commendatur nobis immensa pietas Dei, qui aversis ac indignis tot bona impendit, tam gratiose succurrit, et per intercessiones ac merita Sanctorum, tam viatorum quam comprehensorum, beneficia multa largitur, atque de visibilibus et invisibilibus adversariis præstat triumphum. Insuper, per Eliseum intelligitur Christus, qui jubet principibus ac prælatis afferre arcum et sagittas, id est, Scripturam sacram assumere, et ejus auctoritatibus et exemplis se munire, æmulisque suæ salutis resistere. Jubet quoque aperiri fenestram orientalem, id est, mentem aptare ad illuminationes supernas; sicque sagittam salutis contra Syriam mittere, id est, per verba orationis, prædicationis, ac opera sancta reluctari inimicis salutis ac pacis; et jaculo percuti terram præcipit, id est, per verba compunctionis, correptionis ac castigationis excitare corda carnalia terrenis infixa: quod faciendum est, non solum ter ad gloriam superbeatissimæ Trinitatis, per fidem, spem et caritatem ipsius; sed quinquies, sexies aut septies, quia qui perseverat, salvatur: et quinque sensus oportet reprimere, perfectionique operum, quæ senario designatur, vacare, atque ad septiformem Spiritus Sancti gratiam pervenire. Postremo, latrunculi Moab sunt spiritus maligni, animarum interfectores quas vincunt: quorum timore debemus cadaver sepeliendum in sepulcrum projicere Elisei, id est, corpora nostra vitiis mortua, virtute et fide passionis ac sepulturæ Christi ad agendum pœnitentiam suscitare, ut stent supra pedes suos rationi ac legi Dei viriliter obediendo; aliorum quoque Sanctorum exemplis et meritis nos debemus applicare per considerationem et caritatem, ac ossa eorum contingere, id est, virtutes participare ac imitari, sicque vivificari in Deo. Matth. X, 22.

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : IN ANNO SECUNDO JOAS.

RECITATUR in isto capitulo, qualiter D Amasias rex Juda præfuerit, et quomodo super decem tribus præsidebat Jeroboam filius Joas regis Israel. *In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas regis Juda. Viginti quinque annorum erat quum regnare cœpisset; viginti autem et novem annis*

regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. Et fecit rectum coram Domino, verum Deum ad tempus colendo. *Verumtamen non ut David pater ejus* mediatus : quia non perseveravit in cultu Dei, nec tam perfecte servivit Deo ut David. *Juxta omnia quæ fecit Joas pater suus* immediatus, *fecit :* quoniam sicut Joas ille ad tempus sub Joiada fuit deicola, postea autem idololatra, ita et iste; *nisi hoc tantum quod excelsa non abstulit*
IV *Reg.* XII, 3. uterque eorum, quia nec Joas, nec Amasias abstulit ea, etiam tunc quando Deum colebant. Vel quod dicitur, Nisi hoc tantum, etc., refertur, non ad verba immediate præhabita, sed ad illud, Et fecit rectum coram Domino : ut sit sensus, quod ad tempus juste se habuit, hoc dempto, quod excelsa non destruxit. *Adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis.*

Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum. Filios autem eorum qui occiderant patrem suum, *non occidit, juxta verbum quod scriptum est in libro legis Moysis,* in Deuteronomio, imo et in Ezechiele et Jeremia; *sicut præcepit Dominus, dicens : Non morientur patres pro*
Deut. XXIV, 16; *Ezech.* XVIII, 20; *Jer.* XXXI, 29, 30. *filiis,* id est, propter filiorum peccata non occidentur parentes eorum; *nec filii pro patribus,* præsertim in foro humani judicii. Qualiter autem secundum æquitatem divini judicii quandoque aliter accidat, dictum est sæpe. Nam et in Threnis loquitur
Thren. V, 7. Jeremias : Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et nos iniquitatem eorum portavimus. In Exodo quoque Dominus conte-
Exod. XX, 5. statur : Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. *Sed unusquisque in peccato suo morietur.* Nempe qui peccat mortaliter, sic peccando, occidit seipsum morte culpæ, et meretur mortem damnationis æternæ, ac juxta legem in multis casibus merebatur occidi, quem-
Hebr. X, 28. admodum ad Hebræos ait Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, absque A ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur.

Ipse percussit Edom, id est Idumæos, *in valle Salinarum,* hoc est sal habente seu producente, *decem millia, et apprehendit prædam,* id est spolia occisorum, *in prælio* illo. Unde Josephus ait, quod prædam et infinitas divitias abstulit ex gentibus istis, videlicet Idumæis et Amalecitis. Aliqui libri habent, Apprehendit petram in prælio, et per Petram quidam intelligunt urbem sic dictam. Unde Magister in histo- B riis scribit : Apprehendit Petram nobilem Arabiæ civitatem. Advertendum quoque, quod ista historia hic breviter tacta, secundo libro Paralipomenon diffusius recitatur : quo inter cetera legitur, quod per- II *Par.* XXV, 11, 12.
cussit filios Seir, id est Idumæos, decem millia, et alia decem millia cepit, et adduxit ad præcipitium cujusdam petræ, præcipitavitque eos : et ita per petram intelligi potest petra illa prærupta. Unde et Josephus, Deducens (inquit) eos ad magnam petram, quæ est in Arabia, ex ea præcipi- C tavit. *Vocavit nomen ejus Jectehel usque in præsentem diem.* Jectehel, secundum aliquos, interpretatur, auxilium Dei, quia divino subsidio recognovit se prævaluisse : quod per illam appellationem voluit designare ac jugiter recoli ad gloriam Dei. Alii dicunt, quod interpretetur, acredo dentium, quoniam interfecti ibidem, præ mortis illius horrore atque dolore dentibus suis stridebant.

Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz filii Jehu regem Israel, di- D *cens : Veni, et videamus nos.* Secundum Josephum, quem Magister in historiis communiter sequitur, Amasias scripsit Joas regi Israel, ut ipse cum populo obedirent sibi, sicut patres eorum obedierunt patribus suis David ac Salomoni, alioqui bello terminum causa perciperet. Cui Joas rescripsit : Rex Joas regi Amasiæ : Erat in Libano monte cypressus, ad quam misit carduus, etc. Hoc est quod in textu subjungitur.

Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Juda, dicens : Carduus Libani

Digitized by Google

misit ad cedrum, quæ est in Libano, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. Per carduum, quæ est herba spinosa, mordax, austera et vilis, intelligi potest quæcumque vilis persona, sicut per cedrum, persona sublimis; et per bestias saltus, homines bellicosi. Joas ergo per carduum designavit Amasiam, per cedrum autem se ipsum, et per bestias saltus, pugnatores suos : sicque per istam parabolam insinuavit, ipsum Amasiam præsumptuosum aliquid attentare, velut si vilis persona petat filio suo dari in conjugem alicujus viri nobilis filiam, ideo ipsum Amasiam cum suis esse vincendum a se, et a pugnatoribus suis. Quidam dicunt, quod Joas per carduum intellexit ipsum Hemor, qui fuit infidelis pater ipsius Sichem, qui petiit a Gen. xxxiv, 8, 25, 26. cedro, id est a Jacob patriarcha, dari filiam suam Dinam uxorem filio suo Sichem, atque per bestias saltus significari Simeonem et Levi, qui occiderunt ipsum Hemor et Sichem, sicut in Genesi legitur. Sicque affirmant, quod Judæi consueverunt isto proverbio uti, dum quis conabatur præsumptuosum quid agere : et ita applicabat Joas proverbium istud ad Amasiam. *Percutiens invaluisti super Edom* occidendo Idumæos, *et sublevavit te cor tuum,* id est, cogitatio cordis tui extollit te, ita quod cupis ampliorem victoriam. *Contentus esto gloria,* hoc est fama et laude quam habes de Idumæorum prostratione, *et sede in domo tua. Quare provocas malum,* id est, cur tam imprudenter incitas me ad pugnandum adversum te, *ut cadas tu et* tribus *Juda tecum* in prælio ?

Et non acquievit Amasias. Circa quod Josephus fatur : Hæc, scilicet epistolam regis Joas, relegens Amasias, ad bellum potius incitatus est, Deo (ut arbitror) ad hoc impellente, scilicet permissive, ut pro his quæ fecerat, pœnas exsolveret, quia jam deos Idumæorum cœperat adorare.

Ascenditque Joas, et viderunt se invicem hi duo reges, *ipse et Amasias rex Juda in* A *Bethsames oppido Juda.* Primo tamen pugnaverunt in campo. *Percussusque est Juda coram Israel,* id est, populus regni Juda, a populo Israel est cæsus, imo a Deo primo percussus est corde populus Juda : quia, ut Josephus refert, antequam pugnare exorsi sunt, repentinus horror et stupor invasit milites Amasiæ, qualem Deus non propitius, hoc est iratus, immitteret; et antequam venerunt ad hostium manus, in fugam pavore animi sunt conversi. *Et fugerunt unusquisque* eorum qui de exercitu B Amasiæ effugere potuit, *in tabernacula sua. Amasiam vero regem Juda filium Joas filii Ochoziæ, cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit eum in Jerusalem. Et interrupit* Joas rex *murum Jerusalem a porta Ephraim usque ad portam Anguli, quadringentis cubitis.* Quum enim cepisset Amasiam, comminatus est ei mortem, nisi sibi promitteret quod persuaderet Jerosolymitis, ut se Joas cum suo exercitu in civitatem intrare permitterent. *Tulitque omne aurum, et argentum, et universa* C *vasa quæ inventa sunt in domo Domini, et in thesauris regis, et obsides, et reversus est in Samariam. Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, et fortitudo ejus, qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Dormivitque Joas cum patribus suis, et sepultus est in Samaria cum regibus Israel, et regnavit Jeroboam filius ejus pro eo.*

Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israel, viginti quinque annis. D *Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum regum Juda? Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem :* quia majores et alii cives Jerusalem, videntes se tot adversa perpessos propter facinora Amasiæ, conspiraverunt inter se, et decreverunt eum occidere. *At ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi, et asportaverunt in equis, sepultusque est in Jerusalem, cum patribus suis in ci-*

Digitized by Google

vitate David. Tulit autem universus populus Judæ Azariam, annos natum sedecim, et constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia. Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis.

Anno quintodecimo Amasiæ filii Joas regis Juda regnavit, id est, cœpit regnare, *Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria, quadraginta et uno anno, et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Ipse restituit terminos Israel,* hoc est, loca ac oppida Israelitis ablata per Syros aut alios, recuperavit eis per bella, *ab introitu Emath :* quæ secundum Rabanum Epiphania nuncupatur, et etiam Antiochia; *usque ad mare Solitudinis,* id est mare Mortuum; *juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus* Jonæ I, 1. *est per servum suum Jonam filium Amathi,* hoc est veritatis, *prophetam.* Qui fuit III Reg. XVII, 22. puer quem suscitavit Elias, juxta præhabita : et dictus est filius Amathi, quoniam Ibid. 24. eo suscitato, mater sua dixit Eliæ : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. *Qui erat de Geth, quæ est in Hepher* *, vel Ophir. Hoc, ut in Scholastica habetur historia, dicitur ad differentiam alterius Geth quæ est in Palæstina, et est urbs Philistinorum. Hic autem nomen est regionis, vel (ut aliqui asserunt) oppidi in terra promissionis. Ophel vero seu Ophir hoc loco, nomen est turris nebulosæ, quæ erat non longe a templo Jerusalem : quæ turris secundum Glossam erat enormis magnitudinis ac altitudinis, unde vocata est Ophel, hoc est nubea, quia ad nubes videbatur pertingere : de qua habetur apud Michæam, Mich. IV, 8. Et tu, turris Gregis nebulosa filiæ Sion, ad te veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Præterea quæritur, qualiter Jonas iste dicatur de Geth, si filius fuit viduæ in Sarepta urbe Sidoniorum. Ad quod poterit responderi, quod forsan ex parte patris fuit de Geth, vel ratione habitationis, vel (ut aliqui dicunt) quia sepultus est

* Opher

A ibi. Verumtamen non apparet, quod ratione sepulturæ diceretur de Geth.

Circa hæc Josephus scribit : Huic Jeroboam prophetavit Jonas, quod oporteret eum vincere Syros, et regnum proprium dilatare, in partibus quidem aquilonis usque ad Emath civitatem; a meridie vero usque ad Asphaltiten, id est Mortuum mare. Antiquitus enim hi erant termini Chananæorum. Verumtamen istæ prophetiæ Jonæ non habentur in libro ipsius, qui est inter libros duodecim Prophetarum, quia non B omnia ejus verba et gesta conscripta sunt. Patet quoque ex his, quod Jonas propheta diutissime vixit, ut elici potest ex numero annorum regum Israel, quia a tempore Eliæ et Achab usque Jeroboam istum fuerunt plurimi reges.

Denique tantam prosperitatem contulit Deus regi Jeroboam, ejusque populo, non propter eorum merita, sed ex sua benignitate immensa, qua afflictissimæ Israeliticæ plebi condoluit; et propter crudelitates Syrorum in eam, fecit ipsos a Jeroboam C devastari. Hinc subditur : *Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent, usque ad clausos carceris et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israel. Nec locutus est Dominus, ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas. Reliqua autem sermonum Jeroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, qua præliatus est.* Hæc plana sunt, nisi quod sequitur, *et quomodo* Jeroboam rex *restituit Damascum et Emath Judæ in Is-* D *rael,* id est, urbes illas præcipuas Syriæ regno Israel subdidit, quamvis non diu regnum illud tenuerit eas. *Nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israel, et regnavit Zacharias filius ejus pro eo.*

Moraliter ex isto docemur capitulo, ad quanta vitia et adversa præcipitet hominem dominandi libido, et cordis elatio, ut patet in Amasia præfato : quem multi sequuntur, qui in principio sui principatus

Sensus moralis.

ac prioratus, sunt virtuosi et humiles; sed quum cœperunt prosperari et exaltari, ingrati Deo efficiuntur, et ad altiora adspirant. Quibus tanquam inquietis dicendum est, Esto contentus gloria et præsidentia tibi concessa, ut tibi subjectos efficaciter regas, et sede in domo tua devotioni virtutibusque vacando, nec aliena usurpando, sed attendendo ad quæ et quanta sis obligatus, et qualiter Deo pro te ipso et tibi commissis valeas respondere, sicque divini rigorem judicii intuendo salubriter expavescas. Cur provocas malum adversum te, injusta prælia assumendo, ut cadas tu et populus tuus tecum? O quam metuendum instat judicium ambitiosis principibus, qui ex sua superbia se ipsos ac alios tot et tantis exponunt periculis, et propter quos occiduntur tot homines! Denique multi ex vili aut mediocri prosapia nati, ad altiora conantur, et dignitates atque divitias insatiabiliter sortiri nituntur, atque cum nobilioribus sociare connubia: idcirco bene per carduum designantur, quoniam instar cardui sunt impotentioribus duri ac pungitivi, et mittunt ad cedrum Libani, id est ad magnates, ac dicunt, Da filiam tuam filio meo uxorem. Hi tales regibus ac magnis principibus complacere, blandiri, cohabitare solliciti sunt, ut illorum suffulti auxilio, desideratos queant obtinere honores et facultates. Insuper, per Amasiam regem Juda, recte intelliguntur principes christiani, qui quum adhuc vitiis pleni sint, ac Deo displiceant, indiscreto zelo perfidos impugnare præsumunt. Propter quod sæpe vincuntur, et urbes eorum dissipantur ab illis.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTIDECIMI: ANNO VICESIMO SEPTIMO JEROBOAM REGIS ISRAEL.

De duobus regibus Juda, de sex vitiosis regibus Israel, præsens tractat capitulum. *Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel regnavit Azarias:* qui alio nomine vocatur Ozias, sicque vocatur apud [Matth. I, 8.] Matthæum; *filius Amasiæ regis Juda.* Circa hoc oritur quæstio, quoniam dictum est præcedenti capitulo, [IV Reg. XIV, 23.] Anno quintodecimo Amasiæ regis Juda, regnavit Jeroboam rex Israel quadraginta et uno anno: ex quo elicitur, quod Amasias in Juda, et Jeroboam in Israel pariter regnaverunt quindecim circiter annis: quomodo ergo nunc dicitur, quod anno vicesimo septimo Jeroboam regis, regnavit Azarias in Juda, quum ipse Amasias non regnavit in toto nisi viginti novem annis, [Ibid. 2.] ut in principio præcedentis fertur capituli? Azarias ergo sive Ozias cœpit regnare anno quartodecimo aut quintodecimo regis Jeroboam, non anno regni ejus vicesimo septimo. Ad hoc in historiis respondet Magister: Forte quindecim annis regnum Juda sine rege fuit, quoniam Amasias adhuc vivens, regnum dimisit, et Ozias adhuc parvulus regnare non potuit; mortuo autem patre suo, quum ipse sedecim esset annorum, cœpit regnare anno regni Jeroboam vicesimo septimo. Qualiter autem istæ atque consimiles discordantiæ ac difficultates valeant multipliciter solvi, præhabitum est. Denique ipse Jeroboam (ut creditur) cœpit regnare, et regnavit duobus aut tribus circiter annis, vivente adhuc suo patre, quoniam a morte Joas patris Jeroboam, usque principium regni Azariæ, fluxerunt anni viginti quinque tantum, numerando annos regni Azariæ seu Oziæ, quibus post mortem patris sui regnavit. Omnes autem hæ difficultates, in fine Scholasticæ historiæ

Digitized by Google

* contrarietatibus

de materia * librorum Regum tractantis solvuntur.

Sedecim annorum erat quum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Jechelia, de Jerusalem. Fecitque quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus. Verumtamen excelsa non est demolitus. Adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. Percussit autem Dominus regem Oziam lepra, quando usurpavit sibi sacerdotale officium, prout secundo Paralipomenon libro recitatur, et ibi expositum est : de qua re Josephus scribit diffuse. *Et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitavit in domo libera seorsum,* id est in domo separata, quæ a cohabitatione aliorum, et negotiis regni libera fuit et quieta; atque, ut Josephus narrat, extra civitatem morabatur ad tempus, et ibi mœstitia faciente defunctus est. *Joathan vero filius regis gubernabat palatium, et judicabat populum terræ. Reliqua autem sermonum Azariæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Et dormivit Azarias cum patribus suis, sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David; et regnavit Joathan filius ejus pro eo :* qui et patre suo sic percusso gubernavit ad tempus palatium.

II *Par.* XXVI, 16-21.

Sequitur de regibus Israel, qui post mortem Jeroboam regis, multis calamitatibus sunt oppressi, tam a se invicem, quam ab extraneis regibus, puta Assyriorum, quousque regnum illud decem tribuum omnino defecit. Nam sub Jeroboam habuit maximam prosperitatem, ut præcedenti est narratum articulo; sed quia ingratissimi Deo fuerunt tam reges quam populus Israel, statim post mortem Jeroboam cœperunt omnino deficere, sicut in isto consequenter capitulo declaratur. *Anno tricesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel sex mensibus.* Hic rursus nascitur quæstio de computo horum annorum, quæ solvitur per vacationem regni, quando per principes, non per reges dicitur gubernatum, vel per conregnationem, vel quod propter malitiam cujusdam regis, aliqui anni quibus regnavit, ei non deputantur. *Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus. Non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes,* unus de principibus ejus, *percussitque eum palam,* id est in præsentia aliorum : ex quo patet, quod multis placuit interfectio Zachariæ istius, quia fuerat valde malus, vel quod Sellum habuit adsistentiam magnam. *Et interfecit, regnavitque pro eo. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens : Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt de te super thronum Israel. Factumque est ita :* id est, in isto Zacharia impletum est, quod Dominus promisit Jehu regi, quod filii ejus usque ad quartam generationem regnarent post eum, ut legitur supra. Jam enim successerant ei per ordinem Joachaz, Joas, Jeroboam, et iste Zacharias.

IV *Reg.* X, 30.

Sellum filius Jabes regnavit tricesimo nono anno Azariæ regis Juda. Regnavit autem uno mense in Samaria impius ille Sellum; et sicut fecerat domino suo, sic contigit ei. Unde subjungitur : *Et ascendit Manahem filius Gadi, de Thersa, venitque in Samariam, et percussit Sellum filium Jabes, et interfecit eum,* videlicet Sellum, *regnavitque pro eo.* Manahem iste, ut recitat Josephus, erat princeps militiæ Zachariæ, et cognito eo quod Sellum commisit in regem, venit cum omni militia in Samariam, commissoque prælio ipsum Sellum peremit, atque se ipsum constituit regem. *Reliqua autem verborum Sellum, et conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Tunc percussit Manahem* rex *Thapsam,* id est habitatores urbis sic dictæ, quæ erat in terra Samariæ,

Digitized by Google

et omnes qui erant in ea, et terminos ejus de Thersa, id est, ea quæ extra civitatem erant, et pertinebant ad eam, depopulatus est. *Noluerunt enim aperire ei,* nec eum in regem accipere : ideo firmissima obsessione tandem obtinuit eam, prout hæc omnia in Josepho plenius referuntur. Qui etiam ait, quod Manahem iste fuit sævissimus, imo crudelior in contribules quam alienigenæ : cui narrationi concordat quod subditur, *et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas :* quod prorsus crudelissimum fuit, utpote mulieribus fetum in ventre habentibus, partuique vicinis non parcere. Hac demum crudelitate voluit aliis timorem sui incutere.

Anno tricesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. Fecitque quod erat malum coram Domino. Non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, cunctis diebus ejus, videlicet Manahem regis. *Veniebat Phul rex Assyriorum,* id est, Phul ille, ad libitum suum, sive ad libitum Manahem, intravit Thersa urbem regni Israel. Primo equidem, ut Josephus et auctor Scholasticæ historiæ referunt, cœpit Phul venire ad impugnandum Manahem regem, ac populum ejus. Cui Manahem, non audens ei resistere, misit munera, scilicet mille argenti talenta, et insuper præstitit ei tributum magnum, ut se confirmaret in regno, et esset sibi præsidio. Propterea subditur : *et dabat Manahem* ipsi *Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum ejus; indixitque Manahem,* id est imposuit, *argentum super Israel cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos,* id est, unicuique potenti ac diviti injunxit dare omni anno tantam pecuniæ summam, in subsidium tributi regi Assyriorum solvendi. *Reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra. Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Et dormivit Manahem cum patribus suis, regnavitque Phaceia filius ejus pro eo.*

Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio. Et fecit quod erat malum coram Domino. Non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, et percussit eum in Samaria, in turre domus regiæ, juxta Argob, et juxta Arie, et cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, et interfecit eum, regnavitque pro eo. Iste Phacee, secundum Josephum, chiliarchus fuit, id est millenarius, ipsius Phaceia. *Reliqua autem sermonum Phaceia, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel?*

Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis, et fecit quod erat malum coram Domino. Non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. In diebus Phacee regis Israel, venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Ahion et Abeldomum Maacha, et Janoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, et universam terram Nephthali, id est oppida sic vocata. Vastavit etenim duas tribus cum media ultra Jordanem, et citra Jordanem tribum Nephthali et Galilæam. *Et transtulit eos in Assyrios,* ut servirent ei ibidem ad placitum suum. *Conjuravit autem et tetendit insidias Osee filius Ela, contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum et interfecit; regnavitque pro eo anno vicesimo Joathan filii Oziæ.* Joathan, ut ait Scriptura, quindecim annis regnavit : qualiter ergo anno regni ejus vicesimo regnavit Osee? Respondetur, quod quindecim annis regnavit, patre suo defuncto, sed ante per aliquot annos regnaverat, illo vivente atque leproso. *Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel?*

Digitized by Google

Anno secundo Phacee filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joathan filius Oziæ regis Juda. Viginti quinque annorum erat quum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc. Fecitque quod erat placitum coram Domino; juxta omnia quæ fecit Ozias pater suus, operatus est. Unde Hieronymus super Isaiam, vocavit eum justissimum; et secundo Paralipomenon magnificentia, prosperitas, fortitudo, et justitia ejus scribuntur : de quibus et Josephus magnifice scribit. *Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis. Ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.* Circa hoc scribit quidam : Dicunt communiter doctores nostri, quod ista est porta quæ in Actis vocatur porta templi Speciosa. Sed hoc non videtur verum, quoniam Nabuzardan incendit templum et domum regis, et civitatem Jerusalem : ideo porta de qua in Actibus, fuit diu postea ædificata; et Josephus velle videtur quod fuit constructa ab Herode Ascalonita. Verum his obviat quod Magister in historiis loquitur : Hæc est quæ in Actibus Apostolorum Speciosa vocatur, et ab Hebræis porta Joathan dicitur; hæc sola remansit in eversione facta per Chaldæos.

II *Par.* XXVII, 2-6. — *Act.* III, 2, 10. — IV *Reg.* XXV, 8, 9.

Reliqua autem sermonum Joathan, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ, ad castigandum per eos quædam peccata populi Juda, qui a tempore Salomonis et deinceps, non cessavit immolare et adolere seu cremare incensa in locis sublimibus : quod, templo constructo, non licuit, quamvis fieret ad Dei honorem. *Et dormivit Joathan cum patribus suis, sepultusque est in civitate David patris sui, et regnavit Achaz filius ejus pro eo.*

Spiritualiter hic docemur, qualiter inter superbos semper sunt jurgia, et quanta facinora gignat ambitio, et qualiter regnum in se divisum, celeriter desoletur. Nam et regnum Israel in præfatis tyrannicis regibus habuit finem. Tales autem reges raro aut nunquam habent cordis tranquillitatem; sed insidias assidue suspicantur, vixque alicui credunt, quia nec ipsi fidelitatem servarunt. Ideo scriptum est : Sonitus terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, ille insidias suspicatur. In libro quoque Sapientiæ legitur : Semper præsumit sæva perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi præsumptionis auxilium. Econtra innocentes et recti, qui sibi conscii non sunt quod nocuerunt aliis, magna securitate lætantur. Postremo, per Oziam qui sibi sacerdotale usurpavit officium, bene intelliguntur principes sæculares, qui de ecclesiasticis beneficiis ac dignitatibus conferendis, aut aliis procurandis, ultra suam se intromittunt mensuram; sicque cupiditatis et elationis incurrunt lepram, et innumerabilibus atque gravissimis involvuntur peccatis.

Sensus spiritualis. — *Prov.* XIII, 10. — *Matth.* XII, 25; *Luc.* XI, 17. — *Job* XV, 21. — *Sap.* XVII, 10, 11.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ANNO SEPTIMODECIMO PHACEE FILII ROMELIÆ.

REGNATIO, transgressio atque punitio regis Achaz, hic describuntur : de quibus etiam secundo libro Paralipomenon tractatur, et ibi pro magna parte exposita sunt quæ hic scribuntur. *Anno septimodecimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joathan regis Juda. Viginti annorum erat Achaz quum regnare cœ-*

II *Par.* XXVIII.

Digitized by Google

pisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus : sed ambulavit in viis regum Israel : quia pravissimus fuit idololatra, nec
Is. VII, 16, 17. sancti Isaiæ prophetæ audire voluit monita. *Insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem, secundum idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum,* id est, thymiama seu thura cremavit ad idolorum honorem, *in excelsis, et in collibus, et sub omni li-* B
II *Par.* XXVIII, 3. *gno frondoso,* et in valle Benennom. Fuit vir nomine Ennom, ad quem vallis illa extra et prope Jerusalem pertinebat : inde dicta est vallis Ben Ennom, id est vallis
Ibidem. filii Ennom. Et lustravit, id est purgavit, filios suos in igne, trahendo eos per ignem, juxta ritum gentium, credens in igne esse vim purgativam etiam spiritualium rerum. Josephus ait, quod unum de filiis suis obtulit diis suis in holocaustum more Chananæorum : ex quo aliqui putant, quod filium illum fecit igne consumi et mori. C
Ibid. 5. Et tradidit eum Dominus in manu regis Syriæ. Manibus quoque regis Israel traditus est. Quod totum in præallegato Paralipomenon libro fuit expositum, et ibi est requirendum : ex quibus patent quæ in isto sequuntur capitulo.

Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem, id est ad eam, *ad præliandum,* id est ad obsidendum eamdem : quam tamen obtinere non poterant, quia triplici muro fortissime fuit circumdata. Hinc subditur : D *quumque obsiderent* ipsum *Achaz* in Jerusalem exsistentem, *non valuerunt supera-*
Ibid. 5-8. *re eum.* Tamen in bello rex Israel contra Achaz prævaluit, sicut in Paralipomenon recitatur. *In illo tempore restituit Rasin rex Syriæ Ailam,* id est urbem sic dictam, *Syriæ,* id est regno suo, *et ejecit Judæos de Aila. Et Idumæi et Syri venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc.* Nempe, ut Josephus narrat, videns rex Syriæ se non posse Jerusalem

A capere, recessit ab ejus obsidione, oppugnavitque Ailam ad mare Rubrum positam, eamque cepit, et habitatores ejus occidit : aliis quoque civitatibus in circuitu similiter fecit, Judæos ubique occidens ; ac magnam inde reportans prædam, cum suo exercitu in Damascum reversus est.

Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar, regem Assyriorum, dicens : Servus tuus et filius tuus ego sum. Ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt II *Par.* XXVIII, 16, 20, 21. B *adversum me. Et quum collegisset argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera. Qui et acquievit voluntati ejus. Ascendit autem rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitatores ejus Cyrenen. Rasin autem interfecit.*

Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum, in Damascum. Ista in præallegato Paralipomenon libro exposita sunt. *Quumque vidisset* C Achaz rex *altare Damasci,* super quod Syri suis idolis immolabant, *misit ad Uriam sacerdotem,* id est pontificem, *exemplar ejus et similitudinem, juxta omne opus ejus,* ut Urias simile altare faceret in templo Jerusalem. *Exstruxitque Urias sacerdos altare juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco; ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco. Quumque venisset rex de Damasco* in Jerusalem, *vidit altare et veneratus est illud :* altare sacrilegum, quod interim D per manum artificum fecit Urias; et veneratus est illud, offerendo super illud idolis suis. *Ascenditque et immolavit holocausta et sacrificium suum, et libavit libamina, et fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare. Porro altare æreum* III *Reg.* VIII, 64. *quod erat coram Domino,* hoc est ad Dei honorem consecratum et situm in atrio sacerdotum, videlicet altare holocausti factum a Salomone, *transtulit de facie templi, et de loco altaris, et de loco templi Domini,* id est de loco suo, puta de atrio

quod erat ante ingressum templi : in quo A Exod. XL, 6. atrio secundum legem debuit stare ; *positque illud ex latere altaris* ab Uria facti, tanquam vilius illo, et ne super illud de cetero fieret Deo oblatio, *ad aquilonem.*

Præcepitque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens : Super altare majus, quod tu fecisti diis Syrorum : quod impiissimus iste idololatra reputavit præstantius duobus altaribus Dei, videlicet altari holocausti atque altari thymiamatis ; *offer* diis quos colo *holocaustum matutinum et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et* B *sacrificia ejus, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum et libamina; et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes.* Ex his constat, quod superstitiosissimus iste Achaz jussit idolis immolari holocausta et sacrificia, quæ secundum legem offerri debebant vero Deo ad suæ majestatis honorem, et pro delicto atque pro peccato dimittendis, et pro pace obtinenda atque conservanda, et pro gratiarum actione, oblationes quoque sponta- C neas et sacrificia offerenda pro rege atque pro communitate ac ceteris causis : de qui- Lev. I-VII. bus in Levitico diffuse lex loquitur. Hinc Josephus protestatur, quod Achaz fuit tam stultus, et a ratione tam alienus, quod deos adoravit Syrorum, qui nec Syriam de manu eruerunt regis Assyriorum. *Altare vero æreum,* scilicet altare holocausti Deo dedicatum, *erit paratum ad voluntatem meam,* id est, convertetur in usum mihi placentem : de quo altari, ut multi dicunt, fecit IV Reg. XX, 11. horologium celebre ac famosum, de quo D infra habetur. *Fecit igitur Urias sacerdos, juxta omnia quæ præcepit ei rex Achaz,* quum tamen magis debuerit mori, quam in rebus tam vitiosis regi parere.

Tulit autem, id est, de propriis ac debitis locis abstulit, *rex Achaz cælatas,* id est sculptas, *bases,* quæ suppositæ erant columnis in templo, *et luterem,* id est lavatorium tale quodcumque, intelligendo per luterem pluraliter luteres : in quibus lavabantur ministri templi ; *qui erat desuper,* hoc est, super bases æneas stetit, *et mare,* id est mare æneum, *deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud,* quod eis innitebatur, *et posuit super pavimentum stratum lapide,* id est in loco indigno, ne quis uteretur eis in Deitatis obsequio. *Musach quoque sabbati quod ædificaverat in templo,* id est gazophylacium, in quod mittebantur regum oblationes, præsertim in sabbatis pro necessariis in templo per hebdomadam ; corbona vero est gazophylacium sacerdotum ; *et ingressum regis exterius,* id est viam seu portam, per quam de palatio ad templum causa orandi et sacrificandi ibant reges Juda, *convertit in templum Domini,* id est, de propriis abstulit locis seu dissipavit, obturavitque viam illam versus templum, ne quis de cetero per eam iret ad templum causa colendi Deum : et hoc fecit *propter regem Assyriorum,* id est, ad complacendum illi, et ut videret sive perciperet, qualiter ipse conformaret se illi in deorum cultura. At vero aliqui putant, quod Musach fuit sedes regalis in porticu templi, in qua reges diebus solennibus residebant. De prætactis autem vasis, materiis atque ornatibus templi, copiose tractatum est supra tertio libro. III Reg. VI, 23, 25, 27, 38, 43, 44.

Reliqua autem verborum Achaz, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David; et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

Digitized by Google

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ANNO DUODECIMO ACHAZ REGIS JUDA.

FIT mentio in isto capitulo de ultimo decem tribuum rege, et translatione ac captivitate tribuum earumdem. *Anno duodecimo Achaz regis Juda regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis.* Circa hoc oritur difficultas de numero isto, quoniam in præcedenti capitulo habetur, quod anno septimodecimo Phacee regis Israel, cœperit ipse Achaz regnare : qui (ut in eodem capitulo fertur) regnavit sedecim annis ; sicque in principio regni Achaz non restabant nisi tres vel ad majus quatuor anni regnationi Phacee. Ergo Osee, qui occiso ipso Phacee, successit in principatu, exorsus est regnare quarto ipsius Achaz anno. Ad hoc dupliciter respondetur. Primo, quod Osee octo annis fuit tributarius et subjectus regi Assyriorum, et nono anno, qui fuit duodecimus annus regni Achaz, cœpit liber regnare ; sicque annus ille vocatur hic primus annus regni ipsius. Secundo, quod non regnavit pacifice, nisi duodecimo anno : ideo dicitur tunc regnare cœpisse, quoniam ante habuit rixas et guerras contra fautores, amicos, et propinquos ipsius Phacee quem interfecit. Aliqui vero dicunt, quod prioribus annis multo deterius regnavit quam postea, ideo illi anni ei non computantur.

IV Reg. xvi, 1, 2.

Ibid. xv, 30.

Fecitque malum coram Domino, sed non sicut, id est tam graviter, *reges Israel, qui ante eum fuerunt :* quia permisit filios Israel accedere templum Domini in Jerusalem ad adorandum et sacrificandum ibidem : quod prædecessores sui prohibuerunt et impediverunt pro posse. Hinc super illud Osee, Divisum est cor eorum, nunc interibunt, scribit Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod quamdiu reges decem tribuum et ipsæ tribus pari consensu idola A honorabant seu aureos vitulos adorabant, non venit earum captivitas : quia tunc crimina populi aliqualiter excusabantur ex tyrannide jussioneque regum inducentium ad idololatriam, et prohibentium ire ad templum Jerusalem. Ultimus vero rex Israel, dictus Osee, qui licet fecerit malum coram Domino, non tamen sicut patres ejus, præcepit ne vituli aurei tanto studio colerentur, contulitque licentiam populo suo eundi et sacrificandi in templo Dei : ad quod populus ei contradixit, sicque per B dissensionem divisum fuit cor populi a corde regis. Ideo populus nullam de sua idololatria excusationem habebat : propter quod ab Assyriis captus fuit, ut infra in isto habetur capitulo.

Osee x, 2.

Circa hoc scribit Lyra : Causa ob quam Osee permisit populum suum ire in Jerusalem, fuit, ut Rabbi Salomon dicit, quoniam aurei vituli jam erant amoti et capti per reges Syrorum et Assyriorum, quia terram Israel fuerant deprædati. Sed verius reor quod Magister in historiis narrat, di- C cendo : Tradunt Hebræi, quod Manahem rex decem tribuum, inter cetera munera et tributa misit regi Assyriorum vitulos aureos ; non tamen vere delati fuerunt ad regem illum, quoniam sacerdotes dolo tulerunt et absconderunt aureos vitulos, et fecerunt æreos deauratos similes illis, et illos misit Manahem regi Assyriorum : qua fraude percepta, reges Assyriorum plurimum exarserunt contra Israel.

Contra hunc Osee *ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee ser- D vus, reddebatque illi tributa :* quia nequivit regi illi resistere, et propter peccata sua fuit indignus divino subsidio. *Quumque deprehendisset rex Assyriorum Osee,*

Digitized by Google

quod rebellare nitens, misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem. Qualiter autem et quamdiu et ubi obsederit ac vinxerit eum, paulo post subditur : idcirco istud per anticipationem hic dicitur. *Pervagatusque est omnem terram,* id est, terram Israel cum suo exercitu percurrebat et affligebat, nullo sibi resistente ; *et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. Anno autem nono Osee cepit rex Assyriorum Samariam :* et tunc in ea cum aliis cepit Osee regem ; *et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos,* id est tribus regni Israel nondum translatas, *in Hala et in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum.* Unde in Scholastica recitatur historia, quod transtulit septem tribus quæ manserant. Dictum est enim supra, qualiter Theglathphalasar rex
IV *Reg.* xv, 29. Assyriorum cepit et transtulit duas tribus cum dimidia, et tantos de Nephthali et etiam de Zabulon, ut legitur, quod poterant dici æquivalenter tres tribus ; idque fuit exordium captivitatis decem tribuum.

Consequenter in textu diffuse describitur causa captivitatis tribuum Israel ; nec est difficultas in littera. *Factum est enim quum peccassent filii Israel* multipliciter per idololatriam, præsertim a tempore Je-
III *Reg.* xii, 28, 29. roboam, qui primo statuit vitulos aureos, *Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos, et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant. Et irritaverunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a turre custodum,* id est a turribus, in quibus perpauci morantur, quia in turre custodum solent esse soli custodes, *usque ad civitatem munitam,* hoc est per omnia loca territorii sui. *Feceruntque sibi statuas et lucos in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum, et adolebant ibi*
A *incensum super aras in morem gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum. Feceruntque verba pessima irritantes Dominum :* quia et pessima verba loquebantur, idola adorando, et vitiosissima facta significata per verba, egerunt. Frequenter etenim in Scripturis accipitur verbum seu sermo, pro re significata per verbum. Unde subjungitur, *et coluerunt immunditias,* id est sordidissima idola et eorum spurcitias, *de quibus præcepit Dominus eis ne facerent verbum hoc,* id est idololatrias
B tales.

Et testificatus est Dominus, id est prædixit eis atque hortatus est, *in Israel et in Juda per manum omnium Prophetarum et Videntium, dicens : Revertimini* per veram contritionem, *a viis vestris pessimis,* imo et ab itineribus ad idolorum culturam ducentibus, *et custodite præcepta mea et cærimonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, sed indura-*
C *verunt cervicem suam, juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo, et abjecerunt legitima ejus,* id est divinæ legis præcepta, præsertim cærimonialia et judicialia, *et pactum,* id est Decalogum, *quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes quibus testificatus est eos,* id est comminationes et prænuntiationes pœnarum quas eis prædixit, *secutique sunt vanitates, et vane egerunt, et secuti sunt gentes quæ erant per circuitum eorum, super quibus præcepe-*
D *rat Dominus eis, ut non facerent, sicut et illæ faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui ; feceruntque sibi conflatiles duos vitulos et lucos, et adoraverunt universam militiam cœli. Servieruntque Baal, et consecraverunt filios suos et filias suas per ignem. Et divinationi inserviebant, et auguriis. Et tradiderunt se,* id est, paratos exhibuerunt, et tentatoribus dæmonibus per impium consensum se subjecerunt, *ut facerent malum coram Domino, et irritaverunt eum.*

Digitized by Google

A *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo,* id est, pietatis suæ respectum, defensionem et opem eis subtraxit; vel, Abstulit eos de conspectu suo, id est de terra promissionis, quam et cujus inhabitatores olim justos consuevit cum speciali adspicere pietate, sicut in Deuteronomio legitur : Oculi Domini Dei tui in ea sunt; *et non remansit,* in terra promissionis, *nisi tribus Juda tantummodo,* id est populus regni Juda, ut in tribu Juda intelligantur includi tribus Levi ac Benjamin, juxta sensum quo posteri David dicuntur super terram Juda tantum regnasse. Nihilo minus temporibus quibus reges Assyriorum captivaverunt tres tribus, et postea septem, multi valde ex decem tribubus fugerunt ad regna vicina per gyrum, atque in locis abditis ad regnum Juda se absconderunt, ac post recessum Assyriorum redierunt ad pristina loca. Unde frequenter fit mentio de posteritate decem tribuum, quæ postea in terra promissionis est commorata. *Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui:* quoniam multi reges Juda, videlicet Roboam, Abia, Joram, Ahazias, Joas, Amasias et Achaz ad idololatriam et alia vitia declinaverunt cum maxima parte populi sui, ut patet ex præinductis. Ideo subditur : *verumtamen erravit et ambulavit in erroribus,* id est idololatriis, ceterisque peccatis, *Israel,* id est decem tribuum ac regum earum, *quos operatus fuerat.*

Deut. XI, 12.

III *Reg.* XIV, 21-24; XV, 1-3; IV *Reg.* III, 1-4; VIII, 26. 27; XII, 2. 3; XIV, 1-4; XVI, 2-4; 16-18.

Projecitque Dominus, id est, sua misericordia justissime repulit aut reliquit, *omne semen Israel,* id est, decem tribus pro maxima parte ac reges earum reliquit : itaque, Omne semen Israel, id est quosdam, imo et multos de singulis tribubus : tamen etiam sub Elia septem millia erant justorum in Israelis regno; *et afflixit eos, et tradidit eos in manus diripientium, donec projiceret eos a facie sua, ex eo jam tempore quo scissus est Israel,* id est populus decem tribuum, *a domo David, et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat,* hoc est a tempore quo assumpserunt pro rege ipsum Jeroboam. *Separavit enim Jeroboam Israel a Domino Deo, et peccare eos fecit peccatum magnum. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam, quæ fecerat, et non recesserunt ab eis, usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum. Translatusque est Israel de terra sua in Assyrios usque in diem hanc.*

III *Reg.* XIX, 18.

Ibid. XII, 19. 20.

Adduxit autem rex Assyriorum viros de Babylone, et de Cutha, et de Avah, et de B *Emath, et de Sepharvaim,* id est de diversis imperii sui provinciis quosdam, *et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel. Qui possederunt Samariam,* id est urbem metropolim seu provinciam sic vocatam, *et habitaverunt in urbibus suis**, ut illi sibi essent fideles, nec rebelles esse præsumerent sicut filii Israel. *Quumque ibi inhabitare cœpissent, non timebant Dominum,* sed idola sua colebant, in quorum cultu fuerant educati. *Et immisit eis Dominus leones qui interficiebant eos,* C id est multos illorum. *Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum : Gentes quas transtulisti et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ,* id est observantias legales ac jussiones Dei Israel, *et immisit in eos Dominus leones.* Fuit autem opinio multorum gentilium, quod diversis terris ac regnis diversi dii præessent, quorum quilibet in terra suæ provinciæ subdita, vellet coli. *Et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens : Ducite illuc unum de sacer-* D *dotibus quos inde captivos* huc *adduxistis, ut vadat et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terræ* illius.

* ejus

Igitur quum venisset unus de sacerdotibus his qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos ille sacerdos, *quomodo colerent Dominum:* saltem eo modo quo decem tribus jam diu eum coluerant, quæ cum hoc vitulis aureis ac idolis servierunt. Sic et isti didicerunt aliqualiter unum summum Deum cogno-

Digitized by Google

scere, et ei aliqualem servitutem impen- A dere; et cum hoc coluerunt deos suos quos ante colere soliti erant : erantque quinque gentes quarum quælibet suum idolum fecit ac coluit, ut narratur in littera. Hinc Josephus refert : Erant autem quinque gentes; et quum deos suo more proprio colerent, ad iracundiam et furorem Deum maximum provocaverunt. Venitque pestilentia super eos : per quam corrupti, quum nullam malorum medicinam invenire possent, Deum maximum pro salute colere cœperunt. Mittentesque ad regem Assyrio- B rum legatos, supplicaverunt ut destinaret eis sacerdotes ex captivis Israelitarum : quo mittente, sacerdotes Dei et legis culturam eos edocuerunt; et quum cœpissent Deum summa devotione venerari, pestilentia repente cessavit. Hinc quoque in Scholastica continetur historia : Habitavit sacerdos ille in Bethel, et susceperunt gentes illæ circumcisionem et legitima Dei Israel. Nam sacerdos ille legem Moysis scriptam antiquioribus litteris secum portavit. Unde aliqui opinantur, quod Esdras C recuperavit Pentateuchum Moysis ex litteris Samaritanorum.

Et unaquæque gens fabricata est deum suum. Posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, gens et gens in urbibus suis in quibus habitabant. Viri enim Babylonii fecerunt Sochoth Benoth, viri autem Cuthæi fecerunt Nergel, et viri de Emath fecerunt Asima. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz, et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni Adramelech et Anamelech D *diis Sepharvaim : et nihilo minus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum :* id est, gentes illæ acceperunt sibi sacerdotes de infimis et vilioribus quibusque hominibus, non de semine Aaron. Unde constat, quod non coluerunt Deum Israel totam legem Moysis servando, sed aliqua ejus mandata. Et isti sacerdotes erant sacerdotes excelsorum, id est deorum, quos reputaverunt excelsos, et quos colebant in altis locis.

Idcirco subjungitur : *ponebant eos in fanis,* id est templis deorum, *sublimibus. Et quum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant in Samariam.*

Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum filiali aut initiali timore, sed solum servili, *neque custodiunt cærimonias ejus, atque judicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israel; et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos neque colatis eos, et non immoletis eis; sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna et in brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. Cærimonias quoque et judicia et legem et mandatum quod scripsit vobis, custodite, ut faciatis cunctis diebus, et non timeatis deos alienos. Et pactum quod percussit vobiscum, nolite oblivisci, nec colatis deos alienos; sed Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilo minus et idolis suis servientes. Nam filii eorum et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.* Denique quoniam Deus omnipotens terram promissionis ad cultum suum specialiter deputavit, voluit ut gentes ibi morantes, saltem aliqualiter cognoscerent, timerent et colerent eum, ut per hoc temporalia incommoda jam prætacta evaderent, et terram tam egregiam lacte et melle manantem, possidere essent idonei. Nempe per timorem illum servilem et cultum Dei informem, non spiritualia et æterna, sed temporalia tantum bona promeruerunt.

Gen. xxxii, 28.

Deut. vi, 3.

De his gentibus Josephus refert : Secundum eloquium Hebræorum, Cuthæi vocantur, quia præcipui inter eos fuerunt

Digitized by Google

adducti a provincia quæ est prope fluvium nomine Cutha, Græce autem Samaritæ dicuntur, nunc appellantur Samaritani communiter : et quando prospere successit Judæis, vocabant eos cognatos ; dum vero videbant eos dejectos, noluerunt eis communicare devotione aut genere. Insuper, circa hæc Magister in historiis scribit esse ambiguum, an Theglathphalasar rex Assyriorum fuerit Phul rex Assyriorum, an alius. Verumtamen de hoc non videtur esse ambiguitas grandis, quoniam super Isaiam scribit Hieronymus : Sacra narrat Historia, primum Phul sub Manahem rege vastasse decem tribus ; secundum, Theglathphalasar sub Phacee ; tertium, Salmanasar sub Osee.

I *Cor.* x, 11. Postremo, sicut ait Apostolus, omnia in figura contingebant illis. Ideo sicut filii Israel gravissima sua facinora continuando tam diu, propriam terram perdere meruerunt ac perdiderunt ; sic, proh dolor ! Christiani multas jam regiones, exigentibus multis enormibusque eorum excessibus amiserunt, quæ nunc a Sarracenis et Teucris, vanissima impiissimi ac immundissimi Mahometi figmenta colentibus, possidentur. Verumtamen infinitæ sapientiæ Deus ita disponit, quod Sarraceni illi terram promissionis jam inhabitantes, unum verum Deum aliqualiter noscunt, timent et colunt, sed variis superstitionibus involvuntur, sicut ex Alcorano probatur.

A B C

Sensus spiritualis. Spiritualiter, per regem Assyriorum et ejus exercitum, qui filios Israel ceperunt et transtulerunt de terra promissionis in alienam, intelligitur diabolus et angeli ejus, qui variis modis fallunt ac superant Christianos, et de filiis Ecclesiæ efficiunt filios Babylonis, atque de membris Christi membra principis tenebrarum. Per gentes vero adductas in terram Samariæ, quæ et Deum similiter timuerunt, et nihilo minus idola coluerunt, intelliguntur vitiosi credentes, qui dicunt se Deum cognoscere, factis autem negant : et quum superbiis, cupiditatibus aut obscenitatibus serviant carnis, aliqua tamen faciunt opera ex suo genere bona ; ideo in vita hac suam sortiuntur mercedem, deinde perpetua luunt tormenta, quoniam servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. *Tit.* I, 16. *Luc.* XII, 47.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : ANNO TERTIO OSEE FILII ELA REGIS ISRAEL.

REGIS virtuosi ac sancti Ezechiæ gubernatio et virtutes, ac reformatio Synagogæ sub eo et ab eo, hic describuntur. *Anno tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda. Viginti quinque annorum erat quum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Abi, filia Zachariæ*. Circa hoc in Scholastica historia additur, quod fuit filia Zachariæ quem Joas rex Juda jusserat lapidari. Sed contra hoc objicit Lyra, quoniam a principio regni Joas usque ad principium regni Achaz, cujus uxor fuit ista Abi, fluxerunt anni centum triginta octo, ut constat, computando annos quibus ab illo tempore successive regnaverunt reges Juda : ideo non videtur, quod tempore Achaz fuerit apta conjugio, et præsertim potens concipere. Ad istud poterit dupliciter responderi, quod dicitur filia illius Zachariæ, non immediata, sed mediata, sicut frequenter in libro Regum aliqui dicuntur filii aut filiæ sui avi. Secundo, quod non fluxerunt tot anni. Nam ipsi Joas successit in regno filius ejus Amasias, qui regnavit annis viginti novem, ut

II *Par.* XXIV, 21, 22. D IV *Reg.* XIV, XV.

Digitized by Google

jam dictum est; cui successit filius ejus Ozias, qui annis quinquaginta duobus regnavit; et illi successit Joathan, qui sedecim annis regnavit: qui anni simul sunt nonaginta septem. Verum est autem quod Joas quadraginta annis regnavit; sed in principio regni sui non lapidavit Zachariam, sed postea diu, videlicet mortuo Joiada pontifice. Tamen ex isto bene consequitur, quod juxta communem cursum domina illa tempore Achaz vetula fuisset, nec adolescentulo nupta: ideo prima responsio potest teneri.

Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit excelsa: quod nullus regum Juda legitur ante eum fecisse; *et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses,* ut filii Israel serpentem illum intuendo, sanarentur et præservarentur a morsibus serpentium ignitorum, quos Dominus propter eorum peccata misit in ipsos, ut habe- *Num.* XXI, 5-9. tur in Numerorum libro. Cur autem Ezechias serpentem illum dissipari præceperit, subditur: *Siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* Si fecerunt hoc, putantes aliquid vitæ aut numinis esse in ipso serpente, fuit hoc idololatria manifesta et rudis error; si autem ad Dei honorem, qui per illius serpentis intuitum exhibuit prætactum beneficium eis, adhuc habuit speciem mali, et erat vitandum: nec est putandum, quod omnes filii Israel cremaverunt serpenti illi incensum. *Vocavitque nomen ejus Nohestan:* quod interpretatur, æs eorum seu cuprum. Quasi diceret: Nihil vitæ aut deitatis fuit in eo, sed erat æs et forma artificialis æri impressa.

Et in Domino Deo Israel speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt. Hoc idem quasi per totum IV *Reg.* XXIII, 25. infra asseritur de Josia. Ideo non est intelligendum, quod absolute loquendo fuerit sanctior quolibet alio rege Juda, quum pau- *Ibid.* XIX, 34; XX, 6. lo infra Dominus dicat se protecturum ci-

A vitatem Jerusalem, propter se et propter David servum suum, in quo magna plane excellentia meritorum sancti David insinuatur; sed quod in aliquibus sanctus Ezechias fuit excellens præ ceteris regibus Juda, videlicet quod statim in exordio regni sui cœpit ardentissime cultum Dei ac populum reformare, et quoniam primus tulit excelsa, æneumque dissipavit serpentem, et quia ad ejus instantiam Deus præclarissima fecit miracula in solis retrocessione, IV *Reg.* XX, 11; XIX, 35; XX, 6. in Assyriorum per angelum prostratione, et B vitam ipsius annis quindecim prolongando. Juxta hunc modum de quolibet confessore cantat Ecclesia: Non est inventus *Eccli.* XLIV, 20. similis illi qui conservaret legem Excelsi. Nempe, ut ait Apostolus, Unusquisque do- I *Cor.* VII, 7. num suum habet a Domino; alius quidem sic, alius vero sic.

Et adhæsit Domino, per mentis conversionem ad ipsum, *et non recessit a vestigiis ejus,* id est præceptis et virtuosis operibus: quæ imprimuntur rationali creaturæ a Deo, sicut pes figuram suam imprimit C terræ; per quæ homo sequitur Deum et ejus implet voluntatem, ipsumque sequitur quemadmodum unus homo sequitur alium ejus vestigia imitando. Unde sanctus Job protestatur: Vestigia ejus secutus est *Job* XXIII, 11. pes meus. Interdum tamen vestigia Dei dicuntur occulti et imperscrutabiles ejus effectus: de quibus in libro Job legitur, For- *Ibid.* XI, 7. sitan vestigia Dei comprehendes. *Fecitque mandata ejus quæ præceperat Dominus Moysi. Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se* D *agebat,* id est, ordinate et discrete in cunctis se habuit, providens bona non solum *Rom.* XII, 17. coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Hinc hortatur Apostolus, Omnia I *Cor.* XIV, 40. honeste et secundum ordinem fiant in vobis: quod ad reges ac præsidentes præcipue pertinet, quorum est sua exemplaritate ac sapientiali processu subjectos dirigere. Ideo scriptum est: Diligite lumen sapien- *Sap.* VI, 23. tiæ, omnes qui præestis populis. Unde et supra primo libro fertur de David, quod I *Reg.* XVIII, 14. in omnibus viis suis prudenter agebat. Hæc

Digitized by Google

tamen non sunt sic intelligenda, quod nunquam a recta ratione et medio virtutum defecerint; imo in venialibus quotidie, et in mortalibus quandoque erant culpabiles: quod de David est certum. De Ezechia vero non videtur ex Scriptura posse probari, nisi, ut infra habetur, in legatione nuntiorum regis Babylonis ad ipsum, quando, ut secundo Paralipomenon asseritur, elevatum est cor ejus.

II *Reg.* XI.

II *Par.* XXXII, 25.

Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei sub tributo: imo, ut infra habetur, munivit se contra illum. Primo tamen se obtulit paratum dare pecuniam regi Assyriorum, ut ab impugnatione regni sui recederet, ut in isto habetur capitulo. Josephus autem scribit, quod rex Assyriorum Sennacherib misit ad Ezechiam comminando, quod totum ejus principatum everteret, nisi tributa quæ pater ejus prius dabat, exsolveret. Verumtamen nec in libro isto, neque in Paralipomenon legitur Achaz solvisse regi Assyriorum tributa, sed quod misit regi Theglathphalasar munera magna, pecuniamque promisit eidem, quam persolvit, ut patuit supra. *Ipse percussit Philistæos usque ad Gazam et omnes terminos eorum, et a turre custodum usque ad civitatem munitam,* id est præsidia illorum ac oppida seu castella et urbes fortes. De qua re prophetavit Isaias, dicendo: Ne læteris, Philistæa, quia comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.

IV *Reg.* XVI, 8.

Is. XIV, 29.

Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee, filii Ela, regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum Samariam, et oppugnavit eam, et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria; et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala et in Habor fluviis Gozan, in civitatibus Medorum, quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus. Omnia quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt neque fecerunt. Istud præcedenti capitulo plenius est descriptum, et hic breviter epilogatur et recapitulatur, ad continuandum historiam ipsius Sennacherib impugnantis regnum Juda, historiæ Salmanasar impugnatoris regni Samariæ. Sed quæri potest, quia si anno quarto Ezechiæ Salmanasar obsedit Samariam, atque post annos tres cepit eam, ergo anno septimo Ezechiæ cepit eamdem. Ad quod faciliter respondetur, si dicatur, quod in principio quarti anni Ezechiæ illam obsederit; et dato quod in fine illius quarti anni obsederit ipsam, adhuc verificatur quod dictum est, dummodo in fine sexti anni Ezechiæ ipsam obtinuit.

IV *Reg.* XVII, 3.

Ibid. 6.

IV *Reg.* XVII, 7 et seq.

Sequitur qualiter Ezechias a Sennacherib impugnatus fuit et liberatus. *Anno quarto decimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas.* Denique tota historia hujus capituli ac duorum sequentium, apud Isaiam plenarie originaliterque habetur, et ibi jamdudum diffuse eam exposui: ideo brevitati studens, hinc inde pertranseo. Pauca tamen hic verba adduntur, videlicet: *Tunc misit Ezechias nuntios ad regem Assyriorum in Lachis,* id est ad urbem regni sic dictam, a rege illo obsessam, *dicens: Peccavi,* Deum offendendo, ideo tribulationem promerui et satisfacere opto. *Recede a me,* id est ab impugnatione et territorio regni mei, *et omne quod imposueris mihi, feram,* id est, quidquid argenti et auri a me exegeris pro viribus tibi mittam. *Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, et triginta auri talenta. Deditque,* id est, regi Assyriorum misit atque exhibuit, *omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini,* id est, oblatum et consecratum Deo fuit in templo: quod necessitate compulsus convertit in usum istum pro communi rei publicæ utilitate ac pace, quod aliter ei non licuisset; *et in thesauris regis,* id est in propriis gazis et arcis. *In tempore illo confregit Ezechias valvas,* id est januas, *templi Domini,* auferendo ab eis pretiosissima ornamenta,

Is. XXXVI-XXXIX.

Digitized by Google

quibus erant opertæ et decoratæ. Unde subjungitur, *et laminas,* id est lata frusta, *auri quas ipse affixerat* valvis : quod eadem excusatur necessitate. Postea quoque ipse piissimus Ezechias hæc omnia liberalissime recompensavit, et plura pretiosioraque templo restituit, quam inde abstulerat. *Et dedit eas regi Assyriorum.*

Misit autem rex Assyriorum Tharthan et Rabsaris et Rabsacen de Lachis ad regem Ezechiam, etc. Nam impius ille insatiabilis infidelissimusque tyrannus, receptis argento et auro quæ postulavit, mox B transgressus est juramentum et pactum quibus adstrinxerat se, quod ab Ezechia recederet, talentis auri et argenti præfatis sibi solutis; misitque tres principes cum grandi exercitu ad urbem Jerusalem devastan- A dam, ut sic Ezechias perterritus, exponeret civitatem voluntati Sennacherib. Et inter tres principes illos Rabsaces videtur fuisse superior, quamvis hic ultimo nominetur : imo in Isaia solus exprimitur. Et ut Josephus refert, ipse fuit princeps militiæ, vel quia princeps erat totius exercitus atque militiæ regis Assyrii, vel illius exercitus quem rex secum misit ad vastandum Jerusalem, ante cujus muros Rabsaces cum suis castra fixit. *Is.* XXXVI, 2

Cetera hujus capituli et duorum sequentium capitulorum expositio, super Isaiam requirantur. Multa quoque magnifica de prosperitate, devotione, opulentia, gestis ac virtutibus Ezechiæ, secundo Paralipomenon continentur : quæ ibi etiam exposita sunt. *Ibid* XXXVI-XXXIX. II *Par.* XXIX-XXXII.

ARTICULUS XXII

DE HIS QUÆ RABBI PAULUS SCRIBIT CIRCA REVERSIONEM UMBRÆ PER LINEAS DECEM IN HOROLOGIO ACHAZ ; ET DE OPINIONE SUA, QUA DICIT, SOLEM TUNC NON REDIISSE NEC MOTUM SOLITUM VARIASSE ; ET DE IMPROBATIONE MULTORUM, QUÆ DICIT CIRCA ISTAM MATERIAM.

Textus hujus cap. xx, apud Isaiam, cap. XXXVIII, requiratur expositus.

IN capitulo isto vicesimo hujus libri, et C in capitulo tricesimo octavo Isaiæ habetur, quemadmodum Dominus dedit regi Ezechiæ signum supernaturale, de hoc quod sanandus erat ab ægritudine sua letali : et fuit hoc signum (ut in istis capitulis refert Scriptura), quod Dominus fecit reverti umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum lineis decem ; et dicunt doctores non solum catholici, sed et Hebræi concorditer, quod reversio illa umbræ linearum, causata fuit ex reditu solis retrocedentis. Porro Rabbi D Paulus dicit contrarium : cujus verba volo primo commemorare.

Itaque ait : Mirandum est quare Deus voluit miraculum in summo gradu exercere, scilicet retrocessionem solis, circa sanationem Ezechiæ, ubi videbatur sufficere unum de minimis. Hoc enim miraculum petivit Ezechias solum ut certificaretur de sua sanatione, et quod ascenderet tertia die in domum Domini, ut patet in littera. Confirmatur hæc ratio. Nam secundum doctores, miracula per Christum facta per transmutationem corporum inferiorum, non ita evidenter ostendebant ejus divinitatem, sicut miracula per ipsum facta per transmutationem motus cœlestium corporum. Sed in sanatione Ezechiæ non requirebantur talia miracula. — Præterea tenebræ factæ in Christi passione, factæ sunt per interpositionem lunæ inter solem et terram. Contra quod (ut recitat Origenes) arguerunt aliqui filii sæculi hujus, dicentes : Quomodo hoc factum tam miraculo- IV *Reg.* XX, 8. *Matth.* XXVII, 45; *Marc.* XV, 33; *Luc.* XXIII, 44.

Digitized by Google

sum nemo Græcorum aut Barbarorum conscripsit? Ad quod respondent doctores, quod astrologi tunc undique exsistentes non sollicitabantur de observanda eclipsi, quia tunc non erat secundum eorum computum : ideo obscuritatem illam ex aliqua impressione aeris accidisse putabant. Sed in Ægypto, ubi raro apparent nubes propter aeris serenitatem, sollicitatus est Dionysius et socii ejus, ut circa illam obscuritatem sollicite intenderent. Ex quibus in proposito multo fortius est mirandum, quomodo astrologi ubique terrarum diffusi, videntes unam diem excedere per viginti, vel saltem per decem horas consuetam durationem, hoc non scripserunt. Quod non solum de astrologis, sed et de simplicibus regibus et principibus est mirandum, eos hoc in chronicis non scripsisse; præsertim quia si sol retrocessit, ut communiter, oportet quod bis attigerit lineam meridianam : quod etiam a rusticis potuisset perpendi. Sicque nulla videtur ratio excusans talem descriptionem. Nec valet quis dicere, quod Babylonii sollicite inquirebant qualiter illud acciderit, et audito quod propter Ezechiam, miserunt ad eum, ad inquirendum de hoc : quod non videtur sufficere propter tria. Primo, quoniam retrocessio illa solis fuisset tam diuturna et evidens, quod etiam vulgaribus quibuscumque ubique terrarum patuisset ; non tamen legitur de aliquo, quod inde tractavit, scripsit aut investigavit, nisi solum de rege Babylonis. Secundo, quia Chaldæi erant totaliter infideles : ideo non habebant rationem eos cogentem, quod illa mutatio haberet specialem respectum ad Ezechiam, quamvis hoc audierunt. Nam sicut hoc contigerat in horologio Achaz, ita in aliis horologiis in Chaldæa et ubique terrarum : et sic non cogebantur Babylonici credere hoc factum fuisse propter aliquam singularem personam ex divina providentia ; sed potius secundum suam infidelitatem credidissent hoc fieri ex aliqua causa occulta casuali aut naturali : sicut de Pharaone et Palæstinis legitur, et de aliis infidelibus, qui

(II *Par.* xxxii, 31.)

A ea quæ videbant contra seu præter cursum naturæ fieri, non attribuebant divinæ potentiæ aut providentiæ Dei, ut patet in Exodo, et primo libro Regum. Tertio, quia ex tanto augmento horarum illius diei contigissent magni errores in computatione cœlestium motuum, qui mensurantur et rectificantur per motum solis diurnum. Sed non legitur, quod astrologi hoc percepissent ; nec in eorum computis de eclipsibus, conjunctionibus seu oppositionibus planetarum, postea aliquis error notabilis B successit : quod tamen necessario contigisset, si tot horæ fuissent augmentatæ in die illo, et ipsi non percepissent. — Si autem objiciatur, quod eadem inconvenientia sequantur ex statione solis sub Josue : primo, quoniam minus miraculum ibi suffecisset ; secundo, quoniam nullus astronomorum illam stationem descripsit, nec inde fuit secutus error in computis eorum : dicendum ad primum, quod illud sub Josue factum, fuit ad magnam gloriam Dei, qui populum Israel voluit magnificare in conC spectu gentium ; et prolongatio illa fuit utilis, et quasi necessaria ad ultionem de inimicis, ad quam non sufficiebat modicum tempus quod restabat de die. Nihil autem horum contingebat in sanatione Ezechiæ, præsertim in certificando eum solum de sua brevi sanatione. Ad secundum dicendum, quod tempore Josue nondum erat ars astronomiæ inventa. Nam Ptolemæus Philadelphus, qui fuit ipsius principalis investigator et inventor, non allegat de investigationibus antiquis, nisi tantum D a trecentis fere annis ante ipsum, ut patet in Almagesti. Et constat quod Ptolemæus ille fuit tempore Machabæorum : ideo tempore Josue non fuit locus notandi talia, vel errandi in talibus computis ; secus de tempore Ezechiæ, quando homines incipiebant investigare et considerare cursus siderum, ut patet ex verbis Isaiæ in libro suo. — Ideo ad tollendum admirationes prædictas, et ad veritatem litteræ, prout plane sonat, prosequendam, aliter videtur dicendum. Unde absque temeraria assertione, et salva

(*Exod.* vii-xi; I *Reg.* vi, 6.) (*Josue* x, 13.) (*Is.* xlvii, 13.)

Digitized by Google

semper Sanctorum et doctorum auctoritate, dicendum, quod hoc signum, secundum propriam significationem litteræ ac convenientiam rationis, non fuit factum in corpore solis, neque in ejus cursu, neque in omnibus radiis solis a sole per totum orbem procedentibus, sed solum in radiis solis qui horologium Achaz tangebant, et in umbra ipsius horologii a radiis solaribus, et interpositione corporis opaci ejusdem horologii causata. Disposuit enim Deus, quod sole incedente cursu suo absque ulla variatione ac retrocessione, radii solares in horologio Achaz tantum et non alibi, retrocesserunt per decem gradus, et iterum reversi sunt per alios decem gradus : in qua retrocessione et reversione dies illa nec major nec minor solito fuit. — Hanc [IV *Reg.* xx, 9.] expositionem testatur littera, dicens : Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? In quibus verbis non fit mentio de sole, sed solum de umbra. Idem patet ex responsione Ezechiæ [*Ibid.* 10, 11.] dicentis, Facile est umbram crescere ; et postea sequitur, Reduxit umbram per lineas. [*Is.* xxxviii, 8.] Similiter in Isaia : Ecce ego reverti faciam umbram linearum. Nec obstat quod sequitur, Reversus est sol decem lineis : quoniam statim subdit, In lineis quas descenderat : ad denotandum quod sol in suo cursu non descenderat, sed tantum in illis gradibus Achaz. Similiter in Paralipomenon legitur, [II *Par.* xxxii, 31.] quod legati regis Babylonis missi fuerant ad interrogandum de portento quod acciderat super terram. Non ait, In sole, sed, Super terram : quod debet referri ad terram Juda, in qua erat Ezechias. Alias non oportuisset quod requirerent eum, si in toto mundo contigisset.

Hæc Paulus iste, cujus verba pro parte omisi, prolixitatem devitans. Circa hæc dico, quod quia professionem præmittit, affirmans se loqui sine temeraria assertione ac salva Sanctorum et doctorum auctoritate, ideo pie et sobrie contra eum est disputandum. Denique id solum ad suæ improbationem opinionis reor sufficere, quod omnes expositores catholici et sancti doctores, [A] et qui ab exordio super Isaiam scripserunt, dicunt solem tunc retrocessisse, diemque illum prolongatum fuisse ad minus per decem horas : puta Hieronymus, Ambrosius, Beda, Haymo. Thomas quoque, et doctores scholastici qui super Isaiam scripserunt, unanimiter protestantur, utpote magnus ille theologus et irrefragabilis doctor Alexander de Hales, Albertus Magnus, Petrus de Tarentasia, multique alii. Insuper sancti doctores qui ab exordio primitivæ fuerunt Ecclesiæ, et ab Apostolis gloriosis [B] instructi erant, ita sensisse noscuntur, videlicet sacratissimus ille princeps theologorum D. Dionysius, qui in epistola ad Polycarpum apertissime docet hoc, ubi etiam sentire videtur, quod dies illa per viginti horas fuerit prolongata. Etenim ait, quod fuit pene triplicata, prout super Isaiam [*Is.* xxxviii, 8.] plenius introduxi : et certe sola tanti Patris auctoritas debuit Paulum hunc refrenare a sua prætacta opinione, præsertim quum theologicissimus Dionysius in talibus credatur a Paulo apostolo informa- [C] tus, prout ipsemet in libris suis tangit frequenter.

Præterea motiva Rabbi Pauli nullius sunt vigoris. Nam quod primo inducit mirandum esse, quod Deus tam magnum fecisset miraculum ad certificandum Ezechiam de sua curatione et quod tertia die ascenderet templum, et quod ad certificationem hujusmodi non requirebatur tam summum miraculum, quod ad probationem deitatis Christi suffecit : hoc, inquam, ex verbis Apostoli solvitur, qui affirmat, quod Deus [D] operatur omnia secundum propositum voluntatis suæ, et secundum voluntatem consilii sui. [*Ephes.* i, 11.] Itemque : Quis cognovit sensum Domini? [*Rom.* xi, 34.] Qui etiam in Evangelio loquitur: An non licet mihi, quod volo, facere? [*Matth.* xx, 15.] In talibus ergo debemus nostrum intellectum in captivitatem redigere, [II *Cor.* x, 5.] et propriam rationem auctoritati Scripturarum subjicere, atque sanctorum Patrum sequi doctrinam. Nempe omnipotens et supergloriosissimus Deus, est liberrimus et imperscrutabilis auctor : qui interdum magna ostendit et

Digitized by Google

signat per parva, aliquando parva per magna; (*Gen.* xviii, 2, 10.) qui denuntiaturus Abrahæ nativitatem Isaac, misit ad eum tres angelos, quamvis unus illorum dicatur ad hoc specialiter missus; (*Luc.* i, 19, 26.) qui etiam per eumdem angelum prænuntiavit nativitatem beatissimi Joannis Baptistæ, et incarnationem sui ipsius. Et tamen contra hoc arguere posset humanæ imbecillitas rationis, quod ad prænuntiandum nativitatem servi non requirebatur nuntius tam sublimis, sicut ad prænuntiandum incarnationem nativitatemque Domini.

Amplius, miraculum illud tam summum non fecit Omnipotens solum ad certificandum Ezechiam de sua curatione atque ascensu in templum : imo secundum expositores catholicos, Ezechias non petivit illud miraculum ex dubitatione aut diffidentia, quia certissimus fuit de veritate verborum sanctissimi Isaiæ prophetæ, a quo multis annis fuit instructus aut institutus, juxta illud Ecclesiastici : (*Eccli.* xlviii, 25.) Ezechias fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta; Josephus quoque fatetur, quod Ezechias in omnibus credidit Isaiæ; sed petiit signum ex confidentia et familiaritate ad Deum, imo ex instinctu divino, quia vir erat heroicus ac Dei amicus. Et Deus altissimus tantum peregit miraculum: Primo, pro majori Ezechiæ certificatione et consolatione. Secundo, pro suæ majestatis immensæ glorificatione, non solum inter Judæos, sed etiam inter gentiles. Unde ex tam præclaro prodigio glorificatus est Deus inter Chaldæos ac alias gentes. Tertio, pro universorum fidelium ædificatione et corroboratione in fide divinæ providentiæ et veritate legis Mosaicæ, cujus cultorem Deus tanto decoravit portento. Quarto, ad reddendum vicem suo fidelissimo servo, honoratorique fervido. Siquidem Deus fidelis et bonus ac magnificentissimus glorificantes se glorificat, (*I Reg.* ii, 30.) ut dictum est supra libro primo. Quid ergo mirandum, quod tam devotissimum regem, divini honoris ferventissimum zelatorem, atque totius regni sui reformatorem, tanto honoravit miraculo?

A Deinde, secundum motivum Rabbi Pauli nullo fulcitur vigore, dum dicit, quod nullus astrologorum aut regum vel principum descripsit illud tam mirabile factum. Certum est enim ex Scriptura canonica, quod rex et astrologi Chaldæorum de illo mirabili facto fuerint admirati ac perscrutati; ipseque rex Babyloniorum misit ad Ezechiam ad interrogandum de illo prodigio, ut infra tangetur, et secundo Paralipomenon (II *Par.* xxxii, 31.) manifeste habetur. Idcirco probabile est, quod etiam aliarum gentium philosophi B atque astrologi inde scrutati sint, et forsan scripserunt; estque prorsus incertum, quod nullus illorum scripserit inde. Nec tamen mirum, si non multum inde scripserunt, quia miraculum illud fuit reprobativum superstitionis ac infidelitatis eorum, et approbativum legis Mosaicæ quam horrebant.

Deinceps, quod Rabbi Paulus ait regem Babylonis et suos sapientes non habuisse causam cogentem, ad credendum quod illud miraculum acciderit propter Ezechiam, non est congrue dictum. Hoc etenim crediC derunt ex rationabilibus causis. Primo, quoniam nullam aliam causam tanti prodigii poterant invenire neque percipere. Secundo, quoniam ante istud miraculum facta fuit occisio exercitus Assyriorum miranda (IV *Reg.* xix, 35.) et supernaturalis in regno Ezechiæ, ut patet hoc libro; et ex illa Assyriorum occisione fuit Ezechias coram cunctis exaltatus ac reputatus, prout secundo Paralipomenon (II *Par.* xxxii, 23.) clarissime dicitur. Undique namque innotuit, propter Ezechiæ defensionem a Deo ejus id esse peractum : ideo regi Babylonis D hoc ipsum constabat. Unde et illud miraculum propter ipsum credidit factum, præsertim quia audivit eum esse unius veri ac summi Dei cultorem : cui Deo dumtaxat ipse rex Babylonis et sui philosophi considerabant possibile esse taliter cœlestium motum corporum immutare. Nec verum est quod Rabbi Paulus ait, quod infideles illi Chaldæi potius credidissent retrocessionem solis venisse ex aliqua causa occulta casuali aut naturali. Sciverunt enim philosophi casum et fortunam locum in

Digitized by Google

cœlestibus corporibus non habere, nec motum illorum ex naturali causa posse sic variari : quod Aristoteles, Averroes, Avicenna, ceterique majores philosophi concorditer tenent, imo et D. Dionysius in epistola ad Polycarpum testatur.

Præterea, quod Rabbi Paulus affirmat Ægyptios et Palæstinos non adscripsisse Deo mirabilia quæ viderunt, stare non valet, nec Scripturis concordat. Quamvis enim *Exod.* v, 2. Pharao primo dixit, Nescio Dominum; post- *Is.* xxviii, 19. ea tamen vexatio ei tribuit intellectum, ita *Exod.* viii, 8, 9, etc. quod sæpe dixit ad Moysen : Orate Domi- B num pro me et populo meo. Et rursus : Pec- *Ibid.* x, 16, 17. cavi etiam nunc, sed rogate Dominum, ut *Ibid.* ix, 27. tollat a me mortem istam. Et iterum : Dominus justus, ego et populus meus injusti. In tertio quoque signo sapientes ejus *Ibid.* viii, 19. dixerunt, Digitus Dei est hic. Et tandem *Ibid.* xiv, 25. totus ejus exercitus est locutus : Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Quæ omnia in Exodo continentur. Similiter scriptum est supra primo I *Reg.* v, 7, 10. libro, quemadmodum Azotii dixerunt : Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam C dura est manus ejus super nos et super deum nostrum. Quumque venisset arca in Accaron, Accaronitæ exclamaverunt : Adduxerunt arcam Dei Israel ad nos, ut interficiat nos et populum nostrum. Postea *Ibid.* vi, 6. sacerdotes et divini dixerunt : Quare gravatis corda vestra sicut aggravavit Ægyptus *Ibid.* 12. et Pharao? Demum ex hoc quod vaccæ fetæ recto itinere perrexerunt cum arca in Bethsames, tenuerunt pro certo, quod plagati fuerunt non casualiter, sed a Deo. Nec soli Ægyptii ac Chaldæi illa mirabilia Deo D Israel adscripserunt, sed etiam aliæ nationes diversæ. Unde in Numerorum libro legitur Moyses exorasse, quum Dominus vo- *Num.* xiv, 13, 14. luisset populum in deserto prosternere : Ut audiant Ægyptii et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat eos, etc. Et tunc Dominus *Ibid.* 21. dixit : Vivo ego, implebitur gloria Domini universa terra. Amplius, qualiter Nabuchodonosor mirabilia Danielis, et quæ acA ciderunt tribus pueris, adscripserit Deo, *Dan.* ii, 46-49; iii, 95-100; iv, 31-34. patet in volumine Danielis.

At vero quod Rabbi Paulus arguit de errore, qui contigisset in computis cœlestium motuum ab astrologis, nullius momenti est : quoniam eadem objectio fieret contra aliam quamlibet stationem et retrocessionem solis et prolongationem diei inde sequentem, et præsertim de statione *Josue* x, 13. solis sub Josue. Solutio autem quam ad hoc assignat Rabbi Paulus, imperitiis plena est. Siquidem asserit, quod tempore Josue nondum ars astronomiæ fuit inventa. Ad quod dico, quod per multa annorum centenaria ante Moysen et Josue fuit inventa. Nam et Josephus recitat, et multi catholici expositores testantur, quod ipse Abraham patriarcha fuit excellens astronomus, docuitque Ægyptios astronomiæ scientiam, prout etiam Hugo in suo tangit Didascalion. Denique octavodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Atlas magnus fertur fuisse astronomus, ideo fabulose dictus est cœlum portare. Atlas autem diu ante Moysen et Josue fuit, quia sicut ibi prosequitur Augustinus, Mercurius fuit nepos Atlantis, post quem fuit Hercules, qui tempore Moysis legitur fuisse. In libello quoque Methodii martyris invenitur, quod Jonitus post diluvium mox exsistens, præcipuus fuit astronomus. Idem, ut tangit Hugo, narratur de Nemrod gigante. Insuper dico, quod etiam ante diluvium fuit et viguit ars ac studium astronomiæ. Unde Magister in historiis ait, quod Cham filius Noe, vocatus est alio nomine Zoroaster : qui fuit magister astrorum; qui et septem liberales artes scripsit in quatuordecim columnis, videlicet in septem æreis et in septem latericiis, totas in utrisque septenis, ut tempore diluvii non perirent. Augustinus quoque testatur, quod ante diluvium scripsit eas, et post diluvium eadem curiositate quæsivit. Dicunt etiam magni doctores, estque probabile, quod Adam, cui naturalium rerum scientia fuit infusa et concreata, docuit posteros suos bonos, natos ex Seth, astrologiam, ut ex cœlestium

Digitized by Google

consideratione motuum et astrorum accen- A derentur ad reverentiam et amorem Creatoris.

Ratio demum Rabbi Pauli, qua probat tempore Josue non fuisse inventam artem astronomiæ, eo quod Ptolemæus, qui fuit tempore Machabæorum, in Almagesti non allegat nisi eos qui per trecentos annos et infra ante eum fuerunt, non valet. Non enim sequitur : non allegavit vetustiores, igitur non fuerunt. Nec Ptolemæus scripsit solummodo Almagesti, sed et alia multa. Nec ipse solus magister fuit astronomiæ, B sed item Albumasar, Anavalpetras, Albategnus, Alfraganus, ac alii, qui allegant in libris suis antiquissimos quosdam astronomos ; similiter Aristoteles. Nec etiam verum est quod Rabbi Paulus dicit, homines tempore Ezechiæ cœpisse investigare siderum cursus. Nec ut ipse allegat, hoc in Isaia invenitur ; sed Babyloni dicitur
Is. xlvii, 13. ibi : Stent, et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent tibi futura.

Præterea, argumenta quibus et Rabbi C Paulus suam probat expositionem, nil obtinent. Quamvis enim hic et in Isaia dica-
IV *Reg.* xx, v. 11. tur, Vis ut ascendat umbra? et rursus, Reduxit umbram, ac quædam similia ; tamen per reductionem et reditum umbræ per lineas decem, apertissime insinuatur retrocessio vera solis, sicut causa designatur per proprium suum effectum. Nec ipse
Is. xxxviii, 8. Isaias id tacuit, sed expressit, Reversus est (inquiens) sol decem lineis per gradus quos descenderat. Et quod hoc vere de corpore solis intelligatur, constat etiam ex eo, quod D
Eccli. xlviii, 26. in Ecclesiastico fertur de Isaia, In diebus ipsius retro rediit sol. Nec fit ibi de umbra lineisve additio. Et quamvis liber ille non sit in Canone, est tamen satis authenticus, et majoris auctoritatis est quam Rabbi Paulus, atque a sapientissimo viro conscriptus. Similiter non facit pro Rabbi Paulo, quod in Paralipomenon dicitur de legatis regis Babylonis, quod missi sunt II *Par.* xxxii, 31.
ut interrogarent de prodigio quod acciderat super terram. Nam prodigium illud contigit et in terra, quantum ad reditum umbræ in horologio Achaz, et quantum ad prolongationem diei seu lucis diurnæ in terra. Nec verum est, quod rex Babylonis non habuit causam quærendi de isto portento ab Ezechia, propter hoc quod accidit super totam terram, atque in horologiis aliis. Imo si non accidisset nisi in horologio Achaz, ut hic Paulus opinatur, rex Babylonis parum aut nihil inde scivisset ; et si percepisset, non credidisset, aut modicum reputasset, quoniam adscripsisset alteri causæ, aut magicæ arti. Sed quia in tota apparuit terra, inductus est ab Ezechia interrogare, ex motivis jam præinductis.

Nec objectionem de statione solis, tempore dominicæ passionis, posset solvere Paulus per hoc, quod astronomia tunc non fuit inventa, sicut solvit pro tempore Josue, quamvis inepte. Ptolemæus quoque non fuit astronomiæ inventor, nisi in parte, sed potius reparator, ut in Didascalion ait Hugo.

Postremo, qualiter possit salvari, quod dies illa sub Ezechia non fuit longior, imo brevior die illo quo sol stetit sub Josue, etiam dato quod dies illa tempore Ezechiæ fuerit per viginti horas prolongata, super Josue et Isaiam elucidavi. *Josue* x ; *Is.* xxxviii.

Reliqua sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus, quomodo fecerit piscinam et aquæductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda?

Digitized by Google

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : DORMIVITQUE EZECHIAS CUM PATRIBUS SUIS.

AGITUR hic de regnatione Manassæ et filii ejus Amon. *Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo. Duodecim annorum erat Manasses quum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Haphsiba. Fecitque malum in conspectu Domini, juxta idola,* id est secundum ritum culturæ idolorum, *gentium quas delevit Dominus a facie filiorum Israel,* id est Chananæorum, quorum idololatriam Manasses exercuit. *Conversusque est,* id est, vertens se a bono, quod sperabatur facturus, ad mala ac pessima, *et ædificavit excelsa,* hoc est fana atque altaria in locis sublimibus ad exercendam idololatriam in eisdem, *quæ,* id est quorum similia in specie, *dissipaverat Ezechias pater ejus; et erexit aras Baal, et fecit lucos,* id est loca umbrosa arboribus consita, ad exercendum in eis lasciviam carnis in deorum honorem, *sicut fecerat Achab rex Israel, et adoravit omnem militiam cœli,* id est ordinem et universitatem planetarum, qui præcipuum habent influxum et actionem in ista inferiora. Interdum vero militia cœli accipitur pro angelis, qui in caliginoso aere commorantur : de quibus loquitur Isaias, Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso. Aliquando vero accipitur pro acie civium supernorum, seu turma angelicorum spirituum : de quibus in Nehemia dicitur Deo, Exercitus cœli adorat te; atque in Job, Numquid est numerus militum ejus? *Et coluit eam.*

Is. xxiv, 21. — II *Esdr.* ix, 6. — *Job* xxv, 3.

Exstruxitque aras, id est altaria deorum suorum sacrilega, *in domo Domini,* id est in templo, *de qua dixit Dominus : In Jerusalem erit nomen meum. Et exstruxit altaria universæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini :* quod fuit detestabile sacrilegium, Deo altissimo contumeliosum, cujus templum convertit in fanum. *Et traduxit filium suum per ignem :* sicut expositum est de Achaz; *et ariolatus est,* consulendo divinos, idololatriamque exercendo in aris, *et observavit auguria,* id est divinationes, quæ fiunt advertendo garritus cantusque avium, *et fecit pythones,* id est magos sciscitantes veritatem et quid sit agendum, a mortuis quos arte sua videbantur suscitare, prout de hoc plenius dictum est in expositione primi libri; *et multiplicavit aruspices,* qui divinant in extis animalium diis immolatorum, vel dies ac horas observant pro agendis negotiis suis, quasi tempora sint infausta, *ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum.*

III *Reg.* xi, 36. — IV *Reg.* xvi, 3. — I *Reg.* xxviii.

Posuitque idolum luci : quod in luco a se facto voluit specialiter venerari; *quem fecerat, in templo Domini, super quo locutus est Dominus ad David, et Salomonem filium ejus : In templo hoc, et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum; et ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra quam dedi patribus eorum, si tamen custodierint opere omnia quæ præcepi eis, et universam legem quam mandavit eis servus meus Moyses. Illi vero non audierunt, sed seducti sunt a Manasse :* qui comminatione et pœnarum inflictione, exemplo et persuasione pestifera, traxit suum populum ad idololatrias multiformes, et ad alia peccata enormia; *ut facerent malum super gentes quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel :* id est, gravius peccaverunt quam Chananæi, qui nec legem a Deo datam, nec Prophetas

III *Reg.* xi, 15, 16; ix, 3, 5; II *Par.* vi, 5, 6; *Ps.* cxxxi, 11-14.

Digitized by Google

habuerunt; isti vero fuerunt Deo prorsus ingrati, nec acquieverunt Prophetis.

Locutusque est Dominus in manu servorum Jer. xv, 4. *suorum Prophetarum, dicens : Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas,* id est abominandissimas idololatrias et scandalosissimas impietates, in quibus populus suus ei communicavit, *super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis; propterea hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego inducam mala,* id est ultiones et pœnas gravissimas, *super Jerusalem et super Judam,* id est super totum populum regni sui, *ut quicumque audierint**, *tinniant ambæ aures ejus,* id est tam formidabiles, ut audientes, præ admiratione et horrore tantarum adversitatum, quasi tinnitum in auribus sentiant, sicut ex percussione metalli intensa generatur tinnitus in aure. *Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ :* id est, rigorem justitiæ exercebo in habitatoribus Jerusalem, in mensura æquitatis qua rigorem illum exercui in habitatoribus Samariæ (IV Reg. vi, 24-30; xvii, 5, 6.); *et pondus domus Achab,* id est talem gravitatem vindictæ, qualem feci in Achab rege iniquo, et in domesticis ac cognatis ipsius (Ibid. ix, 7-10, 24-37; x, 7.); *et delebo Jerusalem sicut delentur tabulæ :* id est, sicut litteræ scriptæ in tabulis absterguntur omnino, ita quod nulla littera manet in tabulis, sic per Chaldæos destruam urbem Jerusalem. *Delens vertam, et ducam crebrius stilum super faciem ejus.* Ista est metaphorica locutio : ac si dicat, Sicut quis sæpius movet planitiem capitis stili super ceram tabulæ ad complanandum ceram, sic frequenter castigabo Jerusalem, inducendo super eam Chaldæos ad prosternendum eamdem. *Dimittam vero reliquias hereditatis meæ,* id est, quosdam Judæorum evadere faciam manus Chaldæorum, ita quod non occidentur. De populo autem Judæorum Dominus ait in Isaia : Hereditas mea Israel. (Is. xix, 25.) Fuit etenim peculiaris populus Dei, et semper erant aliqui boni et electi in populo illo, currente veteri lege. (Deut. iv, 20; vii, 6.) *Et tradam*

* audierit

A *eas in manus inimicorum ejus,* scilicet Chaldæorum : quia, ut infra habetur, qui interfecti non erant, in captivitatem sunt traditi et abducti. (IV Reg. xxv, 11.) *Eruntque in vastitatem et rapinam cunctis adversariis suis,* id est, ab hostibus suis vastabuntur, opprimentur ac spoliabuntur, *eo quod fecerint malum coram me, et perseveraverint irritantes me,* id est opera mihi displicentia facientes, *ex die qua egressi sunt patres eorum de Ægypto usque ad diem hanc :* non quod semper et omnes fuerint vitiosi, sed pro B majori parte et sæpius fuerint iniqui. Aliqui vero reges cum subditis suis fuerunt justi, ut patet ex dictis. (Ibid. xii, 2; xiv, 3; xviii, 3-7.)

Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Jerusalem usque ad os : hoc est, plateas Jerusalem sanguine innocentium et justorum irrigaret, et quasi implere videretur has sanguine usque ad summum, id est, quantum facere quivit, sicut amphora dicitur usque ad os repleri, quando plus capere nequit. Vel est hyperbolica locutio, C tanquam dicat : Tantum justorum sanguinem fudit, ut ambulantes viderentur, quasi usque ad os in pede eminens, in sanguine pedes suos intingere. Sub Ezechia quippe fuerunt valde multi boni et justi cives in Jerusalem, qui noluerunt huic Manassæ consentire in vitiis memoratis : ideo eos occidit. *Absque peccatis,* hoc est, idololatriis et superstitionibus ac divinationibus, aliisque sceleribus suis, *quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino. Reliqua autem sermonum Manassæ, et* D *universa quæ fecit, et peccatum ejus quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza,* sic vocato.

Multa hic omittuntur de Manasse, quæ secundo Paralipomenon recitantur, et ibi sunt exposita, scilicet, qualiter propter sua facinora captus sit, graviterque punitus, et in captivitate durissima ad cor pœnitentiamque conversus, atque in regnum suum (II Par. xxxiii, 11-19.)

Digitized by Google

reversus, ac multa bona de cetero operatus. Ibi quoque oratio ejus exposita est. Et in isto Manasse Deus altissimus misericordiam suam vere immensam inenarrabiliter mirificavit. Unde et Josephus refert : Præsumpsit templum, urbem Jerusalem, et omnem regionem polluere. Nam spernendo Deum ad hoc usque devenit, ut omnes Hebræorum justos occideret, neque prophetis parceret, quorum quotidie singulos perimebat, et eorum sanguine Jerosolymorum plateas irrigabat. Captus autem et incarceratus a rege Babyloniorum, et ad libitum illius afflictus, supplicavit Deo, ut hostem suum faceret sibi clementem et misericordem : cujus orationem Dominus exaudivit, et a rege Babyloniorum ad sua remissus est. Hoc quoque notandum, quod in veritate rex ille fuit rex Assyriorum, qui exosum habuit Manassen, eo quod sub Ezechia fuerunt Assyrii in terra Juda divinitus interfecti. (IV *Reg.* XIX, 35.) Unde secundo Paralipomenon legitur : Superinduxit eis principes exercitus Assyriorum. (II *Par.* XXXIII, 11.) Cur autem dicatur fuisse rex Babyloniorum seu Chaldæorum, super Paralipomenon dictum est. (*Ibidem.*) Dicunt autem doctores communiter, quod sanctissimum Isaiam prophetam fecit lignea serra secari : qui tamen fertur fuisse avunculus Manassæ ex parte matris.

Sequitur de filio hujus Manassæ. *Et regnavit Amon filius ejus pro eo. Viginti duorum annorum erat Amon quum regnare cœpisset. Duobus quoque annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus* A *Messalemeth, filia Harus, de Jeteba. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus ; et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus, servivitque* diabolo *in immunditiis,* id est idololatriis, *quibus serviebat pater ejus, et adoravit eas,* id est idololatriarum objecta, videlicet falsos deos ; et sicut in Paralipomenon additur, Non est reveritus faciem Domini, sicut pater ejus, (II *Par.* XXXIII, 23.) hoc est, Deum per pœnitentiam non honoravit, sicut Manasses, sed multo majora deliquit. Et B mirum, quod infra biennium, quo regnavit, multo pejora fecit, quam pater suus in pluribus annis. Verumtamen Climacus ait : Nullum invenio, ita seu tam graviter peccasse, sicut Manassen. Unde apparet, quod absolute loquendo, Amon non commisit graviora, quam pater suus. Nec enim legitur occidisse prophetas aut justos. Dicitur tamen gravius deliquisse, non pœnitendo, et perseverando in vitiis usque in finem. Delinquere enim, proprie spectat ad peccata omissionis. *Et dereliquit Do*- C *minum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini. Tetenderuntque ei insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua. Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant contra regem Amon, et constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Sepelieruntque eum in sepulcro suo, in horto Oza ; et regnavit Josias filius ejus pro eo.*

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : OCTO ANNORUM ERAT JOSIAS QUUM REGNARE CŒPISSET.

TRACTATUR in isto ac sequenti capitulis de sancto ac piissimo rege Josia. *Octo annorum erat Josias quum regnare cœpisset, et triginta uno anno regnavit in* D *Jerusalem.* Nec tamen ob id miserum fuit regnum ipsius ; nec ibi fuit impletum, quod ait Scriptura : Væ tibi, terra, cujus rex puer est. (*Eccle.* X, 16.) Josias etenim moribus annos

Digitized by Google

vicit; et in hereditaria regum successione vitari non valet, quin interdum pueri regnent : quibus si adsint consiliarii boni et virtuosi officiales, suppletur per illos defectus regnantium puerorum. Omnipotens autem in quibus sibi complacet, supplet per gratiam quod deest naturæ, sicut in electo isto Josia, de quo secundo Paralipo-
II *Par.* xxxiv, 3. menon asseritur, quod octavo anno regni sui, videlicet sextodecimo anno vitæ suæ, quum adhuc puer esset, cœpit quærere Dominum. Imo Josephus refert de eo, quod erat natura benignus, et ad virtutem utiliter præparatus, atque in studiis, intentione ac regula David regis omnino intentus. Quumque ad duodecimum ætatis annum venisset, pietatem et justitiam in se mirabilem esse ostendit. Cunctum namque populum suum correxit, ut derelicta idolorum secta, Deum patrum suorum colerent. *Nomen matris ejus Idida, filia Hadaia, de Besecath. Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui. Nec declinavit ad dexteram sive ad sinistram.*

Anno autem octavodecimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messullam, scribam templi Domini, dicens ei : Vade ad Helciam sacerdotem magnum, id est pontificem, denuntiando ei ex parte mei, *ut conflet,* id est, simul accipiat, *pecuniam quæ illata est,* id est deportata, *in domum Domini,* id est in templum, *et quam collegerunt janitores templi,* id est ostiarii domus Dei, *a populo.* Nam sicut in Paralipomenon tangitur, et Josephus ple-
Ibid. 9. nius narrat, Josias misit in universam provinciam regni, et ad reliquias decem tribuum quæ remanserant, ut unusquisque offerret ad reparationem templi quantum vellet : sicque ad pium usum illum oblata fuit magna pecunia. *Deturque fabris,* id est artificibus lignariis, ferrariis, aut in simili materia operantibus, *per præpositos domus Domini,* id est per magistros operum templi, et per officiatos ejus præci-
Ibid. 12. puos, qui in Paralipomenon et Josepho exprimuntur. *Qui et distribuant eam his*
A *qui operantur in templo Domini,* scilicet artificibus, *ad instauranda sarta tecta templi Domini,* ut tecta ac aliæ ejus partes reparatione indigentes, instaurentur et innoventur; *tignariis videlicet et cæmentariis,* id est carpentariis, operariisque murorum, *et his qui interrupta componunt,* id est collapsa reformant, *ut et emant ligna et lapides de lapidicinis,* id est de loco, ubi lapides præciduntur, *ad instaurandum templum Domini. Verumtamen non supputetur eis argentum quod acci-*
B *piunt,* id est, non numeretur nec ponderetur eis, ita ut teneantur reddere rationem de eo, qualiter et ubi expositum sit; *sed in potestate habeant et in fide,* id est, libertati et fidelitati eorum committatur expositio ista, ut videntes se honorari, atque bene de eis sentiri, provocentur ad meliora, et grati sint atque fidelius agant. Hæc eadem scripta sunt supra de Joas rege IV *Reg.* xii, 15.
Juda.

Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam : Librum legis reperi in
C *domo Domini. Deditque Helcias volumen Saphan scribæ, qui et legit illud. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait : Conflaverunt servi tui pecuniam quæ reperta est in domo Domini, et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. Narravit quoque : Librum legis dedit mihi Helcias sacerdos :* quem librum invenit in templo. Circa quod narrat Lyra, quod quum Achaz quæreret libros legis ad comburendum, iste fuit in muro
D absconditus. Sed non videtur, quod tempore Ezechiæ filii Achaz, defuerit regi ac populo liber legis. Dicit etiam Rabbi Salomon, quod pontifex invenit hunc librum, quum muri templi repararentur. Verum in Paralipomenon legitur, Quum- II *Par.* xxxiv, 14.
que efferrent pecuniam, quæ illata erat in templum Domini, reperit Helcias librum legis : sicque videtur potius alibi quam in muro fuisse absconditus. Tamen in historiis ait Magister, quod forsan invenit eum in arca, in qua eum Moyses reposuit.

Digitized by Google

Quem quum legisset Saphan coram rege, et audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua, præ dolore transgressionum populi et patrum suorum, et [Lev. xxvi, 14-41; Deut. xxviii, 15-68.] ex timore pœnarum quæ in libro Levitico ac Deuteronomio prænuntiantur transgressoribus legis. *Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens : Ite, et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius quod inventum est,* id est, investigate a Deo per aliquem Prophetarum, quid immineat mihi ac populo, et quid nobis restet agendum, ut evadamus pœnas comminatas in lege. *Magna enim ira Domini succensa est contra nos,* id est, gravis ultio imminet nobis, nisi Deus eam pie avertat. Loquitur autem Josias de Deo more humano, quasi de homine, in quo ira causatur ex succensione sanguinis circa cor, quum tamen invariabilis Deus nullatenus in sua alteretur natura, sicut per Jeremiam [Jer. vii, 19.] testatur : Numquid me ad iracundiam provocant? *Quia non audierunt,* aure obedientiæ, *patres nostri verba libri hujus,* id est, præcepta libri legis Mosaicæ non impleverunt. Circa hoc quæri potest, cur contra Josiam et plebem ipsius fuerit ira Dei succensa, eo quod patres eorum fuerint [Ezech. xviii, 20.] Deo inobedientes, quum filius non portet iniquitatem patris. Ad quod frequenter responsum est. *Ut facerent omne quod scriptum est nobis :* quia non sufficit ad salutem observare quædam præcepta, sed [Jacob. ii, 10.] omnia. Nempe si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Et recte adjunxit optimus ille Josias, Nobis : quia quæ Moyses ex ore Dei scripsit ac jussit, non solum pro his qui erant tempore suo, scripsit jussitque, sed et pro posteris eorumdem. Hic quoque est effectus servi vere fidelis, ut id quod Deus æternus universis præcepit, quasi sibi soli ac specialiter reputet esse jussum.

Ierunt itaque Helcias sacerdos et Ahicam, et Achobor, et Saphan, et Asaia, ad Holdam propheten uxorem Sellum : qui secundum Josephum, fuit vir insignis ac nobilis ; de quo in Scholastica fertur historia, quod fuit patruus Jeremiæ, et pater Hanameel, consobrini ejusdem Prophetæ ; [Jer. xxxii, 7.] *filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium,* forsan sacrarum, ad usum spectantium cultus divini ; *quæ habitabat in Jerusalem in secunda,* id est in secundo ambitu urbis, quæ fuit triplici muro circumdata ; seu in secunda civitatis mansione, quod idem est ; *locutique sunt ad eam,* quæ rex jussit inquiri ab ea.

Circa hæc duplex oritur quæstio : Primo, cur Josias rex non consuluit Dominum per pontificem, prout David facere consuevit, [I Reg. xxiii, 2; xxx, 8; II Reg. ii, 1; v, 19.] imo ipsum Helciam pontificem cum ceteris misit ad feminam prophetissam. Secundo, cur non misit ad Jeremiam aut Sophoniam, qui ejus prophetaverunt temporibus, [Jer. i, 2; Soph. i, 1.] ut in eorum ostenditur libris. Ad primum horum Epiphanius ait, et Magister in historiis refert, quod a die qua Joas rex fecit Zachariam filium Joiadæ lapidari in [II Par. xxiv, 21, 22.] templo, Dominus ultra non dedit solito more responsa. Ad secundum Lyra respondet : Dicunt expositores nostri communiter, quod hoc fuit, quia Jeremias adhuc valde juvenis erat, nec habebatur in auctoritate. Quibus verbis subjungit : Sed istud non videtur, quoniam cœpit prophetare tertiodecimo anno regni Josiæ, [Jer. i, 2.] ut patet in libro ejus. Liber autem legis inventus fuit octavo decimo regni Josiæ anno : et ita Jeremias tunc prophetaverat quinque annis, et per consequens in auctoritate tunc erat. Propter quod Rabbi Salomon respondet secundum duas Hebræorum opiniones : Una est, quod Josias quærebat consilium pietatis divinæ. Feminæ autem solent esse misericordiores quam viri : ideo misit ad feminam prophetissam. Alia est, quod Jeremias tunc ivit ad exhortandum decem tribus.

Circa hæc dico, quod Catholicorum responsio tacta, vera rationabilisque consistit. Quamvis enim Jeremias exorsus sit vaticinari tertiodecimo anno Josiæ, tamen [Ibidem.]

Digitized by Google

sub Josia non fuit ita celebris ac famosus ut postea : imo in toto libro suo non legitur ad Josiam, aut cum Josia locutus, sed frequenter ad posteros ejus ; atque, ut dicunt multi, Jeremias non nisi primas duas visiones suas vidit sub Josia (tamen de tertia dubitatur, sub quo rege viderit eam) ; et illæ non erant sub Josia complendæ. Idcirco sub Josia non fuit adhuc multum famosus, sicut forsan nec Sophonias. Insuper, secunda responsio Rabbi Salomonis etiam a Catholicis dudum fuit inducta, dicentibus, quod Jeremias tunc forsan non erat præsens. Porro, prima Rabbi Salomonis responsio videtur inepta. Quamvis enim feminæ sint communiter piæ et misericordes magis quam viri, tamen Josias non voluit, ut femina illa daret responsum secundum propriam inclinationem, sed juxta revelationem divinam : quæ potuit esse tam clemens per virum, sicut per feminam.

Jer. xxvii, 12; xxxiv, 2, 6; xxxviii, 14-26; xlii, 1-6.

At illa respondit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel, qui jam revelavit huic mulieri quid responderet : *Dicite viro, qui misit vos ad me.* Ecce quam magnanimis fuit hæc femina sancta, regem communi nomine virum significans. Etenim Spiritus Sanctus animas sanctorum suorum in grandi constituit libertate : in qua tamen humilitas et magnanimitas sibi invicem non repugnant. *Hæc dicit Dominus : Ecce ego adducam mala* pœnæ *super locum istum et super habitatores ejus, omnia verba legis quæ legit rex Juda,* id est cuncta adversa significata per verba quæ Josias audivit legi, ut dictum est : et forsan postea pro majori sua informatione personaliter legit ea ; *quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum. Et succendetur indignatio mea in loco hoc,* id est, ultio meæ justitiæ hic fervebit, et per ignem complebitur ; quia Chaldæi urbem et templum postea incenderunt ; *et non exstinguetur,* id est, a sua persecutione non impedietur. Quasi dicat : Prophetia de hac ultione prolata, non est tantum prophetia

IV Reg. xxv, 8-10.

A comminationis, sed infallibilis prævisionis. Hinc Josephus narrat : Audiens Prophetissa quæ a rege erant mandata, jussit ut remeantes dicerent regi, quod Divinitatis decretum quod jam contra eos protulerat, precibus infirmari non posset. Verumtamen contra istud argui posset, quod sicut in Jeremia habetur, Dominus per ipsum Jeremiam promisit Judæis, quod si vere pœniterent, seque corrigerent, parceret eis, et pœnas comminatas auferret. Ipsi autem quum liberi essent arbitrii, poterant B pœnitere : ergo et mala illa prænuntiata evadere. Verum ad hoc super Jeremiam responsio est inducta.

Jer. xviii, 8, 9; xxvi, 3, 13.

Regi autem Juda qui misit vos, ut consuleretis Dominum, sic dicetis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro eo quod audisti verba voluminis legis, audiens auribus cordis ac corporis, *et perterritum est cor tuum,* non solum servili timore, *et humiliatus es coram Domino,* culpam tuam ac populi tui recognoscendo, veniamque poscendo, *auditis sermonibus contra locum* C *istum, et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem et in maledictum,* id est, tantis calamitatibus sint subdendi, quod ipsi et alii super hoc mirabuntur, ipsique adversariorum maledictionibus et maledictis in lege prolatis subjicientur, atque ab ipsis in exemplum maledicendi aliis assumentur, sic quod unus volens maledicere alteri, dicet, Contingat tibi sicut Judæis ; *et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me.* Omnia ista regem Josiam fecisse, videtur hæc Prophetissa ex revela- D tione divina novisse. Non enim apparet, quod missi a rege, retulerunt ea illi. *Et ego audivi, ait Dominus,* hoc est, desideria tua pie suscepi, et pœnarum hanc inflictionem differre decrevi.

Idcirco colligam te ad patres tuos, id est, mediante morte, adunabo animam tuam animabus Patriarcharum et Prophetarum ac regum sanctorum, de quibus exortus es, in limbo patrum sinuque Abrahæ; *et colligeris ad sepulcrum tuum,* hoc est, cum patribus tuis sepelieris saltem in loco se-

Digitized by Google

pulturæ communi, videlicet in Jerusalem A aut prope, *in pace.* Qualiter verum est hoc, quum Josias sequenti capitulo legatur a rege Ægypti occisus, sicque morte violenta, non naturali, occubuit? Respondetur primo, quod in pace pectoris obiit, quia et suam occisionem pro culpis suis saltem venialibus, et pro gloriæ incremento æquanimiter tulit. Secundo, quod collectus est in pace populi sui, utpote illis adhuc pacifice in terra sua morantibus. Tertio, quod collectus est ad patres suos in limbo in pace, id est ad participandam pacem et securi- B tatem, quam exsistentes ibidem habebant, quia de sua æterna salute erant securi.

IV *Reg.* XXIII, 29.

Ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum. Quasi dicat, Melius est tibi interim mori, quam mala hæc intueri: quemadmodum primo Machabæorum fortissimus Judas testatur, Melius est nobis mori, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Propter quod antea dixerat Mathathias pater ipsius: Quo nobis adhuc vivere? Hinc quoque, ut recitat Josephus, dum templo et C Jerusalem per Romanos combustis, sacerdotes peterent sibi a Tito vitam conservari, non tolli, dixit eos esse ignobilis atque degeneris animi, eo quod templo ac Numini supervivere affectarent; et jussit eos occidi.

I *Mach.* III, 59.

Ibid. II, 13.

Sensus spiritualis.

Spiritualiter possunt ex isto capitulo multa salubria elici documenta: videlicet, ut fideles, præsertim qui præsunt, exemplo Josiæ discant divini zelo honoris accendi, atque in juventute et adolescentia sua quærere Dominum ac bonum commune, et verbis ac exemplis cum omni constantia et fervore vitia exstirpare, lapsa et deformata plenarie reformare, per regiam viam salutis absque deverticulis proficisci; materiales quoque resarcire ecclesias; verba evangelicæ legis cum omni diligentia semper advertere, atque ex ejus pensare tenore, quantum deficiant a statu salutis, a via spiritualis profectus, a debito suæ vocationis; et propter proximorum ac subditorum peccata vehementissime contristari, pro ipsorum venia deprecari, flere, gemere, lamentari, et ad sanctorum ac devotorum confugere preces, consilia ac succursus: quæ per veram mentis contritionem, humiliationem ac fletum præcipue obtinentur.

ARTICULUS XXV

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI TERTII: ET RENUNTIAVERUNT REGI QUOD DIXERAT.

HIC recitatur reformatio facta in populo per Josiam, et qualiter sit occisus, atque successio filii ejus in regno. *Et renuntiaverunt regi* Josiæ legati ejus, *quod dixerat* Holda prophetes. *Qui misit* nuntios per totum territorium suum, *et congregati sunt ad eum omnes senes Juda,* id est totius regni Juda, *et* urbis *Jerusalem,* sicut significavit eis per nuntios sive epistolas; et specialiter convocavit sacerdotes et Levitas, ut Josephus ait, et majores natu, prout in Paralipomenon fertur. *Ascen-* D *ditque rex templum Domini et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum; legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini,* id est cuncta verba Deuteronomii in templo reperti: quæ verba legit, vel per se ipsum, vel per aliquem sacerdotum aut scribarum; nec est verisimile, quod totum illum legerit librum, sed quædam capitula ad propositum magis spectantia.

II *Par.* XXXIV, 29.

Digitized by Google

Stetitque rex super gradum, id est solium regium, de quo illud secundi Paralipomenon accipitur : Fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, stetitque supra eam. Porro in Paralipomenon legitur : Et stans in tribunali suo. Idem habetur in Josepho. Nam in præfato solio sedens rex, solebat aliquas causas judicare. *Et fœdus percussit coram Domino*, id est pactum iniit, promisit, juravit, *ut ambularent post Dominum*, imitando * ac implendo divina præcepta, adhærendoque Deo. Ideo subditur, *et custodirent*, per recordationem et exsecutionem, *præcepta ejus* moralia, *et testimonia*, id est, ea quæ credi jubentur, firmiter crederent, *et cærimonias*, id est mandata cærimonialia, *in omni corde*, id est intellectu et voluntate, vel tota cordis attentione, *et in tota anima*, id est totis inferioribus animæ viribus, *et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo*, id est, eloquia et mandata legis, quæ jam ante fuerunt neglecta et quasi mortua, renovarent ac observarent. *Acquievitque populus pacto*. Nam adjuravit populum super hoc, ut in Paralipomenon recitatur; atque, ut Josephus addit, illi promptissime juraverunt, et præcepta legis promiserunt implere.

II Par. vi, 13. — Ibid. xxxiv, 31. — * meditando — Ibid. 32.

Et præcepit rex Helciæ pontifici. In veteri etenim Testamento, cujus sacerdotium fuit quasi carnale, et circa carnales hostias versabatur, rex erat major et altior præsule : ideo potuit ei præcipere. *Et sacerdotibus secundi ordinis*, qui immediate sub pontifice erant, ac viginti quatuor exstiterunt, quos David instituit : quorum quilibet in sua ministrabat hebdomada, habens sub se viginti quatuor sacerdotes, totidemque Levitas et cantores ac janitores, prout primo Paralipomenon scribitur ; *et janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vasa quæ facta fuerant Baal, et in luco*, id est ipsi Baal busco, plantato circa altare Baal, ut ibi coleretur per vasa suo cultui dedicata, *et universæ militiæ cœli ; et combussit ea foris Jerusalem*, quasi indigna comburi in urbe cultus divini, *in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel*, id est ad oppidum istud, in quo stetit unus aureorum vitulorum ; quatenus dispergendo ibidem pulverem illum, profanaret (hoc est, abominabilem esse ostenderet) locum ipsum propter idololatriæ vitia ibi commissa.

I Par. xxiv-xxvi. — III Reg. xii, 29.

Et delevit aruspices, de quibus supra dictum est, *quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem ; et eos qui adolebant incensum Baal, et soli, et lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cœli*. Hoc fecerunt ergo quidam idololatræ, ut Amon et Manasses ad tempus, et Achaz : non quod aruspices ab illis constituti, iidem numero vixerint sub Josia, sed similes specie; aliqui tamen illorum adhuc vivere poterant. Hos ergo delevit non solum a suis officiis, sed etiam interfecit, ut Josephus scribit: apertius quoque de illis videtur intelligendum, qui converti nolebant. *Et efferri fecit lucum de domo Domini*, id est, arbores in atrio templi plantatas et consecratas idolo Baal, jussit excidi et exportari, *foras Jerusalem, in convallem Cedron*, ubi cedri nascuntur, *et combussit eum ibi*, quia fortassis inde fuerunt arbores speciei illius, *et redegit in pulverem, et projecit supra sepulcra vulgi*, id est vulgarium, qui forsan coluerunt aliquando Baal : quod fecit in contemptum idololatriæ hujus.

IV Reg. xxi, 6. — Ibid. 20-22; 2-7; xvi, 2-4.

Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, id est parvulas ædes seu mansiunculas quorumdam mollium seu sacerdotum castratorum : et specialiter sacerdotes Cybeles matris deorum, effeminati vocantur; *quæ erant in domo Domini*, id est per circuitum templi et infra septa atriorum ipsius ; *pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci*, id est pannos quosdam ad faciendum quasi papiliones pro commorantibus ibi, atque cortinas ad faciendum ibi loca concupiscentiarum deliciosa, ad exercendum ibidem immunditias carnis in deorum honorem. Et quia sacerdotes

Digitized by Google

castrati asserentes talia diis placere, erant impotentes ad ea agenda, ideo eis in hoc credebatur, quia videbantur inducti ad talem assertionem, non ex concupiscentia propria: quemadmodum Aristoteles in Ethicis recitat de Eudoxo philosopho, summum bonum in delectationibus venereis constituente, quod sibi eo plus credebatur, quo minus videbatur voluptatum amator; sicut et Epicurus qui felicitatem in delectationibus gustus constituit, easdem vitavit, et frugaliter vivens, oleribus fuit contentus, ut sanctus quoque refert Hieronymus.

Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda, et eis præsentibus, *contaminavit excelsa ubi sacrificabant sacerdotes,* id est loca sublimia, in quibus etiam templo constructo consueverunt sacerdotes Deo vero sacrificare, *de Gabaa* civitate *usque Bersabee* civitatem, quæ a se invicem valde distabant : quasi dicatur, De una regni sui extremitate usque ad aliam fecit hoc. *Et destruxit aras portarum,* id est altaria sita in portis, *in introitu,* id est juxta ingressum, *ostii Josiæ* * *principis civitatis,* id est, qui principatum quemdam habuit in Jerusalem ; vel in alia urbe forsan erat præfectus, juxta cujus ostium erant sacrilega illa altaria, super quæ non licuit immolare ; *quod* ostium Josiæ *erat* situm *ad sinistram portæ civitatis,* in qua præerat. *Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum,* qui Deo in locis excelsis (ut dictum est) sacrificabant, *ad altare Domini in Jerusalem,* id est, super altare holocausti positum in atrio templi non permittebantur offerre, ob culpam qua contra legem extra templum præsumpserunt offerre; *sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum,* id est, inter alios sacerdotes seu Israelitas sinebantur comedere azymos panes, vel etiam aliqua de oblatis, ad quorum esum admittebantur, sicut in Levitico patet de domesticis sacerdotis.

* *Josue*

Lev. XXII, 11.

Contaminavit quoque, id est fœdavit, abominabileque monstravit, *Topheth,* id est idolum Moloch, *quod est in convalle* A *filii Ennom :* quia in valle sic dicta colebatur Moloch idolum Ammonitarum ; *ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem* idolo *Moloch :* cujus cultores solebant infantes suos ad honorem ipsius Moloch per ignem transferre ac ducere, ut purgarentur in igne. Imo interdum offerebant infantulos suos ipsi Moloch in holocaustum, ponendo infantem inter brachia idoli ænei intus incensi; sic quod ex ardore ignis qui arsit in idolo, infans moriebatur ; tunc sacerdotes Moloch sonum B grandem fecerunt cum tympanis, ne parentes audiendo planctum et clamorem pueri taliter morientis, moverentur ad compassionem, aut de tali oblatione dolerent.

Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda soli in introitu templi Domini juxta exedram, id est juxta ædem seu mansionem, *Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim :* qui (ut fertur) janitor fuit. Dicunt aliqui, quod erant veri et viventes equi, quos quidam reges idololatræ obtulerunt soli, quatenus sole diluculo C oriente, quidam cultores solis super equos cum curru equitarent per spatium versus orientem, quasi obviantes soli ad ejus honorem. Alii dicunt, quod erant depictæ aut sculptæ equorum imagines, quia idololatræ solem colentes, fecerunt similitudinem ejus una cum equis et curribus. De hoc in Scholastica historia sic narratur : Equos et currus solis quos depinxerant reges Juda in introitu templi juxta exedram Nathanmelech, omnino destruxit. Fecerant namque ibi Judæi idolum solis quasi D puerum imberbem, quia sol nullum patitur senium, sed quotidie renovatur, id est, de novo quasi recens exoritur. Fecerant etiam equos et currum, putantes quod sol in hunc modum transtulisset Eliam. Hæc ibi. Sed contra hoc ultimum dictum objici potest, quod etiam pagani, qui de Eliæ translatione nil sciebant neque credebant, fecerunt idolum seu imaginem solis cum curru et equis, ut in Legenda quatuor Coronatorum refertur ; atque (ut aliqui probabiliter dicunt) Judæi idolola-

Digitized by Google

træ ab illis paganis traxerunt modum hunc depingendi colendique solem. Ideo aliter dici potest, quod poetæ magistri idololatrarum gentilium, dicebant solem tanquam regem et patrem deorum, vehi in curru per orbem suum. Unde et ultra finxerunt Phaethontem solis filium, quum patris sui vellet ducere currum, exorbitasse, cœlumque incendisse : de qua fabula in primo Timæi multa narrantur. Ideo solem cum quadriga pinxerunt et equis. *Currus autem solis combussit igni,* non in contumeliam solis, sed perfidorum cultorum ipsius.

Altaria quoque quæ erant super tecta cœnaculi Achaz regis, *quæ fecerant reges Juda.* Tecta enim Judæorum instar Palæstinorum erant plana ; sicque super tecta stantes, sacrificabant super altaria illa planetis, præsertim soli, ut sic stantes in alto, magis accenderentur in ritibus suis devotione sua sacrilega. *Et altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex.* Mirum, quod Manasses conversus et pœnitens, personaliter illa a se facta altaria non destruxit ; imo ea destruxisse videtur, juxta illud secundi Paralipomenon, Aras quas fecerat in monte domus Domini et in Jerusalem, abstulit et projecit omnia extra Jerusalem. (II Par. xxxiii, 15.) Josephus quoque fatetur : Quum a captivitate sua redisset Jerusalem, studebat etiam memoriam priorum delictorum quæ contra Deum gesserat, si esset possibile, ab animo suo repellere, et ad omnem cultum divinæ religionis accedere, templumque purgare et civitatem. Ad hoc dicendum videtur, quod aliis per Manassen eradicatis, ista forsan quacumque occasione manserunt ; vel forsitan a Manasse erant destructa, sic tamen, quod aliquæ ex eis remanserunt reliquiæ, quas dissipavit Josias : propter quod altaria illa scribitur destruxisse. Sic namque in simili Magister in historiis scribit : Vestigia quædam serpentis ænei, quem confregerat Ezechias, Josias redegit in pulverem : propter quod in prologo Sophoniæ Josias eum legitur

A contrivisse. *Et cucurrit inde,* quia cum fervore et mira agilitate fecit omnia bona ista, *et dispersit cinerem eorum,* tanquam prorsus inutilem : quo tamen cinere idololatræ putabant se sanctificari ; *in torrentem Cedron,* ut nec pulvis de illo cinere maneret residuus. Currebat autem torrens per vallem illam.

Excelsa quoque, id est fana, seu altaria, aut loca sacrilega in sublimi locata, *quæ erant in Jerusalem,* id est prope eam, *ad dexteram partem montis Offensionis, quæ* B *ædificaverat Salomon rex Israel,* id est montis Olivarum : qui mons Offensionis vocatur, quia in eo constituit Salomon fanum Chamos idolo Moab, quemadmodum (III Reg. xi, 7.) tertio libro habetur, et ad dexteram montis illius construxit alia fana, ut hic narratur. *Astaroth idolum Sidoniorum.* Præfato tertio libro recitatur, quod Salomon coluit Astarten deam Sidoniorum. (Ibid. 5.) *Et* ipsum *Chamos* idolum *offensionis Moab,* id est, in cujus idoli cultu Moabitæ Deum specialiter offenderunt, quia idolum istud specialiter C coluerunt, *et Melchom abominationis filiorum Ammon,* id est ipsum Moloch idolum Ammonitarum, qui illud colendo abominationem fecerunt, *polluit rex,* ossa mortuorum aut alia quædam sordentia projiciendo et spargendo in locis fanorum ac idolorum illorum. Sicque idololatria, ad suam præcipuam gravitatem, vocatur hoc loco abominatio atque offensio. *Et contrivit statuas, et succidit lucos,* id est nemora in quibus fiebat idololatria, *replevitque loca eorum ossibus mortuorum,* ad desi- D gnandum quod per idololatriam facta erant fœda et vilia.

Insuper altare quod erat in Bethel, ubi constituerat ipse Jeroboam unum duorum (Ibid. xiii, 32; xii, 29.) aureorum vitulorum altare, *et excelsum,* id est fanum, *quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel ; et altare illud excelsum destruxit atque combussit, et comminuit in pulverem, succiditque etiam lucum. Et conversus Josias,* id est, vertens se undique ad videndum si aliquid spurcitiæ idololatriæ cerneret, *vidit*

Digitized by Google

ibi sepulcra idololatrarum, *quæ erant in* A *monte, misitque et tulit,* id est extrahi jussit, *ossa* illorum *de sepulcris, et combussit ea super altare* præfatum Jeroboam regis, in detestationem idololatrarum et idololatriæ eorumdem ; *et polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei,* id
III Reg. xiii, 1, 2. est Propheta qui venit de regno Juda, *qui prædixerat verba hæc,* ad Jeroboam stantem super altare illud, ut dictum est. *Et ait : Quis est titulus iste quem video ?* Specialiter interrogavit de titulo illo, quia (ut in historiis ait Magister) ipse Josias legit B in sepulcro præfati Prophetæ titulum ejus. Et aliqui dicunt, quod falsus propheta de
Ibid. 31. Samaria, qui se jusserat sepeliri juxta sanctum illum Prophetam, ordinavit ibi fieri signum quoddam præcipuum et scripturam, per quæ postea recoleretur quod illud esset sepulcrum sancti Prophetæ, quatenus ossa sua cum ossibus illius manerent intacta. *Responderuntque ei cives urbis illius,* scilicet Bethel : *Sepulcrum est,* id est, titulus ille est signum quod illud sit sepulcrum, *hominis Dei, qui venit de Juda, et* C *prædixit verba,* id est opera ista, *quæ fecisti super altare Bethel.* Denique, ut Josephus scribit, a tempore quo Propheta ille prædixit hæc, usque ad tempus quo Josias hæc fecit, fluxerunt anni trecenti sexaginta
* Dimittite unus. *Et ait : Dimitte* eum,* id est ossa ejus. *Nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria.*

Insuper et omnia fana excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, id est in terra regni decem tribuum, *quæ fecerant* D *reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias :* quia (ut Josephus ait) persuasit reliquiis decem tribuum, quæ captivitatem Assyriorum evaserunt, ut colerent verum Deum : et forsan Prophetæ tunc exsistentes, ut Jeremias et Sophonias, id ipsum admonuerunt ; *et fecit eis secundum omnia quæ fecerat in Bethel. Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, et combussit ossa humana super ea.*

Reversusque est Jerusalem, et præcepit omni populo suo, dicens : Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus, id est, festum paschale celebrate juxta omnia, quæ de hoc in Exodo præcipiuntur : quod et Exod. xii, 1-20.
statim celeberrime impleverunt. *Nec enim factum est tale Phase,* id est festum paschale ita solenne, *in diebus judicum, qui judicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel, et regum Juda, sicut in octavodecimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem.* De solennitate ista et ejus expensis, ac numero II Par. xxxv, 1-19.
animalium quæ Josias et principes ac superiores sacerdotes dederunt populo ac Levitis, multa habentur secundo Paralipomenon. Unde et Josephus loquitur : Donavit Josias populo in Pascha novellos hœdos et agnos triginta millia, et ad holocaustum tria millia. Multaque alia desuper recitat Josephus.

Sed et pythones et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias et abominationes, quæ fuerunt in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias, ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini. Ista jam frequenter sunt explanata. *Similis ei non fuit ante eum rex* in Jerusalem, et multo minus post eum, *qui reverteretur ad Dominum :* non quod ante fuit aversus a Domino, sed dicitur reversus ad Dominum, quia assidue mentem suam ad ipsum convertit cum fervore majori ; *in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysis,* prout in via hujus exsilii fieri potest. Non tamen instar Beatorum in patria, fuit semper Deo intentus actualiter, et juxta suæ possibilitatis extremum : quod proprium est Beatis. *Neque post eum surrexit similis illi.* Huic autem simile est quod supra narratur de Ezechia, et juxta sensum IV Reg. xviii, 5.
ibi expositum intelligendum est istud, quia in multis sanctus Josias præfulsit, præsertim in innocentia. De ipso quoque in prologo Sophoniæ habetur : Josiam regem

Digitized by Google

Juda, præ omnibus regibus Juda Deo placuisse, historia quarti libri Regum et secundi Paralipomenon demonstrat. Unde in Ecclesiastico asseritur : Memoria Josiæ in compositione odoris facta, in omni ore quasi mel indulcabitur, et quasi musica in convivio vini. (Eccli. XLIX, 1, 2.)

Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus, id est rigor suæ justitiæ, *contra Judam,* id est populum regni Juda, *propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses,* id est propter idololatrias et ceteras transgressiones Manassæ regis. Jam præallegatum est, quemadmodum Manasses (IV Reg. XXI.) vere pœnituit, ita quod scelera sua fuerunt ei dimissa, et misericordiam finalem est consecutus : quomodo ergo Deus propter ipsius peccata iratus est populo Juda, qui tot annis fuit post mortem Manassæ, nec ei videtur communicasse in crimine? Denique, quum proprium sit Deo misereri et parcere, quomodo non pronior fuit ad placandum et ignoscendum ex tantis meritis sancti Josiæ ac populi sub eo devoti? Et ubi est quod Dominus loquitur toties in Prophetis, Unusquisque in peccato suo morietur? (Jer. XXXI, 30; Ezech. XVIII, 30.) Et quum culpæ debeatur pœna, quæ est ista justitia, ut propter peccata unius, alii puniantur, et peccata dimissa denuo imputentur, etiam his qui ea non commiserunt? Itaque videtur locus iste obscurus, sic intelligendus, quod Dominus non est aversus a proposito puniendi populum Juda propter transgressiones Manassæ, id est propter peccata et scelera ac idololatrias, in quibus populus ille secutus est præfatum Manassen in vitiis : quod fuit post mortem Josiæ. Interdum tamen posteri et in corporalibus puniuntur propter parentum facinora, prout frequenter expositum est ; sed nisi Judæi post mortem Josiæ Deum tam graviter offendissent, non fuissent propter peccata personalia ipsius Manassæ tam dire puniti.

Dixit itaque Dominus : Etiam Judam auferam a facie mea, id est a terra quam contuli ei, et a pio respectu ac defensione A quibus hactenus populum illum adspexi, conservando eum in terra promissionis. Prævidit etenim Dominus, quam graviter populus ille fuit post Josiæ obitum transgressurus, ideo pœnam ejus prædixit. Et tamen per Jeremiam frequenter plebem illam hortabatur ad emendationem, promittens ei opem ac veniam, si veraciter pœniteret (Jer. XVIII, 8, 9; XXVI, 1-3, 13.) ; sed quia præscivit ipsius indurationem impœnitentiamque futuram, idcirco quandoque absolute prædixit ejus punitionem. *Sicut abstuli Israel, et projiciam* B *civitatem hanc quam elegi Jerusalem, et domum de qua dixi, Erit nomen meum ibi.* (III Reg. XI, 36.)

Reliqua autem sermonum Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum ad flumen Euphraten. Et abiit Josias rex Juda in occursum ejus. Et occisus est in Mageddo, quum vidisset eum. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo, et pertu- C *lerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulcro suo.* Hic describitur, qualiter occisus et sepultus sit virtuosus et pius Josias ; et quidquid de hoc scribitur in hoc loco, secundo Paralipomenon diffuse expositum est, ubi de ista materia introducta sunt multa. (II Par. XXXV, 23-25.) Josephus quoque testatur : Dum Josias in pace atque divitiis et gloria super omnes excelleret, jaculo est occisus.

Sequitur de filio Josiæ, qui ei primo successit in regno. *Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ, et unxerunt eum,* D *et constituerunt eum regem,* per manus pontificis, *pro patre suo. Viginti trium annorum erat Joachaz quum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus* iniqui idololatræ, scilicet Amon, Achaz, et Manasses ad tempus, cujus pœnitentiam non est secutus ; *vinxitque eum Pharao Nechao in Reblatha* urbe *quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem*

Digitized by Google

Circa hoc recitat Lyra, quod Pharao Nechao, victa Syria, vocavit ad se Joachaz regem in Reblatha : ad quam quum venisset Joachaz, vinctus est ibi a Pharaone, et missus sic in Ægyptum. Istud quoque super Paralipomenon tetigi, et ibi contra illud argui, eo quod secundo Paralipomenon conscriptum sit, Amovit eum rex Ægypti quum venisset Jerusalem. Unde apparet, quod Pharao in Jerusalem venit, et ibi Joachaz istum deposuit : quod etiam Magister in historiis tenet. Verumtamen verbis Lyræ consonare videtur narratio Josephi, qui affirmat : Rex Ægyptiorum dum fuisset a pugna reversus, evocavit Joachaz ad semetipsum de civitate Syriæ, quæ dicitur Emath. Qui dum venisset, eum repente vinxit. Pro horum concordia quis forsan dicere posset, quod rex Ægypti venit Jerusalem, non in propria persona, sed per legatos quos misit ; et in Jerusalem amovit Joachaz regem, quia ea intentione misit ad eum illuc.

II Par. xxxvi. Ibid. 3.

Et imposuit Pharao *mulctam,* id est tributum, *terræ* Juda *centum talentis argenti, et* uno *talento auri,* id est in tanta collecta seu summa quæ ei omni anno persolveretur a rege Juda, quem pro Joachaz fecit regem. De quo subditur : *Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus, vertitque nomen ejus,* id est, mutando imposuit ei nomen hoc, *Joakim,* quatenus mutatio nominis esset memoriale ac signum promotionis suæ in regem a Pharaone, sicque maneret ei subjectus. Denique, Josepho teste, Joakim primogenitus fuit Josiæ, sicque regnum debebatur ei de jure communi ratione primogenituræ. Dicuntque aliqui, quod populus ipsum Joachaz fecit regem ex instigatione consanguineorum ejus ex parte matris, qui erant potentes. *Porro Joachaz tulit, et duxit in Ægyptum.*

Argentum autem et aurum dedit Joakim Pharaoni, quum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis. Et unumquemque juxta vires suas exegit tam argentum quam aurum A *de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. Viginti quinque annorum erat Joakim quum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Zebida, filia Phadaia, de Ruma. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.* Nempe, ut Josephus tangit, erat injustus et valde nequissimus, et nec circa Deum sanctus, nec circa homines mansuetus.

Sensus moralis.

Moraliter, ex isto capitulo instruuntur prælati ac principes, qualiter debeant pro B Dei honore zelari, ut Deo, a quo omnis prælatio ac potestas, sint grati, totisque viribus pro divini cultus augmento, pro subditorum reformatione plenaria, pro vitiorum exstirpatione completa inardescant ac enitantur, atque incorrigibiles acriter puniant, ut aliis cedat in exemplum, sicut ait Apostolus : Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Sicque omnem spiritualem idololatriam infatigabiliter studeant propulsare, ne alicui dominetur cupiditas aut avaritia, quæ est C servitus idolorum; nec voluptas, ne Venerem magis colat quam Deum ; neque elatio, ne magis intentus sit propriæ honorationi, quam divinæ majestatis honori; nec creaturis magis quam Creatori inhæreat. Insuper magos, divinos, ariolos, necromanticos, et omnes superstitiosos expellant, castigent, compescant. Sicque subditis reformatis, celebrent Pascha cum eis, id est, ad sacramentorum Christi communionem accedant.

I Tim. v. 20. Coloss. III. 5.

Amplius, sicut virtuoso Josiæ pravissimi D filii successerunt in regno, sic sæpe contingit, quod bonis principibus ac prælatis succedant iniqui, qui regibus Ægypti ac Babylonis solvunt tributum. Nam animas quas lucrificare Christo tenentur, per reprobam vitam, negligentiam et scandalosum processum exponunt dæmonibus, atque in barathrum mittunt perditionis. Idcirco qui exemplarem et bonum habent præsidentem, grati sint Deo, et superioris sui correptiones et correctiones suscipiant gaudiose, neque faciliter judicent illum.

Digitized by Google

Rom. xi, 33. Postremo, ex dictis patent imperscrutabilia judicia Dei, qualiter ubertim ex optimis parentibus generentur filii pessimi, sicut ex Josia filii ejus præfati; et econ-
IV Reg. xvi, 2; xviii, 1, 3. verso, sicut ex impiissimo Achaz natus est piissimus Ezechias, et ex sceleratissimo
Ibid. xxi, 18-22, 26; xxii, 2. Amon, sanctissimus iste Josias. Sic quoque in novo Testamento, ex reprobissimis nati A sunt multi electissimi utriusque sexus: quod in martyribus sanctis apertius innotescit. Multoties tamen contingit, quod ex virtuosis parentibus gignitur proles electa. Nemo igitur de parentum sanctitate præsumat, aut negligentior fiat; neque ob prædecessorum suorum impietatem desperatione frangatur.

ARTICULUS XXVI

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI: IN DIEBUS EJUS ASCENDIT NABUCHODONOSOR.

HIC refert Scriptura, qualiter Joakim filius Josiæ regnaverit, et de filio Joakim. *In diebus ejus,* videlicet octavo anno regni Joakim filii Josiæ, *ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis* ad regnum Juda, et in eo cum ingenti exercitu fixit castra. Quum enim superasset Pharaonem Nechao regem Ægypti, et totam Syriam cepisset usque Pelusium, præter Judæam, voluit quoque eam suæ subjicere ditioni. Cujus potestatem ac minas metuens Joakim (quia quum impius esset, non confidit in Deo), et pacem cum rege tam potente C habere desiderans, subjecit se illi, promittens ei dare tributa, sicut subjungitur, *et factus est ei Joakim servus* tributarius *tribus annis; et rursus rebellavit contra eum,* id est, regi Babylonis tributa solvere renuit tertio anno aut quarto: quia, ut Josephus refert, percepit quod Pharao Nechao rursus disponeret se ad pugnandum contra Babyloniæ regem; ideo sperans quod Ægyptii prævalerent, et cupiens regi Ægypti, a quo factus fuit rex, complacere atque a tributo exonerari, negavit illi tributum. D

Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon, et immisit eos in Judam, id est in populum regis Juda, *ut disperderet eum,* id est, variis modis affligeret tam regem B quam plebem ad ulciscendum transgressiones eorum, *juxta verbum Domini quod* IV Reg.
locutus fuerat per servos suos Prophetas. xxiii, 27.
Factum est autem hoc per verbum Domini, id est non sine prævia prænuntiatione Dei, qui per Prophetas istud frequenter prædixit, *contra Judam, ut auferret eum* de terra sua in Chaldæam, *coram se,* id est, ipso Domino intuente peccata regni Juda ad puniendum hoc modo, *propter peccata Manassæ universa quæ fecit, et pro-*
pter innoxium sanguinem quem effudit, et Ibid. xxi,
implevit Jerusalem cruore innocentium, 16.
occidendo prophetas et alios justos in Jerusalem, ut habetur supra. Hic rursus oritur difficultas, qualiter propter peccata et homicidia Manassæ Deus punierit populum Juda tempore Joakim; et de hoc in præce-
denti articulo est aliqualis data responsio: Ibid. xxiii,
quia et populus post Josiam secutus est 26.
peccata Manassæ, et etiam propter peccata præcedentium Deus detestabatur locum et
urbem. Joakim quoque occidit Uriam pro- Jer. xxvi,
phetam a quo corripiebatur. Jeremiam quo- 23.
que voluit sæpe occidere, sed Dominus eum Ibid. xxxvi,
abscondit. Sed et alios justos persequeba- 26.
tur, atque in tot criminibus populus suus sibi communicavit: sicque imitabatur omnem impietatem Manassæ, non autem pœnitentiam ejus. *Et ob hanc rem noluit Dominus propitiari,* id est ipsorum peccatis

Digitized by Google

ignoscere, relaxando debitam pœnam; culpam tamen pœnitentibus vere indulsit : imo quia pro maxima parte duri, incorrigibilesque fuerunt, sicut Manasses ad tempus, ideo tam dire puniti, et Dominus noluit eis propitiari.

Reliqua autem sermonum Joakim et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum patribus suis, id est defunctus est, non tamen in pace : imo violenta occisus est morte a Nabuchodonosor rege, quemadmodum in Scholastica historia fertur ex Josepho. Joakim enim Nabuchodonosor regem sub specie et jure fœderis permisit intrare civitatem Jerusalem : quam ingressus, fidem et fœdus mox fregit, ipsumque Joakim interfecit, et corpus ejus extra muros projici jussit, sicut
Jer. XXII, 19. prædixerat Jeremias, Sepultura, inquiens, asini sepelietur. Occidit quoque simul cum Joakim juvenes fortissimos ac famosos : et ideo non servavit huic Joakim fidem, quoniam ipse Joakim jam ei fidelitatem non servavit negando tributum. *Et regnavit Joachin filius ejus pro eo.* Occiso etenim Joakim, rex Nabuchodonosor filium ejus nomine Joachin constituit regem.

Et ultra non addidit rex Ægypti ut egrederetur de terra sua, ad impugnandum territoria aliena, nec etiam ad repugnandum Babyloniæ regi. *Tulerat enim,* id est abstulerat, *rex Babylonis omnia quæ fuerant regis Ægypti a rivo Ægypti,* id est Nilo, ut aliqui dicunt, vel alio rivo qui ex una parte terminat illud regnum, *usque ad flumen Euphraten,* quod currit per Chaldæam, et per medium urbis, nomine Babylon, discurrebat. Currit quoque (ut legitur)
Gen. II, 14. per Armeniam minorem et Persiam, prout super Genesim dictum est. Itaque terras quas rex Ægypti bellando obtinuerat, abstulit ei per prælia rex Babylonis, et tandem abstulit ei terram Ægypti, sicut de hoc
Jer. XLVI; Ezech. XXX, XXXII. in Jeremia et Ezechiele multa scribuntur.

Decem et octo annorum erat Joachin quum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus
A *Nohesta, filia Elnathan, de Jerusalem. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.*

In illo tempore ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, id est usque ad eam. Rex enim Babylonis præmisit illuc suum exercitum, ut Josephus insinuare videtur. Nabuchodonosor namque quum cœpisset reverti, cœpit in via suspicari ac formidare, quod Joachin iste fieret sibi infidelis atque rebellis, eo quod patrem suum occiderat : idcirco de-
B crevit redire, sicut textus narrat. *Et circumdata est urbs munitionibus,* id est bellicis machinis; *venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis,* qui secum remanserunt, *ut oppugnarent eam. Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis.* Hoc fecit Joachin ex admonitionibus Jeremiæ, ne ob suam resistentiam contra regem Chaldææ, civitas et templum et totus populus suus periclitarentur. *Ipse et mater ejus et servi ejus et principes et eunuchi ejus :* qui omnes una
C cum Joachin rege suo exierunt et tradiderunt se regi Chaldæo. Tamen, ut Josephus narrat, Joachin ita se præsentavit Nabuchodonosor regi, accepto juramento a rege illo, quod nec ipse nec civitas nec exsistentes secum paterentur mali aliquid ab ipso Nabuchodonosor et Chaldæis : qui juramentum suum mox violaverunt, prout in textu subjungitur. *Et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. Et protulit,* id est exportavit, Nabuchodonosor *inde omnes thesauros domus Domini,* id
D est templi, *et thesauros domus regiæ, et concidit,* id est, comminuit et confregit, *universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon* III Reg. VII, 45-51.
rex Israel in templo Domini, juxta verbum Domini, id est quædam de omnibus vasis templi, non simpliciter omnia illa : imo multa posuit in templo dei sui in Babylone, quæ diu post per Esdram sunt reportata, ut in primo Esdræ libro habetur. I Esdr. I, 7-11.

Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exerci-

Digitized by Google

tus. Istæ distributiones accommodæ sunt et intelligendæ de generibus singulorum, non de singulis generum, quia non penitus omnes habitatores Jerusalem, et principes ac robustos, sed quosdam de illis omnibus transtulit : ad quod insinuandum subjungitur, *decem millia in captivitatem, et omnem artificem et inclusorem,* scientem gemmas includere auro atque argento; *nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.* Non est hoc intelligendum ut sonat, quasi nulli potentes, divites, nobilesque remanserint in Jerusalem et Judæa post istam captivitatem, quum statim subdatur, quod rex Babylonis pro Joachin isto regem constituit Sedeciam, cum quo postea multi principes, nobiles ac potentes
IV *Reg.* xxv, 11. fuerunt et capti sunt, ut sequenti narratur capitulo ; sed intelligendum videtur, quod isti qui remanserunt, quasi pauperes erant comparatione prædecessorum suorum.

Transtulit quoque Joachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos regis ; et judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem ; et omnes viros robustos septem millia, et artifices, et inclusores mille, omnes viros fortes et bellatores ; duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. Qualiter verum est istud, quum jam dictum sit, quod erant decem millia ? Ad quod dicendum, quod sicut in Scholastica historia innotescit, in toto fuerunt decem millia, imo et octingenti triginta duo, ut Josephus addit. Erant enim cum rege et cum regina circiter duo millia, et de principibus ac viris bellatoribus ac robustis circiter septem millia, mille quoque artifices et inclusores, ac alii quidam secundum Josephi relationem ; et inter hæc millia fuerunt Ezechiel adhuc juvenis et Mardochæus. Et quoniam isti quodammodo sponte se tradiderunt Chaldæis, proprie nominantur transmigratio Juda ; qui autem postea sub Sedecia translati sunt, proprie appellantur captivitas Juda. Denique septuaginta annos
Jer. xxv, 11; xxix, 10. captivitatis Juda, de quibus Jeremias prædixit, quidam computare incipiunt a tem-

A pore transmigrationis istius, puta ab anno octavo regni Nabuchodonosor ; alii vero, a tempore captivitatis factæ sub Sedecia.

Et constituit Mathaniam patruum ejus regem pro eo, id est pro Joachin : qui Mathanias fuit junior inter filios regis Josiæ ; erat quoque octo annorum quando Josias defunctus est ; *imposuitque ei nomen Sedeciam :* primo, ut ex nominis immutatione recordaretur se a rege Nabuchodonosor exaltatum, et sic ei fidem servaret ; secundo, ut ex nominis sui interpretatione hoc
B ipsum pensaret ac ageret. Sedecias quippe interpretatur, justitia Dei. Ideo sic appellavit eum, quia accepit ab eo jusjurandum, II *Par.* xxxvi, 13.
quod sibi sub tributo fideliter deserviret, prout secundo Paralipomenon describitur : quod implere exegit justitia. *Vicesimum et primum annum ætatis habebat Sedecias quum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joachin. Irascebatur enim Do-*
C *minus contra Jerusalem et contra Judam,* propter ipsorum peccata : ideo justo judicio subtraxit regibus Juda jam dictis ac plebi eorum dona gratiæ suæ ; qua eis deficiente, peccaverunt gravissime ; *donec projiceret eos a facie sua,* id est, in captivitatem et mortem ac transmigrationem redigeret. *Recessitque Sedecias a rege Babylonis,* per rebellionem et negationem tributi, violationemque juramenti. Unde Ezechiel de ipso disseruit : Numquid qui *Ezech.* xvii, 15.
dissolvit pactum, effugiet ?

D Ecce ex isto pensatur capitulo, qualiter Deus per unum principem juste puniat peccata alterius. Quum enim reges Assyriorum diu tribulassent et oppressissent regna terrarum, cœperunt a rege Ægypti graviter impugnari. Quumque rex Ægypti Syriam et regnum Juda vastasset, a rege Babylonis devictus est : a quo etiam rege regnum Juda est dissipatum. Quum vero completa fuisset Chaldæorum malitia, destructa est a Persis ac Medis eorum monarchia. Monarchia quoque Persarum a Græcis, hoc est ab

Digitized by Google

Alexandro Magno, destructa est. Præterea ex præhabitis elucescit, quam vere Salomon sit locutus : Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Nam quamvis vexatio dare soleat intellectum, tamen cuncti præfati filii regis Josiæ in tot vexationibus et pressuris manserunt in sua malitia ; vidensque posterior prædecessoris sui dejectionem ac populi vastitatem, non se correxit nec credidit ; nec verbis Jeremiæ acquieverunt. Idcirco oportet nos jugiter esse timoratos ac humiles, formidando occulta Dei judicia, et considerando, deflendo, ac deinceps sollicite devitando propria vitia, ne (quod absit) relinquamur a gratia et induremur, atque in propria cæcitate ac pertinacia, imo et cordis insensibilitate relicti, æternaliter pereamus.

Eccle. VII, 14. — *Is.* XXVIII, 19. — *Jer.* XXXV, 23, 24, ...; XXXVII, 2.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUINTI ET ULTIMI : FACTUM EST AUTEM ANNO NONO REGNI EJUS.

FINIS regni Juda, quod ad longum tempus defecit, hoc loco describitur. *Factum est autem anno nono regni ejus,* videlicet Sedeciæ, *mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor ipse, et omnis exercitus* ejus *in Jerusalem, et circumdederunt eam, et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones,* hoc est bellica instrumenta et machinas ad urbem demoliendam. *Et clausa est civitas,* id est, portas ejus clauserunt cives, ne eam Chaldæi intrarent, *atque vallata* foris ab hostibus, *usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, nona die mensis.* Sicque quasi per tres annos fuit obsessa : ex quo patet fortitudo, et quasi inexpugnabilitas civitatis, quamdiu habitatores ejus victualia habuissent. Josephus tamen dicit, quod decem et novem mensibus fuit obsessa. Et rursus ex tam diuturna obsidione claret fervor, crudelitas, animositas regis Babylonis ad obtinendum hanc urbem, atque ad prævalendum adversariis suis. Nempe Sedecias a tributo regis Chaldæorum cupiens relevari, misit ad regem Ægypti, ut invicem se juvarent, quatenus a jugo regis Babylonis se possent excutere : quo cognito, rex ille cum grandi exercitu venit obsidere Sedeciam in urbe Jerusalem. *Prævaluitque fames in civitate,* hoc est in habitatoribus Jerusalem : quia infra totum tempus præfatæ obsidionis nemo poterat victualia in urbem illam perducere ; *nec erat panis,* id est alimentum, *populo terræ.* Quia et in aliis urbibus regni Juda fuit caristia, eo quod Chaldæi omnia occupassent, et vastassent in territorio illo.

Et interrupta est civitas. In Jeremia habetur, Aperta est civitas : non utique a civibus suis, sed violentia Chaldæorum, qui in muris et portis Jerusalem fecerunt cum machinis suis aliquas aperturas. Unde Josephus narrat, quod rex et exercitus Babylonius, obsessionem gravius inferebat, faciens turres cum ædificiis magnis, aggeresque ingentes exaltans, ex quibus resistebat civibus nitentibus pugnare de muro ; multasque machinationes erexit, æquans eas muris civitatis per circuitum ejus. Illi quoque qui intra urbem erant, fortiter ac promptissime resistebant. *Et omnes viri bellatores nocte fugerunt :* nam circa mediam noctem civitas capta est ; *per viam portæ quæ est inter duplicem murum,* hoc est inter duos muros Jerusalem, *ad hortum regis,* id est, juxta hortum palatii, et per viam illius horti fugerunt. *Porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem.*

Ibid. XXXIX, 2.

Fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis, hoc est per campestrem viam tendentem in eremum.

Digitized by Google

Hinc Josephus refert, quod fugit per desertum valde tutissimum. Quidam tamen Hebræi dicunt, quod fugit per subterraneam viam, et quod Dominus fecit apparere et currere super viam illam extrinsecus cervum ac capream, donec rex cum suis a Chaldæis insequentibus est inventus in loco, ubi de subterranea via exivit : quod ex Scripturis auctoritatem non habet, nec textui multum consonare videtur. Ideo alii dicunt, quod quidam Judæi a Chaldæis capti in civitate, vel qui ante ultro exierunt ad Chaldæos, monstraverunt eis viam, per quam rex iniit fugam. Josephus vero testatur : Capta civitate circa mediam noctem, et principibus Chaldæorum ingressis templum, cognoscens hoc Sedecias rex, sumptis uxoribus, et filiis, et principibus, et amicis, fugit per desertum : quod dum a quibusdam traditiciis, principibus Chaldæorum indicatum fuisset, diluculo eum persecuti sunt ; et omnes bellatores qui erant cum eo, dispersi sunt, quia non poterant eum juvare, metuebantque capi : qui tamen mox a Chaldæis eos insequen- *Jer.* xxxix, tibus, sunt comprehensi, prout a Jeremia satis innuitur.

Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho ; et omnes bellatores qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, quæ alio nomine legitur Antiochia nuncupari : in qua Nabuchodonosor erat tunc. *Qui locutus est cum eo judicium,* hoc est, rationabiliter ac judicialiter eum increpavit et accusavit : quia, ut Josephus refert, mox ut vidit eum, cœpit eum infelicem impiumque vocare, et juramenti sibi facti immemorem, atque ingratum de hoc, quod eum constituerat regem. Et addit : Magnus Deus odio habens tuam nequitiam, subjugavit te nostro imperio. *Filios autem Sedeciæ occidit coram eo :* quod fuit ei grave nimis videre ; *et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem :* quæ omnia per alios ei fieri jussit. Tunc ergo, sicut

A prædixit Ezechiel, Sedecias Babylonem in- *Ezech.* xii, 13. travit, et eam non vidit. Atque, ut Jeremias fuit vaticinatus, os ejus cum ore regis *Jer.* xxxii, 4. Babylonis locutum est. Refert Josephus, quod Ezechiel ex Chaldæa misit epistolam Judæis in Jerusalem, prænuntians eis calamitates instantes. Pseudo vero prophetæ persuaserunt regi ac populo, non esse credendum Ezechieli nec Jeremiæ, quia inter se discordarent, eo quod Ezechiel scripsit, quod Sedecias Babylonem non videret, Jeremias autem prophetavit, quod ducendus B esset in Babylonem.

Mense quinto undecimi anni quo captus est Sedecias, *septima die mensis, ipse est annus nonusdecimus* regni *regis Babylonis.* Verumtamen in Jeremia scriptum est : Ipse est annus octavusdecimus. Quod faci- *Ibid.* lii, 12. liter concordatur, dicendo, quod ultimus illorum annorum, non fuit ex toto completus, ideo in Jeremia non computatur. *Venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem, et succendit domum Domini.* Unde in Ezechiele fuit C prædictum : A sanctuario meo incipite. *Ezech.* ix, 6. Jussit autem rex Babylonis templum incendi, non ex contemptu Dei Israel, quasi putaverit illum cultu indignum, sed quoniam reputavit Judæos templo Dei indignos. Unde, ut in Jeremia habetur : Princeps militiæ dixit ad Jeremiam : Dominus *Jer.* xl, 2, 3. locutus est malum super locum istum, et factus est vobis sermo hic. Peccastis enim Domino. *Et domum regis et domos Jerusalem, omnemque domum combussit ; et muros Jerusalem in circuitu destruxit om-* D *nis exercitus Chaldæorum, qui erant cum principe militum :* ne habitantes in ea, amplius rebellarent imperio Chaldæorum. *Reliquam autem partem populi qui remanserat in civitate* Jerusalem, *et profugos qui transfugerant ad regem Babylonis,* antequam vi caperentur, et ante incendium urbis, *et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ,* de Judæa in Chaldæam. Porro profugus appellatur, qui fugit de una parte, urbe, aut regione ad aliam. *Et de pauperibus terræ reliquit vi-*

Digitized by Google

nitores et agricolas, qui vineas agrosque colerent, ne terra in solitudinem redacta, sterilisque effecta, rex Babylonis nullum ex ea consequeretur emolumentum nec tributum.

III *Reg.* VII, 15-22, 27-39, 23-26, 41-44. *Columnas autem æreas quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æneum, quod erat in domo Domini,* de quibus omnibus dictum est in expositione libri tertii, *confregerunt Chaldæi,* ut fracta convenientius secum in Babylonem deferrent, *et transtulerunt æs omne in Babylonem. Ol-* *Ibid.* 40, 45, 50. *las quoque æreas,* in quibus carnes coquebantur oblatæ, *et trullas,* id est instrumenta quibus cineres congregabantur aut eruebantur de sub altari holocaustorum, *et tridentes,* hoc est fuscinulas, *et scyphos, et mortariola, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt; necnon et thuribula et phialas.* De quibus omnibus præallegato tertio libro dictum est satis : idcirco non decet hic immorari, sed illuc est recurrendum. *Quæ aurea, aurea :* id est, aurea vasa collocavit, et secum portavit inter aurea instrumenta atque clenodia; et juxta eumdem sensum, *quæ argentea, argentea, tulit princeps militiæ : id est columnas duas, mare unum, et bases quas fecerat rex Sa-* *Ibid.* 47. *lomon in templo Domini. Non erat pondus æris omnium vasorum,* hoc est, incognitum fuit præ mole magnitudinis ac multitudinis suæ; vel per hyperbolen dictum *Ibid.* 15-18. est hoc. *Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una, et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum, et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea. Similem et columna secunda habebat ornatum.* Istud intelligendum est de duabus præcipuis templi columnis : de quarum materia, forma, ornatu, quantitate, et eminentia dictum est prætacto tertio Regum, ubi et concordata sunt, quæ de hac re videntur in diversis Scripturæ locis ab invicem dissonare.

Tulit quoque, hoc est, captivavit et secum duxit, *princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum,* id est pontificem, *et Sophoniam sacerdotem secundum,* hoc est secun-

A di ordinis vel proximum in dignitate post præsulem : quem Josephus vocat sacerdotem secundarium ; *et tres janitores,* qui a Jeremia dicuntur tres custodes vestibuli, et in Josepho, custodes templi. *Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros.* Sicque vocatur eunuchus, non ratione castrationis, sed ex dignitate officii ; sicque in Genesi Joseph legitur venditus Putiphari eunucho Pharaonis, principi exercitus. *Gen.* XXXIX, 1. Vel tales principum officiati, ratione castitatis et honestatis di-

B cebantur eunuchi. *Et quinque viros de his qui steterant coram rege,* tanquam ei familiares. In Jeremia autem scriptum est : Et *Jer.* LII, 25. septem viros qui videbant faciem regis, id est, ei familiarius atque frequentius aderant ; sed numerus minor non excludit majorem : et forsitan quinque erant principaliores, propter quod exprimuntur, Qui steterant coram rege. *Quos reperit in civitate; et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ, et sex* * *viros e vulgo, qui inventi fuerant in civi-* * *sexaginta*

C *tate. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha, in terra Emath. Et translatus est Juda,* hoc est populus regni Juda, videlicet tribus Juda, tribus Benjamin, tribusque Levi, *de terra sua.*

Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, scilicet præfatis pauperibus, operariisque Judæis, *præfecit Godoliam filium Ahicam, filii Saphan.* Qui, ut Jose-

D phus protestatur, fuit vir justus et mansuetus ; et præpositus fuit, ut plebem superstitem gubernaret, regique Babylonis tributa solveret regionis sibi ab illo commissæ. *Quod quum audissent omnes duces militum,* qui sub principe militiæ erant, et inter milites præcipui ac præsidentes quibusdam, utpote millenarii, quinquagenarii, *ipsi et viri qui cum ipsis erant,* qui scilicet manus evaserant Chaldæorum, *videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam,* tanquam principem, cui terra

Digitized by Google

fuit commissa, ut sub eo essent securi, vel ad inquirendum et considerandum qualiter negotia se haberent; *venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismael filius Nathaniæ, et Johanan filius Caree, et Saraia filius Thanehumeth, Netophathites, et Jezonias filius Maachati, ipsi et socii eorum. Juravitque Godolias ipsis et sociis eorum, dicens : Nolite timere servire Chaldæis. Manete in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis :* hoc est, cum juramento promisit eis securitatem, dummodo subesse vellent Chaldæis.

Factum est autem in mense septimo, venit Ismael filius Nathaniæ filii Elisama de semine regio, hoc est de progenie regum Juda, *et decem viri cum eo :* imo et plures, ut creditur, sed decem fuerunt principales. *Percusseruntque,* hoc est occiderunt, *Godoliam, qui et mortuus est : sed et Judæos et Chaldæos qui erant cum eo in Maspha :* vel quia Godoliæ principatui invidebant, quum ipse Ismael esset de semine regum, non Godolias; vel ex odio regis Babylonis. Nam et Chaldæos qui erant cum Godolia, occidit. Refert Josephus, quod Godolias Ismaelem et suos splendide refecit, et sæpe ab Ismaele invitatus, vino se inebriavit; isque ex ebrietate in soporem resolutum occidit. Ista historia, sed et sequens, in Jeremia diffuse habetur, et hic (er. XLI.) non nisi brevissime tangitur. *Consurgensque omnis populus* Judæorum ibi residuus, *a parvo usque ad magnum, et principes militum,* scilicet duces prætacti, *venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos.* Timebant enim a Chaldæis male tractari, propter Godoliæ et Chaldæorum qui secum erant, interfectionem. (bid. XLIII, II.) Jeremias tamen consuluit eis oppositum, et quum nollent suo consilio obtemperare, perrexit cum eis in Ægyptum.

Consequenter recitatur, qualiter Evilmerodach rex Babylonis, qui patri suo Nabuchodonosor successit in regno, elevavit, exaltavit, et gloriose tractavit ipsum Joachin, qui ex consilio Jeremiæ se tradidit Nabuchodonosor regi : quod faciendo, istam A quoque promeruit prosperitatem. *Factum est vero in anno tricesimo septimo transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vicesima et septima die mensis, sublevavit Evilmerodach rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere, et locutus est ei benigne. Et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone; et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam* B *quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.* Hæc littera satis plana est. Dicunt quoque aliqui, quod Nabuchodonosor rege in amentiam verso, Evilmerodach filius ejus regnum assumpsit, et multa commisit flagitia : propter quod pater ejus curatus, et in regnum reductus, præfatum suum filium incarceravit : sicque cum Joachin in carcere amicitiam quamdam contraxit : ex qua postea sublimatus in regnum, patre suo defuncto, C ipsum Joachin exaltavit, ut dictum est. Josephus vero tangit, quod ideo fecit hoc, quoniam pater suus Nabuchodonosor non servavit fidem et pactum huic Joachin, qui ad eum ea conditione exivit, quod nec sibi nec suis noceret : quod Nabuchodonosor non implevit.

Præterea, ut Josephus scribit, templum a Chaldæis concrematum est post trecentos * septuaginta annos, et menses sex, (* quadringentos) diesque decem ex quo a Salomone fuit constructum. Ab ingressu autem populi D in terram promissionis, tunc erant anni mille sexaginta duo, menses sex, decemque dies. A diluvio vero usque ad vastationem templi, omne tempus fuit annorum mille nongentorum quinquaginta septem, sex mensium, decem dierum. Ex quo factus est Adam, usque ad ea quæ contigerunt templo, anni sunt tria millia quingenti tredecim, menses sex, dies decem. Verumtamen computatio ista ab aliorum quorumdam enumeratione in aliquibus discrepare censetur.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUINTI SPIRITUALIS.

I Cor. x, 11. TESTANTE Apostolo, Omnia in figura contigerunt illis, utpote populo Judæorum in veteri Testamento. Et sicut in populo illo fuit frequens deformatio et ruina, ita et in Christi Ecclesia. Et sicut Deus omnipotens populum Synagogæ per devotos reges ac sacerdotes et sanctos multoties reformavit, atque ad pristinum gratiæ decus reduxit; sic et Ecclesiam sæpe collapsam, sæpe reformare dignatus est per sanctos prælatos, per sacros religiosque viros, per principes virtuosos. Rursus, quemadmodum in veteri Testamento maxima causa ruinæ ac deformationis in Synagoga, fuit regum aliorumque præsidentium detestabilis vita, negligentia, inexemplaritasque aperta; ita plane in tota Ecclesia Dei, causa potissima totius dissolutionis, corruptionis, carnalitatis ac lapsus, est prælatorum principumque ruina, præsertim episcoporum, quorum est universam eis commissam diœcesim efficaciter gubernare, deformata et lapsa mox reparare, bona conservare atque perficere, præceptum fraternæ correptionis sine personarum acceptione infatigabiliter adimplere.

Iterum, sicut populus Israel paulatim et successive est victus, captus, translatus, quousque regnum ejus omnino defecisse videtur ad longum tempus, ita quod non nisi paucissimi in eo manserunt Israelitæ; ita Ecclesia ab invisibilibus hostibus ac visibilibus inimicis, persecutoribus et tyrannis, Sarracenis, hæreticis, ac ceteris perfidis frequentissime et acerrime est impugnata, et pro magna parte devicta, suisque terris ac regionibus destituta. Adhuc autem, sicut populus Israel in duo divisus regna, contra se invicem assidue dimicavit, quousque per extraneos æmulos est abductus; sic Christianorum reges ac principes et subjecti, frequenter nimis et lamentabiliter contra se invicem præliantur: et sicut ab Assyriis et Chaldæis gravius sunt oppressi Israelitæ; sic Christifideles a Teucris et Sarracenis vehementius sunt vastati, et terris suis, imo et terra sancta privati.

Itaque, per reges Juda virtuosos, signantur electi, idoneique prælati, et reges ac principes timorati. Porro, per reges Juda iniquos, præfigurati sunt pravi et scandalosi, carnales et negligentes pastores, reges ac domini temporales. Et sicut in veteri lege non solum iniqui reges ac pravi Judæi ab infidelibus impugnabantur gentilibus, sed etiam justi, ut constat de David, Asa, Josaphat, Ezechia, verumtamen diversimode, exituque diverso, quoniam boni prævaluerunt, iniqui succubuerunt; sic prælati et præsides Christianorum, et ipsi fideles eis subjecti, non solum pravi ac reprobi, sed item electi et virtuosi, ab invisibilibus ac visibilibus æmulis impugnantur. II Reg. VIII, 1-14; X, 6-18; XXI, 15-22; III Reg. XV, 16; II Par. XX, 1-25; IV Reg. XVIII, XIX.

Itaque, per obsidionem Jerusalem a Chaldæis, præfiguratum est, quod Ecclesia militans hostibus suæ salutis undique circumvallatur, et variis machinis impugnatur: ita quod interdum panis deest populo terræ, dum fideles tentationibus superantur, passionibus et vitiis obruuntur, calliditate ac fraudibus circumveniuntur; sicque interrumpitur civitas Dei, de qua gloriosa sunt dicta, dum virtutum integritas dissipatur, et prælatorum pervigil sollicitudo, pastoralis custodia, munitio exemplaris deficiunt. Tunc hostes ingrediuntur ad populum, atque ad libitum debacchantur in plebe Christi. Rex demum et principes fugiunt, dum prælati, prædicatores, et quorum est alios defensare, per vitiorum devia Ps. LXXXVI, 3.

Digitized by Google

gradiuntur, nec hostibus se opponunt; sed propria commoda cupientes, infernalibus lupis animarum et ovium Christi devoratoribus non reluctantur. Sicque et ipsimet damnabilius pereunt, et gravius strangulantur in anima, eorumque oculi interiores eruuntur a rege Babylonis : quia diabolus princeps confusionis, ita eorum obtenebrat corda, quod nec propria, nec subditorum advertunt pericula, nec divini intuentur rigorem judicii, nec in illam verentur per-
Job x, 22. trahi terram, in qua nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Sicque miserrimi isti nunc serviunt regi Babylonis, quoniam jugo peccati et servitute diaboli sunt detenti. In quorum animabus est infelix eversio, et fœda prorsus confusio, dum carnalitas prævalet rationi, caro spiritui, concupiscentia voluntati.

Amplius, rex Babylonis filios Sedeciæ, ipso cernente nec resistente, occidit, dum maligni spiritus subditos ad vitia trahunt, ac publice prævaricari suadent; et tamen qui præsunt, non corripiunt, nec castigant peccantes, sive ex negligentia, sive ex carnali timore, sive ex privata et inordinata affectione.

Porro, exercitus Chaldæorum, est acies dæmonum, catena vitiorum, congeries peccatorum. Princeps hujus exercitus, est dæmon intemperantiæ, spiritus fornicationis, fervor cupiditatis. Iste incendit templum Domini, dum congregationem fidelium a veræ caritatis igne infrigidatam, æstu accendit libidinis, appetitu gulæ, avaritiæ flamma : sicque vasa templi Dei diripiuntur, dum corda divino obsequio dedita, ad iniquitatem flectuntur, et membra corporis, quæ primo servierunt munditiæ ac vir-
Rom. vi, 13. tuti in sanctificationem, exhibentur arma iniquitatis peccato in perditionem. Tunc omnis spiritualis decor aufertur fidelibus, et cadunt columnæ, dum qui alios sustentabant, a sua labuntur constantia; et vel adversitate franguntur, vel prosperis extolluntur, aut voluptatibus gustus et tactus

A emolliuntur, et jacent miserabiliter viliterque prostrati, qui in omni virtute et sapientia spirituali deberent esse erecti, stabiles, atque immobiles a medio virtutum, I *Cor.* xv, 58.
nequaquam deficientes, et abundantes in opere Domini semper.

Præterea, transfertur Juda de terra sua, dum populus christianus confessioni divinæ laudis, et accusationi propriæ culpæ deputatus, ac Christo incorporatus, ac civis Sanctorum atque domesticus Dei factus, *Ephes.* II, 19.
cadit a statu salutis, et fit Deo ingratus :
B sicque incorporatur diabolo, et membrum ecclesiæ malignantium, civis Babylonis, et *Ps.* xxv, 5.
socius tenebrarum efficitur. Tunc quoque pauperibus terræ qui omnino nihil habent, nisi proprias passiones, peccata et vitia, quibus sunt pleni, in quibus nulla est spiritualis opulentia, hoc est ambitiosis, carnalibus, et vanis hominibus, committitur regimen populi : quorum promotionem desiderat et procurat rex Babylonis, puta diabolus, qui de nulla re amplius gloriatur, quam de promotione carnalium, vitio-
C sorumque hominum ad regimen animarum. Caveant ergo prælati ac principes ovium Christi, vicarii Dei, animarum custodes, ne ista et his similia ipsis contingant : ne aditum præbeant inimicis ad Christi oviculas, ne perfodi sinant domus *Luc.* XII, 39.
suas; ne pravis exemplis hos perdant, quos Christo lucrari tenentur; ne parvipendant pretium sanguinis unigeniti Filii Dei, negligendo illorum custodiam ac salutem, pro quorum salvatione sapientissimus ille mercator, tam pretiosissimum sanguinem
D fudit, tam incomparabilem thesaurum expendit, tantum assumpsit laborem, et tam amarissimam pertulit mortem; sed ejus accendantur amore, zelo exardescant salutis fraternæ, ac debitum sui persolvant officii. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est Rex regum et Dominus universo- I *Tim.* VI, 15.
rum, mutans tempora et ætates, transferens *Dan.* II, 21.
regna atque constituens : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. *Is.* LVII, 15. *Rom.* I 25.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI REGUM QUARTI

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN PRIMUM LIBRUM PARALIPOMENON

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

D*EUS fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum.* Act. XVII, 26.

Creator omnipotens, cujus sapientiæ non est finis aut numerus, qui ad imaginem et similitudinem suam condidit hominem, in hoc quoque assimilavit sibi eumdem, quod sicut tota universitas creaturæ ab uno prodiit Creatore, sic cuncta hominum multitudo ab uno manavit parente homine, scilicet protoplasto, de cujus costa formata est mulier prima : quod etiam propter mysticam factum est significationem sacramentalem, atque ob id ut inter homines major consistat caritatis connexio, firmitasque concordiæ. Ideo quartodecimo de Civitate Dei, capitulo 1, loquitur Augustinus : Ad humanum genus non solum naturæ similitudine sociandum, verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex homine uno voluit Deus instituere genus humanum.

Ps. CXLIV, 3; CXLVI, 5. *Gen.* I, 26, 27.

Ibid. II, 21, 22.

Quamvis autem in Genesi plenius describatur, qualiter factum sit istud, tamen etiam in volumine isto hoc ipsum monstratur. Vocatur quippe hic liber Paralipomenon. Et ut sexto Etymologiarum ait Isidorus, Græce παραλειπομένων, interpretatur Latine, prætermissorum aut derelictorum. Circa quod scribit magister Adam Parisiensis : Παραλείπω, verbum græcum est, significans idem quod, relinquo aut prætermitto. Et secundum Ugutionem dicitur ἀπὸ τοῦ παρά, quod est præter, et εἶπας, quod est supplens, et μήνη, quod est defectus, quasi prætermissorum supplens defectum : quoniam ea quæ in lege, et præsertim quæ in libris Regum omissa sunt, vel non plene relata, summatim ac breviter in isto exprimuntur volumine. Propter quod, secundum Hieronymum, liber hic dici potest, χρονικόν totius sacræ Scripturæ, ad cujus intellectum plenius obtinendum præcipue confert. Hinc rursus scribit S. Hieronymus in epistola ad Paulinum, quæ est prologus totius Scripturæ divinæ : Paralipomenon liber, Instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. Porro ἐπιτομή dicitur abbreviatio sermonis, ab ἐπί, quod est supra, et τομή, quod est sectio sive divisio, quasi præcisio abbreviatioque sermonis, quoniam compendiose colligit prætermissa. Itaque, liber Paralipomenon exsistens epitome, id est abbreviatio veteris Instrumenti, id est veteris Testamenti, quod dicitur instrumentum, vel quoniam instruit in fide et moribus, vel quia utimur eo ad novi Testamenti probationem, est tantus ac talis, id est tam sententiosus et utilis, quod se ipsum decipiat, si quis voluerit sibi arrogare, id est superbe attribuere, scientiam Scripturarum absque illo, id est sine intellectu libri illius.

Denique, specialiter in duobus Paralipomenon libris supplentur ac describuntur ea, quæ in libris Regum omissa fuerunt de David, Salomone, successoribusque eorum

Digitized by Google

usque ad Sedeciam. Idcirco in præfata epistola addit Hieronymus : Per singula quippe nomina juncturasque verborum, prætermissæ in libris Regum tanguntur historiæ, et innumerabiles Evangelii explicantur quæstiones. Nam circa descriptionem
Luc. III, 23-38. genealogiæ Christi, quam sanctus Lucas ascendendo prosequitur usque ad Adam, sanctus vero Matthæus descendendo ab Abraham usque Joseph, possunt quamplurimæ *Matth.* I, 1-16. quæstiones moveri, quæ ex libro hoc Paralipomenon partim sumunt occasionem, et partim solutionem. Interdum namque nominantur alii patres a Luca, et alii a Matthæo, et patrum illorum alia exprimuntur vocabula in hoc libro, sicut hoc super Matthæum et Lucam plenius scripsi, declaravi ac solvi.

Præterea, liber iste Hebraice nominatur DIBRE HAIAMIM, id est verba dierum, seu χρονικόν, id est temporale, ἀπὸ τοῦ χρόνου, quod est tempus, quia complectitur totum tempus ab Adam usque ad finem Regum Juda. Terminatur quoque hoc nomen DIBRE HAIAMIM
Gen. XXXV, 18. in *m*, non in *n*. Ait enim Hieronymus, et habetur in glossa super Genesim : Errant qui putant, quod Benjamin, filius dierum interpretetur. Dextera namque dicitur JAMIN, et terminatur in *n*. Dies vero appellatur JAMIM, et finitur in *m*. Quum itaque DIBRE HAIAMIM interpretetur, verba dierum, et non, verba dexteræ, constat quod terminetur in *m*.

Quæritur, quis librum istum ediderit. Ad hoc aliqui dicunt, incertum esse quis composuerit eum. Unde et præfatus Adam : Quis (inquit) scripserit DIBRE HAIAMIM, ignoratur; propter quod, inter apocrypha deberet computari. Tamen inter Hagiographa computatur. Alii vero dicunt, quod sicut Jeremias composuit seu in unum compegit
Jer. LII, 34; IV *Reg.* XXV, 30. libros Regum, quod inde patet, quoniam idem est finis libri Jeremiæ et libri Regum ; sic auctor Paralipomenon fuerit Esdras. Nam finis secundi libri Paralipomenon est idem cum principio libri Esdræ. Hinc scribit Lyra : Quamvis aliqui dicant auctorem hujus libri nesciri, tamen Rabbi Salomon Hebræus dicit, quod Esdras ipsum conscripsit, ad perfectionem veteris Testamenti. Postremo, pro certo tenendum est, quod principalis auctor hujus voluminis fuerit Spiritus Sanctus, qui per aliquem sanctum virum edidit librum istum, qui inter Scripturas canonicas ab Ecclesia computatur.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN PRIMUM LIBRUM
PARALIPOMENON

HEBRAICE DIBRE HAIAMIM

ET EST TOTIUS INSTRUMENTI VETERIS USQUE AD SALOMONIS REGIS TEMPORA, QUODDAM QUASI EPITOME SIVE CHRONICON.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : ADAM, SETH, ENOS, CAINAN, ETC.

CONTINET liber iste gesta aliqua temporum ab exordio mundi usque ad Babylonicam captivitatem : ideo auctor incipit ab Adam, et descendit per intermedios patres usque ad David, quanquam et alias describat generationes diversas ; et ea quæ in Genesi scripta sunt, replicat. Incipit ergo ab Adam, et per ordinem nominat decem viros, quorum primus est Adam, a quo alii novem per lineam generationis et successionis ordinem descenderunt, ita quod Noe est decimus ab Adam, includendo tam ipsum Adam quam Noe, quia octo dumtaxat inter eos in ordine successionis generativæ fuerunt. *Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusale, Lamech, Noe.* Sensus est, quod Adam genuit Seth, et ipse Seth genuit Enos, Enos vero genuit Cainan : sicque deinceps usque ad Noe. Porro quod subditur, *Sem, Cham, et Japhet,* non taliter intelligitur : quia

A unus eorum non genuit alium, sed fuerunt
simul tres filii Noe. De diuturnitate vitæ *Gen.* IV, V.
præfatorum decem, et de concernentibus
eos, scriptum est in Genesi. Denique, post
Adam nominavit filium ejus Seth, qui ta- *Ibid.* IV, 25.
men post Cain et Abel est natus ; sed duos
illos dimisit intactos, quoniam de Abel justo nullus est natus, et de stirpe Cain noluit loqui aut prosequi. Nam et ipsa tota *Ibid.* VII, 23.
fuit deleta diluvio.

Consequenter exprimuntur septem filii Japhet filii Noe. *Filii Japhet : Gomer, Ma-*
B *gog, Madai, et Javan, Thubal, Mosoch,*
Thiras. Hoc ipsum scriptum est in Gene- *Ibid.* X, 2.
si. De Gomer dicti ac geniti sunt Galatæ, secundum Josephum : quod et Glossa insinuat. De Magog, secundum Hieronymum, nati sunt Scythæ, qui et Massagetæ putantur, ut aliqui opinantur. Verumtamen Ma- *Ezech.*
gog in Ezechiele et Apocalypsi nomen est XXXVIII et XXXIX ;
populi. De Madai orti sunt Medi, de Javan *Apoc.* XX, 7.

Digitized by Google

Græci, de Thubal Hispani, de Mosoch Cappadoces, de Thira Trachæi seu Thraces. Hæ septem gentes ad aquilonem morantur secundum Glossam. *Porro filii Gomer : Ascenez, et Riphath, et Thogorma.* (Gen. x, 3.) Istud quoque in Genesi scriptum est. Tamen in Hebræo dicitur Diphath. Ascenez : hos Græci nominant Rheginos. De Thogorma nati sunt Phryges. *Filii autem Javan : Elisa,* a quo descenderunt Elisæi, id est Græci, qui post (ut legitur) vocati sunt Æolides; *et Tharsis,* de quo nati sunt, secundum Josephum, Cilices : quorum metropolis dicitur Tharsus, (Act. xxii, 3.) de qua Paulus apostolus natum se perhibet; *Cethim; et Dodanim,* de quo Rhodii : sic enim Septuaginta transtulerunt. Circa hæc fertur in Glossa : Legamus libros de Antiquitatibus, et videbimus pene omnes insulas, et totius orbis littora terrasque maritimas Græcis accolis occupatas, quia ab Amano et Tauro omnia possederunt, usque ad mare Britannicum.

Sequitur descriptio generationis Cham filii Noe. *Filii Cham : Chus,* a quo Æthiopes : nam usque in præsens Æthiopia ab Hebræis Chus appellatur; *et Mesraim,* a quo Ægyptii nati sunt; *et Phuth,* a quo Libyes seu Phuthæi; *et Chanaan,* a quo Chananæi. *Filii autem Chus* fuerunt : *Saba,* a quo Sabæi; *et Hevila,* a quo Gætuli in remotiori majorique Africa, juxta eremum commorantes; *Sabatha,* a quo Sabatheni, qui et Astabori dicuntur; *et Regma, et Sabathacha. Porro filii Regma : Saba, et Dadan.* Posteritates horum, sicut et aliorum quamplurium, secundum Hieronymum, ignorantur, quoniam bellis attritæ sunt vel depulsæ, et pristina nomina perdiderunt. *Chus autem genuit Nemrod. Iste cœpit esse potens in terra.* (Gen. x, 8, 9.) Omnia ista in Genesi diffuse exposita sunt. Nemrod iste, ut Josephus scribit, in consuetudinem tyrannidem arripuit, et nova cupiditate regnandi, plurimos sibi attraxit ac subdidit : quos a divino retrahens cultu, (Ibid. xi, 3, 4.) instigavit ad Babylonicæ ædificium turris.

Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephthuim, A *Phetrusim quoque et Casluim.* Ponuntur hic nomina sex filiorum Mesraim : quorum posteritates ex causa prætacta ignorantur, nisi quod ut in textu dicitur, de Phetrusim et Casluim *egressi,* hoc est nati *sunt Philistiim et Caphtorim,* id est duæ gentes sic dictæ, ex duobus fratribus illis progenitæ.

Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, a quo condita est urbs nomine Sidon in regione Phœnicis. Sicque Sidon interdum est proprium nomen viri, aliquando urbis; quandoque autem est nomen B commune populi nati ex præfato Sidone. *Hethæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum, et Gergesæum, Hevæumque et Aracæum et Sinæum, Aradium quoque et Samaræum, et Hemathæum.* Sicque habuit undecim filios, qui et in Genesi exprimuntur. (Gen. x, 15-18.) Et nomina ista interdum accipiuntur communiter pro populis natis ex viris istis. Porro Aracæus ædificavit urbem Arcas ex opposito Tripolis in monte Libani; Sinæus vero, oppidum nomine Sin; et Samaræus, urbem Samariam, a qua provincia C nomen sortita est, quia Samaria nuncupatur; Hemathæus autem, urbem Hemath*, quam Macedones qui post Alexandrum regnaverunt, Epiphaniam nominaverunt, quæ (ut legitur) alio nomine Antiochia est vocata. Horum territoria Deus filiis Israel contulit. Ab Aradio quoque Aradii nati sunt, qui insulam Aradum, seu Aradiam possederunt, angusto freto seu parvo pelago a Phœnicis littore separatam, secundum Hieronymum.

Sequitur generatio Sem. *Filii Sem* fuerunt : D *Elam,* a quo Elamitæ et principes Persidis processerunt : qui et urbem Mitium legitur construxisse; *et Assur,* a quo Assyrii; *et Arphaxad,* a quo Chaldæi; *et Lud,* a quo Lydii; *et Aram,* a quo Syri, quorum metropolis est Damascus, juxta illud in Isaia, Caput Syriæ Damascus. (Is. vii, 8.) *Hi sunt filii Aram : Hus et Hul.* Ita habent aliqui textus, quia et in Genesi sic habetur. (Gen. x, 23.) Verumtamen verior textus non habet complexum hoc, Filii autem Aram, quia nec in Hebræo habetur hoc loco. Nihilo

* Emath

Digitized by Google

minus verum est, quod Hus et Hul fue- A runt filii Aram; sed auctor voluminis hujus nominat eos inter filios Sem, cujus erant filii mediati seu nepotes. At vero Hus construxit urbes Trachonitidem atque Damascum, ubi et tenuit principatum; et ab ipso nominata est terra Hus, quam Septuaginta interpretes Ausitidem, id est australem, appellant. Hinc in Job, ubi ha-
Job I, 1. bemus, Vir erat in terra Hus, transtulerunt, Vir erat in terra Ausitidis. De semine hujus Hus creditur Job fuisse. De Hul autem Armenii sunt nati, qui Asiæ B partem tenent ab Euphrate usque ad Indiæ mare. *Et Gether et Mosoch.* In Genesi
Gen. x, 23. dicitur, Gether et Mes: sicque per Mosoch nunc intelligitur Mes. De Gether autem nati leguntur Acharii; et de Mes, Messii, qui a Septuaginta vocantur Mosoch, a quibusdam Mæones.

Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber, a quo Hebræi nomen sumpserunt. *Porro ipsi Heber nati sunt filii duo: nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra,* id est, distinctio C terræ per regna atque provincias, diversaque nomina ac idiomata facta, quum posteri Noe cessassent construere turrim Ba-
Ibid. XI, 8. bel, juxta illud Genesis, Divisit eos Deus ex illo loco in universas terras. Itaque Phaleg interpretatur divisio; et si ipse Heber imposuit filio suo hoc nomen ante præfatam divisionem, videtur spiritu prophetico radiasse: quod et Hebræi fatentur, dicentes, quod divisionem istam prævidit in spiritu, et in signum futuri, filium suum sic appellavit. Fuit etenim Heber justus, nec D ædificationi turris consensit: propter quod pristinam servavit loquelam, puta Hebræam, quæ mansit in eo et in familia ejus, quæ a principio mundi usque tunc fuerat cunctis communis, et dicebatur humana. Sed ex tunc cœpit vocari Hebræa, quia mansit in domo Heber. Porro si divisio illa facta fuit ante nativitatem Phaleg, tunc dicendum, quod Heber istud nomen imposuit filio suo in signum et rememorationem rei præteritæ.

Denique Glossa ait: Heber vaticinio quodam filium suum vocavit Phaleg, quoniam in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt. Narratque Philo in libro Quæstionum super Genesim, quod ex filiis Noe, ipso vivente, nati sunt viginti quatuor millia virorum et centum, extra mulieres et parvulos. Et filii Sem habuerunt super se ducem Jectan fratrem prædicti Phaleg; filii Cham, Nemrod; filii Japhet ducem habuerunt virum nomine Suphene: qui duces, defuncto Noe, convenerunt cum suis agminibus in campo Sennaar, ut ibi turrim construerent. Quum autem ædificarent, divisit Deus linguas eorum, et mutavit effigies, et non cognovit quisque fratrem suum, nec audivit linguam proximi sui. Quum ergo magistri lapides quærebant, ministri aquam afferebant; et quum illi quærebant aquam, attulerunt hi stipulam. Sicque cogitatione frustrata, cessaverunt ædificare. Hæc Glossa.

Et nomen fratris ejus Jectan. Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Jare, Adoram quoque et Huzal, et Decla, Hebal etiam, et Abimael, et Saba, necnon et Ophir, et Hevila, et Jobab. Omnes isti filii Jectan. Sicut isti nominatim hic exprimuntur in littera, sic et in Gene- Gen. x, 26-
si. De quibus ait Hieronymus, quod nomina 29.
posteritatum eorum invenire nequivit, quoniam procul a nobis sunt, et possederunt Indiæ regionem, quæ vocatur Iberia. Insuper Alcuinus super Genesim ait: Sem (ut existimant) sortitus est Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Josephus vero apertius: Filii (inquit) Japhet tenuerunt septentrionalem plagam a Tauro et Amano, montibus Ciliciæ et Syriæ, usque ad fluvium Tanaim; in Europa autem usque ad terram Gadirorum. Porro filii Cham a provincia Syriæ, et Amano ac Libano montibus, universas terras obtinuerunt quæ ad mare sunt positæ, et apprehenderunt etiam eas quæ sunt ad Oceanum. Filii autem Sem habitaverunt seorsum, ab Euphrate facientes initium. Amplius, ultimus filiorum Jectan in textu vocatur Jobab. Circa quod

Digitized by Google

refert Lyra : Dicunt aliqui, quod iste fuerit Job. Sed advertendum, quod illi, qui dicunt Job alio nomine dictum Jobab, communiter intelligunt hoc non de isto Jobab, sed de Jobab qui regnavit in Idumæa, et fuit de semine Esau, de quo Esau dicunt sanctum Job descendisse : de quo etiam Jobab paulo post agitur.

Consequenter in textu decem viri per ordinem nominatim exprimuntur, qui sibi in linea generationis successerunt usque ad Abraham, qui inter istos est decimus, quemadmodum in exordio hujus capituli ab Adam usque ad Noe, decem expressi sunt : *Sem, Arphaxad et Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Serug, Nachor, Thare, Abram : iste est Abraham,* quasi dicat : Iste est famosus vir ille et Patriarcha præcipuus, qui primo vocatus est Abram, quod interpretatur, pater excelsus ; quem postea
Gen. xvii, 5. Dominus vocavit Abraham, quod interpretatur, pater multarum, et subauditur gen-
Ibid. xii, 2. tium, quoniam Deus ei prædixit quod multæ nationes et gentes ac populi nascituri essent ex eo. Unde in Genesi scriptum est,
Ibid. xvii, 5. Deo loquente ad eum : Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.

Filii autem Abraham fuerunt, *Isaac et*
Ibid. xvi, 15; xxi, 2. *Ismael :* inter quos Ismael primogenitus fuit, sed Isaac ei præponitur, quoniam erat
Galat. iv, 22, 23. magis electus et sanctus, atque de libera natus : et hoc supernaturaliter atque per repromissionem, et quia de ipso Christus fuerat nasciturus. *Et hæ generationes eorum. Primogenitus Ismaelis, Nabaioth, et Cedar, et Adbeel, et Mabsam, et Masma, et Duma, Massa, Hadad, et Thema, Jetur, Naphis, Cedma. Hi sunt filii Ismaelis,* de
Gen. xvii, 20. quo Dominus prædixerat Abrahæ : Duodecim duces generabit. Unusquisque enim filiorum Ismaelis, fuit princeps, caput et dux tribus suæ. Dicit quoque Hieronymus : Omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum, Nabaiothena vocatur, quæ Arabiæ pars est. De his Genesis vicesimo quinto plenius scripsi.

Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham quos genuit : Zamram, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, et Sue. Porro filii Jecsan : Saba et Dadan. Quamvis autem Cetura vocetur Abrahæ concubina, fuit tamen veraciter uxor ipsius juxta illud Genesis : Abraham vero aliam duxit uxorem nomine *Gen.* xxv, 1. Ceturam. Cetura autem interpretatur copulata. Unde, ut refert Hieronymus, Hebræi dicunt Ceturam hanc fuisse Agar, quam duxit Abraham, Sara vivente ; et ea *Ibid.* xvi, 3, 4. defuncta, rursus introduxit illam in domum suam. Circa hoc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod Cetura ista fuit Agar ; expositores autem catholici dicunt contrarium. Quod sonat, quasi expositores catholici generaliter atque concorditer dicerent hujus contrarium : quod non est ita, præsertim quia et sextodecimo de Civitate Dei B. Augustinus opinionem Hebræorum præfatam refert, nec reprobat. Magister quoque in historiis non reprobat eam, sed recitat : imo et quidam Catholici approbant eam, præsertim quia Josephus fidelis historiographus Judæorum hoc ipsum affirmat. Verumtamen potius puto, quod Cetura fuit alia quam Agar, potissime quum in Genesi dicatur, quod Abraham filiis concubina- *Ibid.* xxv, 6. rum largitus est munera : ubi nemine dubitante, per concubinas intelliguntur Agar atque Cetura : ad quod super Genesim alia *Ibidem.* introduxi motiva. Est autem consuetudo Scripturæ, uxores minus principales dicere concubinas.

Filii autem Dadan : Assurim, a quo secundum Hieronymum, aliqui dicunt Syros nomen sumpsisse. Videntur quoque Hieronymus Josephusque sentire, posteros quosdam Abrahæ maximas terras Indiæ occupasse et implevisse. *Et Latusim et Laomim. Filii autem Madian,* quem genuit Abraham ex Cetura. Sicque Madian inter- *Ibid.* xxv, 2. dum est proprium nomen viri, quandoque vero pro regione, nonnunquam pro urbe in terra Madian sita accipitur. Itaque filii Madian erant, *Epha et Epher* * *et Henoch* *alias Apher *et Abida et Eldaa. Omnes hi filii Ceturæ.* Quocirca dicit Hieronymus : Secundum historicos Hebræorum, filii Ceturæ occupa-

verunt et inhabitaverunt terram Troglodytarum atque Arabiam usque ad terminos maris Rubri. Apher vero filius Madian, fertur contra Libyam duxisse exercitum et prævaluisse ibidem, a quo posteri ejus Aphricam nuncupaverunt.

Gen. xxv, 25; xxxii, 28; xxxv, 10. *Genuit autem Abraham Isaac, cujus filii fuerunt Esau et Israel,* id est Jacob, qui primo vocatus est Jacob, postea ab angelo dictus est Israel, quasi vir videns Deum, ut in Genesi habetur. *Filii Esau : Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom et Core.* Secundum Hieronymum, Eliphaz iste fuit unus trium amicorum Job, qui contra eumdem disputavit, sicut in libro Job recitatur : quod Ibid. xxxvi, 4. et Glossa interlinearis in Genesim insinuat. *Filii Eliphaz : Theman, Omar et Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec.* Ponuntur hic septem nomina filiorum Eliphaz ; quæritque glossa Hieronymi, qualiter Thamna ponatur inter filios Eliphaz, quum in Genesi conscriptum sit, quod Ibid. 12. Thamna concubina Eliphaz peperit ei Amalec. Ad quod, ut refert Hieronymus, dicunt Hebræi, quod Thamna fuit concubina Eliphaz ; sed quia nutrivit eam in domo sua tanquam prolem, ideo inter ejus filios computatur : quod abusive dictum videtur. Ideo quidam aptius dicunt, quod Thamna interdum est nomen viri, ut hic, et infra quum dicitur, Dux Thamna ; quandoque vero Ibidem. nomen est mulieris. Unde et paulo post legitur : Soror Lotan fuit Thamna. *Filii Rahuel : Nahath, Zara, Samma, Meza.*

Filii Seir : Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. Filii Lotan : Hori et Homam. Sicut in Genesi patet, Esau aliis Ibid. 8. nominibus dictus est Edom et Seir. Sed hoc loco Seir accipitur pro quodam sic nuncupato, qui diu ante Esau habitavit in Idumæa, et fuit de genere Horræorum, a quo Seir terra illa primo vocata est terra Ibidem. Seir, prout istud super Genesin diffusius fuit expositum. *Soror autem Lotan fuit Thamna.* Dicit Lyra, quod ista Thamna fuit ipsius Eliphaz concubina. Contra quod objici potest, quod Thamna ista fuit soror Lotan, qui fuit filius Seir præfati, qui diu

A ante Esau commoratus ac dominatus est in Idumæa. Sicque filia ejus nomine Thamna, non videtur tempore Eliphaz adhuc vixisse, vel saltem concubitui apta fuisse. Ad quod dicendum, quod homines illi diu vixerunt, et Horræi illi a filiis Esau fuerunt Deut. ii, 22. devicti, ut in Deuteronomio describitur. Sicque Eliphaz potuit filiam alicujus devicti concubinam accipere. Nam et Hieronymus contestatur, quod Thamna ista fuit concubina Eliphaz jam præfati. *Filii Sobal : Alian, et Manahath, et Ebal, Sephi* B *et Onam.* Circa hoc fertur in Glossa : Alian iste de genere Horræorum, vocatur in Genesi Alvan, id est exaltatus ; in Paralipomenon vero, Alian, id est ejectus, ad insinuandum quod Horræi fuerunt exaltati, antequam filii Esau ceperunt terram eorum, postea vero ejecti. Gen. xxxvi, 23. *Filii Sebeon : Aia et Ana. Filii Ana : Dison. Filii Dison : Hamram,* qui alio nomine vocatus est Amadan, *et Eseban et Jethran, et Charan. Filii Eser : Balaan et Zavan, et Jacan* qui in Genesi dicitur Acan. *Filii Di-* Ibid. 27. C *san : Hus et Aran.*

Isti sunt reges qui imperaverunt in terra Edom, antequam esset rex super filios Israel : Bale filius Beor. Quemadmodum filiis Israel in terram promissionis introductis, primo præfuerunt duces seu judices a tempore Josue usque Saul, qui fuit rex I Reg. x, 1. totius Israeliticæ plebis legitime institutus ; deinde præfuerunt eis reges usque ad Babylonicam captivitatem ; qua finita, rursus præerant duces seu principes quidam, qui communiter erant pontifices ; et tan- D dem ad modicum tempus quidam eorum regium sibi diadema imposuerunt, puta Joannes Hyrcanus, vel potius filius ejus, et filii ejus : sic Idumæi ex Esau orti, primo regebantur per duces, deinde per reges, inter quos primus fuit præfatus Bale, qui in Genesi vocatur Balac ; nec fuit Balac Gen. xxxvi, 32. ille, qui conduxit ariolum Balaam, quoniam ille Balac regnavit in Moab et Ma- Num. xxii, 2 et seq. dian, et fuit filius Sephor. Denique Idumæis præfuerunt reges nati ex semine Abrahæ per Esau usque ad David, qui re-

Digitized by Google

giam potestatem abstulit illis, quando Joab A
III *Reg.* xi, 16. sex mensibus moratus est in terra Edom, quousque peremit omne masculinum in ea, ut legitur tertio Regum. Postmodum vero, iterum per duces sunt gubernati usque ad tempus Joram regis Juda. Et tunc
IV *Reg.* viii, 20. denuo regem sibi constituerunt, ut scribitur quarto Regum. Primo itaque numerantur in textu reges Idumæorum, postea duces eorum. *Et nomen civitatis ejus, Denaba,* quam Bale prædictus condidit atque inhabitavit.

Mortuus est autem Bale, et regnavit pro B
eo Jobab filius Zaræ de Bosra, id est de loco sic nominato. Circa hoc asserit Glossa : Hunc Jobab aliqui suspicantur fuisse Job, sed Hebræi affirmant eum de stirpe Nachor esse progenitum. Philo autem in libro Quæstionum Genesis affirmat sanctum Job his fuisse temporibus, et accepisse Dinam filiam Jacob uxorem, ac genuisse ex ea septem filios, et tres filias, tam ante suæ tentationis certamen, quam postea. Porro Ambrosius super epistolam ad Romanos, et Augustinus circa hæc ver- C
ba senserunt, quod Jobab iste exstiterit Job. Sed verius creditur, quod Job non fuit de semine Abrahæ, sed de semine Nachor
Gen. xxii, 20, 21. fratris ejus : qui Nachor genuit filios, primogenitum nomine Hus, et fratrem ejus Buz ; et de illo Hus Job creditur natus, juxta illud quod in exordio libri Job fertur,
Job i, 1. Vir erat in terra Hus nomine Job. Et hoc affirmat Hieronymus, qui etiam contestatur ipsum Eliu, qui quarto loco contra Job
Ibid. xxxii, 2 *et seq.* disceptavit, fuisse de stirpe Buz propter quod vocatur Buzites in libro Job, quo le- D
gitur, Indignatus est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram : et istud fatentur Hebræi.

Quumque et Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.
Gen. xxxvi, 15. Theman regio, a Theman filio Eliphaz nomen sumpsit, de quo loco Eliphaz fuit,
Job ii, 11; iv, 1; xv, 1; xxii, 1. propter quod Eliphaz Themanites vocatur. *Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian,* id est Madianitas, *in terra Moab; et nomen*

civitatis ejus Avith. Secundum Hieronymum, Madian est civitas quædam condita ab ultimo filio Abrahæ et Ceturæ : qui filius dictus est Madian, et urbs ista sita *Gen.* xxv, 2
est trans Arabiam. Fuit et alia civitas nomine Madian, in terra de qua uxor Moysis *Exod.* ii, 15, 16, etc.
fuit : imo tota regio illa frequenter Madian nuncupatur. *Quumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca. Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth,* id est loco seu oppido sic vocato, *quæ est sita juxta amnem,* id est fluvium regionis illius seu Idumææ. *Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor. Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad, cujus urbis nomen fuit Phau. Et appellata est illius uxor Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.* Ponuntur demum hic et alii reges usque ad ultimum regem Edom, qui fuit tempore David, et dictus est Adad, qui fugit a facie Joab ad regem Ægypti, ut tertio III *Reg.* xi, 17.
Regum narratur.

Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt. Deinde exprimuntur duces, qui præfuerunt in Edom post reges prædictos. Estque universa hæc littera plenius explanata in Genesi. Porro inter hos *Gen.* xxxvi, 15 *et seq.*
duces hi numerantur : *Dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram. Hi duces Edom.* Dicunt aliqui, quod Thamna et Oolibama, hæ duæ personæ erant feminæ præsidentes, seu ducum quorumdam matres, quæ propter strenuitates actuum suorum inter duces ponuntur. Et hoc Glossa insinuare ac sentire videtur, dicendo : Ducum quasdam matres nominant, ut Oolibama et Thamna. Alii probabilius dicunt, quod duo nomina ista æquivoca sunt, nunc viros, nunc feminas significantia, ut est tactum ; et nunc pro viris ducibus accipiuntur, præsertim quoniam Thamna quæ fuit uxor ipsius Eliphaz, atque Oolibama *Ibid.* 12
uxor ipsius Esau, fuerunt tempore ducum *Ibid.* 2
Idumæorum, diu ante reges eorum præfatos.

Digitized by Google

Postremo, circa illud, Sale genuit Heber, communiter dicitur, quod Judæi ab Heber patriarcha Hebræi vocati sunt. Circa quod scribit Lyra : Hebræi non sunt denominati ab Abraham, quasi Abrahæi, quamvis Augustinus hoc dicere videatur, quum et ipse Abraham in Genesi vocetur Hebræus ; quo constat, quod ab aliquo seniore seu præcedente sortitus sit istud cognomen. Circa quod dico, quod Augustinus sextodecimo de Civitate Dei de hac re loquitur inquisitive, non assertive ; et verum reor, Josephusque fatetur, quod ab Heber dicantur Hebræi.

Gen. xiv.

Verumtamen Rabbi Paulus hoc loco et super Genesim, alibique frequenter dicit oppositum. Unde in additione sua super Matthæum ait, quod Judæi dicuntur Hebræi ab Abraham, non ratione hujus nominis Abraham, quia sic dicerentur Abrahæi, nec dicuntur Hebræi ab Heber, quia eadem ratione Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi et Ismaelitæ dicerentur Hebræi, quia descenderunt ab Heber : sed dicuntur ab Abraham Hebræi alia ratione, videlicet quoniam Abraham natus fuit in Mesopotamia, inter quam et terram promissionis decurrit fluvius magnus, qui Euphrates nominatur, unus de quatuor fluviis paradisi. Hinc Abraham inde adductus in terram promissam, et ibi serviens atque sacrificans Deo, appellatus est Hebræus, id est transfluvialis, quasi de trans flumen Euphraten natus atque adductus, quemadmodum transmarini aut transmontani dicuntur, qui de partibus ultramontanis aut ultramarinis sunt oriundi. Hebræus quippe uno modo transfluvialis interpretatur. Hæc Rabbi Paulus.

In Matth. i, 23. — Gen. ii, 14.

Circa quæ dico in primis, stare non posse, quod asserit Abraham natum in Mesopotamia, quoniam natus est in Chaldæa, et de ea venit cum patre suo in Haran seu Charan Mesopotamiæ urbem, in qua patre suo defuncto, venit in terram Chanaan, quoniam in Genesi scriptum est : Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot, et Sarai, et eduxit eos de Ur Chaldæorum. Veneruntque ad Haran, etc. Stephanus quoque ait in Actis : Exiit Abraham de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum Deus in terram istam, videlicet Chanaan. Insuper in libro Judith, Achior loquitur de Judæis : Populus iste de progenie Chaldæorum est, et primum in Mesopotamia habitavit. Præterea Augustinus sextodecimo de Civitate Dei sic ait : Sicut Scriptura sancta indicante didicimus, in terra Chaldæorum natus est Abraham. Idem dicunt Hieronymus, Beda, Strabus, imo et Josephus. Præterea satis probabile est, quod tempore Abrahæ multi de Mesopotamia in terra Chanaan habitaverunt. Cur ergo non etiam ipsi Hebræi vocati sunt, id est transfluviales ? Argumentum quoque Rabbi Pauli non valet. Soli enim Judæi, qui ex Abraham nati sunt per principalem ejus conjugem sanctam Saram, fuerunt principales ac proprii posteri ejus, qui et ipsius fidem secuti sunt, utpote filii Jacob seu Israel. Unde Dominus dixit ad Abraham : In Isaac vocabitur tibi semen. Et quamvis Esau quoque de Isaac natus sit, non tamen fuit electus ut Jacob, juxta quod scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Itaque, quoniam Abraham fidem et sanctimoniam Heber patriarchæ sectatus est, merito ab ipso Hebræus est appellatus. Unde et lingua Heber patriarchæ remansit in Abraham et posteris ejus per Jacob, hoc est in filiis Israel, qui Hebræi vocantur.

Gen. xi, 31. — Act. vii, 4. — Judith v, 6, 7. — Gen. xxi, 12. — Malach. i, 2, 3.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : FILII AUTEM ISRAEL, RUBEN, SIMEON, ETC.

SICUT in primo capitulo actum est de A Adam ac posteris ejus et genealogiis eorum usque ad Jacob patriarcham, ita nunc agitur de ipso Jacob ac filiis ejus, specialiter de generatione Judæ et Caleb. *Filii autem Israel,* id est ipsius Jacob, cujus solennius nomen est Israel, quia ab angelo sancto ei impositum est, fuerunt, (Gen. xxxii, 28; xxxv, 10.) *Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar et Zabulon.* Hos sex genuit Jacob ex Lia, eodem ordine quo hic ponuntur. (Ibid. xxix, 31 et seq.; xxx, 6-24; xxxv, 18.) *Dan,* qui fuit filius Balæ ancillæ Rachelis; *Joseph, Benjamin,* filii Jacob ex Rachele; *Nephthali,* filius Balæ; *Gad et Aser,* filii Jacob ex Zelpha ancilla Liæ : quæ omnia in Genesi patent.

B

Deinde prosequitur generationem Judæ, de quo orti sunt reges. *Filii Juda* fuerunt, *Her, Onan et Sela. Hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide.* Circa hoc dicit Lyra : Dixerunt aliqui, quod Sue est nomen uxoris Judæ : quod non est verum. Sed Sue est nomen patris uxoris ipsius Judæ. Cui assertioni obviare videtur, quod in Genesi habetur : Evolutis multis die- C bus, mortua est Sue uxor Judæ. (Ibid. xxxviii, 12.) *Fuit autem Her primogenitus Juda nequam* * *coram Domino, et occidit eum.* (* malus) (Ibid. 7.) Abutebatur enim vasculo conjugis : in cujus ultionem facinoris Deus per angelum bonum vel malum protinus eum peremit ; atque ut in Scholastica fertur historia, inventus est mortuus juxta uxorem in lecto. (Hist. lib. Gen. c. 89.) Onan quoque frater Her simili crimine se fœdavit, et simili plaga percussus est. (Gen. xxxviii, 9, 10.) Sicque duo hi sine liberis sunt defuncti. *Thamar autem nurus ejus,* id est uxor filiorum Judæ, D *peperit ei Phares et Zaram.* (Ibid. 14, et seq.) Quod qualiter factum sit, in Genesi describitur, nec oportet ibi dicta hic iterare. *Omnes ergo filii Juda, quinque.*

Filii autem Phares fuerunt, *Hesron et Hamul. Filii quoque Zaræ : Zamri et Ethan, et Eman, Chalchal quoque et Dara : simul quinque. Filii Charmi : Achan qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis :* id est, furando aliqua Deo consecrata ac separata, fuit occasio quod totus populus Israel magnam incidit turbationem. Nam quidam fuerunt a viris Hai occisi, et plures fugerunt : quo facto, ceteri omnes vehementissime expaverunt. Unde legitur in libro Josue : Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate, iratusque est Dominus contra filios Israel. (Josue vii, 1.) Qua autem justitia Dei factum est hoc, quod scilicet propter unius excessum Dominus totum populum sic afflixit, super præfatum Josue librum, alibique expositum est. *Filii Ethan : Azarias.* Si Ethan non habuit nisi unum hunc filium, scilicet Azariam, ponitur plurale pro singulari, quemadmodum in Genesi habetur : Filii Dan, Usim ; et constat quod Dan, non nisi unicum habuit filium. (Gen. xlvi, 23.) Si vero Ethan habuit et alios liberos, subintelliguntur.

Filii autem Hesron qui nati sunt ei fuerunt, *Jerameel, et Ram, et Calubi, hic est Caleb.* Ram iste, alibi communiter, et in Matthæo vocatur Aram ; et per Calubi intelligitur Caleb. (Matth. i, 3.) *Porro Ram,* id est Aram, *genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson principem filiorum Juda. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz. Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai. Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Sammaa, quartum Nathanael,*

Digitized by Google

quintum Raddai, sextum Asom, septimum David. Quorum sorores fuerunt Sarvia et Abigail. Ponuntur hic septem filii Isai, quorum ultimus dicitur David. Sed obviare videtur, quod primo Regum legitur Isai I Reg. xvii, 12. 14. octo filios habuisse, quorum ultimus et octavus vocatur ibidem David. Ad hoc Glossa respondet : Dicunt Hebræi, Nathan prophetam fuisse filium Sammaa filii Isai, quem Nathan ipse Isai sibi adoptavit et enutrivit in filium, ideo inter filios ejus primo Regum annumeratur, et vocatur Jonathan ibi. *Filii Sarviæ : Abisai, Joab et* B *Asael, tres. Abigail autem genuit Amasa,* qui fuit vir strenuissimus, in tantum quod II Reg. xvii, 25. Absalon fecit eum principem exercitus, et Ibid. xix, 13. postea David decrevit eum facere exercitus principem pro Joab. Salomon quoque III Reg. ii, 32. tertio Regum vocat eum et ipsum Abner, viros justos. *Cujus pater fuit Jether Ismaelites.* Circa quod scribit Lyra : Dicunt aliqui Hebræi, quod iste Jether fuit filius Ismaelis, et gentilitate relicta, ad Judaismum conversus est. Verumtamen hoc apparentiam nullam habet, si dicere volunt, quod C fuit immediatus filius Ismaelis : sic enim fuisset tempore David plus quam quadringentorum annorum. Nec verum censetur, quod fuit natione Judæus, et ideo Ismaelites vocatus sit, quia ad tempus inter Ismaelitas est peregrinatus. Verius igitur reor, quod fuit vir multum notabilis natione Ismaelita, et conversus ad Dominum. Alias Isai vir timoratus, filiam suam non dedisset illi in conjugem.

Caleb vero, qui paulo ante vocatus est Calubi, *filius Hesron, accepit uxorem nomine* D *Azuba, de qua genuit Jerioth. Fueruntque filii ejus : Jaser, et Sobab, et Ardon. Quumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata, quæ peperit ei Hur. Porro Hur genuit Uri, et Uri genuit Beseleel.* Circa hunc locum oritur difficilis quæstio. Nam Glossa dicit, hunc Caleb fuis- Num. xiii, 7. se unum de exploratoribus missis a Moyse. Glossa quoque interlinearis affirmat, quod Ephrata ista, uxor secunda istius Caleb, fuerit soror Moysis : sicque Hur fuisset filius A hujus Caleb ex Maria prædicta, prout textus sonare videtur. Sed hoc non videtur possibile, quia in exitu filiorum Israel de Ægypto, Caleb nondum fuit quadraginta Josue xiv, 7. annorum ; Hur autem fuit tunc grandævæ ætatis, quoniam Moyses ascensurus in montem Sinai, commisit ei et Aaron regimen Exod. xxiv, 14. populi, fuitque pater Uri, et avus Beseleelis, qui tunc fuerunt virilis ætatis. Præterea communiter dicitur, quod Hur iste fuit maritus Mariæ : quod et Josephus tertio Antiquitatum libro fatetur, et Hieronymus B sentire videtur. Unde, quemadmodum in Exodo plenius scripsi, per Ephratam istam Ibid. xvii. non videtur Maria soror Moysis intelligenda. Hinc aliqui dicunt, quod Hur natus ex Caleb, non fuit maritus Mariæ, sed alius, de quo natum dicunt alium, nomine Uri, Ibid. xxxv, 30. patrem Beseleelis, qui fecit tabernaculum Moysis. Aliqui quoque opinantur, quod Caleb missus cum Josue ad explorandum, alter fuit ab isto Caleb : nam et ille vocatur filius Jephone, iste autem filius Hesron. Num. xiii, 7. Insuper Phares intravit Ægyptum Gen. xlvi, 12. C cum patre suo Juda, et in Ægypto genuit Hesron. Si ergo Caleb explorator fuisset filius hujus Hesron, non potuisset in exitu de Ægypto fuisse tam juvenis.

Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, et accepit eam uxorem, quum esset sexaginta annorum. Circa hoc oritur quæstio, qualiter licuerit huic Hesron de tribu Juda ducere conjugem filiam Machir, qui fuit filius Manassæ de tribu Joseph. Ad quod potest quis dicere, quod istud factum sit in Ægypto, lege D Moysis nondum data. Dicunt quoque expositores nonnulli, quod viri poterant accipere conjuges de alia tribu, præsertim in casu quo puellæ non habuerunt hereditatem. Unde et David sumpsit filiam Saul I Reg. xviii, 27. de tribu Benjamin in uxorem. Sed qualiter sit super hoc sentiendum, super librum Numerorum et Judicum librum plenius est Num. xxxvi; Judic. x, 1. tractatum. *Quæ peperit ei Segub.*

Sed et Segub genuit Jair, et possedit viginti tres civitates in terra Galaad. Secundum Glossam, iste est Jair judex Israel, de

Digitized by Google

Judic. x, 3, 4. quo legitur in libro Judicum : Huic, videlicet Tholæ, successit Jair Galaadites, qui judicavit Israel per viginti et duos annos, habens triginta filios, principes triginta civitatum in terra Galaad. Quocirca denuo quæritur, quomodo licuit huic Jair nato ex tribu Juda ex parte patris sui, habere possessiones has in territorio Galaad, quod pertinuit ad tribum Manasse, in quo tribus Juda sortem non habuit, præsertim quum Dominus jusserit funiculum sortium seu
Num. xxxvi, 7. hereditatum divisionem non confundi. Respondetur, quod vel per adoptationem hoc
B factum sit, ita quod Machir adoptavit præfatum Segub patrem hujus Jair in filium; vel potius jure belli, ita quod Jair præliando recuperavit oppida in terra Galaad, quæ alieni filiis Israel abstulerant. Nam subditur : *Cepitque Gessur et Aram oppida Jair, et Canath et viculos ejus sexaginta civitatum. Omnes isti* præfati fuerunt *filii Machir,* mediati aut immediati, *patris Galaad.* Galaad quandoque est nomen viri
Ibid. 1. nati ex Machir, ut Numerorum ultimo et alibi sæpe habetur; quandoque vero est
C nomen civitatis, interdum regionis. Sicque Machir vocatur pater Galaad, id est viri sic appellati; vel, Pater, id est caput et princeps terræ sic dictæ.

Quum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Quod supra jam dixit, nunc asserit factum post mortem Hesron. Ideo ait Glossa : Caleb sociavit sibi Ephratam, patre suo defuncto. Verumtamen Lyra : In Hebræo (inquit) habetur secundum quosdam, Ingressus est Caleb Ephrata, et est Ephrata hic nomen civita-
D tis, quæ alio nomine dicitur Bethlehem : et est sensus, quod mortuo Hesron qui dominabatur in Bethlehem, Caleb filius ejus ingressus est illuc, succedens patri. Sed istud videtur inepte dictum, quoniam Hesron filius Phares, natus est in Ægypto, et defunctus ibidem, ut ex inductis monstratur. Vel dato quod cum filiis Israel exisset Ægyptum, non tamen intravit terram promissionis, quum fuisset in prima numeratione populi numeratus, de cujus

A populi numerositate soli Caleb et Josue intraverunt. *Num.* xxv[...] 65.

Habuit quoque Hesron uxorem nomine *Abia.* Ex hoc probatur, quod aliquando vir et mulier eodem nomine exprimuntur. Siquidem Abia quandoque est nomen regis Juda nati ex Roboam. *III Reg.* xiv, 31. Denique, an Hesron habuit istam uxorem simul cum aliis suis conjugibus, vel post eas, nescitur. Attamen tunc licebat marito simul habere plures uxores ex dispensatione divina explicita, vel interpretativa sive implicita,
B prout super quartum Sententiarum doctores declarant. *Quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ,* id est principem urbis sic nominatæ.

Consequenter recitatur generatio primogeniti Hesron. *Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, et Buna et Aram et Asom et Achia.* Jam dictum est, quod Phares genuit Hesron, et Hesron Aram, Aram vero Aminadab, nuncque asseritur, quod Jerameel fuit primogenitus Hesron : ex quibus
C ostenditur, quod genealogia Salvatoris non in toto per primogenitos texitur, quia nec David, nec Salomon, per quos describitur, primogeniti erant. *Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. Sed et filii Ram primogeniti Jerameel, fuerunt : Moos, Jamin, et Acar. Onam autem habuit filios, Semei et Jada. Filii autem Semei : Nadab et Abisur. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban et Molid. Filii autem Nadab fuerunt, Saled et Apphaim. Mor-*
D *tuus est autem Saled absque liberis. Filius vero Apphaim, Jesi : qui Jesi genuit Sesan.* Circa hoc dicit Hieronymus : Hunc Sesan Hebræi dicunt esse Elimelech virum *Ruth* i, 2. Noemi, patrem Mahalon et Chelion, et ideo scriptum in consequentibus, quod Sesan non habuit filios, quoniam duo filii ejus absque liberis mortui sunt. Sed huic obviare videtur, quod sequitur : *Porro Sesan genuit Oholai.* Ad quod forsitan diceretur, quod unus illorum duorum alio nomine nuncupatus sit Oholai, et quod auctor bre-

Digitized by Google

viter transiens, non expressit nomina amborum filiorum Sesan. Sed rursus objicitur, nam paulo post subditur : Sesan autem non habuit filios. Respondetur, quod filius ejus præfatus, seu et alius, si habuit alium, ante eum sine prole defuncti sunt. Itaque, non habuit filios superstites. *Filii autem Jada, fratris Semei : Jether et Jonathan. Sed et Jether mortuus est absque liberis. Porro Jonathan genuit Phaleth et Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel primogeniti Hesron.*

Sesan autem non habuit filios sibi superstites, *sed filias, et servum Ægyptium nomine Jeraa; deditque ei filiam suam*, videlicet unam earum, *uxorem :* nisi forsan quum dicitur, Sed filias, ponatur plurale pro singulari : quod forsan insinuatur, ex eo quod additum est, Dedit ei filiam suam uxorem. *Quæ peperit ei Ethei.* Quocirca quærendum, qualiter id licuit, quum in libro Numerorum Dominus dicat, Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipient. Insuper fuit prohibitum in lege cum aliis gentibus contrahere. Respondendum, quod servus ille Ægyptius forsitan fuit ad Judaismum conversus, et cum ita conversis poterant Israelitæ contrahere, sicut et Salmon sumpsit Rahab gentilem conversam, et Booz Ruth. Et si Sesan iste fuit vir justus, fecit quod dictum est, forsitan ex divino instinctu, et propter servi illius probitatem. Si autem non erat justus, non oportet eum excusare in isto. Justi quoque aliquando peccant. *Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad, Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed, Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam, Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa, Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama.*

[Num. xxxvi, 7, 8.] [Deut. vii, 3.] [Matth. i, 5.] [Ruth iv, 13.]

Filii autem Caleb fratris Jerameel : Mesa, primogenitus ejus. Ipse est pater Ziph, id est caput seu dominus urbis, a qua nomen sumpserunt Ziphæi, qui ut primo Regum habetur, dixerunt ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos? *Et filii Maresa patris Hebron. Porro filii Hebron : Core, et Taphua, et Recem, et Samma*, id est, hi cives urbis Hebron, nati ex Caleb fuerunt, et certis locis sua nomina contulerunt ac reliquerunt. *Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, et Recem genuit Sammai. Filius Sammai, Maon; et Maon pater Bethsur. Epha autem concubina Caleb, peperit Haran, et Mosa, et Gezez. Porro Haran genuit Gezez. Filii autem Jahaddai : Regom, et Joathan, et Gesan, et Phalet, et Epha, et Saaph. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber et Tharana. Genuit autem Saaph pater Madmena*, id est princeps loci seu oppidi sic vocati, *Sue patrem Machbena, et patrem Gabaa.* Hoc loco, Sue, est nomen viri, qui fuit pater et caput oppidorum istorum; et fuit hæc Gabaa, alia ab ea quæ fuit in Benjamin tribu, ut legitur. *Filia vero Caleb fuit Achsa.*

[I Reg. xxiii, 19.]

Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephrata, qui sequuntur. *Sobal pater Cariathiarim*, id est oppidi taliter dicti. *Salma pater Bethlehem*, de qua David est natus. *Hariph pater Bethgader. Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim*, sicut expositum est; *qui* Sobal *videbat dimidium requietionum*, id est, medietatem mansionum seu locorum illorum habebat in cura, et ivit ad inspiciendum easdem. Glossa exponit sic : Videbat dimidium requietionum, id est loca media, et sortem accepit juxta sepulcra Patriarcharum in Cariatharbe. *Et de cognatione Cariathiarim*, supple, exierunt, *Jethrei, et Aphuthei, et Semathei, et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ et Esthaolitæ*, hoc est, ex præfatis filiis Sobal, nati sunt habitatores locorum istorum, videlicet Sarai et Esthaol, quæ erant urbes ad tribum Juda pertinentes, ut in libro Josue legitur. Attamen filii Dan habitaverunt ibi interdum, ubi et Samson sepultus est, ut in libro Judicum fertur.

[I Reg. xvi, 1.] [Josue xv, 33.] [Ibid. xix, 41.] [Judic. xvi, 31.]

Filii Salma patris Bethlehem et Netophati, hoc est, viri nati ex Salma, qui fuit

Digitized by Google

pater Bethlehem et loci alterius, fuerunt. *Coronæ domus Joab,* id est fortes auxiliarii ipsius Joab principis militiæ regis David, ita quod propter illorum auxilia, ipse et ejus familia coronas seu triumphos adeptus est; *et dimidium requietionis Sarai,* id est, media pars habitantium in Sarai etiam fuit in his corona domus Joab, quoniam mutua societate in præliis utebantur. Vel sensus est, quod dimidium mansionis aut habitationis præfatæ urbis, ad filios Salma pertinuit. *Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes.* Jabes interdum est nomen loci, aliquando viri, et nunc pro viro accipi potest, in cujus domo atque doctrina ac gubernatione scribæ residebant. *Canentes atque resonantes,* hoc est, in Dei laudibus, psalmis et canticis se occupantes, et legentes in lege assidue; *et in tabernaculis commorantes,* id est in umbraculis sub frondibus arborum, non in domibus, sicut in libro Regum et Jeremiæ de filiis Rechab habetur. Unde subjungitur: *Hi sunt Cinæi,* id est posteri Hobab cognati Moysis, qui et Cinæus vocatur, propter quod et ipsi dicuntur Cinæi, *qui venerunt de calore patris domus Rechab,* id est, de semine præfati Hobab seu Jethro soceri Moysis, sunt exorti: quoniam domus Rechab, videlicet Rechabitæ et pater eorum Rechab, descenderunt de Hobab, quem aliqui dicunt fuisse ipsum Jethro, alii filium ejus fratrem uxoris Moysis. Potest quoque exponi hoc modo: Qui venerunt de calore domus Rechab, id est de fervore caritatis atque devotionis patrum suorum, quorum fervorem et religionem sectati sunt: qui etiam fervor in Rechabitis viguit et permansit, ita quod nec vinum biberunt, nec domos ædificaverunt, nec agros possederunt, nec vineas, ut patet in Jeremia.

IV Reg. x, 15; *Jer.* xxxv, 7-10. *Num.* x, 29; *Judic.* I, 16. *Jer.* xxxv, 8-10.

Præterea, ad intelligendum prætacta, advertenda sunt verba Hieronymi referentis: Tradunt Hebræi, Jabes fuisse peritissimum legis doctorem, in cujus conspectu sedebant Cinæi. Dicuntur ergo canentes ac resonantes, quia assidue in locutione legis versabantur. His satis concordare videtur quod refert Lyra: Dicunt Hebræi hunc Jabes fuisse Othoniel, qui fuit valde peritus in lege, propter quod Cinæi recedentes de civitate sua Palmarum, accesserunt ad eum, ut instruerentur ab ipso, quoniam erant proselyti. Præterea super illud, Canentes atque resonantes, dicit Lyra: Id est, legentes in libris legis divinæ, quæ lectio fit per modum cantus ratione accentus. Contra quod scribit sic Rabbi Paulus: Textus sacræ Scripturæ legitur communiter ab Hebræis in suis scholis, per modum cantus, non ratione accentus, quia accentus posset servari proprie sine cantu, sed hoc fit ratione sententiæ, ut constat peritis in illa lectura. Hinc alio cantu utuntur in Psalterio, alio in Prophetis, alio in libro Job, alio in libro Proverbiorum, et hujusmodi, licet quoad accentum, uniformiter se habeant in omnibus libris. Et de hoc cantu intelligendum est quod dicitur hic, Canentes, etc.

Judic. I, 16.

Sensus mysticus.

Postremo, per Jabes qui interpretatur desiccans, recte intelligitur Christus, qui per ardorem donorum Spiritus Sancti, corda suorum desiccat fidelium a fluxu desideriorum carnalium, et omni sapientia erat plenissimus. Per Cinæos vero et scribas istos devotos, designantur sancti Apostoli, et primi discipuli Christi, ac primitiva Ecclesia: qui desiderio sapientiæ confugerunt ad Christum, et de calore Spiritus Sancti venerunt, impleveruntque quod docet Vas electionis: Implemini, inquiens, Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, canentes et psallentes in cordibus vestris Domino. Horum ergo vestigia imitari non pigritemur.

Eph. v, 18, 19; *Coloss.* III, 16.

Digitized by Google

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : DAVID VERO HOS HABUIT FILIOS, QUI EI NATI SUNT IN HEBRON.

AGITUR hic de regno David, et progenie prosperitateque ejus, atque de regibus qui post Salomonem ac Roboam regnaverunt in Juda. *David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron* civitate. Istud (II Reg. III, 2-5.) totum habetur secundo Regum. *Primogenitum, Amnon ex Achinoam Jezraelitide,* ex uxore sua nomine Achinoam, oriunda de urbe nomine Jezrael, quæ in Samaria (I Reg. XXV, 43, 44; XXVII, 3.) fuit. Hanc Achinoam David duxit primam post Michol, quum fugisset a facie Saul. *Secundum, Daniel de Abigail Carmelitide:* (Ibid. XXV, 2, 14.) quia ante morata est in Carmelo urbe deserti, cum Nabal viro suo priore, et forsitan nata est ibi. Huic obviare videtur illud (II Reg. III, 2, 3.) secundi Regum : Primogenitus David Amnon, et post eum Cheleab de Abigail. Respondetur, quod idem est filius, et fuit binomius, atque ut dicunt Hebræi, primo vocatus est Daniel. Quum enim statim post mortem Nabal David duxisset et imprægnasset Abigail, puero nato, quidam malitiosi deridendo dixerunt quod esset filius Nabal. Ideo David puerum appellavit Danielem, qui interpretatur, judicium Dei, dicens : Judicet Deus, id est, per certum signum demonstret, quis sit pater pueri hujus. Tunc Deo agente, vultus infantuli assimilatus est vultui David : idcirco ex tunc appellavit eum Cheleab, quod interpretatur, quasi pater, id est, patri consimilis. *Tertium* filium, *Absalon filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur,* id est regni sic nuncupati. Et quæri potest, qua auctoritate contra legem accepit gentilem illam in conjugem. Responderi potest, quod traxit eam ad Judaismum, etiam forsan antequam accepit eam in suam, vel postea saltem : sicque ex dispensatione et inspi-

A ratione divina creditur id fecisse, et in hoc casu contra legem non fuit. *Quartum, Adoniam,* qui patre suo ignorante usurpavit (III Reg. I, 5.) imperium, *filium Haggith. Quintum, Saphathiam ex Abital. Sextum, Jethraam,* quem Josephus nominat Nathan, sicque binomius fuit, *de Egla uxore sua.*

Circa hoc ait Glossa : Quæritur, cur sola hæc Egla uxor David vocatur. Ad quod respondet : Hæc est Michol, quæ inter multas sola dicitur uxor, quoniam eam in adolescentia primam accepit, quæ in partu (I Reg. XVIII, 27.)
B occubuisse asseritur. Hæc Glossa. Unde secundi Regum sexto habetur, quod Michol non est natus filius, usque ad diem mortis (II Reg. VI, 23.) suæ. Sed objici potest, quoniam diu post recessum David ab Hebron, quum in Jerusalem moraretur, hæc Michol adhuc vixit, insultavitque regi, eo quod ante arcam saltasset. (Ibid. 20.) Ad hoc respondendum opinor, quod si scriptura hæc Regum et Paralipomenon dicere velit, quod præfati sex filii nati sint regi David, dum regnavit in Hebron, et antequam regnavit in Jerusalem, salvari non
C potest quod Egla sit Michol, et quod Michol pariendo occubuit. Si autem Scriptura non intendit hoc dicere, quod tamen videtur intendere, dici posset, quod Egla seu Michol partu suo instante, aut ante, in Hebron reversa sit, ibique peperit, et pariendo decessit : quam solutionem Magister in historiis tangit.

Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit David super tribum Juda dumtaxat, *septem annis et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Jerusalem.*
D Tertio Regum habetur, quod in Hebron (III Reg. II, 11.) regnavit septem annis, et in Jerusalem triginta et tribus, sicque in toto quadraginta:

Digitized by Google

quomodo ergo adduntur hic menses sex? Respondetur, quod scriptura libri Regum præallegata, non curat has minutias temporis. Hebræi autem dicunt, quod David sex mensibus fugit ab Absalone: ideo menses illi tertio Regum omittuntur. Verumtamen secundo Regum exprimuntur, sed excluduntur a summa. *II Reg.* v, 4, 5.

Ex prædictis patet justitia David circa uxores suas, quoniam unicuique earum opportuno tempore reddidit debitum, non despiciens unam pro alia, quamvis duæ earum essent filiæ regum; nec ex libidine, sed desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ accepit tam multas dispensatione divina.

Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, et etiam filiæ, ut dicitur secundo Regum: ibi enim accepit et alias conjuges. *Ibid.* 13-16. *Samua, et Sobab, et Nathan*, non ille propheta, *et Salomon, quatuor* filii *de Bethsabee filia Ammiel*. *Ibid.* xi, 3. Secundo Regum legitur: Filia Eliam. Nam pater ejus fertur fuisse binomius. Dicunt aliqui, quod Samua et Sobab et Nathan fuerunt naturales atque legitimi filii Uriæ ex Bethsabee, et quod Uria defuncto, David sumpta Bethsabee, adoptavit illos tres sibi in filios: quod probant, quoniam in Proverbiorum libro Salomon ait: Unigenitus fui coram matre mea. *Prov.* iv, 3. Sed objici potest, quoniam secundo Regum dicitur absolute, quod isti quatuor nati sunt ei in Jerusalem, et hic, quod nati sunt ei ex Bethsabee. *II Reg.* v, 14. Verumtamen apparentiam magnam prætactæ positioni adducit, quod secundo Regum scriptum est, quemadmodum David primo genuit ex Bethsabee infantulum qui septimo obiit die, et post illum immediate ex ea genuit Salomonem, qui hic ponitur inter præfatos quatuor ultimus. *Ibid.* xi, 4, 5; xii, 18, 24.

Deinde nominantur in littera alii multi filii David: *Jebahar quoque et Elisua, et Eliphalet, et Noge, et Napheg, et Japhia, necnon Elisama et Eliada, et Eliphalet, novem. Omnes hi filii David absque filiis concubinarum*. Secundo Regum legitur David reliquisse in Jerusalem decem concubinas *Ibid.* xv, 16. ad custodiendam domum: nec dubium, quin fuerint uxores ejus legitimæ, non adulteræ. Sed dictæ sunt concubinæ, quoniam secundariæ et minus principales ejus uxores fuerunt, sicut in Genesi Bala et Zelpha vocantur concubinæ Jacob, quæ et ejus uxores vocantur ibidem. *Gen.* xxx, 4; 26; xxxv, 22. *Habueruntque sororem Thamar*, quæ fuit soror Absalonis ex parte patris et matris, aliorum solum ex parte patris. Habuerunt quoque et alias multas sorores, quum secundo Regum dicatur, quod filiæ David regis talaribus vestibus utebantur. *II Reg.* xiii, 18. Cur igitur specialiter exprimitur ista? An propter commemorationem magnæ turbationis, quæ occasione ipsius orta est? Nam propter pulchritudinem ejus, frater ejus Amnon eam oppressit: propter quod ab Absalone occisus est. *Ibid* 14, 29.

Filius autem Salomonis fuit *Roboam*: de quo in Ecclesiastico legitur, quod Salomon reliquit post se stultitiam. *Eccli.* xlvii, 27. Deinde numerantur reges Juda: *cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphat pater Joram. Qui Joram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Joas; et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Joathan procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. Sed et Manasses genuit Amon patrem Josiæ.*

Filii autem Josiæ fuerunt: primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. Quarto Regum non fit mentio de Johanan, neque de Sellum, sed nominantur ibi tres filii Josiæ, videlicet Joachaz, quem captivum abduxit rex Ægypti; secundus Eliacim, quem rex ille, Joakim nuncupavit; tertius Mathanias, quem Nabuchodonosor vocavit Sedeciam. *IV Reg.* xxiii, 30, 34; xxiv, 17. Hinc aliqui dicunt, quod Johanan sit idem qui Joachaz. De Sellum vero fit sermo in Jeremia; et dicunt nonnulli, quod fuit ipse qui Sedecias, et tamen vocatus sit filius quartus, quia post Josiam quarto loco regnavit. *Jer.* xxii, 11. Hieronymus autem refert: Opinantur Hebræi quod Johanan dictus sit Joachaz, et Sellum. Magister quoque in historiis dicit, Joachaz et Sellum fuisse eumdem. *Hist. lib. IV Reg.* c. 3*. Quod etiam videtur ex eo quod scri-

Digitized by Google

Jer. XXII, 11, 12. ptum est in Jeremia : Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui egressus est de loco isto : Non revertetur huc amplius, sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur. Hoc etenim dixit Jeremias Joachaz capto a rege Ægypti, et in Ægyptum translato, regnante in Jerusalem fratre suo Joakim, antequam Sedecias regnavit, ut patet ex verbis in Jeremia sequentibus. Ideo opinio Rabbi Salomonis, qui dixit Sellum fuisse Sedeciam, salvari non valet. Lyra demum hic scribit : Posset dici, quod Sellum fuit quartus filius Josiæ, sed inter alios quarto Regum non numeratur, quia ad regium honorem fuit ineptus. Quod etiam stare nequit, quum in præfata *Ibidem.* auctoritate legatur regnasse. Verumtamen in textu hoc apertissime dicitur, quod quartus filius Josiæ fuerit Sellum, quasi Sellum ille exstiterit ultimus filiorum Josiæ.

Præterea quæstio oritur, quomodo Johanan seu Joachaz, primogenitus Josiæ dicatur, quum Joakim frater ejus fuerit senior *IV Reg.* XXIII, 31, 34, 36. eo. Scriptum est enim quarto Regum, quod Joachaz erat viginti trium annorum dum cœpit regnare, et tribus mensibus regnavit, pro quo rex Ægypti constituit regem fratrem ipsius nomine Joakim, qui fuit viginti quinque annorum quando regnare exorsus est. In Scholastica quoque fertur historia, quod mortuo Josia, populus tulit medium filium ejus, videlicet Joachaz, et constituit eum regem. Respondetur, quod Joachaz dicitur primogenitus, non ratione ætatis, sed regiæ dignitatis.

Ibid. 34. *De Joakim natus est Jechonias, et Sedecias.* Iste est Joakim qui ante vocatus erat Eliacim, et regnavit immediate post Joachaz, atque a Matthæo vocatur Jechonias, *Matth.* I, 11. quum dicitur : Josias genuit Jechoniam et fratres ejus, in transmigratione Babylonis. Sed et filius ejus qui hic vocatur Jechonias, quarto Regum vocatur Joachin. Porro *IV Reg.* XXIV, 6. Sedecias filius Joakim, non fuit ille qui regnavit post Joakim et Jechoniam filium ejus. *Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, et Jecemia, Sama et Nadabia.* Circa hoc di-

A cit Lyra : Iste Jechonias, cujus filii describuntur post transmigrationem Babylonis, fuit alius a Jechonia filio Joakim, qui regnavit ante Sedeciam. Unde dicit Hieronymus, quod primus scribitur per *k* et *m*, secundus per *ch* et *n*. Hæc Lyra. Circa quod dico verum esse, quod secundum Hieronymum, Jechonias, de quo ait evangelista Matthæus, Post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel, fuit alius *Matth.* I, 12. a Jechonia, de quo præmisit, Josias genuit *Ibid.* 11. Jechoniam et fratres ejus, etc., quoniam B unus fuit pater alterius : ex hoc tamen non sequitur, quod Jechonias, cujus filii dicuntur Asir, Salathiel, etc., fuit alius a Jechonia filio Joakim seu primi Jechoniæ filii Josiæ; imo iste Jechonias fuit filius Joakim filii Josiæ : quod et littera ista designat. Nempe quum dictum est, De Joakim natus est Jechonias, et Sedecias; mox additum est, Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel : et ita hoc dicitur de Jechonia filio Joakim.

De Phadaia orti sunt Zorobabel, et Semei. A Matthæo Zorobabel dicitur filius *Ibid.* 12; *Agg.* I, 1; *I Esdr.* III, 2. C ipsius Salathiel; similiter in Aggæo et primo libro Esdræ, et alibi sæpe : quomodo nunc asseritur generatus a Phadaia fratre Salathiel? Respondet Hieronymus : Dicunt Hebræi hæc duo nomina unius hominis esse, ita quod Phadaia et Salathiel sint nomina ejusdem personæ. Contra quod objici potest, quod exprimuntur hic per interpositionem vocabuli alterius hominis. Hinc quidam dicunt, quod erant fratres, et quod uterque eorum habuit filium Zorobabel nuncupatum. *Zorobabel genuit Mosol-* D *lam.* In Matthæo habetur : Zorobabel genuit Abiud, qui non exprimitur hic. Ideo *Matth.* I, 13. dici potest, quod unus horum, alio nomine dictus sit Abiud, si tamen Phadaia et Salathiel dicantur una fuisse persona binomia. Zorobabel itaque genuit Mosollam, *Hananiam et Salomith sororem eorum, Hasaban quoque et Ohol, et Barachian, et Hasadian, Josabhesed, quinque :* non quod omnes præfati filii Zorobabel fuerint quinque dumtaxat, quum jam septem enumerati sint, sed quod isti post Salomith sororem

Digitized by Google

nominati, fuerunt quinque : estque probabile, quod fuerunt hi quinque ex alia matre nati, quam duo primi, eo quod Salomith appelletur soror illorum duorum, non horum quinque. *Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Jeseiæ, cujus filius Raphaia. Hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias.* A *Filius Secheniæ, Semeia : cujus filii, Hattus, et Jegaal, et Baria, et Naaria, et Saphat*, sex numero.* Filii isti sunt quinque tantum, sed una cum patre suo sunt sex. *Filius Naariæ : Elioenai, et Ezechias, et Ezricam, tres. Filius Elioenai : Oduia, et Eliasub, et Pheleia, et Accub, et Johanan, et Dalaia, et Anani, septem.*

* alias additur: et Sas

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : FILII JUDA, PHARES, HESRON, ET CHARMI, ETC.

GENERATIO Judæ patriarchæ nunc plenius enarratur, et de generationibus Simeonis ac Ruben aliquid additur. *Filii Juda, Phares, Hesron, et Charmi, et Hur,*
I Par. II, 3, 4. *et Sobal.* Supra dictum est, quod filii Judæ fuerunt quinque, videlicet Her et Onan et Sela de sua uxore legitima; item Phares et Zara de Thamar : quomodo ergo nunc numerantur quinque filii ejus, inter quos solus Phares ante expressus est esse filius Judæ? Ad hoc dupliciter respondetur : Primo, quod quatuor hic nominati, fuerunt mediati filii, hoc est nepotes Judæ. Secundo, juxta Glossam quæ ait, et sunt verba Hieronymi : Hebræi asserunt, præfatos Judæ filios hic mutatis nominibus exprimi, ita quod per Hesron nunc designatur Zara, per Charmi Her, per Hur Onan, per Sobal Sela. Sed juxta præhabita, Charmi fuit de tribu Zaræ, Hur et Sobal de Caleb. *Raia vero filius Sobal, genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai et Laad. Hæ cognationes Sarathi,* hoc est, generationes jam tactæ, ex Sobal natæ, sunt cognationes et tribus Saraitarum, quia, ut dictum est, Sa-
Josue XV, 33. rai et Esthaol primo sunt computatæ inter urbes tribus Juda.

Ista quoque stirps Etam, id est posteritas viri sic dicti, qui fuit filius Zaræ; et filii Etam consequenter hic exprimuntur: *Jezrael, et Jesema, et Jedebos. Nomen quo-* B *que sororis eorum Asalelphuni :* quam Hebræi, secundum Hieronymum, suspicantur esse matrem Samsonis, de stirpe Juda generatam, cujus vir fuit de tribu Dan. *Phanuel autem* fuit *pater Gedor,* hoc est princeps in loco sic nominato, *et Ezer pater Hosa,* id est loci illius. Nam Gedor et Hosa sunt loca a filiis Hur possessa. *Isti,* videlicet Phanuel et Ezer, *sunt filii Hur primogeniti Ephrata,* quæ fuit uxor Caleb, qui ex alia conjuge habuit filium ipso Hur pri- I Par. II, 19.
orem; *patris Bethlehem.* Superius dictum C est, quod Salma filius Hur, fuit pater Beth- Ibid. 51.
lehem : idcirco ipsi Hur adscribitur istud ratione filii sui. *Ashur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa et Naara. Peperit autem ei Naara, Oozam, et Hepher, et Themani, et Ahasthari. Isti sunt filii Naara. Porro filii Halaa : Sereth, Isaar, et Ethnan. Cos autem genuit Anob, et Soboba, et cognationem Aharehel, filii Arum.*

Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, hoc est notabilior et eminentior ipsis. Iste est enim Jabes, de quo præce- Ibid. 55.
denti capitulo habitum est : fuit fortis, ju- D stus, atque doctissimus magister scribarum. *Et mater ejus vocavit nomen illius Jabes,* quod interpretatur dolor : ideo subditur, *dicens : Quia peperi eum in dolore.* Constat, quod mulieres communiter pariant in dolore, ideo per hæc verba insi-

Digitized by Google

nuatur, quod cum grandi atque insolito dolore peperit eum. (en. xxxv, 18.) Sic et Rachel quum periclitaretur in partu, filium suum vocavit Benoni, hoc est, filius doloris mei. *Invocaverat ergo Jabes Deum Israel, dicens.* Qualis fuerit invocatio ista, elicitur ex eo quod subditur : *Si benedicens benedixeris mihi.* Ex quo constat, quod erat invocatio voto adjuncta, tamen sub conditionibus, quæ sequuntur, videlicet, Si benedicens benedixeris mihi. Est autem consuetudo linguæ Hebrææ, loqui cum tali ingeminatione. Itaque, Si benedicens benedixeris mihi, id est, dona gratiæ tuæ contuleris mihi, et multiplicaveris ea in me, *et dilataveris terminos meos,* hoc est terram possessionis meæ, dando mihi victoriam super hostes meos gentiles ac infideles, quorum terram nobis promisisti. Itaque, non ex cupiditate aut ambitione, sed zelo justitiæ istud optavit. *Et fuerit manus tua mecum,* id est, omnipotentia tua gratiose adjuverit atque protexerit me, *et feceris me a malitia non opprimi,* id est, dederis mihi virtutem resistendi ac prævalendi tentationibus ac peccatis, præsertim quæ ex proposito seu deliberatione contingunt. Tripliciter quippe contingit peccare, utpote ex infirmitate seu passionis vehementia, ex ignorantia, et ex certa scientia seu proposito, quod proprie vocatur, ex malitia transgredi. Ex his docemur, quod a malitia non opprimi, donum sit Dei, ita quod homo sine auxilio gratiæ nequit vitiis prævalere : quo hæresis impii condemnatur Pelagii. Hinc Enoch quoque raptus et translatus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, ut dicitur in Sapientiæ libro. (Sap. iv. 10, 1.)

Et præstitit ei Deus quæ precatus est. In littera non exprimitur, quid oravit aut vovit. Votum autem proprie est de bono meliori, et de operibus supererogationis. Interdum etiam ea quæ sunt de necessitate salutis, voventur, secundum quod quidam devoti vovent observare præcepta divina. Sed quoniam spiritualia non sunt ad temporalia referenda, sed econverso, et Jabes

A iste vir fuit justus, constat quod aliquid spirituale Deo promisit, ut aliorum informationi intendere, et actibus vitæ contemplativæ, puta orationi, speculationi, Scripturis insistere : ad quæ cooperantur et exiguntur affluentia gratiæ, temporalium competentia, adsistentia Dei, immunitas a peccatis. In forma hujus promissionis, secutus est Jabes Jacob patriarcham, de quo legitur in Genesi : Vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Dominus mecum, et custodierit, etc. (Gen. xxviii, 20.) Jacob tamen promissionem B suam explicavit distincte.

Caleb autem frater Sua. Supra dictum est : Filii Hesron fuerunt Jerameel, et Ram, et Calubi, (I Par. ii, 9.) ubi per Calubi intelligitur Caleb, cujus frater nunc dicitur Sua : vel igitur quia habuit fratrem istum ultra illos duos ; vel, ut dicunt Hebræi, ille qui ibi vocatus est Ram, nunc Sua nuncupatur. *Genuit Machir qui fuit pater Esthon.* Iste Machir alius fuit ab eo, quem genuit Manasses, ut dicitur in Genesi. (Gen. l, 22.) *Porro Esthon genuit Bethrapha et Phesse et Tehinna pa-* C *trem urbis Naas.* Per urbem Naas quidam intelligunt Bethlehem, in qua Naas seu Isai (I Reg. xvi, 1.) pater David moratus est. Nam Isai alio nomine dictus est Naas. Unde Amasa appellatur filius Jether ex Abigail filia Naas. (I Par. ii, 17; II Reg. xvii, 25.) *Hi sunt viri Recha,* hoc est habitatores et cives loci sic nominati, a quo nomen sumpserunt, ut quidam exponunt. Alii dicunt per Recha ipsum David intelligi, quoniam Recha interpretatur tener, et David fatetur : Ego sum tener et unctus rex. (II Reg. iii, 39; xxiii, 8.)

Filii autem Cenez fuerunt, *Othoniel et* D *Saraia.* In Josue libro Caleb vocatus est Cenezæus. (Josue xiv, 6.) In eodem quoque libro sicut et hic, Othoniel dicitur esse filius Cenez. (Ibid. xv, 17.) Othoniel vero in Josue vocatur frater Caleb junior : quod aliqui dicunt verum ex parte matris. Sed de his super Josue dictum est plenius. Quemadmodum etiam tactum est, quidam dicunt præfatum Jabes fuisse Othoniel. *Porro filii Othoniel, Hathath et Maonathi. Maonathi genuit Ophra. Saraia autem genuit Joab patrem vallis Artificum : ibi quippe artifices erant.* Istud qui-

Digitized by Google

II Reg. II, 18. dam exponunt de Joab filio Sarviæ : quem Joab dicunt fuisse patrem vallis Artificum, eo quod de ejus filiis nati sint artifices, qui habitaverunt in valle sic dicta. Hinc ait Glossa : De Saraia* dicitur Joab prodisse, qui juxta nominis interpretationem dicitur, pater vallis Artificum, quia de filiis ejus fuerunt architecti, qui ædificaverunt domum Domini. Alii dicunt, quod Joab filius Sarviæ, non fuit princeps iste militiæ.

* Sarvia

Filii vero Caleb filii Jephone, fuerunt, *Hir, et Ela, et Naham. Filii quoque Ela : Cenez. Filii quoque Jaleleel : Ziph et Zipha, Thiria et Asrael.* Supra dictum est, quod Caleb fuit filius Hesron. Ideo quidam affirmant eumdem virum fuisse binomium, ita quod pater Caleb vocatus est Hesron et Jephone. Alii opinantur, quod Jephone accipiatur hic non pro proprio hominis nomine, sed quasi appellative, quod interpretatur divertens : ut Caleb dicatur filius Jephone, id est diversionis, quia divertit se a perversitate exploratorum detrahentium terræ promissionis, juxta quem modum aliquis dicitur, filius inconstantiæ aut filius mortis. *Et filii Ezra* fuerunt, *Jether, et Mered, et Epher, et Jalon ; genuitque Mariam.* Circa hoc scribit Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod Ezra fuit Amram pater Moysis et Aaron, et quod Jether exstitit Aaron, Mered vero Moyses ; Epher vero et Jalon dicunt fuisse Eldad et Medad, qui inter septuaginta erant descripti. Et quod dictum est, Genuitque Mariam, exponunt de Ezra seu Amram, cujus filia fuit Maria, Moysis soror. Alii reprobant istud, quoniam hic non agitur de genealogia Levi, sed Judæ : propter quod dicunt hanc Mariam aliam esse ab illa. Verumtamen agnoscendum, quod in descriptione genealogiæ unius tribus, interdum incidentaliter aliquid de genealogia tribus alterius admiscetur. *Et Sammai, et Jesba patrem Esthamo.* Secundum glossam ex Hieronymo sumptam, per Sammai, Hebræi intelligunt iterum Moysen, qui interpretatur cœlestis. Per Jesba, qui interpretatur collaudatio, Aaron, qui vocatur pater Esthamo, id est ignis, quoniam filii Aaron sacrificia igne adolebant seu incendebant.

I Par. II, 9, 18.

Num. XIII, 31 ; XIV, 6, 24.

Ibid. XI, 26.

Insuper multa nomina continuatim sequentia, exponunt de Moyse, propter diversas actiones et proprietates ipsius, ut sit sensus : *Uxor quoque ejus,* utpote Ezra seu Amram, *Judaia,* quæ in Exodo Jochabed appellatur, *peperit Jared patrem Gedor,* id est Moysen qui vocatur Jared, quia descendit de monte cum tabulis testamenti. Pater Gedor, id est sepis, quia munivit populum lege tanquam sepe. Jared autem interpretatur descendens ; Gedor, sepis. *Et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe.* Heber interpretatur victor ; Socho, prophetia. Moyses ergo dicitur Heber, quia populum de Pharaonis servitute redemit, et Dei servitio junxit. Et dicitur pater Socho, quoniam Prophetarum exstitit doctor. Nominatur quoque Icuthiel, id est sperans, quia spem habuit quod populum liberaret ; et pater Zanoe, quod interpretatur gubernator, quoniam populum gubernavit in eremo, et sua doctrina gubernat quotidie. Porro alii aliter ista exponunt, et ut videtur, magis ad litteram. Unde secundum Lyram, quod dicitur, Uxor quoque ejus, refertur ad Caleb secundum glossam Hebraicam : sic quod Judaia conjux ipsius Caleb, peperit ei prænominatos, videlicet Jared patrem Gedor, id est dominum talis loci, et Heber patrem Socho, id est villæ seu oppidi sic vocati, atque Icuthiel patrem Zanoe, id est hujusmodi loci.

Exod. VI, 20.

Ibid. XXXII, 15.

Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered. Secundum Hieronymum, juxta Hebræos, sensus est, quod præfati qui tamen sunt unus, utpote ipse Moyses variis nominibus designatus, sunt filii filiæ Pharaonis quæ Bethia vocatur : quæ mater Moysis nominatur, non quod sit mater ejus naturalis, sed quoniam adoptavit eum in filium et enutrivit. Et ipse Mered, id est Moyses, dicitur eam accepisse, quia ad Dei cultum ab idololatria eam convertit. Sed his objici posset, quod illa filia Pharaonis secundum Josephum voca-

Digitized by Google

ta est Thermuthis. Ad quod posset quis respondere, quod forsan binomia fuit. Alii per Mered intelligunt alium virum quam Moysen, et dicunt quod filiam illam Pharaonis Mered duxit uxorem. Cui expositioni objicitur, quod in littera non exprimuntur aliqui filii hujus Mered ex filia Pharaonis præfati, et ita non invenitur, ad quid referatur quod dicitur, Hi autem filii, etc. Hinc aliqui sic exponunt : Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit, supple, Caleb in conjugem, sunt Mered et alii qui non exprimuntur ; vel capiendo plurale pro singulari. Sed ista expositio videtur valde incerta, puta quod Caleb duxerit filiam Pharaonis uxorem, præsertim quum Exod. I, 8 et seq. tempore Caleb, Ægyptii in tantum abominabantur Hebræos : nisi forte quis suspicetur, quod fuerit illegitima filia Pharaonis et conversa ad Judaismum, sicque ex devotione sumpserit virum Hebræum.

Et filii uxoris Odaiæ, id est viri sic dicti, *sororis Naham patris Ceila,* fuerunt *Garmi et Esthamo,* hoc est, viri sic nuncupati ; *qui fuit de Machati* origine, loco aut alio modo. Nam Machati interdum est nomen regionis aut loci, quandoque personæ. *Filii quoque Simon : Amnon et Rinna, filius Hanan, et Thilon. Et filii Jesi : Zoheth et Benzoheth.*

Redit ad descriptionem posteritatis Judæ per filium ejus Sela. *Filii Sela filii Judæ* patriarchæ, fuerunt : *Her,* qui fuit alter ab Gen. XXXVIII. Her filio Judæ nequissimo, *pater Lecha,* id est loci aut viri sic dicti ; *et Laada pater Maresa,* id est dominus seu caput illius loci aut hominis ; *et cognationes domus operantium byssum,* id est viri atque artifices qui fecerunt byssinas vestes seu cortinas de bysso, *in domo Juramenti,* id est in tabernaculo fœderis. Hi, inquam, fuerunt filii Sela mediati, id est nati ex eo : Exod. XXXI, 6. qui secundum Glossam cum Beseleel opus tabernaculi expleverunt ; et forsan eorum posteri aliqua in templo Salomonis sunt operati, sicque per domum Juramenti, posset et templum illud intelligi.

Et qui stare fecit solem, hoc est, etiam A ille ad cujus preces ac merita sol supernaturaliter stetit in cœlo, est natus de Sela. Et iste secundum quosdam expositores catholicos fuit Elimelech maritus Noemi. Ruth I, 2. Unde in Glossa habetur : Tradunt Hebræi, hunc fuisse Elimelech maritum Noemi, in cujus tempore propter prævaricatores sol stetit, ut viso miraculo, converterentur ad Dominum : quod quoniam contempserunt, in tantum prævaluit fames, quod Elimelech, Ibid. 1. qui quasi prior videbatur in tribu Juda, cogente inopia, cum uxore et filiis B terram Moab ingressus est. *Virique mendacii.* Per hos intelliguntur duo filii Elimelech : qui vocantur viri mendacii seu vanitatis, quia acceptis uxoribus, sine fru- Ibid. 4, 5. ctu matrimonii obierunt, ita quod Noemi mater eorum, spe posteritatis fuit frustrata. *Qui principes fuerunt in Moab.* Quemadmodum super Ruth tetigi, quidam dixerunt ipsam Ruth fuisse filiam regis Moab, Ibid. 4. et ideo virum ejus fuisse promotum ad principatum. Verum, ut ibi conscripsi, narratio illa apparentiam parvam habet aut C nullam. Potuit tamen esse, quod Mahalon et Chelion filii Elimelech ob suam prudentiam, probitatem seu aliam causam, fuerunt in terra Moab in aliquibus officiis constituti, atque ob id principes ibi fuisse dicantur. Verumtamen sicut Glossa fatetur, et alii dicunt, in Hebræo habetur, Qui fuerunt mariti in Moab. Nam acceperunt ibi uxores. Et forsan dictio illa Hebraica est ad utrumque æquivoca. *Et Securus et Incedens.* Nomina virorum istorum Hebraica jam expressa, Latine interpretan- D tur, securus et incedens. *Et qui reversi sunt.* Aliqui libri habent, Et quæ reversæ sunt. *In Lehem.* Non enim Elimelech et filii ejus reversi sunt in Lehem, hoc est Bethlehem, quia obierunt in terra Moab. Ibid. 3, 5. Sed Noemi rediit cum Ruth, vel illi redie- Ibid. 19. runt in suis conjugibus. Denique aliqui textus habent, In Bethlehem ; sed correctior littera habet, In Lehem. *Hæc autem verba vetera,* id est, recitata hoc loco de Elimelech et filiis ejus, sunt antiqua historia in libro Ruth scripta, quæ ante tem-

Digitized by Google

pora David ac Regum Israel contigit. Ista est expositio litteræ hujus secundum catholicos expositores, B. Hieronymum hic sequentes.

Porro Lyra hic scribit, quod littera Hebraica hoc loco multum distat a nostra translatione. Nam ubi habemus, Et qui fecit stare solem, in Hebræo habetur, Et Jokim, vel Joakim, quod est proprium nomen viri ; nec videtur quod ejus interpretatio aliquo modo significet, quod fecit stationem solis. Et ubi habemus, Viri mendacii, in Hebræo habetur, Et viri Chozeba : et est hic proprium nomen loci secundum Hebræos, quamvis Chozeba prout nomen est appellativum, designet mendacium. Pro eo autem quod habemus, Et securus et incedens, in Hebræo habetur, Et Joas et Saraph. Quamvis vero Saraph possit interpretari incedens, tamen Joas non interpretatur securus, neque secundum Hieronymum, neque secundum Remigium, qui interpretati sunt Hebraica nomina. Et ubi habemus, Et quæ reversæ sunt in Bethlehem, in Hebræo habetur, Et habitatores Lehem seu Bethlehem. Est itaque sensus secundum Hebræos : Et Jokim, hoc est vir quidam famosus sic nominatus ; et viri Chozeba, hoc est a tali loco sic nuncupati ; et Joas et Saraph, hoc est viri sic dicti, qui mariti fuerunt in Moab, quia illuc iverunt ad peregrinandum ex aliqua causa sicut Elimelech ; et habitantes in Lehem seu Bethlehem : supplendum est, Omnes isti descenderunt de Sela. Et quia hæc diu ante tempora Regum contigerunt, addidit Esdras : Hæc autem verba vetera. Hæc Lyra, cujus narrationi apparentiam confert, quod Rabbi Paulus in hac parte ei non contradicit, quem constat satis pronum fuisse ad contradicendum Lyræ, habita causa vel occasione.

Ruth I, 1, 2.

Insuper refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod Elimelech non fecit solem stare orationibus suis, sed ex avaritia ivit ad terram Moab, nolens bona sua communicare Judæis pauperibus ad ipsum recurrentibus. Circa hæc dico, me credere B. Hieronymo, asserenti se in transferendo nihil mutasse de Hebraica veritate. Credo insuper, quod propter universalem Ecclesiam Spiritus Sanctus Hieronymum in transferendo gratiose direxit : quia prævidit, imo et præordinavit, ipsam sanctam et non errantem Ecclesiam translatione Hieronymi uti debere. Iterum credo veram esse Hieronymi narrationem præhabitam, quod scilicet Hebræi prædictum virum dicunt esse Elimelech, et quod in diebus ejus sol stetit ob causam inductam : atque in hoc magis est credendum Hebræis illis transmarinis, inter quos fuit Hieronymus, quam citramarinis, inter quos conversatus est Lyra, qui rudissimos inexplicabilesque habent errores. Illa quoque Judæorum quorumdam narratio, quod Elimelech cum suis ivit peregre in terram Moab, non ex paupertate, sed cupiditate, supra Ruth evidenter est reprobata. Nec aliquo modo existimo, quod in passu isto tam arduo Hieronymus ab Hebraica recessit veritate, præsertim quum ante oculos suos tot translationes habuerit, utpote Septuaginta, Theodotionis, Symmachi, Aquilæ ; cum peritissimis quoque Judæorum contulerit tam assidue et intente, ut ipsemet in multis locis testatur. Hoc item sciendum, quod sunt aliqua nomina Hebraica ita æquivoca, quod nec Hieronymus, neque Remigius universas eorum significationes seu interpretationes expressit. Quemadmodum etiam quædam Latina sunt nomina ita æquivoca, quod omnia eorum significata vix aliquis expositorum grammaticorum descripsit.

Ruth I, 1.

Hi sunt figuli habitantes in plantationibus et in sepibus apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi, id est, aliqui ex præinductis viris natis ex Sela, et ex Ruth, fuerunt formatores vasorum testeorum sive formarum pro cupreis vasis fundendis, qui habitaverunt in vineis et ædibus, et infra sepes aut murorum clausuras quas plantarunt seu construxerunt. Nam agriculturis dediti erant apud regem in operibus ejus. Promoto etenim David nato ex eorum tribu, facti sunt operarii ejus,

commoratique sunt ibi, ubi rex eis constituit, et eorum ministerio congruebat.

Consequenter describitur progenies Simeonis : cujus genealogia statim post descriptionem tribus Juda annectitur, quoniam tribus Simeonis in medio filiorum (Josue xix. 1-9.) Juda sortem suam accepit, ut in libro Josue recitatur. *Filii Simeon* fuerunt, *Namuel et Jamin, Jarib, Zara, Saul; Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus. Filii Masma : Hamuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus. Filii Semei sedecim et filiæ sex. Fratres autem ejus non habuerunt filios multos.* Ponuntur hic quinque filii Simeonis. Verumtamen in Ge- (Gen. xlvi. 10.) nesi ponuntur sex ; sed unus illorum hoc loco omittitur, quia de eo non est orta pro- (Num. xxvi, 12. 13.) genies aliqua, juxta Glossam, imo in libro Numerorum hoc patet. Eadem quoque nomina hic et ibi aliqualiter variantur, ut intuentibus constat. *Et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda,* id est, tribus Simeonis multo minor et impotentior fuit tribu Juda, quæ præ ceteris tribubus nobilior, copiosior et bellico- (Josue xix, 9.) sior fuit : ideo tribus Simeonis intra sortem Juda mansiones sortita est ad sui tutationem atque munimen. Verumtamen in prima tribuum Israel numeratione, fuerunt (Num. i, 23. 27.) in tribu Simeonis quinquaginta novem millia trecenti ; de Juda vero septuaginta quatuor millia sexcenti, ut in libro Numerorum habetur. Porro in secunda tribuum enu- (Ibid. xxvi, 14. 22.) meratione fuerunt de Simeone dumtaxat viginti duo millia ducenti ; de Juda vero septuaginta sex millia quingenti : et ita in terræ divisione multum distabat tribus Simeonis a numerositate filiorum Juda.

Habitaverunt autem in Bersabee filii Simeonis, *et Molada, et in Hasarsual, et in Bala, et in Asem, et in Tholad, et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg, et Bethmarchaboth, et Hasarsusim, et in Bethberai, et in Saarim,* id est urbe Bersabee sic dicta et aliis urbibus, quæ exprimuntur in (Josue xix. 1-6.) littera : quæ et in Josue describuntur. *Hæ civitates eorum usque ad regem David.* Ad cujus verbi intellectum habendum oportet

A scire, quod tribus Juda tempore Josue tot habuit urbes, quod universas satis implere seu populare et occupare nequivit. Habuit etiam hæc tribus urbes dupliciter, puta per concessionem, id est omnes quas potuit expugnare, et per divisionem sorte factam. Hinc aliquas urbes suas mutuavit ad tempus tribui Simeonis, quas quum tribus Simeonis diu habitasset, noluit eas resignare tribui Juda ; nec Saul, odiens ipsum David, compulit tribum Simeonis ad illam resignationem. David autem regno adepto, B compulit eam ad hoc. *Villæ quoque eorum : Etam, et Aen, Remmon et Thochen, et Asan, civitates quinque. Et universi viculi eorum, per circumitum civitatum istarum, usque ad Baal. Hæc est habitatio eorum et sedium distributio.*

Mosobab quoque et Jemlech, et Josa filius Amasiæ, et Joel, et Jehu filius Josabiæ, filii Saraiæ, filii Asiel, et Elioenai et Jacoba et Isuhaia et Asaia et Adiel et Ismiel et Banaia, Ziza quoque filius Sephei, filii Allon, filii Idaia, filii Semri, filii Sa- C *maia. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis ; et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. Et profecti sunt, ut ingrederentur in Gador, usque ad orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis. Inveneruntque pascuas uberes et valde bonas, in terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda ; et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui* D *inventi fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem ; habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt.* Hoc in loco nominatim ponuntur quidam viri potentes de semine Simeonis, qui magnas genuerunt posteritates, quæ insimul conglobatæ, tempore Ezechiæ regis, percusserunt in loco qui dictus est Gador, populum quemdam natum de genere Chananæorum, possederuntque terram eorum, quæ uberrima erat et pascualis, atque per hoc aptissima Simeonitis

Digitized by Google

istis, pecora copiosa habentibus. Habue- A
runt quoque jus faciendi hoc ipsum, quia ex Dei donatione terra Chananæorum fuit de jure pertinens ad Judæos.

De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes, Phaltiam, et Naariam, et Raphaiam, et Oziel, filios Jesi ; et percusserunt reliquias Amalecitarum, quæ evadere potuerant manus Hebræorum in alio prælio :
1 Reg. xv, 2-7; xxx. quando videlicet Saul Deo jubente percussit Amalecitas; vel quando David percussit eos qui Siceleg combusserunt, ex quibus B
quadringenti juvenes ascensis camelis evaserunt, ut primo legitur Regum. Vel ex alia pugna consimili diffugerant, atque in monte Seir se collegerunt, et multa mala fecerunt ibidem, seu etiam molesti fuerunt Israelitis aut specialiter Simeonitis, sicque justum prælium illis intulisse creduntur. *Et habitaverunt ibi pro eis usque in diem hanc.*

Postremo ex descriptione ista expugnationis Chananæorum a Simeonitis tempore Ezechiæ, elicitur, quod præscriptio non valet, si titulus justus non fuit.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : FILII QUOQUE RUBEN PRIMOGENITI ISRAEL.

GENEALOGIA tribus Ruben hic recitatur. *Filii quoque Ruben primogeniti Israel,* id est ipsius Jacob, qui alio nomine
Gen. xxxii, 28. dictus est Israel, supple, fuerunt qui infra habentur in textu. *Ipse quippe* Ruben *fuit primogenitus ejus,* scilicet Israelis ; *sed quum violasset torum patris sui,* dor-
Ibid. xxxv, 22. miendo cum Bala conjuge patris sui, prout in Genesi describitur, *data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israel,* videlicet Ephraim et Manassæ : id est, eo ipso quo tam flagitiosum et fœdum commisit ince- C
stum, meruit jure ac dignitate primogenituræ privari ; et postea eis privatus est, quando videlicet sanctus Jacob morti jam proximus, filiis suis benedixit, atque ad
Ibid. xlix, 4. Ruben inter cetera dixit : Effusus es sicut aqua ; non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. *Et non est reputatus ille in primogenitum.* Præterea, jus primogenituræ in lege naturæ tria bona in se comprehendit : videlicet duplicem portionem hereditatis. Et quantum ad hoc, translatum fuit ad filios Joseph, quibus Jacob duplicem D
Ibid. xlviii, 15-20. assignavit funiculum, et eos in duas divisit tribus, atque sublimiter benedixit, quemadmodum in Genesi narratur. Secundum, quod ad jus primogenituræ pertinuit, fuit sacerdotium, quia in lege naturæ primogeniti fuerunt sacerdotes. Et quantum ad hoc, translatum fuit ad tribum Num. iii, 6 et seq.
Levi. Tertium, est dignitas principatus.
Unde Jacob dixit ad Ruben : Ruben primo- Gen. xlix, 3.
genitus meus, tu fortitudo mea, prior in donis, major in imperio. Et quoad hoc, translatum fuit ad tribum Juda. Hinc subditur : *Porro Judas qui erat fortissimus inter fratres suos :* fuit enim ceteris fortior corpore, imo et prudentior atque facundior, ut videtur, Joseph excepto ; *de stirpe ejus principes germinati sunt,* id est reges usque ad Sedeciam. Multis etenim donis omnipotens Dominus ornavit personam Judæ ac tribum ipsius, quia ex eo incarnari elegit. *Primogenita autem reputata sunt Joseph.*

Filii ergo Ruben primogeniti Israel, fuerunt, *Enoch et Phallu, Esron et Charmi,* qui in Genesi sic nominantur. *Filii Joel* Ibid. xlvi, 9; Exod. vi, 14.
nati ex Ruben : Samia filius ejus, Gog filius ejus, Semei filius ejus, Micha filius ejus, Reia filius ejus, Baal filius ejus, Bee-

Digitized by Google

ra filius ejus, quem captivum duxit Theglathphalasar rex Assyriorum. Hunc Beera Glossa interlinearis insinuat esse patrem Osee prophetæ, qui in principio ait sui voluminis : Verbum Domini quod factum est ad Osee filium Beeri. (Osee i, 1.) Qualiter autem rex præfatus cepit aliquas urbes Samariæ, quarto Regum habetur. (IV Reg. xv, 29.) *Et* Beera jam præfatus, *fuit princeps in tribu Ruben,* id est unus de principalioribus in tribu illa post regem : sicque Osee erat spectabilis genere. *Fratres autem ejus et universa cognatio ejus quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes Jehiel et Zachariam. Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Joel, ipse habitavit in Aroer,* id est loco seu oppido sic vocato trans Jordanem, *usque ad Nebo,* id est montem illum ex quo Moyses contemplatus est terram promissionis, (Deut. xxxiv, 1-4.) *et Baalmeon,* quia usque ad loca illa montana occupavit terram interjacentem cum familiis atque pecoribus suis. *Contra orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi et flumen Euphraten. Multum quippe numerum jumentorum possidebant in terra Galaad. In diebus autem Saul regis Israel præliati sunt* Rubenitæ *contra Agarenos,* natos ex Agar conjuge Abrahæ, *et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ respicit ad orientem Galaad.*

Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt, ex opposito scilicet sortis Rubenitarum, *in terra Basan,* quam Moyses eis distribuit, prout in libro Numerorum refertur, (Num. xxxii, 33.) *usque in Selcha : Joel in capite,* id est capitaneus, vel in superiori parte loci illius, *et Saphan secundus* post illum ; *Janai autem et Saphat in Basan. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum : Michael, et Mosollam, et Sebe, et Jorai, et Jachan, et Zie, et Heber, septem. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jara, filii Galaad, filii Michael, filii Jesesi, filii Jeddo, filii Buz. Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, principes domus in familiis suis. Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in viculis ejus, et in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos. Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, et in diebus Jeroboam regis Israel.* Si per Jeroboam intelligatur Jeroboam filius Nabat, qui tempore Roboam filii Salomonis regnavit super decem tribus, (III Reg. xii, 20.) dicendum erit, quod hi de quibus loquitur littera, bis numerati fuerunt, quia Jeroboam ille diu ante Joathan regnavit et obiit. Si vero per Jeroboam intelligatur filius Joas natus ex Jehu, potuit esse numeratio una, (IV Reg. xiv, 16. Ibid. xv, 7.) quoniam ille fuit contemporaneus Joathan regi. Numerati sunt autem fortassis ex imperio regis sui, vel quando fuerant congressuri. Et si numeratio venit ex elatione, nec juxta legem offerebant qui numerabantur, (Exod. xxx, 11-13.) vitiosa fuit numeratio illa, dato quod in præsenti non fuit punita, ut ea quæ facta est, David jubente. (II Reg. xxiv, 2.) Electos equidem punit Dominus in præsenti, reprobos vero reservat futuris suppliciis, quanquam etiam in præsenti aliquando puniantur.

Filii Ruben et Gad et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios, et tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quatuor millia, et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam, dimicaverunt contra Agarenos. Hic recitatur, qualiter filii Israel ex Ruben et Gad ac Manasse progeniti, et trans Jordanem commorati, debellaverunt Agarenos, et miram ac magnam obtinuerunt victoriam ac maximam prædam, quoniam crediderunt in Dominum, et eum præliando invocaverunt. *Ituræi vero et Naphæi et Nodab,* id est viri nati ex filiis Ismaelis, *præbuerunt eis auxilium,* id est, adjuverunt eos, videlicet Agarenos, tanquam cognatos suos : siquidem in Genesi Itur et Naphis inter Ismaelis filios computantur; (Gen. xxv, 15.) et ab illo Itur dicti sunt Ituræi, atque a Naphis Naphæi. Circa hoc scribit Lyra : Dicunt quidam expositores nostri, quod isti præfati fuerunt de filiis Israel, et ideo eos juverunt. Hebræi autem melius dicunt, quod fuerunt de Agar per Ismaelem. Quocirca dico, quod nec Hieronymus, nec Glos-

sa, nec Rabanus, nec aliquis expositor authenticus quem vidi, dicit istos fuisse de filiis Israel, sed de Ismaelitis : ideo in hoc non erant Hebræi Catholicis præferendi, quum et Catholici hæc jure exponant.

Traditique sunt in manus eorum Agareni, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt filii Ruben et Gad *quum prœliarentur.* Sicque in actu pugnandi erant Deo intenti, similes Judæ Machabæo et adjutoribus, de quibus secundo Machabæorum legitur, quod congressi sunt manibus quidem pugnantes, cordibus autem Dominum exorantes. *Et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum.* Nam Sancti per fidem vicerunt regna. *Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, asinos duo millia, et animas hominum centum millia. Vulnerati autem multi corruerunt. Fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis,* id est in terra Agarenorum, *usque ad transmigrationem,* id est, quousque pro suis excessibus traditi sunt Assyriis.

(II Mach. xv, 27.) (Hebr. xi, 33.)

Filii quoque dimidiæ tribus Manasse possederunt terram a finibus Basan usque ad Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon : ingens quippe numerus erat. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum : Epher, Jesi, et Eliel, Ezriel, et Jeremia, et Odoia, et Jediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familiis suis. Textus difficultatem non habet.

Reliquerunt autem Dominum *Deum patrum suorum,* per mentis aversionem ab ipso, et per divinæ legis transgressionem. *Et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Dominus coram eis :* id est, diis gentium impie adhæserunt ac servierunt, quod est fornicatio spiritualis et adulterium animæ, sponsum Deum deserentis, atque dæmonibus consentientis, quibus se constuprandam exponit. *Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Theglathphalasar regis Assur,* id est, voluntates seu animas regum istorum instigavit ad impugnandum impios illos filios Israel idololatras. *Et abstulit* Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse.* In quantum enim filii Israel meruerunt sic impugnari, vastari, transferri, et in quantum juste facta sunt illa, Deus per se et angelos sanctos movit Assyrios, tanquam instrumenta, servos et exsecutores divinæ justitiæ contra Israelitas; in quantum vero Assyrii perversa intentione et corde crudeli punierunt illos Judæos, instigabantur ab angelis malis, quod et Dominus permissive fecisse asseritur. *Et adduxit eos in Hala et in Habor et Ara,* id est, in loca seu oppida sic vocata, *et fluvium Gozan,* id est juxta flumen sic nuncupatum, *usque in diem hanc.* Verumtamen, ut ex quarto Regum habetur, Phul et Theglathphalasar reges Assyriorum cœperunt hæc facere, sed Salmanasar rex Assur magis complevit.

(* transtulit) (IV Reg. xv, 19, 29; xvii, 3 et seq.)

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : FILII LEVI : GERSON, CAATH ET MERARI.

Filii Levi : Gerson, Caath et Merari. Filii Caath : Amram, Isaar, Hebron et Oziel. Filii Amram : Aaron, Moyses et Maria. Filii Aaron : Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar. Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue, Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi, Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth. Porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoc, et

Digitized by Google

Sadoc genuit Achimaas, Achimaas genuit A *Azariam.* en. XLVI. ; Exod. 16-25 ; im. XXVI, 60. Ista in libris Moysis frequenter sunt habita atque exposita. Describitur autem ordo successionis summi sacerdotis ab Aaron usque ad transmigrationem in Babylonem, et plana est littera. Deinde inter cetera dicitur : *Azarias autem genuit Johanan, Johanan* pontifex *genuit Azariam. Ipse,* videlicet Azarias, *est qui functus est sacerdotio in domo quam ædificavit Salomon in Jerusalem,* id est in templo Salomonis, in quo videlicet templo etiam alii multi sacerdotes bene functi sunt. Cur ergo dicitur istud specialiter de hoc Azaria? Respondetur, quod ideo, quia viriliter restitit II Par. n, 16-18. Oziæ regi usurpanti sibi sacerdotale officium in thurificando. *Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum, Sellum genuit Helciam, Helcias genuit Azariam, Azarias genuit Saraiam, et Saraias genuit Josedec.* Dicunt quamplurimi hunc Josedec Esdram fuisse, quum Esdr. VII. et in libro Esdræ legatur : Post hæc in regno Artaxerxis Esdras filius Saraiæ, etc. Saraiam autem sacerdotem primum occidit rex Babylonis, ipsumque Josedec transtulit in Chaldæam. *Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem, per manus Nabuchodonosor.*

Filii ergo Levi : Gerson, Caath et Merari. Et hæc nomina filiorum Gerson : Lobni et Semei. Filii Caath : Amram et Isaar et Hebron et Oziel. Filii Merari : Moholi et Musi. Hæ autem generationes Levi secundum familias eorum. Gerson, Lobni filius ejus, Jahath filius ejus, Zamma filius ejus, Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus. Filii Caath : Aminadab filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus, Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus, Thahath filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus. Filii Elcana : Amasai et Achimoth et Elcana. Filii Elcana : Sophai filius ejus, Nahath filius ejus, Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus. Filii Samuel : primogenitus Vasseni, et Abia. Filii autem Merari : Moholi, Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus, Sammaa filius ejus, Haggia filius ejus, Asaia filius ejus.

Isti sunt quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca; et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes, donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem. Stabant autem juxta ordinem suum in ministerio. Sanctus David zelo divini honoris totus ignitus, optavit Deo ædificare II Reg. VII, 2-5. B templum cedrinum, et prohibitus fuit; attamen ante hoc fecerat David tabernaculum, ad ponendum in eo arcam, in quo quum eam constituisset, instituit ibi tres I Par. XXV. choros cantorum, quibus vicissim præfuerunt diversi. Verumtamen unicuique turmæ cantorum, qui et Levitæ fuerunt, unus præfuit principalis, ita quod erant tres principales sic præsidentes, nati ex tribus filiis Levi. Nam Heman natus ex Caath filio Levi, præfuit turmæ cantorum quæ erat in medio; Asaph vero ex Gerson progenitus, prin- C ceps exstitit chori ad dexteram exsistentis. Ethan vero ex semine Merari, erat super chorum cantorum exsistentium ad sinistram. Canebant autem psalmos ordinate, et tempore præstituto, donec ædificaret Salomon domum Domini, id est templum in Jerusalem, non quod templo Salomonis constructo, ipsi eorumve posteri cantare cessaverint.

Hi vero sunt, qui adsistebant cum filiis suis : de filiis Caath, Heman cantor, filius Joel, filii Samuel, filii Elcana, filii Jero- D *ham, filii Eliel, filii Thohu, filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, filii Elcana, filii Joel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel. Et frater ejus,* videlicet ipsius Heman, ipse *Asaph,* non quod fuit frater illius uterinus et immediatus, sed quia ex eadem stirpe Levitica oriundus, *qui stabat a dextris ejus:* stetit enim ad dexteram, et ipse Heman in medio; *Asaph filius Barachiæ, filii Samaa, filii Michael,*

Digitized by Google

filii Basaiæ, filii Melchiæ, filii Athanai, filii Zara, filii Adaia, filii Ethan, filii Zamma, filii Semei, filii Jeth, filii Gerson, filii Levi. Filii autem Merari fratres eorum ad sinistram : Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch, filii Hasabiæ, filii Amasiæ, filii Helciæ, filii Amasai, filii Boni, filii Somer, filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi.

Fratres quoque eorum Levitæ, quia erant ex semine Levi sicut prædictum est, *qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini,* id est, unusquisque eorum exercuit officium sibi præfixum. Nam quidam eorum ostiarii erant (I *Par.* xxvi.) seu janitores; alii animalium oblatorum pelles detrahebant, aut alio modo circa sacrificia sacerdotibus obsequebantur; nonnulli vero custodes erant vasorum : quod totum plenius infra describitur.

Aaron vero et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum, et ut precarentur pro filiis *Israel, juxta omnia quæ præceperat Moyses servus Dei.* In tabernaculo Moysis, et item in templo Salomonis unum fuit altare in atrio, quod vocabatur altare holocausti seu holocaustorum (*Exod.* xxvii; III *Reg.* viii, 64.) : non quod sola holocausta offerebantur in eo, sed a digniori hoc nomen sortitum est. Inter sacrificia quippe dignissimum exstitit holocaustum, quod scilicet ad divinæ reverentiam majestatis totum incendebatur : et hoc offerebatur in isto altari, sicut et hostiæ pacificæ et hostiæ pro peccato (*Lev.* i, iii-vii.). In hoc ergo altari pontifex et sacerdotes adolebant incensum, id est, comburebant holocaustum, vel aliquam partem aliarum etiam hostiarum. In eodem quoque altari cremabant simplex quoddam incensum, quod cum hostiis et oblationibus offerebatur. Præterea tabernaculum Moysis, sed et templum Salomonis duplicem habuit partem, unam exteriorem, quæ dicebatur Sancta, in qua fuit altare thymiamatis (*Exod.* xxx, 1, 7, 8.), quod quotidie incendebatur in eo, ut esset in templo ac tabernaculo odor suavis contra odorem non dulcem, qui causabatur in atrio ex sacrificiorum, præsertim animalium, combustione. Alia pars tabernaculi ac templi fuit interior, et dicebatur Sancta sanctorum, ubi erant arca et propitiatorium et tabulæ testamenti, virgaque Aaron et urna aurea continens manna (*Hebr.* ix, 3-5.). Porro, quæ fiebant in exteriori et prima templi seu tabernaculi parte, fiebant ad Dei honorem, cujus sedes, utpote propitiatorium, fuit intra Sancta sanctorum : sicque Deus ibi residere dicebatur ac habitare. Idcirco, quæ in exteriori parte præfata et in thymiamatis altari fiebant, ut appositio panum, thymiamatisque ex quatuor speciebus pretiosis ac boni odoris compositi concrematio, et compositio lucernarum (*Exod.* xxv, 30; xxx, 34-38; *Lev.* xxiv, 2-8.), ordinabantur et exercebantur *in omne opus Sancti sanctorum,* id est, propter ea quæ decuit fieri ad laudem atque honorem Dei, in Sancto sanctorum requiescentis; et ut sacerdotes hæc exercendo orarent pro populo. Denique multa scribuntur in primo et secundo Paralipomenon libris, quæ plene intelligi nequeunt, nisi ex intellectu eorum quæ in Levitico scripta sunt, et item in Exodo Numerorumque libro; sed prolixum est talia iterare. Verum locis opportunis poterunt breviter tangi.

Consequenter describitur generatio Aaron per filium ejus Eleazarum usque ad Sadoc pontificem et ad filium ejus Achimaas, et clarus est textus. *Hi sunt autem filii Aaron : Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus, Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus, Meraioth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus, Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus.*

Deinde recitantur urbes datæ sacerdotibus et Levitis ad commorandum, et suburbana ad alenda eorum jumenta. Verumtamen littera hæc tangens, est aliqualiter intricata, ideo exponenda. *Et hæc habitacula eorum,* videlicet sacerdotum, *per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum. Ipsis enim sorte contigerant,* quia de Caath ortus est Amram pater Aaron pontificis ac sacerdo- (*Exod.* vi, 18, 20.)

tum. *Dederunt igitur* filii Israel, scilicet tribus Juda, etc., *eis Hebron* civitatem ad inhabitandum, *in terra Juda, et suburbana ejus per circuitum; agros autem civitatis et villas,* dederunt Josue et qui cum ipso terram distribuerunt, *Caleb filio Jephone.* Sacerdotes equidem ac Levitæ non pote- (Josue XIII, 14.) rant hereditaria bona habere; sed sacrificia, decimæ atque primitiæ erant eis loco (Ibid. XIV, 13. 14.) hereditatis. Ipsa quoque urbs Hebron pertinuit ad possessionem hereditariam atque dominium Caleb : quæ omnia in libris Josue ac Judicum plenius continentur.

Porro filiis Aaron dederunt filii Israel *civitates,* quæ paulo post nominantur, *ad confugiendum : Hebron,* id est, Hebron data est Aaron modo præfato, non quod Aaron eam intraverit, sed filii ejus. Ipse (Deut. XXXII, 50.) vero in monte Hor in deserto defunctus (Josue XX, 7.) est. Hæc, inquam, Hebron etiam specialiter data est pro urbe confugii, ad quam (Num. XXXV, 10 et seq.) sicut ad ceteras refugii urbes confugerunt, qui nolentes seu improvise sive fortuito et excusabiliter sanguinem effuderunt. Denique urbes quæ immediate subjunguntur, non erant urbes refugii, sed habitationes sacerdotum ac Levitarum. Urbes refugii erant sex, primo, videlicet tempore Josue : (Deut. IV, 41-43; XIX, 2-10; Josue XX, 7, 8.) utpote tres trans Jordanem, videlicet Bosor et Ramoth ac Gaulon; et tres citra Jordanem, quæ erant Cedes et Sichem ac Hebron, ut in libro Josue legitur. Postea vero (Num. XXXV, 14; Deut. XIX, 9.) sunt additæ aliæ sex, prout in libro Numerorum et Deuteronomio jussum est. *Et Lobna, et suburbana ejus; Jether quoque et Esthemo cum suburbanis suis; sed et Helon et Dabir cum suburbanis suis; Asan quoque et Bethsemes, et suburbana earum.* (Cf. Josue XXI, 17-19.) *De tribu autem Benjamin Gabee, et suburbana ejus, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis. Omnes civitates tredecim cum suburbanis suis, per cognationes suas.*

Filiis autem Caath residuis de cognatione sua dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem. Ex Caath nati sunt sacerdotes; verumtamen non omnes nati ex illo, facti sunt sacerdotes,
A sed nati ex eo per Aaron et filios ejus. *Porro filiis Gerson per cognationes suas, de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephthali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim. Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum. Dederuntque per sortem ex tribu filiorum Juda, et ex tribu filiorum Simeon, et ex tribu filiorum Benjamin ur-*
B *bes has, quas vocaverunt nominibus suis. Et his qui erant de cognatione filiorum Caath. Fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim. Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis, Jecmaan quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter, necnon et Aialon cum suburbanis suis, et Gethremmon in eumdem modum. Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana ejus, Baalam et suburbana ejus.*
C *His videlicet qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant.*

Filiis autem Gerson, de cognatione dimidiæ tribus Manasse : Gaulon in Basan et suburbana ejus, et Astaroth cum suburbanis suis. De tribu Issachar : Cedes et suburbana ejus, et Dabereth cum suburbanis suis, Ramoth quoque et suburbana ejus, et Anem cum suburbanis suis. De tribu vero Aser : Masel cum suburbanis suis, et Abdon similiter, Hucac quoque et suburbana ejus, Rohob cum suburbanis suis. Porro de
D *tribu Nephthali : Cedes in Galilæa et suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim cum suburbanis ejus.*

Filiis autem Merari residuis, de tribu Zabulon : Remmono et suburbana ejus, et Thabor cum suburbanis suis. Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho, contra orientem Jordanis, de tribu Ruben : Bosor in solitudine cum suburbanis suis, et Jassa cum suburbanis suis, Cademoth quoque et suburbana ejus, et Mephaath cum suburbanis suis. Necnon de tribu Gad : Ramoth

Digitized by Google

in Galaad et suburbana ejus, et Mahanaim cum suburbanis suis, sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Jezer cum suburbanis suis. Hæc omnia plana sunt, atque in libris præallegatis, præsertim Josue, exposita sunt.

A Juxta spiritualem intelligentiam, per tres principes cantorum, videlicet Heman, Asaph et Ethan, significantur prædicatores, doctores, prælati, qui sanctæ et superbeatissimæ Trinitatis fidem et Evangelium mundo evangelizant.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMI : PORRO FILII ISSACHAR : THOLA ET PHUA, JASUB ET SIMERON, QUATUOR.

NUNC describuntur aliarum tribuum filii. *Porro filii Issachar,* qui fuit
Gen. xxx, 17, 18. quintus filius Jacob ex Lia, fuerunt, *Thola et Phua, Jasub et Simeron, quatuor :*
Ibid. xlvi, 13. qui et in Genesi eodem ordine exprimuntur. *Filii Thola : Ozi, et Raphaia, et Jeriel, et Jemai, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola numerati sunt* per Joab *in diebus*
II Reg. xxiv, 2. *David,* qui culpabiliter jussit populum numerari, *viri fortissimi,* id est viri valde fortes corpore. Qui autem et quot fuerint fortes mente, hoc est virtuosi, Dominus
Joann. xiii, 18. novit, qui scit quos elegit. *Viginti duo millia sexcenti. Filii Ozi : Israhia, de quo nati sunt Michael, et Obadia, et Johel, et Jesia, quinque omnes principes. Cum eis per familias et populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta et sex millia. Multas autem habuerunt uxores, et filios. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt.*

Consequenter generatio Benjamin describitur breviter, quæ sequenti capitulo diffusius est descripta. *Filii Benjamin : Bale, et Bochor, et Jadihel, tres.* Non est intelligendum, quod Benjamin non habuerit nisi tres filios, quum in Genesi legatur decem filios habuisse; sed isti fuerunt
Gen. xlvi, 21. tres filii ejus seniores. Tamen qui vocatur

B hic Bochor, ibi dicitur Bechor; et qui hic Jadihel, ibi Asbel. Sic et in aliis nominibus hic et ibi expressis, quandoque quædam varietas invenitur, quemadmodum et in Latinis nominibus propriis sæpe contingit. *Filii Bale : Esbon, et Ozi, et Oziel, et Jerimoth, et Urai, quinque principes familiarum, et ad pugnandum robustissimi. Numerus autem eorum, viginti duo millia et triginta quatuor. Porro filii Bochor : Zamira, et Joas, et Eliezer, et Elioenai, et Amri, et Jerimoth, et Abia, et*
C *Anathoth, et Almath. Omnes hi filii Bochor. Numerati sunt autem per familias suas, principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti. Porro filii Jadihel : Balan. Filii autem Balan : Jehus, et Benjamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar. Omnes hi filii Jadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti, ad prælium procedentes. Sepham quoque et Hapham filii Hir; et Hasim filii Aher.*

D *Filii autem Nephthali : Jasiel, et Guni, et Jeser, et Sellum, filii Bala.*

Porro filius Manassæ : Esriel; concubinaque ejus Syra, puta ipsius Manassæ, *peperit Machir patrem Galaad.* Nam Machir habuit filium nomine Galaad. Machir Gen. l. Num. xxxii, 39; Deut. iii, 15.
quoque fuit dominus terræ Galaad pro magna parte. Circa hoc fertur in Glossa :

Concubina hæc Syra dicitur fuisse filia filii Laban Syri, quæ fame cogente, a patre in Ægyptum ducta, sumpta est misericorditer in conjugium a Manasse, qui horreis præerat, cibariis datis patri concubinæ præfatæ. Sicque videtur vocari Syra, quia a regione Syriæ Mesopotamia fuit; et dicitur concubina, quamvis uxor exstiterit, sicut Bala et Zelpha concubinæ sancti Jacob vocantur. *Machir autem accepit uxores filiis suis, Happhim et Saphan; et habuit sororem nomine Maacha. Nomen autem secundi, Salphaad; natæque sunt Salphaad filiæ. Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares. Porro nomen fratris ejus Sares; et filii ejus Ulam et Recen. Filius autem Ulam, Badan. Hi sunt filii Galaad filii Machir, filii Manassæ. Soror autem ejus Regma* peperit Virum decorum, et Abiezer, et Mohola. Erant autem filii Semida : Ahin, et Sechem, et Leci, et Aniam.* Filiæ istius Salphaad quinque erant, quæ fratrem non habuerunt, ideo petierunt hereditatem a Moyse, ut in libro Numerorum legitur. Hunc Salphaad quidam dicunt fuisse illum qui lapidibus obrutus est, eo quod ligna collegit in sabbato. Attamen super Numerorum librum potius tentum est et probatum hujus oppositum.

Gen. xxx, 3; xxxv, 22.

* Regina

Num. xxvii, 1-3.

Ibid. xv, 32-36.

Filii autem Ephraim : Suthala, Bared filius ejus, Thahath filius ejus, Elada filius ejus, Thahath filius ejus, et hujus filius Zabad, et hujus filius Suthala, et hujus filius Ezer, et Elad. Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, id est Gethæi cives loci illius, *quia descenderant ut invaderent possessiones eorum.* Circa hoc scribit Hieronymus : Fabulantur Hebræi, quod filii Ephraim, patre eorum vivente, congregata multitudine, conati sunt terram promissionis intrare, et in Geth Palæstinorum occisi sunt. Unde ceteræ tribus tempore Moysis per desertum sunt ductæ, ne eundo per terram Philistiim, ossa fratrum suorum viderent. Et huic fabulationi consonare videtur quod subditur : *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus;* A *et venerunt fratres ejus ut consolarentur eum. Ingressusque est ad uxorem suam, quæ concepit et peperit filium, et vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset,* id est tempore afflictionis et adversitatis suorum domesticorum ac posterorum prætacto modo interfectorum. Beria quoque interpretatur, in malo.

Sed præfatæ fabulationi videtur contrariari quod subditur : *Filia autem ejus,* videlicet Ephraim, *fuit Sara, quæ ædificavit,* B id est, reparavit et rursus construxit, *Bethoron superiorem et inferiorem, et Ozensara,* id est urbes sic appellatas, quæ erant in sorte atque funiculo Ephraim, prout in Josue libro legitur. Siquidem immediata filia Ephraim, non videtur vixisse usque post ingressum filiorum Israel in terram promissionis, ita quod tunc reparaverit urbes illas, quæ diu ante ingressum filiorum Israel erant ædificatæ. Præterea terra Philistiim est altior situ quam terra Ægypti : idcirco Ephratæi ex Ægypto C pergendo versus Philistiim, non dicerentur descendisse, sed ascendisse. Verius ergo creditur, quod ista occisio filiorum Ephraim, facta sit post ingressum Israel in terram promissionis, ita quod tunc filii Ephraim in suis viribus confidentes, descenderunt ad expugnandum possidendumque urbem Geth, et victi fuerunt : sicque pater eorum qui eos deflevit, non fuit Ephraim filius Joseph, sed alius natus ex illo, illiusque filia ædificavit Bethoron superiorem et inferiorem.

Josue xvi, 3, 5.

D *Porro filius ejus : Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan. Hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elisama, de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue* nomine. Iste est Josue filius viri nomine Nun, minister Moysis, qui aliis nominibus dictus est Osee ac Jesus filius Nave.

Num. xiii, 9; Eccli. xlvi, 1; Act. vii, 45.

Possessio autem eorum et habitatio : Bethel cum filiabus suis, contra orientem Noran, ad occidentalem plagam Gazer et filiæ ejus; Sichem quoque cum filiabus suis, us-

Digitized by Google

que ad Aza cum filiabus ejus. Juxta filios quoque Manassæ : Bethsan et filias ejus, Thanach et filias ejus, Mageddo et filias ejus, Dor et filias ejus. In his habitaverunt filii Joseph filii Israel.

Hic describitur consequenter genealogia Aser patriarchæ. *Filii Aser : Jemna, et Jesua, et Jessui, et Baria, et Sara soror eorum. Filii autem Baria : Heber et Melchiel : ipse est pater Barsaith. Heber autem genuit Jephlat, et Somer, et Hotham, et Suaa sororem eorum. Filii Jephlat : Phosech, et Chamaal, et Asoth : hi filii Je-* A *phlat. Porro filii Somer : Ahi, et Roaga, et Haba, et Aram. Filii autem Helem fratris ejus : Supha, et Jemna, et Selles, et Amal. Filii Supha : Sue, et Harnapher, et Sual, et Beri, et Jamra, Bosor, et Hod, et Samma, et Salusa, et Jethran, et Bera. Filii Jether : Jephone, et Phaspha, et Ara. Filii autem Olla : Aree, et Haniel, et Rezia. Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum. Numerus autem eorum ætatis, quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.* B Textus iste satis planus est.

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVI : BENJAMIN AUTEM GENUIT BALE PRIMOGENITUM SUUM.

RURSUS genealogia Benjamin recitatur diffusius, præsertim ut monstretur, qualiter ex ea Saul, et ejus progenies profluxerunt. *Benjamin autem genuit Bale primogenitum suum :* [Gen. xlvi, 21.] qui in Genesi vocatur Bela. *Asbal secundum :* qui præcedenti capitulo dictus est Bochor *; alibi quoque vocatur Asbel. [* Jadihel Ibidem et Num. xxvi, 38.] Sed et reliqui quos textus consequenter exprimit, scilicet : *Ahara tertium, Nohaa quartum, et Rapha quintum ; fueruntque filii Bale, Addar, et Gera, et Abiud, Abisue quoque, et Naaman, et Ahoe, sed et Gera, et Sephuphan, et Huram ;* alia nomina alibi sortiuntur. *Hi* in textu præfati, *sunt filii Ahod.* Dicunt nonnulli, quod iste est Aioth judex Israel, [Judic. iii, 15.] qui in libro Judicum vocatur Aod, fuitque filius Gera filii Jemini de tribu Benjamin, utens utraque manu pro dextera. *Principes cognationum habitantium in Gabaa :* [Ibid. xix, 25.] qui uxorem Levitæ vitiosissime tractaverunt ; *qui translati sunt in Manahath,* id est, ob hoc gladio cæsi, et in monumentum detracti sunt, ut quidam exponunt. Alii D exponunt de aliis Benjamitis, quos dicunt, ob sua peccata translatos in locum nomine Manahath, a viris de quibus subjungitur : *Naaman autem, et Achia, et Gera, ipse transtulit eos, et genuit Oza et Ahiud.* Vel sensus est, quod isti illos deduxerunt in monumentum. Non enim apparet, quod eos transtulerunt invitos ad alium locum, quia et ipsi Benjamitæ fuerunt.

Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara uxores suas. Quamvis libellus repudii fuit permissus ad vitandum malum deterius, [Deut. xxiv, 1; Matth. v, 31; Marc. x, 4.] C non tamen sine peccato vir uxorem repudiavit, quum et Malachias propheta testetur : Operiet iniquitas vestimentum ejus, id [Malach. ii, 16.] est corpus viri uxorem dimittentis. *Genuit autem de Hodes uxore sua, Jobab et Sebia, et Mosa, et Molchom, Jehus quoque, et Sechia, et Marma : hi sunt filii ejus, principes in familiis suis. Mehusim vero genuit Abitob, et Elphaal. Porro filii Elphaal : Heber, et Misaam, et Samad. Hic ædificavit Ono et Lod,* id est oppida aut fortalitia sic vocata, *et filias ejus,* hoc est vicos et villas adjunctas.

Baria autem et Sama, principes cognationum habitantium in Aialon : hi fuga-

Digitized by Google

verunt habitatores Geth. Et Ahio, et Sesac, et Jerimoth, et Zabadia, et Arod, et Heder, Michael quoque et Jespha, et Joha, filii Baria. Et Zabadia, et Mosollam, et Hezeci, et Heber, et Jesamari, et Jezlia, et Jobab, filii Elphaal. Et Jacim, et Zechri, et Zabdi, et Elioenai, et Selethai, et Eliel, et Adaia, et Baraia, et Samarath, filii Semei. Et Jespham, et Heber, et Eliel, et Abdon, et Zechri, et Hanan, et Hanania, et Ælam, et Anathothia, et Jephdaia, et Phanuel, filii Sesac. Et Samsari, et Sohoria, et Otholia, et Jersia, et Elia, et Zechri, filii Jeroham. Hi sunt patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem. Fuerunt enim patres præcipui in cognationibus suis. Urbs vero Jerusalem in sorte Benjamin fuit, et pro parte in tribu Juda. [osue XVIII, ; XV, 63.]

In Gabaon autem habitaverunt Abi, id est pater seu principalis vir, *Gabaon,* et qui sub eo fuerunt; *et nomen uxoris ejus Maacha; filiusque ejus primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab, Gedor, et Ahio, et Zachar, et Macelloth. Et Macelloth genuit Samaa. Habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis. Ner autem genuit Cis.* Jam dictum est, quod Abi seu pater Gabaon genuit Cis. Quomodo igitur Ner genuit Cis, nisi forte ipse Ner dicatur fuisse Gabaon pater? Porro secundo Regum legitur, et alibi, quod Abner fuit filius Ner : sicque Abner fuisset avunculus ipsius Saul, quum subjungatur, *et Cis genuit Saul.* Multi vero fatentur, quod Abner et Saul fuerunt duorum filii fratrum. *Porro Saul genuit* [I Reg. XIV, 0, 51.]

A *Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal,* qui in secundo Regum Isboseth appellatur. *Filius autem Jonathan* fuit *Meribbaal,* qui Regum secundo vocatur Miphiboseth. *Et Meribbaal genuit Micha. Filii Micha : Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. Et Ahaz genuit Joada; et Joada genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri. Porro Zamri genuit Mosa, et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Raphaia, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. Porro Asel sex filii fuerunt, his nominibus : Ezricam,* B *Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, et Hanan : omnes hi filii Asel. Filii autem Esec fratris ejus : Ulam primogenitus, et Jehus secundus, et Eliphalet tertius. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum, et multos habentes filios ac nepotes usque ad centum quinquaginta.* In aliquibus textibus additur, Millia, sed addendum non est : nec in libris correctis, nec in Hebræo habetur. Additque Lyra, quod in tota tribu Benjamin non erant tot viri bellatores : C quod incertum videtur. Nam quando Joab populum numeravit, erant in tribu Juda quadringenta septuaginta millia, ut infra habetur; et in secundo Regum libro, libri correcti habent, quod erant quingenta millia. Unde videtur, quod in tribu Benjamin erant bene centum quinquaginta millia tempore illo, aut plures. Secundo quoque Regum Lyra fatetur, quod numerus filiorum Levi ac Benjamin, quos Joab non numeravit, bene ascendit usque ad trecenta millia. *Omnes hi filii Ben-* D *jamin.* [II Reg. II, 8.] [Ibid. IX, 6.] [I Par. XXI, 5.] [II Reg. XXIV, 9.]

ARTICULUS IX

DECLARATIO CAPITULI NONI : UNIVERSUS ERGO ISRAEL DINUMERATUS EST.

U*NIVERSUS ergo Israel dinumeratus est,* hoc est viri universarum tribuum Israel, *et summa eorum scripta est in libro Regum Israel et Juda.* Ex hoc videtur ista dinumeratio esse intelligenda de ea quam Joab fecit ex præcepto David. Nam [Ibid. 2.]

Digitized by Google

illa dumtaxat in libro Regum descripta est. A Sed objici potest, quod in illa non fuerunt numerati filii Levi ac Benjamin. Ad quod poterit responderi, quod præfata sint per synecdochen accipienda. Verumtamen Glossa interlinearis dicit, istud intelligi posse de numeratione facta per David, vel per Salomonem, vel per quemlibet alium regem. Unde et glossa Hebraica, ut refert Lyra, hic dicit, quod liber iste, in quo scriptæ sunt genealogiæ horum plenæ usque ad minima, non habetur, sicut nec liber Ahiæ Silonitis, nec liber Addo videntis, et plures alii libri qui in Scripturis allegantur, nec tamen supersunt. Porro infra secundo libro narratur, qualiter Jo-
II *Par.* XVII, 14-18. saphat rex habuerit principes quinque, et quot viri sub unoquoque illorum exstiterint. *Translatique sunt in Babylonem propter delictum suum :* non quod universus Israel, seu duodecim tribus, in Babylonem translatus sit, sed populus regni Juda pro maxima parte, propter multa abominabilia crimina sua. De translatione vero aliarum tribuum, seu regni Israel, in terram Assyriorum, supra jam dictum est.

Qui autem habitaverunt primi in possessionibus et in urbibus suis, hoc est, qui post reditum a Babylonica captivitate, rursus cœperunt primo inhabitare pristina loca et oppida, fuerunt : *Israel,* id est quidam de plebe communi, *et sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi,* hoc est posteri Ga-
Josue IX, 27. baonitarum, qui a tempore Josue conversi fuerunt ad Judaismum, comportaveruntque aquam et ligna in domum Dei. *Commorati sunt in Jerusalem* post reditum a Chaldæa, quidam *de filiis Juda, et de filiis Benjamin :* quia ad has duas tribus urbs
Ibid. XV, 63; XVIII, 28. illa pertinebat. *De filiis quoque Ephraim et Manasse.*

IV *Reg.* XV, 29; XVIII, 11. Quando decem tribus transferebantur, et ante ac postea multi ex tribubus illis confugerunt ad regnum Juda sub Ezechia aliisque temporibus, et multi ex illis fuerunt
Ibid. XXV, 11. cum populo Juda in Babylonem translati : qui evolutis septuaginta annis, in propria persona, vel in sobole sua ad Judæam reversi sunt, et quidam ex ipsis in Jerusalem I *Esdr.* II; II *Esdr.* VII.
commorari cœperunt. Erat autem tunc magis necessarium, quod urbs illa satis popularetur, et sufficienter inhabitaretur, quoniam erat præcipua et metropolis regni, et templum erat in ea. Pluresque ex genti- I *Esdr.* IV, 4; V, 3; II *Esdr.* IV, 7, 8, 17, etc.
bus, præsertim Samaritæ, de quibus in Esdra habetur, ejus ac templi ædificationem impedire ac demoliri nitebantur, ita quod prælia imminebant assidue habitatoribus Jerusalem. Propter quod periculosum erat commorari in ea. Hinc qui ex devo- B tione, et sponte se obtulerunt ad manendum in ea, specialiter laudabantur, ac benedicebantur a populo ; et non sufficientibus illis, missæ sunt sortes, ad sciendum qui ex toto populo commorarentur in urbe illa, ut Nehemias recitat. II *Esdr.* XI, 1, 2.

Hi ergo nunc exprimuntur et describuntur cum suis genealogiis. *Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni. De filiis Phares filii Juda, et de Siloni : Asaia primogenitus, et filii ejus. De filiis autem Zara : Jehuel et fratres eorum, sex-* C *centi nonaginta. Porro de filiis Benjamin : Salo filius Mosollam, filii Oduia, filii Asana ; et Jobania filius Jeroham ; et Hela filius Ozi, filii Mochori ; et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Jebaniæ, et fratres eorum, per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi principes cognationum per domos patrum suorum.* Qui etiam in secundo Esdræ libro conscripti sunt, sed vocabula hic et *Ibid.* VII, XI.
ibi diversimode variantur, eo quod aliqui hic nominentur, qui ibi non nominantur : D vel quia eadem persona plura habuit nomina, vel quoniam idem nomen quandoque variatur in principio vel in fine.

De sacerdotibus autem : Jedaia, Joiarib, et Jachin ; Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Maraioth, filii Achitob, pontifex domus Dei. Secundum Glossam, iste fuit Helcias, qui sub Josia rege invenit librum legis in templo, IV *Reg.* XXII, 8.
ut quarto Regum habetur, et dicitur fuisse pater Jeremiæ prophetæ. *Porro Adaias fi-* *Jer.* I, 1.
lius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ;

Digitized by Google

et Maasai filius Adiel, filii Jezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer; fratres quoque eorum principes, per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore, ad faciendum opus ministerii in domo Dei. De Levitis autem : Semeia filius Hassub, filii Ezricam, filii Hasebia, de filiis Merari. Bacbacar quoque carpentarius : qui secundum quosdam sic nuncupatur, quoniam præfuit carpentariis in domo Domini. Sed Levitæ opera talia non exercebant mechanica ; attamen Glossa interlinearis affirmat, quod suo officio fungebatur in domo Dei. *Et Galal, et Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph ; et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun ; et Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis Netophathi.*

Janitores autem : Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahimam, et frater eorum Sellum princeps, usque ad illud tempus in porta regis vicissim ad orientem observabant per vices suas, de filiis Levi. Porta ista adhuc pristinum nomen retinuit, quamvis jam templum et domus regis essent destructa. *Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis et domo patris sui.* In isto capitulo ponuntur interdum hæc nomina, Phinees, Eleazar, Sadoc, Asaph, Idithun, Core, etc. Propter quod quidam ista exponunt de illis antiquis famosis et sanctis, eorumque filiis. Alii exponunt de his qui post reditum a Chaldæa fuerunt, eademquè cum illis antiquis sortiti sunt nomina. *Hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi,* id est, de semine Core nati sunt isti deputati ad Dei cultum, qui et atria templi seu tabernaculi custodire habebant ; *et familiæ eorum per vices, castrorum Domini custodientes introitum. Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino. Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii.*

Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim, et descripti in villis A *propriis, quos constituerunt David et Samuel videns, in fide sua, tam ipsos quam filios eorum, in ostiis domus Domini et in tabernaculo, vicibus suis,* hoc est, istos præordinaverunt instituendos, fideliter progenitores ipsorum instituendo. Nam et tempore Samuelis fuit tabernaculum Moysis, in quo dispositi erant diversi ministri. *Per quatuor ventos erant ostiarii, id est ad orientem, et ad occidentem, et ad aquilonem, et ad austrum :* id est, quidam eorum erant custodes januæ atrii, respicientis B ad orientem, quidam præerant custodiæ ostii, quod vergebat ad occidentem, sicque de aliis sentiendum. *Fratres autem eorum in viculis morabantur,* id est villulis extra Jerusalem, quia nec omnes poterant convenienter in Jerusalem commorari, aut pariter ministrare, sed singuli in ordine vicis suæ. Ideo subditur, *et veniebant* in Jerusalem *in sabbatis suis de tempore usque ad tempus,* id est a tempore quo eorum obsequium debuit inchoare, et erant ibi usque ad finem sui obsequii.

C *His quatuor Levitis creditus est* * *omnis numerus janitorum,* hoc est, ceteri janitores erant commissi ac subditi quatuor principalibus ostiorum custodibus. *Et erant* hi quatuor *super exedras,* custodientes exedras, id est ædes sive domunculas circa templum constructas, in quibus sacerdotes et Levitæ tempore sui obsequii vescebantur et quiescebant, *et thesauros domus Domini. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis,* hoc est habitaculis et observationibus *suis, ut* D *quum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores* templi hora præordinata. *De eorum grege,* id est genere, *erant et super vasa ministerii,* hoc est, aliqui nati ex eis custodiebant sacra vasa cultus divini. *Ad numerum enim et inferebantur vasa, et efferebantur,* id est, cum diligenti et certa computatione exponebantur ad usum in templo, et reponebantur in suis custodiis. *De ipsis et qui credita* sibi *habebant utensilia sanctuarii,* id est templi, *præerant similæ et vino et oleo et thuri et aromati-*

* erat

Digitized by Google

bus, id est, custodiebant hæc omnia, quæ ad sacrificia necessaria erant. Ex simila namque, quæ est optima et purgatissima (*Lev.* xxiv, 5.) tritici farina, fiebant panes propositionis, (*Exod.* xxix, 40.) de vino fiebant libamina, de oleo panes liniebantur, et fovebantur lucernæ. Thus (*Ibid.* xxx, 34, 35.) adolebatur majestati divinæ ; ex aromatibus fiebat thymiama. *Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur,* id est, curam habebat rerum quæ in patellis coquebantur, et ad sacrificia esumque sacerdotum pertinuerunt. *Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent,* id est, eis commissum fuit (*Lev.* xxiv, 5-9.) providere, quod omni sabbato de mane ponerentur duodecim panes recentes ac calidi super mensam, super quam manserunt usque ad sabbatum sequens; tuncque sublati, cesserunt in usum et esum sacerdotum.

Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris, id est habitaculis prope templum, *morabantur, ita ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent,* hoc est, qualibet hora opportuna laudibus Dei insisterent, psalmos et hymnos cantando. *Capita Levitarum per familias suas principes manserunt in Jerusalem.*

In Gabaon autem commorati sunt qui sequuntur, nati ex tribu Benjamin. Sicque istud capituli hujus residuum, non ad præhabita, sed ad sequentia refertur. Commorati ergo sunt ibi *pater Gabaon,* id est principalis oppidi Gabaon vir nomine *Jehiel, et nomen uxoris ejus Maacha. Filius primogenitus ejus Abdon, et Sus,* qui præcedenti capitulo Sur vocatur, *et Cis, et Baal,* (I *Par.* viii, 30.) *et Ner, et Nadab, Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth. Porro Macelloth genuit Sammaan. Isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis. Ner autem genuit Cis; et Cis genuit Saul; et Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. Filius autem Jonathan, Meribbaal; et Meribbaal genuit Micha. Porro filii Micha : Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. Ahaz autem genuit Jara; et Jara genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri. Zamri autem genuit Mosa; Mosa vero genuit Banaa; cujus filius Raphaia genuit Elasa, de quo ortus est Asel. Porro Asel sex filios habuit, his nominibus: Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan. Hi sunt filii Asel.* Istud præcedenti capitulo scriptum est (*Ibid.* 29-38.) atque expositum. Repetitur autem hoc loco, quia mox describendum fuit qualiter regnum Israel sit translatum de Saul ad David, et qualiter progenies Saul subito pro grandi parte exstincta sit.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO CAPITULI DECIMI : PHILISTIIM AUTEM PUGNABANT CONTRA ISRAEL.

AUCTOR hujus voluminis festinans ad evolvenda atque supplenda gesta regis David, prætermissis diversis pugnis et actibus Saul, describit ultimam ejus pugnam, in qua occubuit, ut sic ostendatur qualiter ipse David sortitus sit regnum. *Philistiim autem,* videlicet Achis rex et satrapæ ac populus Philistinorum *pugnabant contra Israel:* quod qualiter factum sit, primo libro Regum plenius recitatur. (I *Reg.* xxxi.) *Fugeruntque filii Israel Palæstinos.* Nam exigentibus propriis ac regis sui culpis, meruerunt a Deo relinqui, atque ab illis idololatris superari. *Et ceciderunt vulne-*

rati in monte Gelboe. Quumque appropinquassent Philistæi, persequentes Saul et filios ejus, percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul. Et aggravatum est prælium contra Saul; inveneruntque eum, videlicet ipsum Saul, *sagittarii, et vulneraverunt jaculis.*

Et dixit Saul ad armigerum suum : quem Hebræi et Catholici communiter dicunt fuisse ipsum Doeg Idumæum, qui primo cum Saul perrexit quærere asinas, et postea factus est potentissimus pastorum Saulis, ac demum armiger ejus, interfecitque sacerdotes. *Evagina gladium tuum, et interfice me, ne forte veniant incircumcisi isti et illudant mihi* adhuc viventi, et deinde occidant me. Saul vir animosus et solitus honorari, magis formidavit illudi, et hostium suorum manibus subdi, atque ab eis juxta eorum voluntatem irreverenter confusibiliterque tractari, quam mortem pati amaram. Unde et aliqui opinantur eum excusabiliter præcepisse armigero suo quod dictum est, imo et laudabiliter occidisse se ipsum, eo quod fecerit hoc, ne sua ignominiosa tractatio et confusiva occisio redundarent in irreverentiam ac injuriam Dei, cujus ipse publicus erat minister, christus atque vicarius. Quemadmodum et de Razia secundo libro Machabæorum legitur : Turbis autem irruentibus, quum jam comprehenderetur, gladio se petiit, eligens nobiliter potius mori, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi. Verumtamen alii probabilius putant, quod Saul ex arrogantia abhorruit sic illudi, et ex horrore majoris supplicii, petiit a servo occidi, ac se ipsum occidit. Quemadmodum in libro Judicum de Abimelech scriptum est, quod letaliter vulneratus a muliere saxum desuper jaciente, suo jussit armigero : Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Porro Philistæos Saul more solito, ex eorum contemptu vel zelo quodam justitiæ, incircumcisos vocavit.

[Reg. ix, 3; ... xxii, 18.] [II Mach. ..., 41, 42.] [Judic. ix, 54.]

Noluit autem hoc facere armiger ejus, A *timore perterritus.* Nam et exhorruit mittere manum in proprium dominum et in christum Domini Dei; fuit quoque perterritus ex imminente sibi periculo mortis. Nec tenebatur in isto obedire præcepto regis, præsertim si Saul illicite jussit hoc : imo sicut illicitum est se ipsum occidere propria manu, ita illicitum est, facere se occidi ab alio, prætermisso ordine juris, quum hoc sit se ipsum occidere manu alterius.

Arripuit ergo Saul ensem suum, *et irruit in eum.* B Hoc, sicut prætactum est, quidam affirmant eum sine peccato fecisse ob causam præhabitam. Qui etiam opinantur eum esse salvatum, quoniam etsi ante graviter multipliciterque peccavit, tamen audita a Samuele sententia suæ mortis, acceptavit eamdem, et se divino conformavit judicio, pergens sponte ad prælium, in quo se noverat moriturum, et hoc propter commune sui populi bonum, quum tamen potuisset aufugere : sicque dicunt eum pœnituisse, et bono motu se peremisse, quemadmodum C Samson se ipsum occidit. Et quædam feminæ sanctæ, ne a perfidis ac tyrannis violarentur, non aliter excusantur a culpa, nec aliter commendantur de hoc, nisi quod hoc fecerunt ex occulto Spiritus Sancti imperio seu instinctu, prout primo de Civitate Dei in diversis capitulis, præsertim capitulo 26, determinat Augustinus. *Quod quum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est.* Armigerum illum nullus expositorum D excusat, quin illicite se peremit : nec erat publica præsidensque persona, ita quod potuerit ex tali motivo laudabili se necasse, ex quali secundum unam opinionem se ipsum occidit Saul. Occidit itaque se, vel ut suo se regi conformaret; vel quoniam vidit se Philistæos non posse evadere; vel quia nolebat obedire ac subjici David, quem sciebat regnaturum post Saul, quemadmodum Cato se interfecit ne Julio Cæsari subjiceretur, cujus et gloriæ invidebat; vel quia extimuit dure tractari a

[I Reg. xxviii, 19.] [Judic. xvi, 30.]

Digitized by Google

David : et puto, quod multæ ex causis his concurrerunt ad inducendum armigerum, quod occidit se ipsum.

Interiit ergo Saul et tres filii ejus, et omnis domus illius pariter concidit : id est, tota progenies ipsius Saul, cognita ejus et filiorum ejus trium morte, timore prostrata est, et animum perdidit, nec hostibus potuit prævalere. Vel sensus est, quod omnes domestici ejus ibi secum exsistentes, interierunt ibi in prælio.

Quod quum vidissent filii Israel, qui habitabant in campestribus, id est in oppidis et villis situatis in campis propinquioribus territorio Philistinorum, videlicet
I *Reg.* xxxi, 7. trans Jordanem, *fugerunt :* quia desperabant se posse resistere Philistæis, a quibus vallari, vastari, et opprimi metuebant. *Et Saul et filiis ejus mortuis, dereliquerunt urbes suas, et huc atque illuc dispersi sunt. Veneruntque Philistiim, et habitaverunt in eis. Die igitur altero detrahentes Philistiim spolia cæsorum, invenerunt Saul et filios ejus jacentes in monte Gelboe. Quumque spoliassent* Philistæi *eum* Saulem vestibus, *et amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur et ostenderetur in idolorum templis, et populis,* hoc est ad ostentationem suæ victoriæ, et ad idolorum suorum honorem : quibus suum adscripserunt triumphum, ideo voluerunt diis suis grati exsistere. *Arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui.* Primo Regum legitur,
Ibid. 10. quod posuerunt ea in templo Astaroth dei sui, id est, deputaverunt ea manere in templo Astaroth, qui fuit unus de diis eorum, ad ipsius honorem, et in memoriam concessæ victoriæ, ne triumphus ille traderetur oblivioni, nec arma illa usui amplius applicarentur humano. *Et caput affixerunt in templo Dagon,* ad ipsius Dagon reverentiam. Nam pluribus diis deserviebant, et diversa diversis attribuebant.

Hoc quum audissent viri Jabes Galaad, hoc est habitatores urbis nomine Jabes sitæ in terra Galaad, *omnia scilicet quæ Philistiim fecerant super Saul, consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt,* id est abstulerunt, *cadavera Saul et filiorum ejus.* Nam ut primo Regum habetur, Philistæi suspenderunt corpus Saul, I *Reg.* xxxi, 10. imo et trium filiorum ejus, ut ex textu elicitur, in muro urbis nomine Bethsan, quasi in oculis plebis Israeliticæ. Est enim civitas Philistiim in terminis Israel, ut in Scholastica fertur historia. Et inde ea tulerunt cives præfati, qui præ ceteris zelabantur pro honore Saul : quoniam in principio regni sui liberavit eos de tyrannide regis Ammonitarum, ut primo Regum habetur ; *Ibid.* xi, 1-11. ideo tam irreverentialem et confusibilem regis sui tractationem, etiam in exstincto ejus corpore, ferre æquanimiter non valebant. Verumtamen juxta Glossam, Hebræi dicunt, per Bethsan intelligi domum seu fanum Dagon, quæ interpretatur, domus dormientis, ubi corpus ejus dicunt fuisse suspensum. Alia vero est Bethsan, de qua in libro Josue ac Judicum legitur, *Josue* xvii, 11, 16 ; *Judic.* i, 27. et interpretatur, domus securitatis. *Attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum quæ erat in Jabes,* id est prope oppidum illud in silva, in qua fuit quercus formosa. Unde primo Regum habetur : Sepelierunt ea in nemore Jabes. I *Reg.* xxxi, 13. Sic et in Genesi habetur, quod Debora nutrix Rebeccæ, sepulta est ad radices Bethel subter quercum. *Gen.* xxxv, 8. *Et jejunaverunt septem diebus,* in signum mœroris. Unde et Abner occiso, David noluit manducare ante solis occasum. II *Reg.* iii, 35. Vel pro peccatis defunctorum, abstinentiam illam pœnitentialiter compleverunt.

Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas. Qui dicunt eum esse salvatum, fatentur eum pro excessibus suis in hac vita punitum, et victum a Philistæis, quamvis non plene purgatum : et ita mortuus est propter iniquitates suas, sicut moriuntur latrones et homicidæ propter scelera sua, qui tamen si pœniteant vere, salvantur. Deinde iniquitates Saulis exprimuntur in particulari : *eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat* ei per Samuelem de interficiendis Amalecitis et

Digitized by Google

eorum pecoribus, *et non custodierit illud.* A Nam contra præceptum Dei pepercit regi illorum melioribusque pecoribus, prout primo Regum diffusius legitur. *Sed insuper etiam pythonissam consuluerit,* id est, a muliere spiritum pythonicum et artem magicam habente et exercente quæsivit quid sibi accideret, et quid esset acturus: quod in Levitico et Deuteronomio fuit prohibitum; *nec speraverit in Domino,* quia quum Dominus sibi non responderet, neque per somnia, neque per sacerdotes, nec per Prophetas, recurrit ad magicam artem. De his B tamen secundum præfatam opinionem pœnituit verbis Samuelis auditis. Alii dicunt eum non pœnituisse veraciter, sed propter iniquitates suas occisum ac derelictum a Domino: et hoc Sancti communius dicunt, et textui magis consonum esse videtur. Nihilo minus Magister in historiis ait: Saul sciens et prudens festinabat ad mortem; soli quippe magnanimes, sunt rerum terribilium contemptores. Hæc magnanimitas maxime convenit regibus, quos propter excellentiam principatus non solum malos esse non licet, sed nec mediocriter bonos, circa subjectos. Hæc ibi.

(I Reg. xv, 9. — Ibid. xxviii, 7 et seq. — Lev. xx, 27; Deut. xviii, 11. — I Reg. xxviii, 6 et seq. — Hist. lib. I Reg. c. 28.)

Præterea quæri potest, si Saul propter iniquitates suas est occisus, cur Jonathas filius ejus virtuosus est interfectus? Respondetur, quod nec ipse sine quotidianis fuit peccatis: idcirco et ejus occisio fuit sua purgatio et augmentum salutis. Saul quoque in filiis suis punitus est: quod Deus justus atque omnipotens ordinavit in bonum illorum, et specialiter in melius Jonathæ, cujus virtuositas primo Regum multipliciter commendatur. (I Reg. xiv; xviii, 1-5; xx; xxii, 8; xxiii, 16-18.)

Propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai. Quid autem putandum videatur de Saulis salvatione, primo Regum requiratur. Postremo spiritualis sensus hujus capituli primo Regum discussus est. (I Reg. xxxi.)

ARTICULUS XI

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : CONGREGATUS EST IGITUR OMNIS ISRAEL AD DAVID IN HEBRON.

NUNC recitatur, qualiter factus sit David C rex super universum Israeliticum populum. *Congregatus est igitur omnis Israel ad David,* hoc est quidam, imo et multi notabiles viri de qualibet tribu, *in Hebron.* Hoc fuit post mortem Abner ac Isboseth, dum populus pro certo percepit, quod David innocens fuit de morte illorum. *Dicens : Os tuum sumus et caro tua sumus,* id est cognati et fratres tui, quia ex eisdem Patriarchis sumus exorti, teque amamus ut fratrem : idcirco non suspiceris quod fraudulenter loquamur. *Heri quo-* D *que et nudiustertius,* id est diebus præteritis, *quum adhuc regnaret Saul* rex super nos, *tu eras qui educebas et introducebas Israel,* id est, exercitui præfuisti : non tamen assidue nec universaliter, quia sic Abner præfuit cunctis ; et bellatores eduxisti ad pugnam, atque obtento triumpho reduxisti eosdem. Unde primo Regum libro habetur : A principio egressionis Philistinorum prudentius se agebat David quam omnes servi Saul. Et alibi : Posuit eum Saul super viros belli. *Tibi enim dixit Dominus Deus tuus,* primo per Samuelem, deinde per revelationem divinam : *Tu pasces populum meum Israel,* hoc est, sapienter et juste reges eum : quod est spiritualis refectio ; *et tu eris princeps super eum.*

(II Reg. v, 1-3. — I Reg. xviii, 30. — Ibid. 5.)

Venerunt ergo omnes majores natu Israel, qui communitatem repræsentabant, (II Reg. v, 3.)

Digitized by Google

ad regem in Hebron : jam enim fuit rex A per tribum Juda dumtaxat ; (II *Reg.* II, 4) *et iniit David fœdus cum eis coram Domino,* id est pactum pacis et amicitiæ seu fidelitatis. Vel concorditer decreverunt Deo servire, ac Philistæis ceterisque adversariis repugnare. *Unxeruntque eum regem super Israel,* hoc est super totum Israeliticum populum : et unctio illa fiebat manu pontificis aut prophetæ. Et ita ter unctus est David in regem : (I *Reg.* XVI, 13; II *Reg.* II, 4; V, 3.) primo, a Samuele in signum præsidentiæ suæ regalis futuræ ; secundo, in Hebron super tribum Juda, statim post mortem Saul; tertio, super duodecim tribus. *Juxta sermonem Domini quem locutus est in manu Samuel,* id est, sicut Deus per obsequium atque eloquium Samuelis prædixit. (I *Reg.* XIII, 14; XV, 28; XXVIII, 17.) Frequenter namque Samuel prophetavit, quod regnum auferretur a domo Saul, et daretur David.

Abiit quoque David ab Hebron, *et omnis Israel* secum exsistens, hoc est quidam de singulis tribubus exsistentes, *in Jerusalem,* id est ad eam ; *hæc est Jebus,* id est, alio nomine dicitur Jebus. Hinc secundo Regum C asseritur : (II *Reg.* V, 6.) Abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem. Noverat quippe vir sanctus, prophetiæ spiritu adornatus, urbem Jerusalem a Deo electam ad cultum divinum, ut in ea templum construeretur, et sacrificia fierent : ideo voluit in ea sibi solium collocare. *Ubi erant Jebusæi habitatores terræ.* Nam a tempore Josue usque ad tempus istud, manserunt ibi plurimi Jebusæi in fortalitio quodam, quod (*Josue* XV, 8, 63; *Judic.* I, 21; XIX, 11; II *Reg* V, 6.) dicebatur arx Sion, quod fortissimum et pene inexpugnabile erat. In reliqua vero D urbis parte habitaverunt quidam de filiis Israel, puta de tribu Juda ac Benjamin, sicut (*Josue* XV, 63; XVIII, 28.) in libro Josue continetur. *Dixeruntque qui habitabant in Jebus,* id est Jebusæi prædicti habitantes in arce, *ad David : Non ingredieris huc.* (II *Reg.* V, 6.) Dixerunt et alia verba, quæ secundo Regum habentur, atque exposita sunt, idcirco pertranseundum. Putabant autem, quod David nequaquam posset prævalere in eos, ideo ex contemptu ipsius, et præsumptione atque ironice protulerunt hæc verba.

Porro David cepit arcem Sion, hoc est, castrum et fortalitium illud (Deo juvante) obtinuit per modum paulo post tactum ; *quæ est civitas David,* id est illa pars urbis, in qua fuit arx Sion cum habitaculis et attinentiis suis ; deinde vocata est civitas David, (II *Reg.* V, 7, 9.) quia ibi habitare elegit. Et erat locus montanus sublimis : propter quod fortalitium illud dicebatur arx, hoc est altitudo seu specula, quoniam exsistentes in eo, longe lateque speculabantur. *Dixitque.* Hic tangitur, qualiter obtinuit arcem. *Omnis qui,* id est quicumque, *percusserit Jebusæum in primis,* hoc est, qui primus ascenderit et vastaverit arcem hanc, et habitantes in ea invaserit, *erit princeps et dux,* id est princeps militiæ et dux exercitus, seu secundus post regem. Nempe, ex quo difficillimum erat vincere castrum illud, ut bellatores magis animarentur ad oppugnandum, promisit David mercedem hanc ei qui primo acquireret illud. Unde secundo Regum habetur : (*Ibid.* 8.) Proposuit autem David præmium in die illa, etc. ; et quod fuerit præmium illud, non exprimitur ibi, sed hic. *Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ.* Multis etenim festinantibus, Joab sua astutia cunctos prævenit ; et clamavit ad regem, exigens militiæ principatum. *Et factus est princeps.*

Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David. Ædificavitque urbem in circuitu, hoc est illam partem Jerusalem quæ vocata est civitas David, ædificia ejus augendo ac meliorando, *a Mello usque ad gyrum.* Mello fuit velut præcipitium ac vorago, profundaque vallis ante fortalitium situata, inter quam et fortalitium exstitit spatium, in quo David ædificia fecit per gyrum, seu per modum coronæ. *Joab autem reliqua urbis exstruxit,* id est, alia ædificia urbis David fieri fecit pro habitaculis bellatorum, tanquam secundus post regem, et militibus necessaria providens. Porro Glossa ait : Joab per industriam militarem civitatem munivit. Josephus tamen affirmat ipsum David superiorem civitatem munivisse, ei-

Digitized by Google

que copulando arcem unum corpus fecisse, et cuncta muro circumdedisse, sed super opus murorum ipsum Joab constituisse, expulisseque Jebusæos, et Jerosolymam appellasse. *Proficiebatque David* virtute et gratia, conversatione et fama, *vadens* de bono in melius, *et crescens* in temporalibus et spiritualibus bonis, *et Dominus exercituum erat cum eo.*

Deinde exprimuntur in littera hi, quorum subsidio David fuit promotus in regem. De
II *Reg.* xxiii, 8 et seq.
quibus secundo libro Regum dictum est, ideo percurrendum. *Hi principes virorum fortium David,* id est, qui principales fuerunt inter fortes milites regis, et ceteris fortiores, *qui adjuverunt eum, ut fieret rex super omnem Israel :* nam pugnaverunt
Ibid. ii, 12 et seq.
pro David contra auxiliarios Isboseth; *juxta verbum Domini quod locutus est ad Israel.* Deus quippe per Samuelem Israelitico
I *Reg.* xiii, 14; xv, 28; xxviii, 17.
populo prænuntiavit, quod David regnaret. *Et iste numerus robustorum David : Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta,* hoc est inter triginta fortes, præcipuus et fortior illis : quem Josephus vocat Eusebium. *Iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice,* id est, in uno bello vulneravit et dejecit viros trecentos. Josephus dicit eum interfecisse nongentos : quod creditur factum in alio prælio. Et iste Jesbaam secundo Regum non exprimitur, saltem isto vocabulo ; et multi exponunt de ipso, quod ibi legitur quidam
II *Reg.* xxiii, 8.
interfecisse octingentos impetu uno, quamvis hoc videatur ibidem dici de David.

Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes. Juxta Hieronymum, tradunt Hebræi, quod Ahohi, a quo Eleazar iste dicitur Ahohites, fuit frater Isai patris David : unde et secundo
Ibid. 9.
Regum Eleazar iste videtur dici filius patrui David. Quomodo ergo nunc dicitur filius patrui Jesbaam? nisi forte et ipse Jesbaam ex aliqua linea sic attinuerit regi David. *Iste fuit cum David in Phesdomim,* id est loco sic nominato, *quando Philistiim congregati sunt ad locum illum in prælium. Et erat ager regionis illius plenus*

A *hordeo ; fugeratque populus a facie Philistinorum. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum. Quumque percussissent Philistæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.*

Descenderunt autem tres de triginta principibus, id est tres fortissimi de numero fortiorum, qui principaliores erant triginta fortibus, *ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philistiim fuerant castrametati in valle Raphaim. Porro David erat in præsidio,* id B est in loco munito et firmo ad evadendum persecutionem Saulis, ut quidam exponunt, *et statio Philistinorum erat in Bethlehem,* id est, extra et prope oppidum illud erat. *Desideravit igitur David aquam, et dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta! Tres ergo isti per media castra Philistinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet. Qui noluit, sed magis libavit illam Domino, dicens : Ab*C*sit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam : quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi.*

Abisai quoque frater Joab, ipse erat princeps trium, id est præcipue excellenterque fortis inter tres potentes seu fortes secundi ordinis, ita quod ipse fuit unus illorum trium, quibus tribus fortiores fuerunt tres fortes primi ordinis, qui habentur in textu. Hinc secundo Regum libro clarius scri-D ptum est : Abisai princeps erat de tribus ;
II *Reg.* xxiii, 18.
et ipse erat inter tres fortes secundi ordinis. *Et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos. Et ipse erat inter tres nominatissimus, inter tres secundus, inclytus et princeps eorum. Verumtamen usque ad tres primos non pervenerat.* Videtur in verbis his difficultas. Si etenim fuit inter tres nominatissimus, et princeps seu primus eorum, quomodo fuit inter tres secundus? nisi forte dicatur fuisse inter tres secundus, id est immediate sequens tres

Digitized by Google

robustissimos primi ordinis. Vel, Secundus inter tres fortes secundi ordinis, id est medius inter eos, tanquam sustentamentum quoddam aliorum duorum. Aliqui tamen textus habent, Inter tres secundos, et sic planus est textus, quoniam sensus est, quod erat inter tres fortes secundi ordinis, qui sequebantur in ordine tres primos robustissimos.

*Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel, ipse percussit duos, Ariel et Moab**. Percussit itaque Ariel et Moab, id est duos leones Moab, utpote duos quosdam præcipuos principes seu milites Moabites animosos ac fortes. *Et ipse descendit et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium. Descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua. Hæc fecit Banaias filius Joiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, inter triginta primus.* Jam dictum est, quod Abisai fuit inter tres nominatissimus, quomodo ergo idem nunc dicitur de Banaia? Respondetur, quod tres fortes primi ordinis, similiter tres fortes secundi ordinis, a diversis diversimode assignantur, prout secundo Regum libro dictum est : ubi et hujus solutio quæstionis quæratur. Ibi etiam requiratur solutio quæstionis, qua quæritur, quo tempore acciderit ista historia de allatione aquæ a cisterna Bethlehem : quam B. Gregorius asserit accidisse post adulterium David cum uxore Uriæ, quod et Glossa hic tenet; quum tamen ex circumstantia litteræ videatur accidisse, David Saulem adhuc fugiente. *Verumtamen ad tres usque non pervenerat. Posuit autem eum David in auriculam suam.*

* *duos ariel Moab*

II *Reg.* XXIII.

Porro fortissimi viri in exercitu, Asael frater Joab, et Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem, Sammoth Arorites, Helles Phalonites, Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, Sobochai Husathites, Hai Ahohites, Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites, Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharathonites, Hurai de torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage Ararites, Ahiam filius Sachar Ararites, Eliphal filius Ur, Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites, Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai, Joel frater Nathan, Mibahar filius Agarai, Selec Ammonites, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ, Ira Jethræus, Gareb Jethræus, Urias Hethæus, Zabad filius Oholi, Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, et cum eo triginta, Hanan filius Maacha, et Josaphat Mathanites, Ozia Astarothites, Samma et Jehiel, filii Hotham Arorites, Jedihel filius Samri, et Joha frater ejus Thosaites, Eliel Mahumites. Et Jeribai, et Josaia, filii Elnaem, et Jethma Moabites, Eliel et Obed et Jasiel de Masobia. Hic nominantur hi qui post præfatos erant fortiores, erantque triginta juxta computum libri Regum : inter quos Urias Hethæus, ibi ponitur ultimus ; hic vero multo plures ponuntur, qui post Uriam nominantur, et post illos triginta erant notabiliter fortes. Cetera secundo Regum libro exposita constant.

II *Reg.* XXIII. 24-39.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : HI QUOQUE VENERUNT AD DAVID IN SICELEG.

EXPRIMUNTUR jam et alii viri robusti de singulis tribubus, qui in adjutorium David venerunt, et post eos qui præcedenti capitulo sunt expressi, erant ceteris fortiores. Porro in textu nulla est difficultas, idcirco pertranseundum. *Hi quoque venerunt ad David in Siceleg* urbem : quam Achis rex Philistinorum assignavit ipsi David et populo ejus ad inhabitandum, ubi et quatuor mensibus est commoratus, ut primo Regum libro legitur ; [1 Reg. xxvii, 7.] *quum adhuc fugeret Saul filium Cis : qui erant fortissimi,* id est valde fortes, attamen minus quam præfati, *et egregii pugnatores,* utpote decorati virtutibus animi, quæ ad bellatores specialiter pertinent, ut sunt justitia, fortitudo, magnanimitas, prudentia, amor boni communis ; *tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, et dirigentes sagittas. De fratribus Saul ex tribu Benjamin : princeps Ahiezer, et Joas, filii Samaa, Gabaathites, et Jaziel, et Phallet, filii Asmoth, et Baracha, et Jehu, Anathothites,* id est hi viri nati ex tribu Benjamin, et ex habitatoribus Gabaa, cognati Saulis : qui quamvis essent de ejus progenie, tamen propter tyrannidem ejus in David, et quia noverunt Samuelem veraciter prædixisse quod David regnaret, [Ibid. xv, 28; xxviii, 17.] ipsumque David sciverunt esse omni virtute ornatum, confugerunt ad eum, a quo et suo tempore speraverunt vicem suæ fidelitatis sortiri. *Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Jeremias, et Jeheziel, et Johanan, et Jezabad Gaderothites; Elusai, et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites ; Elcana, et Jesia, et Azareel, et Joezer, et Jesbaam de Carehim ; Joela quoque, et Zabadia, filii Jeroham de Gedor.*

A Isti triginta fuerunt alii, quam hi, de quibus præcedenti capitulo facta est mentio.

Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, id est quidam de tribu Gad, *quum lateret in deserto, viri robustissimi et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam. Facies eorum quasi facies leonis,* hoc est, vultu audaces erant, atque terribiles hostibus ac imperterriti : per quod datur intelligi, quod interior dispositio cordis eorum, relucebat in vultu, sicut communiter fieri solet. Unde in Ecclesiastico B fertur : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. [Eccli. xix, 26.] *Et veloces,* non solum corpore, sed et mentis acumine, *quasi capreæ in montibus :* sicque idonei erant inimicos invadere ac insequi fugientes. *Ezer primus princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, Masmana quartus, Jeremias quintus, Ethi sextus, Eliel septimus, Johanan octavus, Elzebad nonus, Jeremias decimus, Machbanai undecimus : hi de filiis Gad principes exercitus. Novissimus* inter principes istos filiorum C Gad, *centum militibus præerat, et maximus, mille,* id est, superior inter eos præfuit mille militibus : quod fuit vel antequam venerunt ad David, vel ipso David in regem promoto, quia ut elici potest ex libro Regum, David usque ad mortem Saul, [1 Reg. xxiii, 13; xxv, 13; xxvii, 2; xxx, 9.] non videtur ultra sexcentos viros secum habuisse. *Isti sunt qui transierunt Jordanem,* vel pede aut navi, *mense primo* anni primi, secundum computum Judæorum, qui est mensis Nisan, hoc est in Martio seu Aprili, *quando inundare consuevit super* D *ripas suas,* id est effluere, quia tunc aqua ejus excrescere solet ; *et fugaverunt omnes qui in vallibus morabantur ad orientalem plagam et occidentalem.* Erant enim genti-

Digitized by Google

les et Israelitis molesti, et aliquam partem terræ eorum invaserant.

Venerunt autem aliqui *et de Benjamin, et de Juda, ad præsidium in quo morabatur David,* adhuc se abscondens ac præservans a Saul. Isti de Benjamin conjunxerunt se filiis Juda, veniendo in adjutorium David, vel quia pariter habitabant, vel ne David natus de Juda, aliquid mali suspicaretur de Benjamitis cognatis Saulis. Nempe quod David timuerit, ne forte filii Benjamin dolose venerint ad se, apparet ex eo quod subditur. *Egressusque est David obviam eis, et ait : Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis* per confidentiam et familiarem amorem. *Si autem insidiamini mihi pro adversariis meis,* id est ad complacendum Sauli et adjutoribus ejus, *quum ego iniquitatem in manibus non habeam,* id est, nihil forefecero regi per actus iniquos, *videat Deus patrum nostrorum et judicet,* id est, juste judicando ostendat se ista cognoscere. *Spiritus vero Domini induit Abisai principem inter triginta,* id est, Spiritus Sanctus instigavit illum ad loquendum verba sequentia. Verum ut dicitur, in Hebræo habetur : Spiritus induit Amasai, id est Amasam, secundum Hebræos. *Et ait : Tui sumus, o David, et tecum filii Isai,* id est, vere et ex corde associamus nos tibi. *Pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis. Te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmæ,* id est, quosdam illorum præfecit quibusdam, faciendo ex eis decanos, quinquagenarios aut centuriones.

Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philistiim adversus Saul ut pugnaret, et non dimicavit cum eis, quia inito consilio remiserunt eum principes Philistinorum, dicentes : Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul, prout primo Regum libro habetur. (I Reg. xxix, 4.) Qualiter autem David intenderit contra Saul pugnare, et qualiter non, dictum est ibi. *Quando igitur reversus est* David *in Siceleg,* remissus a rege Achis ac A satrapis, *transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, et Jozabad, et Jedihel, et Michael,* [*et Ednas,*] *et Jozabad, et Eliu, et Salathi, principes militum in Manasse. Hi præbuerunt auxilium adversus latrunculos* Amalecitas, qui Siceleg incenderunt, et ita erant cum David in prælio contra illos plures quam quadringenti. *Omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu.*

Sed et per singulos dies veniebant ad David ex diversis tribubus, *ad auxilian-* B *dum ei usque dum fieret grandis numerus quasi exercitus Dei,* id est exercitus virorum bonorum bene et concorditer dispositorum instar angelorum Dei innumerabilium. De quibus in libro Job legitur : Numquid est numerus militum Dei ? (Job xxv, 3.) Et Nehemias ait : Exercitus cœli adorat te. (II Esdr. ix, 6.) Hebræi tamen per exercitum Dei intelligunt eos qui sub Moyse exierunt Ægyptum : et erant sexcenta millia.

Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, quum es- C *set in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, juxta verbum Domini. Filii Juda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti, expediti ad prælium.* Jam enim ante multi ex tribu Juda confugerant ad David. *De filiis Simeon virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti. Joiada quoque princeps* familiæ suæ *de stirpe Aaron.* Hic Joiada dicitur fuisse pater Banaiæ. Imo secundum Glossam, Joiadam tradunt Hebræi fuisse Phinees filium D Eleazari, ad cujus comparationem Sadoc puer vocatur, tanquam ætate et merito minor : quæ assertio stulta videtur, quia Phinees jam diu defunctus fuit. *Et cum eo triginta millia septingenti. Sadoc etiam puer egregiæ indolis,* id est excellenter bene dispositus ad prudentiam ac virtutes, propter quod dignus fuit inter viros computari, *et domus patris ejus, principes viginti duo. De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia : magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul.*

Digitized by Google

Porro de filiis Ephraim, viginti millia octingenti, fortissimi robore viri, nominati in cognationibus suis. Et ex dimidia parte tribus Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua venerunt, ut constituerent regem David. De filiis quoque Issachar viri eruditi venerunt ad David, *qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel,* id est, quid unoquoque die, hora aut tempore esset agendum. Erat quippe tribus Issachar singulariter studiosa ac litterata, ut dictum est in Genesi. (Gen. XLIX, 15.) *Principes ducenti. Omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium non corde duplici. Et de Nephthali, principes mille, et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia. Trans Jordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia.*

Omnes isti viri bellatores, expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel. Sed et omnes reliqui ex Israel uno corde erant, ut rex fieret David, id est, cum integro ac sincero cordis proposito curaverunt de promotione David in regem, quamvis non fuerint omnes viri perfecti. *Fueruntque ibi apud David tribus diebus, comedentes et bibentes. Præparaverant enim eis fratres sui. Sed et qui juxta eos erant, usque ad Issachar et Zabulon et Nephthali, afferebant panes in asinis et camelis et mulis et bobus ad vescendum, farinam, palathas,* id est ficus inter palas compressas, *uvam passam, vinum, oleum, boves et arietes, ad omnem copiam. Gaudium quippe erat in Israel.*

Sensus spiritualis. Spiritualiter, per David intelligitur Christus, ad cujus fidem, regnum atque Ecclesiam per Apostolorum prædicationem atque diversa miracula, misso desuper Spiritu Sancto, venerunt quotidie multi, sicut in Actibus recitatur Apostolorum (Act. II, 41; IV, 4; VI, 7.); deinde multo plures ex gentibus, quos Dominus et Salvator gratiose suscepit, et multos ex eis fecit prædicatores, prælatos ac principes aliorum : quibus in Ecclesia diversa præparavit spiritualia alimenta. Multi quoque ex illis fuerunt in Scripturis veteris Testamenti, aut in naturali philosophia periti : ex quibus vere factus est grandis exercitus instar angelorum dispositus, quoniam militans Ecclesia instar triumphantis ordinata consistit, sicut in Apocalypsi ait Joannes : Vidi Jerusalem descendentem de cœlo. (Apoc. XXI, 2.)

ARTICULUS XIII

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : INIIT AUTEM CONSILIUM DAVID CUM TRIBUNIS.

SANCTUS David Deo gratus consistere cupiens, mox ut Dei gratia factum se regem conspexit, Dei honorem in primis quærere cœpit, sicut et Christus in Evangelio docet, Primum, inquiens, quærite regnum Dei et justitiam ejus. (Matth. VI, 33.) *Iniit autem consilium David cum tribunis,* quorum quilibet præerat mille viris, *et centurionibus,* quorum quilibet præerat centum, *et universis principibus.* In hoc commendantur nobis humilitas atque prudentia David regis, qui rem magnam agere volens, consilio usus est. Et quamvis esset vir sapientissimus, cum inferioribus et minus

Digitized by Google

prudentibus tractare consilium non despe- A xit : quo multorum præsumptio, insipientia, arrogantia reprobantur, qui omnia juxta proprii capitis apprehensionem et phantasiam agere volunt, nec cum inferioribus super agendis conferre dignantur.

Et ait ad omnem cœtum Israel, id est ad omnes ibi præsentes quos convocavit.
II *Reg.* vi, 1. Unde et secundo Regum habetur : Congregavit David omnes electos ex Israel triginta millia. *Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor.* Ecce quam humiliter loquitur subditis et B ministris : non procaciter jubet, nec per se absolute determinat, sed sub conditione loquens, inferiorum judicio verba sui committit propositi. Quo multorum indiscretio atque elatio reprimuntur, qui statim in verba jussionis prorumpunt, et gladium suæ educunt auctoritatis sine necessitate, imo frequenter in grande periculum subditorum. Videtur autem ex circumstantia litteræ, quod David primo seorsum consilium cum majoribus iniit de arcæ adductione, et illis suo proposito consentientibus, C proposuit universis qui aderant eamdem materiam. Per quod patet, quam utile sit, ut præsidentes primo seorsum cum aliquibus senioribus aut majoribus seu familiarioribus tractent de arduis causis, deinde cum ceteris, quatenus talia de communi fiant consensu. *Mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad sacerdotes et Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos.* Hic rursus suis se connumerat subditis, quos et fratres suos appellat. *Et re-* D *ducamus arcam Dei nostri ad nos,* videlicet ad hanc urbem regiam Jerusalem, ut ex loci honorificentia amplius honoretur : et propter majorem Dei honorem, voluit David adesse principales ex qualibet tribu, et maxime sacerdotes. Denique quamvis totum territorium suum esset regio una totalis et integrum regnum unum, tamen pluraliter ait, Mittamus in universas regiones Israel, vel propter diversas tribuum sortes, vel quoniam antea erant in totali territorio illo diversæ regiones et multi reges. Siquidem in libro Josue legi- *Josue* xii.
tur, quod filii Israel percusserunt in terra illa triginta et unum reges. *Non enim requisivimus eam in diebus Saul. Et respondit universa multitudo, ut ita fieret : placuerat enim sermo omni populo.* Itaque, qui vult alios ad sibi consentiendum allicere, primo captet benevolentiam eorumdem, humiliterque loquatur.

Congregavit ergo David cunctum Israel a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, id est, de singulis tribubus nobiliores et notabiliores convocavit a fluvio nomine Sihor, qui a Nilo derivatur, et profluit ex Ægypto aut circa eamdem, usque Damascum. Ait etenim Glossa : Emath est civitas Damasci, quæ in Amos, Emath magna *Amos* vi, 2.
vocatur, et nunc Epiphania nuncupatur. Verumtamen, his obviare videtur, quod Hieronymus et alii super prophetam Amos fatentur, dicentes quod Emath magna nunc Antiochia nominetur, et quod sit alia Emath minor, quæ Epiphania dicta est, cujus regio dicitur Reblatha, in qua Nabuchodonosor IV *Reg.* xxv, 6, 7.
interfecit filios Sedeciæ. Itaque nunc per Sihor fluvium, qui est terminus terræ promissionis australis, et per Emath, quæ est terminus ejus septentrionalis, tota terra illa signatur. *Ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim,* id est de urbe sic dicta, quæ *Josue* xv, 9.
fuit in tribu Juda. Nam subditur :

Et ascendit David et omnis vir Israel ad collem Cariathiarim qui est in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, ubi invocatum est nomen ejus. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum de domo Abinadab. His obviare videtur, quod secundo libro Regum asseritur : Tulerunt eam de domo II *Reg.* vi, 3.
Abinadab, qui erat in Gabaa. Ad hoc Lyra respondet : Cariathiarim et Gabaa erant loca satis propinqua, et in Cariathiarim primo congregatus est populus ad David, et inde transierunt ad adducendam arcam quæ erat in Gabaa, et inde ducendo eam, transierunt per Cariathiarim. Sed huic responsioni obviat littera ista quæ ait : As-

Digitized by Google

cendit David et viri Israel ad collem Cariathiarim, ut afferret inde arcam : quo constat, quod eam accepit de colle et urbe Cariathiarim. Hinc Magister in historiis
Hist. lib. Reg. c. 9. scribit : Gabaa non est hic nomen loci aut urbis, sed secundum interpretationem suam, collem significat.

Oza autem et fratres ejus minabant plaustrum. Porro David et universus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis. Quum autem pervenissent ad aream Chidon. Secundo
Reg. vi, 6. Regum habetur, Ad aream Nachon. Respondetur, quod vel area illa, aut dominus areæ, duo hæc nomina habuit; vel si erant loca diversa, fuerunt vicina. *Tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam : bos*
A *quippe lasciviens, paululum inclinaverat eam. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam; et mortuus est ibi coram Domino. Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam. Vocavitque locum illum, divisio Ozæ, usque in præsentem diem. Et timuit Deum tunc temporis, dicens : Quomodo possum ad me introducere arcam Dei? Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est in civitatem David; sed avertit in domum Obededom Gethæi.*
B *Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus. Et benedixit Dominus domui ejus, et omnibus quæ habebat.* Ista et cetera tam litteralem quam spiritualem hujus capituli intelligentiam concernentia, secundi Regum sexto quærantur.

ARTICULUS XIV

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI NUNTIOS AD DAVID.

MULTIPLEX prosperitas sancti David in capitulo isto describitur. Nam, quia tam fidelis, justus et constans intuitu Dei permanserat in adversis tam multis et magnis, collata est ei a Domino etiam temporalis prosperitas magna nimis, imo et gratia copiosa bene utendi eadem. Porro ad prosperitatem hujusmodi pertinent favor et amicitia magnatum, bonitas conjugum, fecunditas prolis, victoria hostium, claritas famæ, affluentia opum, pulchritudo domorum : quæ omnia modici essent momenti comparatione veræ salutis, imo occasionaliter magis obessent, nisi adesset gratia Spiritus Sancti ad bene utendum hujusmodi donis.

Itaque dicitur : *Misit quoque Hiram rex Tyri,* opulentissimæ urbis et sitæ in corde maris : fuitque jugis amicitia, pax et familiaritas inter David et Hiram; *nuntios ad David,* ad insinuandum circa negotia, sive
C ad congratulandum promotioni ipsius David, *et ligna cedrina,* quibus Tyrii Sidoniique abundant, et per mare deferuntur ad Tyrum, *et artifices parietum lignorumque ut ædificarent ei domum :* quia in diversis ædificandi, sculpendi, pingendi, formandique artibus, Tyrii sunt valde periti. *Cognovitque David, quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, et sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel. Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem, genuitque filios et*
D *filias. Et hæc nomina eorum qui nati sunt in Jerusalem : Samua et Sobab, Nathan et Salomon, Jebahar et Elisua et Eliphalet, Noga quoque et Napheg et Japhia, Elisama et Baaliada et Eliphalet.*

Audientes autem Philistiim, quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes, ut quærerent eum. Quod quum audisset David, egressus

Digitized by Google

est obviam eis. Porro Philistiim venientes, A *diffusi sunt in valle Raphaim. Consuluitque David Dominum, dicens : Si ascendam ad Philistæos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus : Ascende, et tradam eos in manu tua. Quumque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, et dixit : Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ. Et idcirco vocatum est nomen illius loci, Baalpharasim. Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David jussit exuri.* Quid-
II Reg. v, 17-21. quid hic habetur, secundo libro Regum B scriptum expositumque est. Hic tamen narratur, quod ante secundam congressionem David contra Philistæos, consuluit Dominum. *Alia etiam vice Philistiim irruerunt, et diffusi sunt in valle. Consuluitque rursum David Deum. Et dixit ei Deus : Non ascendas post eos. Recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pirorum.* Quæ qualiter intelligi debeant, lucet ex eo
Ibid. 23. quod secundo libro Regum asseritur : Non ascendas, sed gyra post tergum eorum : hoc est, non occurras eis recto itinere, C sed diverte ad latus, et circui, quousque possis eos invadere ex alia parte, id est ex opposito arborum versus te stantium. *Quumque audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philistiim. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philistinorum de Gabaon usque Gazer.*

Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, præsertim in circuitu regni sui situatis, non solum propter prætactas victorias, sed etiam propter excellentias suæ sapientiæ, eloquentiæ ac virtutum, et propter fortitudinem ac eminentiam ducum et principum, militumque suorum, et quoniam summus Deus tam gratiose et supernaturaliter adfuit ei in bellis ac aliis causis ; *et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes,* id est, gentibus undique incussit timorem ipsius David, quia ex fama de ipso volante metuebant, nec audebant regnum ejus invadere. Sicque omnipotens Rex, in ditione cujus cuncta Esther. XIII, 9.
sunt posita, regem se honorantem et glorificantem honoravit et exaltavit, prout primo libro Regum testatur : Quicumque I Reg. II, 30.
glorificaverit me, glorificabo eum.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : FECIT QUOQUE SIBI DOMOS IN CIVITATE DAVID.

ARCA Dei qualiter in Jerusalem sit perducta, nunc enarratur. *Fecit quoque sibi domos in civitate David :* id est, ipse David auxit et melioravit habitacula et ædificia prope arcem, in ea parte Jerusa-
I Par. XI, 5, 7. lem quæ vocata est civitas David, sicut supra plenius fuit expositum ; *et ædificavit locum,* id est aptum repositorium, *arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum,* in quo arca cum suo repositorio ponebatur : quod
Hist. lib. II Reg. c. 9. (ut legitur) fuit intra septa palatii. Atque ut in Scholastica fertur historia, David fe- D cit tabernaculum istud juxta domum suam, posuitque in eo quasdam de cortinis veteribus. Tabernaculum autem Moysis adhuc mansit in excelso Gabaon, ut infra habe- I Par. XXI, 29.
tur. *Tunc dixit David : Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei, nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum,* sicut ex libro Numerorum habe- Num. III, 6-10 ; IV per totum.
tur. *Congregavitque universum Israel,* id est multos de qualibet tribu, *in Jerusalem, ut afferretur arca Dei* de domo Obededom

Gethæi *in locum suum, quem præparaverat ei; necnon et filios Aaron et Levitas. De filiis Caath : Uriel princeps fuit, et fratres ejus ducenti* viginti. De filiis Merari : Asaia princeps, et fratres ejus ducenti triginta*. De filiis Gerson : Joel princeps, et fratres ejus centum triginta. De filiis Elisaphan : Semeias princeps, et fratres ejus ducenti. De filiis Hebron : Eliel princeps, et fratres ejus octoginta. De filiis Oziel : Aminadab princeps, et fratres ejus centum duodecim.*

* centum

* ducenti viginti

Vocavitque David Sadoc et Abiathar B *sacerdotes, et Levitas, Uriel, Asaiam, Joel, Semeiam, Eliel et Aminadab, et dixit ad eos,* videlicet ad Sadoc et Abiathar ac sacerdotes : *Vos qui estis principes familiarum Leviticarum,* quæ natæ sunt ex filiis Levi, Gerson, Caath et Merari, *sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei præparatus est :* id est, per exercitia virtuosa purificate atque disponite vos ad afferendum arcam, utpote ab uxoribus abstinendo, orando, jejunando; *ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit* C *nos Dominus, sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus,* id est, ne rursus propter aliquam culpam nostram percutiamur a Deo, sicut in priori deportatione arcæ eramus percussi. Nam uno, scilicet Oza, percusso, omnes erant perterriti ac tristati; totum quoque a sua parte denominationem sortitur. Et illa percussio accidit ex errore eorum qui arcam portabant, qui si adfuissent sacerdotes præfati periti, fuissent ab eisdem instructi, sicque plaga illa D non contigisset. Nempe ut fertur in Glossa, dicunt Hebræi Ozam fuisse percussum, quoniam arcam non portavit cum fratre suo propriis humeris, juxta præceptum legis. *Sanctificati sunt ergo sacerdotes et Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel.*

II *Reg.* VI, 7.

Num. IV, 15; VII, 9.

Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses, juxta verbum Domini, humeris suis in vectibus. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musico- A *rum, nablis videlicet et lyris et cymbalis, ut resonaret in excelsum sonitus lætitiæ.* Cantores illi cecinerunt hymnos, psalmos et cantica laudis divinæ cum musicis instrumentis ad excitandum validius totius plebis devotionem. Porro, nablum est idem quod psalterium. Hebraice etenim dicitur nablum, Græce psalterium, Latine organum seu laudatorium, ut ait Papias. Verum Hieronymus ait : Psalterium cithara est canora chordis aptata, quæ cum plectro percutitur. Nablum autem habens duodecim sonos, cum digitis tangitur. Lyra demum pro symphonia accipitur, sed nunc pro musico sumitur instrumento, quod secundum quosdam species est citharæ, et dicitur a varietate vocum, eo quod diversos faciat sonos. Unde unum prædictorum pro alio frequenter suscipitur.

Ibidem.

Constituerunt Levitas : Heman filium Joel, et de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ; de filiis vero Merari et fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ, et cum eis fratres eorum. In secundo ordine : Zachariam, et Ben, et Jaziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Eliab, Ani, et Banaiam, et Maasiam, et Mathathiam, et Eliphalu, et Maceniam, et Obededom, et Jehiel, janitores. Porro cantores principales, videlicet *Heman, Asaph et Ethan,* qui tribus cantorum choris seu ordinibus præerant, juxta præhabita, *in cymbalis æneis concrepantes.* Cymbala a se invicem percussa, sonum efficiunt dulcem : per quæ labia Deum laudantium designantur, quia ad invicem percussa, divinas resonant laudes dulcissimas, juxta quod legitur : Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. *Zacharias autem et Oziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias, in nablis arcana cantabant,* id est occulta Salvatoris mysteria. Unde secundum Glossam : In psalterio, id est cum instrumento hujusmodi musico, canebant Christi adventum, quem suæ deitatis secreto disposuit pro humana salute.

Ps. CL, 5.

Porro Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obededom, et Jehiel, et Ozaziu, in

Digitized by Google

citharis pro octava canebant synichion. Alii libri habent *epinicion,* alii *epinichion,* et satis redit in idem. Nam interpretatio nominum horum est, Deo victori triumphus seu palma, vel triumphus Dei victoris. Dicuntque aliqui, quod istud fuit exordium cantici quod ad Dei honorem canebant; quod item exordium in prosecutione cantus aliquando resumebant, ut in carminibus fieri solet seu cantilenis. Hoc ergo cantabant pro octava, id est pro designatione atque mysterio dominicæ resurrectionis, qua Christus resurgens, victoriam est sortitus, propter quod dixit Apostolis: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Solet etiam per octavam, beatitudo et quies ultimata, quæ in generali ac finali resurrectione præstabitur, designari, quæ et per cantici illius jucunditatem poterat figurari. Superficiales autem et litterales Judæi exponunt sic: Nempe, ut dicunt, in Hebræo habetur, Super octavam ad vincendum vel fortificandum, id est, super instrumentum octo chordarum canebant cum quodam conatu ad superandum se invicem, sicut interdum unus chorus nititur alium vincere fortiter solenniterque cantando. Glossa per octavam intelligit diem extremi judicii, dicens: Adventum Domini in die judicii cantores illi significabant, in quo finita omni sæculi septimana, veniet Dominus. Numerus autem octavus magna continet sacramenta. Nam et octo animæ in arcam Noe ingressæ sunt et salvatæ, sæculo pereunte. David quoque octavus Isai filius, in regem eligitur. Octava die circumcisio purificavit; et die octavo Christus surrexit.

I Cor. xv, passim. Matth. xxviii, 18. Gen. vii, 7: I Petr. iii, 20. I Reg. xvi, 10-13. Gen. xvii, 12. Joann. xx, 1.

Chonenias autem princeps Levitarum, non omnium, sed quorumdam, quia diversis Levitis diversi præerant sacerdotes, *prophetiæ præerat, et ad præcinendam melodiam.* Circa quod loquitur Glossa, quod prophetiæ spiritu plenus, melodias et sacra verba cantoribus ad memoriam revocabat. Vel ideo dicitur prophetiæ præfuisse, quia disposuit quæ verba et cantica Prophetarum essent cantanda, et qualiter.

A *Erat quippe valde sapiens,* id est potens atque intelligens in Scripturis, et discretus in ordinando. *Et Barachias et Elcana janitores arcæ* fuerunt, id est custodes portarum domus, in qua fuit arca, non sinentes aliquem irreverenter aut immoderate appropinquare ad arcam, neque dum portabatur, neque dum in tabernaculo requievit. *Porro Sebenias, et Josaphat, et Nathanael, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei. Et Obededom, et Jahias erant* B *janitores arcæ.* Jam nominati sunt alii duo arcæ janitores: cur ergo nunc interpositis quibusdam, ponuntur et hi duo ejusdem esse officii? Forsitan plures erant hujus officii, sibi invicem succedentes. Vel, in arcæ deportatione dati sunt isti in adjutorium ad accessum populi reprimendum.

*Igitur David et omnes majores natu Israel et tribuni, ierunt ad portandum arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia magna. Quumque adjuvisset Deus Levitas qui portabant arcam, immo*C*labantur septem tauri et septem arietes.* Primo libro Regum sic legitur: Quumque transcendissent qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabant bovem et arietem. (I Reg. vi, 13.) Itaque, adjutorium quod Deus impendebat portatoribus arcæ, fuit virtuosa et indefessa alacritas, qua arcam tam expedite atque celeriter quasi transilientes deferebant, sicque confortabantur a Domino corde et corpore. Unde pro gratiarum actione et devotione, transcensis sex passibus, offerebant Domino taurum seu bo- D vem atque arietem, ita quod bos dicit hic naturam seu speciem magis quam sexum. Videtur quoque, quod summa oblationum illarum fuit septem tauri, totidemque arietes. Denique, ut fertur, Hebræi affirmant præfatum adjutorium Levitis a Deo impensum fuisse, quod pondus arcæ non sentiebant eam portando, sicut refert Gregorius de fratre Martyrio, qui Christum in specie leprosi deportans, pondus non sensit.

Porro David indutus erat stola byssina, id est veste albissima facta de bysso, quæ

Digitized by Google

est genus subtilissimi ac candidissimi lini; A *et universi Levitæ qui portabant arcam fœderis, cantoresque et Chonenias princeps prophetiæ inter cantores,* induti erant byssinis stolis, quibus beatissimus David ex caritatis et devotionis fervore, ac grandi devotione, se conformavit in habitu isto, quem quasi superplicium induit super regalia indumenta. Vel, ut probabile est, ex devotione deposuit ea : propter quod Mi-
I *Reg.* vi, chol ei improperavit quod discooperuit se. *David autem indutus erat* etiam *ephod lineo.* Ex hoc probatur, quod ephod li- B neum fuit aliud quam byssina vestis, quamvis aliqui dicant idem fuisse : et verum est quod unum quandoque pro alio sumitur. Nam ephod hoc, fuit quædam linea vestis, qua Levitæ in suis utebantur officiis. Fuit et aliud ephod ornamentum sacerdotale, imo indumentum pontificale, quod vocabatur superhumerale, cui rationale judicii *Exod.*
fuit conjunctum, ut super Exodum plenius xxviii,6,28.
est expressum : et tali ephod non poterat David uti, sed lineo jam præfato, quo et primo Regum Samuel adhuc puer legitur I *Reg.* ii,18.
usus : quod quidam vocant propheticum, quasi illo sint usi prophetæ et filii prophetarum, in laudibus Dei.

Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes. Quumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo. Alia hic non exposita, in secundo li- II *Reg.* vi.
bro Regum exposita sunt.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ATTULERUNT ERGO ARCAM DEI.

QUALITER David rex habuerit se cir- C ca arcam in suo loco repositam, nunc narratur. *Attulerunt ergo arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulerunt holocausta et pacifica coram Deo.* In se-
Ibid. 17. cundo libro Regum legitur David hæc obtulisse, quia principalis erat in exhibendo oblata, sed per manus sacerdotum fiebat oblatio. *Quumque complesset David offerens holocausta et pacifica, benedixit populum in nomine Domini,* id est, bona imprecatus est eis tanquam rex et prin- D ceps eorum, fervidusque amator, quamvis
Num. vi, 22-27. benedictio talis ad sacerdotes proprie spectet. *Et divisit,* id est, particulariter dedit, *universis per singulos, a viro usque ad mulierem, tortam panis :* quæ secundo Regum
II *Reg.* vi, 19. libro vocatur collyrida, estque secundum Glossam panis triangularis et modicus. Vel, ut alii dicunt, est panis quadratus ex simila factus, in sartagine frixus. *Et partem assæ carnis bubalæ,* id est frustum carnis assatæ, de bove vel magis de bubalo, *et frixam oleo similam.*

Constituitque coram arca Domini de Levitis qui ministrarent Deo in omni officio eis deputato, *et recordarentur operum ejus,* id est, mirabilia Dei et beneficia ejus decantarent et annuntiarent, *et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel : Asaph principem* cantorum sui chori ac præcentorem, *et secundum ejus,* id est immediatum post eum, seu succentorem, *Zachariam. Porro Jahiel, et Semiramoth, et Jehiel, et Mathathiam, et Eliab, et Banaiam, et Obededom; Jehiel super organa psalterii, et lyras; Asaph autem, ut in cymbalis personaret,* id est, ipsum David instituit ad hoc, ut psallendo etiam cym-

Digitized by Google

bala percuteret; *Banaiam vero et Jaziel sacerdotes canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini. In illa die fecit David principem ad confitendum Dominum,* id est ad laudandum Deum, ipsum *Asaph, et fratres ejus* sub eo.

Ps. civ, 1-15; xcv, 1-13; cv, 1, 47, 48.

Deinde subjungitur canticum quod psallebant, estque compositum ex psalmis duobus, puta ex psalmo centesimo quarto et nonagesimo quinto. In fine tamen cantici hujus inseritur primus versus psalmi centesimi quinti, et subjunguntur tres ultimi versus ejusdem psalmi. Sicque dicere possumus, quod ex tribus psalmis canticum istud compositum sit. *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; notas facite in populis adinventiones ejus. Cantate ei, et psallite ei, et narrate omnia mirabilia ejus. Laudate nomen sanctum ejus; lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum et virtutem ejus, quærite faciem ejus semper. Recordamini mirabilium ejus quæ fecit, signorum illius, et judiciorum oris ejus. Semen Israel, servi ejus; filii Jacob, electi ejus. Ipse Dominus Deus noster; in universa terra judicia ejus. Recordamini in sempiternum pacti ejus, sermonis quem præcepit in mille generationes. Quem pepigit cum Abraham, et juramenti illius cum Isaac. Et constituit illud Jacob in præceptum, et Israel in pactum sempiternum, dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ; quum essent pauci numero, parvi et coloni ejus, et transirent de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges: Nolite tangere christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari. Cantate Domino, omnis terra; annuntiate de die in diem salutare ejus. Narrate in gentibus gloriam ejus, et in cunctis populis mirabilia ejus. Quia magnus Dominus et laudabilis nimis, et horribilis super omnes deos. Omnes enim dii populorum idola, Dominus autem cœlos fecit. Confessio et magnificentia coram eo, fortitudo et gaudium in loco ejus. Afferte Domino, fami-*

A *liæ populorum, afferte Domino gloriam et imperium, date Domino gloriam nomini ejus. Levate sacrificium, et venite in conspectu ejus, et adorate Dominum in decore sancto. Commoveatur a facie ejus omnis terra; ipse enim fundavit orbem immobilem. Lætentur cœli, et exsultet terra, et dicant in nationibus: Dominus regnavit. Tonet mare et plenitudo ejus, exsultent agri, et omnia quæ in eis sunt. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino, quia venit judicare terram. Confitemini Domi-*

B *no, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Et dicite: Salva nos, Deus salvator noster, et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et exsultemus in carminibus tuis. Benedictus Dominus Deus Israel, ab æterno et usque in æternum; et dicat omnis populus, Amen, et hymnum Deo.*

Non opus reor hoc loco istud exponere, quia jamdudum in expositione libri Psalmorum exposui ipsum. Hoc tamen tangendum, quod istud adjunctum ex Psalmo

C centesimo quinto, videlicet, Et dicite, Salva nos, Deus salvator noster, et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, etc., aliqui dicunt hoc loco non adjunctum a David, quoniam tempore ejus filii Israel non erant dispersi, aut capti in gentibus, sed ab Esdra, cujus temporibus magna pars populi Judæorum erat inter gentes dispersa, pro cujus reductione Esdras oravit. Alii dicunt, quod David addidit istud, quia prævidit in spiritu, quod Esdras vidit ad oculum.

Ps. cv, 47, 48.

D *Dereliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Asaph et fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ,* id est in domo illa cultus divini, in qua præsens exstitit arca, *jugiter,* id est omni tempore opportuno et horis a David præfixis, *per singulos dies et vices suas,* quibus sibi invicem succedebant in ministeriis Dei. *Porro Obededom et fratres ejus sexaginta octo, Obededom filium Idithun, et Hoza, constituit janitores. Sadoc autem sacerdotem et fratres ejus sacerdotes* constituit, et esse præcepit

Digitized by Google

coram tabernaculo Domini, quod Moyses fieri jussit, *in excelso, quod erat in Gabaon.* Ex hoc aliqui dicunt, quod in deportatione arcæ ad Jerusalem, tabernaculum Moysis et altare holocausti manserunt in loco sublimi in Gabaon civitate; ideo voluit David, ut ibi quoque vigeret cultus divinus, et oblationes jussæ in lege, præsertim juge sacrificium, quod fiebat omni mane et vespere (*Exod.* xxix, 38-42; *Num.* xxviii, 3-8) : ad quæ omnia exsequenda deputavit Sadoc et ejus cognatos sacerdotes. Unde subjungitur, *ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis, jugiter mane et vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli.*

Alii opinantur, per excelsum in Gabaon, designari locum præclarum in Jerusalem, etiam sublimiter situm in colle (nam Gabaon, collis interpretatur), et ibi facta hæc esse. Apparet equidem, quod David sancta illa in Jerusalem esse voluerit, sicut et arcam. Hinc fertur in Glossa : Quidam dicunt post ingressum filiorum Israel in terram promissionis, tabernaculum Dei primum fuisse in Silo, deinde in Nobe, postea in Gabaon, tandem in Sion. Alii dicunt locum esse in Jerusalem, appellatum Gabaon, ibique David tabernaculum et arcam collocasse. Gabaon enim, collis interpretatur : quem locum putant dictum esse excelsum, propter dignitatem cultus divini. Sed in libro Locorum legimus, Gabaon metropolim fuisse Hevæorum in tribu Benjamin, et nunc ostenditur villa ejusdem nominis in quarto milliario a Bethlehem ad occidentem juxta Rama et Remmon, ubi Salomon hostiis immolatis, meruit divinum oraculum (III *Reg.* iii, 4-15). Fuit autem separata Levitis. Hæc Glossa.

Et post eum Heman, et Idithun, et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo, ad confitendum Domino : Quoniam in æternum misericordia ejus. Heman quoque et Idithun, canentes tuba, et quatientes cymbala, et omnia musicorum organa, ad canendum Domino. Filios autem Idithun fecit esse portarios. Reversusque est omnis populus in domum suam ; et David, ut benediceret etiam domui suæ. Ista plana sunt.

Postremo, ex isto capitulo declaratur nobis divini et præelecti David regis mira ad Deum devotio, indefessa alacritas, fervidus zelus, desiderium fraternæ salutis, amor boni communis, qui in tot et tantis occupationibus regni, inter tot prælia, et in tanta uxorum ac sobolis numerositate indesinenter fervebat circa divina, et spirituali flagrabat amore, Deique cultum copiosissime auxit, et alios sic traxit ad viam salutis. Cujus exemplo utinam reges et principes christiani informarentur, atque in consimilia excitarentur : imo nos omnes tanti regis accendamur exemplis, ut erubescamus quod tam faciliter ex immodica occupatione circa exteriora, refrigescit et evagatur cor nostrum. Constat quoque ex his, quam temperate vir sanctus suis utebatur conjugibus.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : QUUM AUTEM HABITARET DAVID IN DOMO SUA.

QUUM autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam : Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini sub pellibus est. Et ait Nathan ad David : Omnia quæ in corde tuo sunt, fac; Dominus enim tecum est.

Digitized by Google

Igitur nocte illa factus est sermo Domini ad Nathan, dicens : Vade et loquere David servo meo. Hæc dicit Dominus : Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc ; sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israel, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi, Quare non ædificasti mihi domum cedrinam ? Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te, quum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel ; et fui tecum quocumque perrexisti, et interfeci omnes inimicos tuos coram te. Fecique tibi nomen, quasi unius magnorum qui celebrantur in terra. Et dedi locum populo meo Israel. Plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur ; nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio, ex diebus quibus dedi judices populo meo Israel ; et humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus domum. Quumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo, qui ante te fuit. Et statuam eum in domo mea et in regno meo, usque in sempiternum, et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum. Juxta omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

Quumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia ? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo. Ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum, et fecisti me spectabilem super omnes homines. Domine Deus meus, quid ultra addere potest David, quum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum ? Domine, propter famulum tuum, juxta cor tuum, fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia. Domine, non est similis tui, et non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus nostris. Quis enim est alius ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus ut liberaret, et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat ? Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, et tu, Domine, factus es Deus ejus. Nunc igitur, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo, et super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es. Permaneatque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur : Dominus exercituum Deus Israel, et domus David servi ejus permanens coram eo. Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum, et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. Nunc ergo, Domine, tu es Deus, et locutus es ad servum tuum tanta beneficia, et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te. Te etenim, Domine, benedicente, benedicta erit in perpetuum.

Capitulum præsens pene nil continet, quod secundo Regum libro expositum non [II Reg. vii]
sit, idcirco pertranseundum. Et consideranda est optimi regis devotio, qui quanto plus prosperabatur ac promovebatur a Deo, tanto plus studuit esse gratus ac subditus ei. Consideranda est quoque dispensatio summi et sapientissimi Dei, omnia juxta ordinem sapientiæ suæ moderantis ac facientis : qui quamvis multa secreta et magna per se ipsum seu per angelicam revelationem manifestaverit David tanquam Prophetæ eximio, aliqua tamen manifesta- [II Reg. v
vit eidem per alios sanctos Prophetas, præ- 4-17; xii, 1-
sertim per Nathan et Gad. Unde et David 14; xxiv, 11-13, 18.]
non ignorans quam incomprehensibilia [Rom. xi, 33]

sint omnipotentis Dei judicia, non semper ab ipso consilium postulavit, sed interdum a vatibus : et hoc fuit magnæ hu- A militatis, quod David propheta eximius et sapientissimus inter suos, a Nathan consilium petiit.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : FACTUM EST AUTEM POST HÆC.

CONSEQUENTER hic describuntur magnæ victoriæ quas consecutus est David divina virtute. *Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philistiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth et filias ejus de manu Philistiim, percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera.*

Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Emath, quando perrexit ut dilataret imperium suum, usque ad flumen Euphraten. Cepit ergo David mille quadrigas ejus, et septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum. Subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi. Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba. Sed et hujus percussit David viginti duo millia virorum. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, et offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis ad quæ perrexerat. Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerunt servi Adarezer, et attulit eas Jerusalem; necnon de Thebath et Chun urbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, et columnas, et vasa ænea. Quod quum audisset Thou rex Emath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba, misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, et congratularetur ei, eo quod percussisset et expugnasset Adarezer. Adversarius quippe erat Thou Adarezer. Sed et B *omnia vasa aurea, et argentea, et ænea consecravit David rex Domino, cum argento et auro quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa et Moab et filiis Ammon, quam de Philistiim et Amalec.*

Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum, decem et octo millia; et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David. Salvavitque Dominus David in cunctis ad quæ perrexerat.

Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat judicium atque justi- C *tiam cuncto populo suo. Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum; et Josaphat filius Ahilud, a commentariis. Sadoc autem filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, sacerdotes, et Susa scriba. Banaias quoque filius Joiadæ super legiones Cerethi et Phelethi. Porro filii David primi ad manum regis.*

Historia hujus capituli secundo Regum II *Reg.* VIII.
libro exposita est. Pauca tamen dicuntur hic, et aliqua inseruntur, quæ prima facie non videntur consonare dictis præallegato D Regum libro : idcirco tangentur.

Factum est post hæc, ut percuteret David Philistiim, etc. Hoc etiam secundo Regum libro habetur : quibus verbis hic additur, *et tolleret Geth,* id est unam quinque principalium urbium Philistinorum, *et filias ejus,* id est loca et villagia ei annexa. *Cepit David mille quadrigas ejus,* videlicet Adarezer regis, *et septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum.* Hic aliquid suppletur, quod secundo Regum libro tacetur. Nam ibi sic legitur : Captis *Ibid.* 4.

Digitized by Google

David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum. Itaque ibi non fit mentio de quadrigis, et pauciores equites exprimuntur ibi quam hic, et forte principales exprimuntur ibidem, quorum satellites hic forsan adjiciuntur : nec est contradictio in istis capitulis, quoniam major numerus includit minorem, nec minor numerus ponitur ibi cum exclusione majoris. *Abisai vero percussit* de *Edom decem et octo millia; et constituit in Edom,* A hoc est in Idumæa, *præsidium,* etc. Istud totum in prætacto Regum libro adscribitur David regi, et hoc tanquam principali ; hic autem Abisai, tanquam exsecutori, aut adjutori, ac duci pugnantium, juxta regis decretum. *Porro filii David primi* erant *ad manum regis,* hoc est principales inter adstantes regi, et ceteris potiores honore ac prioratu. Unde secundo libro sacerdotes vocantur, juxta quem modum dicitur Jethro fuisse sacerdos Madian.

II *Reg.* VIII. 13, 14.

Ibid. 18.

Exod. II, 16.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI NONIDECIMI : ACCIDIT AUTEM UT MORERETUR NAAS REX FILIORUM AMMON.

PRÆSENS capitulum recitat, qualiter David primo per suos satellites vicit Ammonitas et adjutores eorum, eo quod Ammonitæ injuriam intulissent servis David ; deinde in propria persona cum populo suo contra illos processit, atque prævaluit.

Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, et regnaret filius ejus pro eo. Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas. Præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum eum super C *morte patris sui. Qui quum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon : Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolarentur te ; nec animadvertis, quod ut explorent et investigent et scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus. Igitur Hanon pueros David decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum, a natibus usque ad pedes, et dimisit eos. Qui quum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum. Grandem enim contumeliam sustinuerunt.* B *Et præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur. Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba, currus et equites. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo ejus. Qui quum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus, venerunt ad bellum.*

Quod quum audisset David, misit Joab et omnem exercitum virorum fortium. Egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis. Reges autem qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt. Igitur Joab intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui ; et perrexerunt con- D *tra filios Ammon. Dixitque : Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi. Si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi* [*in*] *præ-*

Digitized by Google

sidium. Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri. Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciat. Perrexit ergo Joab, et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium, et fugavit eos. Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, et ingressi sunt civitatem. Reversusque est etiam Joab in Jerusalem.

Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, et adduxit Syrum qui erat trans fluvium. Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum. Quod quum annuntiatum esset David, congregavit universum Israel, et transivit Jordanem, irruitque in eos, et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus. Fugit autem Syrus Israel. Et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, et Sophach exercitus principem. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei. Noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

II Reg. x. Tota historia ista secundo Regum libro explanata est, paucis verbis exceptis. Nam dicitur hic : *Conduxerunt* filii Ammon *triginta duo millia curruum :* quod prima facie incredibiliter sonare videtur ; *et regem Maacha cum populo ejus.* At vero in secundo libro Regum legitur : Filii Ammon conduxerunt viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum ; sicque conducticii illi fuerunt in toto triginta tria millia. Ideo per triginta duo millia curruum intelliguntur totidem millia hominum in curribus præliantium, sumendo continens pro contento ; et per regem Maacha cum populo suo, intelliguntur alii mille viri. Verumtamen non est putandum, quod totus ille triginta duorum millium Syrorum exercitus pugnavit ex curribus, præsertim quum in præallegato Regum libro pedites appellentur. Sed multi et principaliores in curribus pugnaverunt, ideo sub eorum nuncupatione alii includuntur. Præterea, sicut in capitulo hoc habetur, in alio prælio occidit David de Syris *septem millia curruum, et quadraginta millia peditum.* Secundo autem libro Regum scriptum est : Occidit David de Syris septingentos currus et quadraginta millia equitum. Pro quorum concordia dicitur, quod hic rursus per septem millia curruum, intelliguntur septem millia virorum ex curribus belligerantium, et quod erant ibi solum septingentæ quadrigæ. In toto autem illo Syrorum exercitu multi pedites, multique equites fuerunt. Sicque denominando totum a sua parte, in libro Regum dicuntur quadraginta millia equitum, hic vero quadraginta millia peditum.

(Margin: II Reg. x. 6. — Ibidem. — Ibid. 18. — Ibidem.)

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : FACTUM EST AUTEM POST ANNI CIRCULUM.

CONSEQUENTER recitatur hic, qualiter David expugnavit, vicit, spoliavit, et sibi subjecit filios Ammon. *Factum est autem post anni circulum, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon. Perrexitque et obsedit Rabba. Porro David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba et destruxit eam. Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas ; fecitque sibi inde diadema. Manubias quoque urbis plurimas tulit. Po-*

(Margin: Ibid. xi. 1. — Ibid. xii, 30, 31.)

Digitized by Google

pulum autem qui erat in ea, eduxit; et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur. Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon; et reversus est cum
II Reg. xxi, 18. *omni populo suo in Jerusalem. — Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philistæos, in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, et hu-*
Ibid. 19. *miliavit eos. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philistæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites, fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. Sed et*
Ibid. 20-22. *aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est viginti quatuor simul : qui et ipse de Raphaim stirpe fuerat generatus. Hic blasphemavit Israel. Et percussit eum Jonathan filius Sammaa fratris David. Hi sunt filii Raphaim in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus.*

Hoc totum secundo Regum libro fuit expositum, nisi quod hic scriptum est : *Tulit David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas; fecitque sibi inde diadema.* Porro prætacto secundo Regum
Ibid. xii, 30. libro legitur : Tulit diadema regis eorum de capite ejus pondo auri talentum, etc.; et impositum est super caput David. Mel-
A chom autem est idolum Ammonitarum, et ita videtur dissonantia in istis historiis; sed facilis est concordantia horum. Melchom namque interpretatur, Rex eorum : sicque in libro Regum, per Regem eorum, II Reg. xii, 30.
intelligitur Melchom deus et rex ac idolum Ammonitarum. *Manubias quoque,* id est spolia Rabba metropolis filiorum Ammon, *tulit :* et dicuntur manubiæ, quoniam manibus rapiuntur. *Populum autem qui erat in ea, eduxit; et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire.* In Re-
B gum libro habetur : Populum ejus adducens, serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris et traduxit Ibid. 31.
in typo laterum. Sicque per tribulas possunt cultri intelligi, vel aliquid additur hic quod ibi expressum non fuit. Proprie autem tribula appellatur vehiculum, quo teritur frumentum aut messis. Traha vero dicitur a trahendo, quoniam rotas non habet : sicque trahitur super alia ad complanandum, ut super noviter seminata, sive ad opprimendum, ut super istos. *Post hæc*
C *initum est bellum in Gazer adversum Philistæos.* Describuntur hic tria prælia victoriosa David regis contra Philistæos, et patet hæc littera ex dictis in expositione secundi voluminis Regum, in quo describuntur Ibid. xxi, 15 et seq.
quatuor bella hujusmodi, quorum unum omittitur in hoc loco.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : CONSURREXIT AUTEM SATAN CONTRA ISRAEL.

INSUPER in hoc capitulo describitur, qualiter ad imperium David, numeratus est populus Israel, et qualiter David in hoc peccavit atque punitus est : quod totum in
Ibid. xxiv. secundo libro Regum expositum est. *Consurrexit autem Satan contra Israel :* id est, Deo permittente, diabolus adversarius humanæ salutis tentavit David de elatione,
D et hoc in malum totius Israelitici populi qui occasione tentationis illius magnam incurrit adversitatem et pestem; et incitavit ipsum David ut numeraret Israel. Secundo libro Regum habetur : Et addidit Ibid. xxiv, 1.
furor Domini irasci contra Israel, commovitque David, id est, Deus ex sua justitia permisit ipsum David commoveri a Satan,

Digitized by Google

id est tentari modo prætacto; *et incitavit David ut numeraret Israel. Dixitque David ad Joab, et ad principes populi : Ite, et numerate Israel, a Bersabee usque Dan, et afferte mihi numerum ut sciam. Responditque Joab : Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt. Nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur? Sed sermo regis magis prævaluit. Egressusque est Joab, et circumivit universum Israel, et reversus est in Jerusalem. Deditque David numerum eorum,* B *quos circumiverat, et inventus est omnis numerus Israel, mille millia, et centum millia virorum educentium gladium. De Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. Nam Levi et Benjamin non numeravit, eo quod invitus exsequeretur regis imperium.*

Displicuit autem Deo, quod jussum erat, et percussit Israel. Dixitque David ad Deum : Peccavi nimis, ut hoc facerem. Obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. Et locutus est Dominus C *ad Gad, videntem David, dicens : Vade, et loquere ad David, et dic ei : Hæc dicit Dominus : Trium tibi optionem do; unum quod volueris, elige, ut faciam tibi. Quumque venisset Gad ad David, dixit ei : Hæc dicit Dominus : Elige quod volueris. Aut*
famem *tribus annis pestilentiam*; aut tribus mensibus fugere te hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere; aut tribus diebus gladium Domini, et mortem versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel. Nunc igitur vide, quid* D *respondeam ei, qui misit me. Et dixit David ad Gad : Ex omni parte me angustiæ premunt. Sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum.*

Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel. Et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. Misit quoque angelum Domini in Jerusalem, ut percuteret eam. Quumque percuteretur Jerusalem, hoc est, in proximo, et in præcincto esset, quod

A angelus percuteret peste habitatores Jerusalem; vel, si aliqui erant infecti, Deo miserante, curati sunt; *vidit Dominus, et misertus est super magnitudinem mali, et imperavit angelo, qui percutiebat : Sufficit, jam cesset manus tua. Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cœlum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem. Et ceciderunt, tam ipse quam majores natu vestiti ciliciis, proni in terram. Dixitque David ad Deum : Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? ego qui peccavi? ego qui malum feci? Iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur (obsecro) manus tua in me, et in domum patris mei; populus autem tuus non percutiatur.*

Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret David, ut ascenderet, exstrueretque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi. Ascendit ergo David, juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat, ex nomine Domini. Porro Ornan, qui secundo Regum libro vocatur Areuna, *quum* II Reg. XXIV, 16.
suspexisset, et vidisset angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se præ timore. Nam et angelus in forma terribili apparebat, quasi cum igneo vultu, et tanquam iratus. Ipsi quoque formidabant percuti ab eodem. *Nam eo tempore terebat in area triticum. Igitur quum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram. Dixitque ei David : Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino, ita ut quantum valet argenti, accipias, et cesset plaga a populo. Dixit autem Ornan ad David : Tolle, et faciat dominus meus rex, quodcumque ei placet. Sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium : omnia libens præbeo. Dixitque ei rex David : Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo tibi, quantum valet. Neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Do-*

Digitized by Google

mino holocausta gratuita. Dedit ergo David Ornan pro loco, siclos auri justissimi ponderis sexcentos; et ædificavit ibi altare Domino. Obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Deum. Et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti : id est, Deus ostendit se acceptasse contritionem, orationem et sacrificia David, per hoc quod ignis de cœlo aereo ministerio angeli descendens, holocaustum ipsius David consumpsit, quemadmodum in sacrificiis Abel et Aaron factum fuit, et postea in sacrificio Salomonis atque Eliæ. *Præcepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam.*

Gen. IV, 4; Lev. IX, 24; II Par. VII, 1; III Reg. XVIII, 38.

Protinus ergo David videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ei victimas, id est hostias pro gratiarum actione, et pro pace ac venia plebis. *Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto* per manus artificum, *et altare holocaustorum, ea tempestate,* id est tribulatione et inquietudine, A *erat in excelso Gabaon :* quod qualiter intelligendum sit, in superiorum expositione patuit. *Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum,* id est, ascendere ad altare holocausti in excelso Gabaon non poterat ad orandum et sacrificandum ibidem. *Nimis enim fuerat timore perterritus :* quia et sibi conscius fuit de malo, et naturali affectu timuit percuti, quamvis hoc secundum rationem optavit. Species quoque in qua apparuit angelus, fuit horribilis, similiter gladius ejus. Unde B subjungitur : *videns gladium angeli Domini,* qui fuerat cruentatus. Potest quoque per gladium angeli, accipi plaga per angeli potestatem illata plebi. Porro timor, sicut et ceteræ passiones, fit cum corporali transmutatione, et ex sua natura infrigidat atque debilitat. Idcirco tam vehemens timor, valde naturam indisposuit, discruciavit, infrigidavit, debilemque effecit; David autem desideravit ex devotione ascendere præfatum altare.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : DIXITQUE DAVID : HÆC EST DOMUS DEI.

PRÆSENS capitulum recitat qualiter David rex necessaria præparavit pro templo ædificando. *Dixitque David : Hæc est domus Dei,* id est, in loco isto ædificabitur celebre templum Deo, *et hoc altare,* quod ædificavi, vel quod suo tempore fiet seu constituetur in loco isto per Salomonem, erit *in holocaustum Israel,* id est, ad hoc deserviet, quod populus Israel holocausta sua et etiam sacrificia alia offeret super altare hoc. Prævidit itaque David in spiritu, quod illo in loco ex ordinatione divina templum esset ædificandum : propter quod D dixit hæc verba, quemadmodum Jacob de eodem locutus est loco : Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi do- C mus Dei et porta cœli. In quo etiam loco (ut fertur) Abraham voluit filium suum Isaac Deo offerre.

Gen. XXVIII, 17. Gen. XXII, 2, 9.

Et præcepit ut congregarentur de terra Israel omnes proselyti, id est ex paganismo conversi ad Judaismum. Quemadmodum enim infideles conversi ad legem Christi, dicuntur neophyti, sic ad Judaismum conversi, proselyti vocabantur. *Et constituit ex eis latomos,* id est lapidum cæsores, *ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei,* id est ad ornandos lapides et complanandos, quatenus apti essent reponi in ædificio templi. Istis proselytis, tanquam pauperioribus et ignobilioribus, imposuit David opera ista laborio-

Digitized by Google

siora; non tamen omnibus illis : nam et (Reg. xv, 19.) Ethai et viri sui sexcenti erant proselyti et Gethæi; et si aliqui alii multum notabiles inter proselytos erant, non videtur putandum quod discretissimus David gravaverit eos isto officio gravi. Eis quoque quibus istud injunxit, condignam et largam dedit mercedem. *Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum et ad commissuras atque juncturas,* id est compositiones seu incastraturas atque juncturas asserum et lignorum, *præparavit David,* id est, adduci fecit et congregavit, *et æris pondus innumerabile,* id est tam copiosum, quod vix aut difficulter poterat numerari aut ponderari. Juxta quem sensum subjungitur : *Ligna quoque cedrina non poterant æstimari,* id est distincte numeraliterque cognosci, *quæ Sidonii et Tyrii,* qui ex Sidone et Tyro urbibus maritimis et famosis, vel ex regionibus urbium harum fuerunt, *deportaverant* per aquas *ad David.*

Et dixit David : Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus. Circa hunc passum posset introduci inquisitio magna de intelligentia hujus verbi, et de Salomonis ætate dum cœpit regnare : de qua re super (III *Reg.* III in fine.) tertium librum Regum habitus est tractatus. Et pro præsenti sufficiat, ut dicatur quod aliquis multipliciter vocatur puer et parvulus, seu puer parvulus in Scripturis, videlicet respective et absolute, et ratione puritatis ac innocentiæ, aut etiam ratione (LXV, 20.) stultitiæ, juxta illud Isaiæ : Puer centum annorum morietur. Sive igitur Salomon fuerit duodecim annorum in principio regni sui, vel circiter, ut Josephus et Hebræi testantur, sive viginti aut circiter, vocari poterat puer parvulus comparatione ætatis, quam decet regem habere. Denique in Genesi Joseph ait ad fratres suos de Benja- (*Gen.* XLIII.) min : Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et tamen Benjamin (*Ibid.* XLVI.) habuit tunc filios decem, ut in Genesi habetur, quamvis multi non computent ibi, nisi novem filios ejus in textu, prout ibidem declaratum est plenius. Dicitur quoque Salomon delicatus, id est tener.

A *Domus autem quam ædificare volo Domino* per filium meum, utpote templum, *talis esse debet,* id est tam pretiosa, pulchra, alta et magna, *ut in cunctis regionibus nominetur :* et hoc non propter meum honorem, neque ex vana gloria volo hoc, sed ex devotione et zelo justitiæ ad Dei præconium, qui quum sit excellentiæ infinitæ, dignum est ei incomparabile construi templum. *Præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas,* id est, B necessaria et omnes expensas præparavit David filio suo : non tamen penitus omnes, sed quasdam ex omnibus, et plurimas valde.

Vocavitque Salomonem filium suum, et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel. Dixitque David ad Salomonem : Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini nominato *Domini* (II *Reg.* VII, 2 *et seq.*) *Dei mei,* id est Deo meo, ad ejus honorem; *sed factus est sermo Domini ad me, dicens : Multum sanguinem effudisti, et* C *plurima bella bellasti, et non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* David in ædificatione templi gestasset personam viri religiosi et spiritualis prælati : idcirco quod prohibitus est templum Deo ædificare, magis factum videtur propter mysterium (puta ad præfigurandum, quod prælati Ecclesiæ et religiosi ac clerici non debeant gladio materiali bellare), quam propter peccatum. Non enim videtur David multum sanguinem innocentem fudisse, aut vitiosa bella D gessisse. Unde Abigail dixit ad eum : Bella (I *Reg.* XXV, 28.) Domini præliaris. Tamen (ut fertur) Hebræi dicunt istud intelligendum, eo quod David fuit occasio interfectionis sacerdotum a Saule et habitatorum oppidi nomine (*Ibid.* XXII, 18, 19.) Nobe a Doeg, et quoniam jussit Uriam occidi, (II *Reg.* XI, 17.) cum quo et alii quidam boni fuerunt occisi. Et item, quia contra pravos et infideles pugnando, simul cum malis interfecit (*Ibid.* VIII.) frequenter et bonos : imo spoliando Amalecitas, interfecit viros et mulieres. Præ- (I *Reg.* XXVII, 9.) terea dato quod pugnando peccasset, inde

Digitized by Google

tamen jam pœnituisset; idcirco apparet, A quod propter mysterium facta est ei prohibitio illa, ad præsignandum quod etiam hi qui sine peccato sanguinem fundunt, fiunt in novo Testamento irregulares. Nempe quum David fuerit tunc vir tam sanctus et Deo valde acceptus, cur ei id prohibuisset, nisi propter mysterium, et etiam ad insinuandum quantum Deus abhorreat humani sanguinis effusionem?

Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. Faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, B *et ob hanc causam Pacificus vocabitur; et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem; firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum. Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.* Ista, quæ et in secundo libro Regum exposita sunt, constat esse prolata a Nathan ad David. (II *Reg.* VII, 3-17.) Tamen neque in isto volumine, neque in libro Regum C legitur, quod præinducta verba, videlicet quod propter multam sanguinis effusionem, Dominus dixit ipsum David non posse ei templum ædificare, protulerit ipse Nathan regi David; sed forsitan Deus revelatione divina, non humana, locutus est ipsi David hæc verba.

Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum spiritualem, id est sapientiam, *ut regere possis Israel et custodire legem Domini Dei tui. Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata* Dei moralia, *et judicia,* D id est præcepta judicialia, imo et cærimonialia, *quæ præcepit Dominus Moysi, ut doceret Israel.* Nemo enim potest vere proficere, nisi in primis impleat quod Deus primo et maxime ab ipso requirit, (*Mich.* VI, 8.) videlicet observantiam præceptorum. *Confortare et viriliter age, ne timeas neque paveas. Ecce ego in paupertatula mea præparavi impensas domus Domini* ædificandæ, *auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum. Æris vero et ferri* quæ præparavi, *non est pondus* cognitum nobis determinate; *vincitur enim numerus magnitudine,* id est, præ nimia quantitate numerari non queunt. Qualiter David affirmat se tot et tantas præparasse divitias in paupertatula, nisi quod comparatione omnipotentis Dei, se pauperem fatebatur? Vel spiritualiter reputabat se pauperem. Tamen (ut fertur) Hebræi dicunt, quod David pauper fuit respectu Salomonis, et quia multa exposuit in bellis frequentibus. Verumtamen ex bellis videtur magis ditatus quam depauperatus, quia in cunctis prævaluit bellis, et abundantissima spolia procuravit in eis, quemadmodum scriptum est: Salvavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. (II *Reg.* VIII, 14; I *Par.* XVIII, 13.) *Ligna et lapides præparavi ad universa impendia. Habes quoque plurimos artifices, latomos et cæmentarios, artificesque lignorum et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, in auro et argento et ære et ferro, cujus non est numerus. Surge igitur et fac, et erit Dominus tecum.*

Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adjuvarent Salomonem filium suum: Cernitis (inquiens) quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, et subjecta sit terra coram Domino et coram populo ejus. Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum; et consurgite et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Domino consecrata, in domum quæ ædificatur nomini Domini.

(Sensus spiritualis. II *Reg.* VII.) Ista satis plana sunt; sed quia hic multa habentur, quæ in libro Regum non continentur, tangendum est aliquid de spirituali intelligentia horum. Itaque, sicut David rex per proselytorum obsequium lapides fecit excidi atque poliri ad templi constructionem; sic Christus per gentiles conversos convertit quamplurimos et spiritualiter circumcidit a vitiis, ornavit virtutibus,

Digitized by Google

suamque ædificavit Ecclesiam, sicut per gloriosissimos viros, Clementem, Dionysium, Ignatium, Polycarpum, qui fuerunt Matth. III, 9. artificiosissimi latomi, qui de lapidibus fecerunt filios Abrahæ. Insuper, sicut David præparavit suo filio Salomoni necessaria ædificationi; sic Pater omnipotens unigenito Filio suo requisita paravit pro constructione Ecclesiæ, secundum quod Filius Joann. VI, 44. protestatur : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Hæc tractio seu gratiarum largitio, est præparatio necessariorum ad spiritualis ædificium templi. Et sicut de Salomone locutus est David, *Salomon filius meus parvulus est et delicatus;* sic Pater æternus de unico Filio Is. IX, 6. suo per Isaiam disseruit, Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis : qui et quietissimo Salomone fuit quietior.

Quemadmodum etiam tactum est ex verbis Dei ad David dicentis, *Multum sanguinem effudisti, non poteris ædificare domum nomini meo,* docemur, quod episcoporum, sacerdotum et cleri non sit ma- Matth. V, 44. teriali gladio præliari, sed inimicos quoque diligere, et pro fidei defensione proprium sanguinem libenter effusioni exponere.

A Rursus, ex eodem verbo instruimur, quod vindicatores suæ injuriæ, et qui infirmam fratrum conscientiam percutiendo, animas I Cor. VIII, 12. scandalizant ac perimunt, non sunt idonei convertere alios. Amplius, per hoc quod ditissimus David locutus est, *Ecce ego in paupertatula mea,* etc., innuitur, quod homines virtuosi et sancti, quantumcumque perfecti, se ipsos pauperes fatentur et imperfectos, præsertim quantum ex ipsis est, et comparatione altitudinis divitiarum sa- Rom. XI, 33. pientiæ et scientiæ Dei, cujus respectu B stultus factus est omnis homo a scientia Jer. X, 14. sua. Postremo, sicut Salomon plures habebat artifices, sic Christus multos habet vicarios et ministros in diversis facultatibus atque scientiis graduatos et prædicatores doctissimos. Et sicut David præcepit principibus filiorum Israel, ut adjuvarent filium suum ad templum ædificandum; sic Pater cœlestis jubet prælatis ac principibus ac magistris populi christiani, ut Christo fideliter cooperentur ad reformationem, ædificationem ac multiplicationem Eccle- C siæ, in quam arca Dei introducatur, id est, Christi humanitas in credentium cordibus commoretur.

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI TERTII : IGITUR DAVID SENEX ET PLENUS DIERUM.

Rom. XIII, 1. QUONIAM quæ sunt, a Deo ordinata sunt; et sapientis est omnia ordinate producere sive disponere, sapientis namque est ordinare : idcirco hic recitatur, quam decenter ac ordinate sanctus David disposuerit ministros Dei in domo ipsius et in obsequio ejus. *Igitur David senex,* non solum ætate, sed sapientia quoque, et omni virtutum probitate, morumque gravitate, *et plenus dierum,* id est fructibus meritorum quos diu vivendo reposuit et intra se collegit, *regem constituit Salomonem filium suum*

D *super Israel :* prout tertio Regum libro de- III Reg. I, 32-40. scribitur. *Et congregavit,* id est, ad se venire fecit, *omnes principes Israel et sacerdotes atque Levitas,* quatenus imminente termino suæ vitæ, universos exhortaretur, ordinate disponeret, edoceret, quemadmodum Moyses et Josue fecisse leguntur. Deut. XXXI; Josue XXIV.

Numeratique sunt Levitæ a viginti annis et supra. In Numerorum libro habetur, Num. IV, 3. qualiter Deus per Moysen jussit numerari Levitas ab anno tricesimo usque ad quinquagesimum, quia ab anno tricesimo erant

Digitized by Google

idonei ad explendum cuncta officii sui obsequia. Aliqua tamen poterant exercere ab anno vicesimo, ideo hac vice ab illa ætate sunt numerati per sacerdotes ad hoc deputatos aut per principes Levitarum. Præterea quæritur circa illud, et supra, usque ad quam ætatem numerati fuerunt Levitæ. Et respondendum, quod si numerabantur ad deferendum onera gravia atque ad prosequendum obsequia laboriosa, numeratio illa protendebatur usque ad quinquagesimum annum ; si vero numerabantur ad sacrorum vasorum custodiam, extendebatur numeratio illa usque ad diuturniorem ætatem, utpote sexagenariam juxta quosdam, vel ampliorem. Unde in libro Numerorum Dominus loquitur : Quumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. *Et inventa sunt triginta octo millia virorum.*

Num. VIII, 25, 26.

Ex his electi sunt et distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia, qui scilicet in templo servirent et sacerdotibus subministrarent successive seu tempore opportuno sibi præfixo ; *præpositorum autem et judicum* numerus fuit *sex millia,* qui præfatis millibus præerant, ad disponendum quando et qualiter sua explerent obsequia, ne in multitudine tanta esset confusio. Aliqui vero dicunt, quod custodes vasorum aut thesaurorum vocentur præpositi, qui et ratione ætatis ac experientiæ atque majoris peritiæ poterant juniores Levitas dirigere ac docere. Judices quoque eos appellant, qui populum erudiebant : quod tamen ad sacerdotes ac scribas magis pertinuisse censetur. *Porro quatuor millia* erant *janitores,* suis temporibus custodientes januas domus Dei exteriores et interiores ; *et totidem psaltæ canentes Domino in organis,* id est musicis instrumentis, *quæ fecerat* David *ad canendum :* id est, quatuor millia fuerunt cantores, qui psalmos et cantica ore cantabant, et simul musicis instrumentis erant

A utentes, sicut et David ore psalmos cantavit, et digitis lusit in cithara.

Et distribuit, id est, distinxit ac divisit, *eos David per vices filiorum Levi :* qui filii fuerunt, *Gerson videlicet, et Caath, et Merari. — Filii Gerson,* id est, filii Gerson erant, *Leedan et Semei. Filii Leedan principes : Jehiel*, et Zethan, et Joel, tres. Filii Semei : Salomith, et Hosiel, et Aran, tres. Isti principes familiarum Leedan. Porro filii Semei : Leheth, et Ziza, et Jaus, et Baria. Isti filii Semei quatuor. Erat* B *autem Leheth prior, Ziza secundus. Porro Jaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia, unaque domo computati sunt.* Textus iste planus est. — Deinde scribitur distinctio familiarum natarum ex Caath filio Levi. *Filii Caath* fuerunt, *Amram et Isaar, Hebron et Oziel, quatuor. Filii Amram : Aaron et Moyses. Separatusque est Aaron,* id est, Deo jubente specialiter deputatus, *ut ministraret,* id est ad ministrandum, *in Sancta sanctorum, ipse et filii ejus in sem-* C *piternum.* Sancta sanctorum vel Sanctum sanctorum, fuit interior pars templi seu tabernaculi : in quam partem solus pontifex introivit ad deprecandum, qui et incensum seu thymiama adolevit super altare incensi, quod fuit in exteriore tabernaculi parte. Quod ergo nunc dicitur, quod Aaron et filii ejus separati fuerunt ad serviendum in Sancta sanctorum in sempiternum, utpote per omne tempus veteris Testamenti, intelligendum est de ipso Aaron et filiis ejus sibi in pontificatu succedentibus. *Et* D *adoleret incensum Domino, secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in sempiternum. Moysis quoque hominis Dei filii, annumerati sunt in tribu Levi,* quoniam Moyses fuit de tribu illa ; non tamen fuerunt sacerdotes ut filii Aaron. *Filii Moysis : Gersom et Eliezer. Filii Gersom : Subuel primus. Fuerunt autem filii Eliezer : Rohobia primus ; et non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis. Filii Isaar : Salomith primus. Filii Hebron : Jeriau pri-*

* Jahiel

Hebr. IX, 7.

Exod. II, 1-10 ; VI, 16, 20.

Digitized by Google

mus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, A *Jecmaam quartus. Filii Oziel : Micha primus, Jesia secundus. — Filii Merari : Moholi et Musi. Filii Moholi : Eleazar et Cis. Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias. Acceperuntque eas filii Cis, fratres earum. Filii Musi : Moholi, et Eder, et Jerimoth, tres.*

Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis principes, per vices et numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Domini, a viginti annis et supra. B *Dixit enim David : Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo :* nam vivente David rege, gentes undique erant ei subjectæ, nec repugnare audebant ; *et habitationem Jerusalem* firmavit *usque in æternum,* dummodo propter peccata aliter non contingat. *Nec erit officii Levitarum, ut ultra portent tabernaculum et omnia vasa ejus ad ministrandum :* id est, mox ut templum fuerit ædificatum, et arca stabiliter ibi locata, atque altaribus sitis in eo, Levitæ amplius non portabunt tabernaculum et utensilia ejus de loco ad lo- C
iv, 4. cum, sicut fecerunt in eremo, et aliquando in terra promissionis. Ideo de talibus liberati laboribus, magis intendere poterunt cultui Dei in templo in psalmis, canticis et sacrificiis ejus.

Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra. Et erunt Levitæ *sub manu,* id est potestate et auctoritate, *filiorum Aaron,* id est pontificis maximi aliorumque sacerdotum, quibus deservient circa hostias offerendas, animalia exco- D riando, carnes lavando, *in cultum domus Domini in vestibulis,* id est porticibus templi, *et exedris,* id est domunculis sitis prope illud per gyrum, in quibus edebant et quiescebant sacerdotes, durante eorum obsequio ibi in templo, *et in loco purificationis,* id est in atrio ubi sacerdotes se abluebant ante accessum ad suum officium, *et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini.*

Sacerdotes autem erunt *super panes propositionis,* disponendo de illis secundum legis præcepta, *et ad similæ sacrificium,* id est ad prosequendum sacrificium quo purgatissima farina triticea offerebatur, *et ad lagana,* id est ad offerendum panes latos ac tenues, *et azyma,* id est panes non fermentatos, *et sartaginem,* id est panes qui in sartagine seu patella fiebant, *et ad torrendum,* id est ad cremandum grana nova, ex quibus fiebat oblatio, *et super omne pondus atque mensuram,* id est, ex officio suo providebunt, ut sacrificia fiant secundum pondus et mensuram determinata in lege. Siquidem aridæ materiæ ex quibus fiebant oblationes, accipiebantur pondere certo ac vario, juxta sacrificiorum diversitates ac species. Humida vero materia, ut vinum et oleum, sumebatur cum certa mensura, juxta differentias oblationum ex ea factarum.

Levitæ vero ordinati erunt et distributi, *ut stent mane,* omni die, *ad confitendum,* confessione laudis divinæ, *et canendum,* id est psallendum, *Domino, similiterque ad vesperam :* quia quotidie offerebatur agnus *Num.* xxviii, 3, 4, 6.
agniculus mane et etiam vespere, quod vocabatur juge sacrificium, in cujus sacrificatione psallebant ; *tam in oblatione holocaustorum,* quæ ad summæ reverentiam majestatis totaliter comburebantur, *Domini, quam in sabbatis et calendis et solennitatibus reliquis, juxta numerum et cærimonias uniuscujusque rei jugiter coram Domino.* Sabbatum fuit septimanalis festivitas legis, in recognitionem atque memoriam beneficii creationis mundi. In calendis quoque seu noviluniis servabatur festivitas in commemorationem et gratam recognitionem beneficii gubernationis. Aliæ demum solennitates legis erant, Pascha in memoriam eductionis de Ægypto, Pentecostes in recognitionem legis acceptæ in Sinai monte, item festa Tubarum et Expiationis ac Tabernaculorum. In his igitur festis et sacrificiis, quæ tunc fiebant in certo animalium hostiarumque numero, prout in *Exod.* xii; *Lev.* xxiii; *Num.* ix, xxviii, xxix; *Deut.* xvi.
Levitico et Numerorum libro habetur, et cum determinatis cærimonialibus obser-

Digitized by Google

vantiis uniuscujusque rei seu sacrificii sive obsequii, psallebant Levitæ. *Et custodiant observationes tabernaculi fœderis,* id est ea quæ jussa sunt ibi servari ac fieri, *et ritum sanctuarii,* id est templi seu tabernaculi, *et observationem filiorum Aaron fratrum suorum,* id est, ea adimpleant quæ sacerdotes ipsis injunxerint, *ut ministrarent in domo Domini.*

Mystice, per tam multiplicem distinctionem et pulchram ordinationem ministrorum templi et actuum eorumdem, præfigurata est cœliformis atque pulcherrima ordinatio, distinctio ac dispositio militantis Ecclesiæ in suis ordinibus et ministris, gradibus, statibus, personis, sacramentis, officiis, charismatibusque diversis, tam gratiæ gratis datæ, quam gratiæ gratificantis. De quibus in epistolis Pauli diversa leguntur. *Rom.* XIII, 1-6; I *Cor.* XII, XIV, XV.

ARTICULUS XXIV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : PORRO FILIIS AARON HÆ PARTITIONES ERANT.

HIC narratur qualiter devotissimus rex David cultum Dei amplificans, instituit viginti quatuor ordines sacerdotum, in templo sibi invicem succedentium in sacerdotali officio, ita quod in quolibet ordine præerat unus sacerdos plures sub se habens sacerdotes, et secum in sua hebdomada ministrantes : erantque sedecim ordines seu familiæ sacerdotum istorum nati ex semine Eleazari filii Aaron, et octo ex Ithamar fratre Eleazari hujus. Omnibus quoque familiis Eleazari unam præfecit domum, videlicet ipsum Sadoc ; omnibus item familiis Ithamar, ipsum Achimelech.

Porro filiis Aaron hæ partitiones, id est partes et divisiones, *erant. Filii Aaron : Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar. Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis ; sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar. Et divisit eos David,* videlicet sacerdotes ac posteros filiorum Aaron, *id est Sadoc* et cognatorum ipsius natorum *de filiis Eleazar, et Achimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium,* id est, secundum quod congruebat eorum officiis per temporum intervalla. *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris,* id est inter præcipuos viros atque in numero principalium virorum, ita quod ipsi sic inventi, erant hujusmodi viri, *quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim,* id est, ipse David assignavit et deputavit sedecim sacerdotalibus familiis ex Eleazaro genitis, sedecim sacerdotes principales, ita quod in qualibet familia illa fuit unus sacerdos præcipuus, præter Sadoc, et etiam sub Abiathar pontifice. *Et filiis Ithamar per familias et domos suas,* id est octo familiis sacerdotalibus generatis ex Ithamar, præfecit *octo* sacerdotes, unicuique unum.

Porro divisit utrasque inter se familias sortibus : id est, per sortium missionem a Domino temperatam, determinavit quæ familia esset prima in ministrando in templo, quæ secunda, quæ tertia, etc. *Erant enim principes sanctuarii et principes Dei tam de filiis Eleazar quam de filiis Ithamar :* id est, de amborum filiis erant aliqui sacerdotes principales, qui erant principes Dei, id est pertinentes ad Deum et consecrati eidem, quemadmodum in Genesi filii Heth locuti sunt Abrahæ : Princeps Dei es apud nos. *Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoc sacer-*

Prov. XVI, 33.
Gen. XXIII, 6.

Digitized by Google

dote, et Achimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et Leviticarum : unam domum, quæ ceteris præerat, Eleazar ; et alteram domum, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar : id est, Semeias descripsit ex posteritate Eleazari, unum, videlicet Sadoc, ceteris familiis Eleazari præsidentem, ut dictum est ; et simili modo fecit de Ithamar. *Exivit autem sors prima Joiarib, secunda Jedei, tertia Harim, quarta Seorim, quinta Melchia, sexta Maiman, septima Accos, octava Abia, nona Jesua, decima Sechenia, undecima Eliasib, duodecima Jacim, tertiadecima Hoppha, quartadecima Isbaab, quintadecima Belga, sextadecima Emmer, septimadecima Hezir, octavadecima Aphses, nonadecima Pheteia, vicesima Hezechiel, vicesima prima Jachin, vicesima secunda Gamul, vicesima tertia Dalaiau, vicesima quarta Maaziau. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Dei, et juxta ritum suum, sub manu Aaron patris eorum, sicut præcepit Dominus Deus Israel :* id est, sacerdoti Joiarib sic nominato, ut esset sacerdos hebdomadarius cum sacerdotibus sibi subjectis in prima hebdomada, sicque deinceps, ut fertur in littera. Inter quas familias octava fuit Abiæ, de qua (ut apud Lucam habetur) sanctus ille Zacharias pater gloriosissimi fuit Joannis Baptistæ. *Luc.* I, 5.

Porro filiorum Levi qui reliqui fuerunt de filiis Amram, id est de numero illorum, *erat Subael, et de filiis Subael, Jehedeia. De filiis quoque Rohobiæ, princeps Jesias. Isaari vero filius, Salemoth ; filiusque Salemoth, Jahath. Filiusque ejus Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus. Filius Oziel, Micha ; filius Micha, Samir. Frater Micha, Jesia ; filiusque Jesiæ, Zacharias. Filii Merari : Moholi et Musi. Filius Oziau, Benno. Filii quoque Merari : Oziau, et Soam, et Sachur, et Hebri. Porro Moholi filius, Eleazar, qui non habebat liberos. Filius vero Cis, Jerameel. Filii Musi : Moholi, Eder et Jerimoth. Isti filii Levi secundum domos familiarum suarum.* Quidam dicunt istos fuisse doctores ac judices. *Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron :* id est, in ordine doctoratus ac judiciariæ auctoritatis constituebantur per sortes, sicut præfati in ordine ministerii sacerdotalis. Qualiter vero liceat sortibus uti, alibi dictum est sæpe.

ARTICULUS XXV

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : IGITUR DAVID ET MAGISTRATUS EXERCITUS.

De dispositione et distinctione cantorum hic agitur. *Igitur David et magistratus exercitus,* id est superiores et officiati sui palatii, *segregaverunt in ministerium filios Asaph et Heman et Idithun,* id est, filios horum trium principalium cantorum separaverunt a ceteris filiis Israel, quatenus speciale officium, scilicet cantoriam, exercerent in domo Dei. Hinc subditur, *qui prophetarent in psalteriis et citharis et cymbalis,* id est, ludendo in his musicis instrumentis, de quibus prædictum est, decantarent psalmos et cantica *I Par.* XV, 16, 19-21.
Prophetarum. Hebræi tamen (ut fertur) affirmant, quod psallendo cum his musicis instrumentis, mox tangebantur a Spiritu Sancto dono seu gratia prophetiæ, et prophetabant, ut quarto Regum de Eliseo narratur. Hæc ergo egerunt, *secundum numerum suum,* id est, prout eorum distinctioni ac numero congruebat uti tali aut tali musico instrumento. Circa hæc duo quærun- *IV Reg.* III, 15.

Digitized by Google

tur : Primum, cur dispositio ista ministrorum templi fiebat per regem, et non potius per pontificem. Secundum, cur Idithun annumeretur hic ipsi Asaph et Heman tan-
1 *Par.* xv, 17, 19. quam cantoribus, quum supra, non Idithun, sed Ethan illis duobus annumeretur. Ad primum dicendum, quod in veteri Testamento, cujus sacerdotium fuit carnale, carnales immolans hostias, rex fuit super pontificem, sicut et Thomas in libro de Regimine regum declarat. Ad aliud respondetur, quod ille qui supra Ethan vocatur, hic Idithun appellatur, quia binomius fuit. *Dedicato sibi officio servientes*, id est, officium cantandi eis deputatum exsequentes.

Et erant quatuor de filiis Asaph, de quibus subjungitur : *De filiis Asaph* erant, *Zachur, et Joseph, et Nathania, et Azarela, filii Asaph* præfati ; *sub manu Asaph prophetantes juxta regem*, id est, Deum laudabant sub directione patris sui, et vicinius stabant regi. Unde supra scriptum est,
Ibid. vi, 39. quod stabant a dextris. — [*Porro Idithun filii : Idithun,*] *Godolias, Sori, Jeseias, et Hasabias, et Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun*. Filii ergo Idithun cantores erant sex, qui exprimuntur in hoc loco. *Qui* Idithun *in cithara prophetabat*, id est psallebat. Communiter tamen tenetur, quod tres illi principales cantores prophetiæ spiritu claruerunt : imo aliqui dicunt quosdam psalmos ab eis factos. *Super confitentes et laudantes Dominum*, id est, psallendo præfuit his qui in choro et ordine suo Deum laudabant. — *Heman quoque : filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, et Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, et Romemthiezer, Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth.* Hic nominantur quatuordecim cantores filii ipsius Heman principalis cantoris. *Omnes isti filii Heman, videntes regis*, id est prophetæ ipsius David, cujus psalmos et cantica resonabant. Ideo additur, *in sermonibus Dei*, quoniam psalmi et cantica illa sunt Dei eloquia. Vel si spiritum prophetiæ habebant, annuntiave-

A runt regi abdita et futura ex revelatione divina. *Ut exaltaret cornu*, id est, quatenus Deus regiam dignitatem ac robur David posteritatisque suæ sublimare dignaretur et conservare. Orabant enim pro temporali ac spirituali regis ac sobolis suæ prosperitate, et omnia referebant ad Dei honorem et veram salutem. *Deditque Deus Heman filios quatuordecim, et filias tres.*

Universi sub manu patris sui, ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis et psalteriis et citharis, in B *ministeria domus Domini, juxta regem : Asaph videlicet, et Idithun, et Heman. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini*, id est, erudite ac sapienter psallebant, ac alios docuerunt cantica, psalmos et laudes Dei, *cuncti doctores ducenti octoginta octo.*

Miseruntque sortes per vices suas ex æquo, tam major quam minor, doctus pariter et indoctus : id est, prædicti viginti quatuor cantores inter se æqualiter sor- C tes miserunt, quis eorum esset primus, id est cum sacerdote primo hebdomadario suum officium exsequens, et quis secundus, quis tertius, juxta eumdem sensum. Erant autem omnes saltem aliqualiter docti, nec aliter apti fuissent ad cantoriam. Sed quidam comparatione aliorum, videlicet doctiorum, dicebantur indocti, id est minus docti. Confidebant quoque quod ex directione providentiæ Dei, sors caderet congruenter super unumquemque juxta aptitudinem suam ad suum officium, quem- D admodum Salomon loquitur : Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino tempe- *Prov.* xvi, 33.
rantur. Idcirco non fuit incautum neque injustum, quod taliter sortes miserunt.

Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph, id est filio Asaph. *Secunda Godoliæ* filio Idithun, *ipsi et filiis ejus et fratribus ejus duodecim. Tertia Zachur, filiis et fratribus ejus duodecim. Quarta Isari, filiis et fratribus ejus duodecim. Quinta Nathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Sexta Bocciau, filiis et fratri-*

Digitized by Google

Isreela *bus ejus duodecim. Septima Isarela*, filiis et fratribus ejus duodecim. Octava Jesaiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Nona Mathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Decima Semeiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Undecima Azareel, filiis et fratribus ejus duodecim. Duodecima Hasabiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Tertiadecima Subuel, filiis et fratribus ejus duodecim. Quartadecima Mathathiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Quintadecima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim. Sextadecima Hananiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Septimadecima Jesbacassæ, filiis et fratribus ejus duodecim. Octavadecima Hanani, filiis et fratribus ejus duodecim. Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim. Vicesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim. Vicesima prima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim. Vicesima secunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim. Vicesima tertia Mahazioth, filiis et fratribus ejus duodecim. Vicesima quarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.* Nam unusquisque illorum viginti quatuor cantorum, habuit sub se duodecim sibi associatos, cum quibus exercuit suum officium cum sacerdote suæ hebdomadæ. Erant enim viginti quatuor sacerdotes præcipui : de quibus dictum est capitulo præcedenti ; I Par. XXIV, 7-18.
quorum quilibet suam habuit septimanam, utpote primus primam, secundus secundam, sicque deinceps ; idem fuit ordo cantorum istorum : ex quibus elucescit hujus capituli sensus.

ARTICULUS XXVI

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : DIVISIONES AUTEM JANITORUM : DE CORITIS, ETC.

DISTINCTIO ac dispositio janitorum atque custodum seu sacristarum, hic recitatur : quorum distinctio sumitur juxta distinctionem portarum seu januarum atrii templi, in cujus atrio erant ostia quatuor juxta respectum ad quatuor plagas terræ. *Divisiones autem janitorum* sunt quæ infra habentur in isto capitulo. *De Coritis : Meselemia filius Core,* id est, unus janitorum præcipuorum, fuit vir iste Meselemia natus ex filiis Core Levitæ, *de filiis Asaph.* Deinde in exordio hujus capituli describuntur generationes janitorum. *Filii Meselemiæ : Zacharias primogenitus, Jadihel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus, Ælam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus. Filii autem Obededom : Semeias primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus : quia benedixit illi Dominus. Semeiæ autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum : erant enim viri fortissimi. Filii ergo Semeiæ : Othni, et Raphael, et Obed, Elsabad, et fratres ejus viri fortissimi ; Eliu quoque et Samachias. Omnes hi de filiis Obededom : ipsi et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom. Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo.*

De Hosa autem, id est de filiis Merari, Semri princeps. Non enim habuerat ipse Hosa, *primogenitum, idcirco posuerat eum,* id est ipsum Semri, *pater ejus* Hosa, *in principem* suæ familiæ. Circa hoc scribit quidam, quod istud dupliciter possit exponi. Primo, ad satisfaciendum quæstioni, qua quæri posset, quare Hosa posuit istum filium suum nomine Semri, in principem. Ad quod littera ista respondet, quia

Digitized by Google

non habuit primogenitum. Secundo exponitur, quod ideo posuit istum in principem, quia non habuit primogenitum aptum ad principatum. Primam autem expositionem reprobat ille, quia saltem iste Semri fuit primogenitus ejus aut alius. Ad quod quis dicere posset, quod Hosa ideo dicitur primogenitum non habuisse, quia primogenitus ejus jam obiit, sicque illa cessat objectio. *Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus : omnes hi filii et fratres Hosa, tredecim.*

Hi jam expressi, *divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum,* id est, quatenus ipsi jugiter exsistentes principales in custodiendo januas et contenta infra easdem, *sicut et fratres eorum, ministrarent* in isto officio *in domo Domini. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis et magnis per familias suas, in unamquamque portarum,* ad cognoscendum ad cujus portæ custodiam unusquisque istorum deputaretur. *Cecidit ergo sors orientalis Selemiæ,* id est, sors indicans quis fieret custos portæ orientalis ipsius atrii, egressa est viro illi nomine Selemiæ. *Porro Zachariæ filio ejus et viro prudentissimo* in rebus humanis, *et erudito* in divinis, *sortito obtigit,* id est deputata est, *plaga septentrionalis,* hoc est custodia portæ respicientis ad aquilonem. Nempe quum vir iste fuerit tantæ prudentiæ, decuit eum principalem esse custodem in una porta. *Obededom vero et filiis ejus ad austrum,* id est, sorte contigit præesse custodiæ portæ australis; *in qua parte domus* Dei *erat seniorum concilium,* id est, judices ordinarii consulebant ibi de bono communi et occurrentibus arduis causis, ideo porta illa fuit diligenter custodienda. *Sephim et Hosa* præfuerunt portæ sitæ *ad occidentem, juxta portam quæ ducit ad viam ascensionis,* qua itur ad montem Sion, vel ad palatium regis, sive ad aliud quid simile; *custodia contra custodiam :* nam porta illa occidentalis fuit directe ex opposito portæ orientalis locata, sicque custodia unius fuit e regione custodiæ alterius.

A *Ad orientem vero Levitæ sex,* id est, sex custodes Leviticæ stirpis fuerunt deputati ad orientalis portæ custodiam. Templum enim versus occidentem respiciebat, et ita intrabatur in illud per portam orientalem, per quam fuit major accessus. Ideo constituti sunt ibi sex ad reprimendum tumultum. In aliis portis quatuor erant, ut subditur. *Et ad aquilonem quatuor per diem ; atque ad meridiem similiter in die quatuor ; et ubi erat concilium, bini et bini. In cellulis quoque,* id B est cameris, *janitorum ad occidentem quatuor* erant Levitæ *in via* pro accedentium directione, *binique per cellulas,* hoc est, duo in qualibet cellula commanebant. *Ad septentrionem vero et meridiem, quaterni per dies singulos mutabantur ; et ad basilicam concilii ad occidentem bini, habentes subjectos alios in via, binique per cellulas. Hæ sunt divisiones janitorum filiorum Core et Merari.*

Sequitur de custodibus seu sacristis, quorum officium erat sacerdotalia orna- C menta et sacra vasa custodire, pretiosa quoque ut aurum, argentum, et consimilia Domino consecrata, servare. *Porro Achias erat super thesauros domus Domini et vasa sanctorum,* id est divini cultus. *Filii quoque Leedan, filii Gersonni : de Leedan principes familiarum, Leedan, et Gersonni, Jehieli. Filii Jehieli : Zathan, et Joel, fratres ejus, super thesauros domus Domini, Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozielitis. Subuel autem filius Gersom, filii Moysis, præpositus thesauris. Frater quo-* D *que ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, et hujus filius Selemith. Ipse Selemith, et fratres ejus,* fuit *super thesauros sanctorum,* id est thesauros atque pecunias templi, ordinatas ad sancta ex eis formanda, componenda, aut recuperanda, *quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni et centuriones et duces exercitus, de bellis et manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Do-*

Digitized by Google

mini. Dum enim reges et principes Israel habuerunt victorias, consueverunt pretiosa quæque inter spolia reperta, Deo consecrare et offerre in templo, ut applicarentur usibus sacris : et hoc fecerunt pro gratiarum actione Altissimo exhibenda ; et talia quædam consecraverunt etiam Samuel et Saul ac Abner, et postea Joab. *Hæc autem universa sanctificavit Samuel videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ ; omnesque sanctificaverunt ea per manum Selemith, et fratrum ejus.*

Isaaritis vero, de Isaar natis, *præerat Chonenias, et filii ejus* (hic agitur de præsidentibus et præfectis), *ad opera forinsecus super Israel, ad docendum, et* ad *judicandum eos.* Hi etenim alios docuerunt qualiter se habere deberent in agendis, et causas ac lites illorum determinabant. Sive, ut aliqui opinantur, docuerunt eos præcidere atque adducere ligna cedrina ac lapides pro necessariis templi reparationibus et structuris. *Porro de Hebronitis,* natis ex semine Hebron filii Caath, *Hasabias et fratres ejus,* hoc est cognati, *viri fortissimi mille septingenti præerant Israeli trans Jordanem,* videlicet tribui Ruben et Gad ac mediæ stirpi Manassæ, *contra occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis :* hoc est, præfatas tribus ibi longe a templo commorantes, docuerunt qualiter Deo et regi servirent, red-
h. xxii, dendo Deo quæ Dei sunt, et regi suo terreno quæ ei debebant ; atque, ut aliqui opinantur, collegerunt fructus agrorum ac vinearum, ibi situatorum consecratorumque Deo, similiter reditus ac proventus pertinentes ad regem. *Hebronitarum au-*

A *tem princeps fuit Jeria, secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Jazer,* hoc est loco sic dicto, *Galaad,* id est vir principa- II *Reg.* xxiv, 6.
lis sic nominatus, *fratresque ejus,* hoc est cognati, *robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum,* id est principales et capita in suis familiis. Ista numeratio facta est, David juste jubente in ultimo vitæ et præsidentiæ suæ anno, in quo Salomon de cunctis edocuit, et de cunB ctis deinceps agendis optime ordinavit. *Præposuit autem eos David rex,* id est, præfatos principales in suis familiis, tunc præfecit *Rubenitis et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse,* quia tunc erant valde multiplicati, *in omne ministerium Dei et regis :* sicut expositum est.

Præterea, juxta mysticum sensum, janitores domus Dei sunt prælati et prædicatores omnesque fervidi, qui verbo et exemplo alios convertunt et introducunt in Ecclesiam Dei, ita quod Christo incorporantur. *Sensus mysticus.*
C Introducunt autem eos per quatuor portas : per quas intelligi possunt quatuor cardinales virtutes, seu quatuor Evangeliorum doctrinæ ; consideratio quoque quatuor novissimorum ; contemplatio item mysteriorum Domini Salvatoris, videlicet incarnationis, passionis, resurrectionis, et ascensionis ipsius. Baptismus etiam potest dici porta orientalis ; Extrema unctio, porta occidentalis ; sacer Ordo, porta australis ; Pœnitentia, porta aquilonaris. Circa has portas diversi diversimode occupanD tur, aliosque multiformiter instruunt et inducunt ; et superiores habent quamplures sibi subjectos et cooperantes.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : FILII AUTEM ISRAEL SECUNDUM NUMERUM SUUM, PRINCIPES FAMILIARUM.

RECOLITUR modo, qualiter prudentissimus David ordinaverit atque distinxerit totum exercitum suum per cuneos particulares, eorumque principes ; tamen omnibus illis præfuit unus totius militiæ princeps. Et istud fuit a principio regni David, quando adhuc regnavit in Hebron super tribum Juda et eos qui confugerunt ad ipsum, quia viderunt Dominum esse cum ipso, et noverant ei esse promissum regnum per Samuelem.

II *Reg.* II, 3, 4.

Filii autem Israel secundum numerum suum, id est juxta certam numeri taxam, videlicet quidam eorum, fuerunt *principes familiarum* tribuum : quia in una tribu fuerunt multæ familiæ, secundum quod multi fuerunt filii unius Patriarchæ ; *tribuni, et centuriones, et præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas,* id est simul cum concionibus sibi subjectis, *ingredientes et egredientes per singulos menses in anno.* Erant enim duodecim principes, præsidentes duodecim turmis militum seu pugnatorum ; et in principio cujuslibet mensis intravit unus princeps cum sua cohorte, ut essent cum rege in ejus obsequium, atque in fine mensis exivit, et tunc alius cum suo cuneo introivit, sicque fiebat per totum circulum anni. Erant autem in qualibet turma viginti quatuor millia, ideo subditur, *viginti quatuor millibus singuli præerant,* id est, quilibet illorum duodecim principum. *Primæ turmæ in primo mense præerat Jesboam,* qui fuit unus de tribus fortissimis, et supra vocatus est Jesbaam, *filius Zabdiel, et sub eo viginti quatuor millia, de filiis Phares* filii Judæ natus, de quo et David processit, *princeps cunctorum principum in exercitu mense primo :* ita quod in suo mense non solum præerat suæ turmæ, sed et ceterarum turmarum principibus.

I *Par.* XI, 11.

Deinde exprimuntur in textu principes aliarum turmarum, et qualiter principes illi habuerunt quosdam sub se, quasi vicarios, qui præerant quando principes illi personaliter non adfuerunt. Et planus est textus, nisi quod Asael frater Joab, dicitur præfuisse quartæ turmæ, quum tamen fuerit interfectus ab Abner circa principium regni David. Deinde consequenter hic describitur, qualiter unicuique tribui Israel præfuit unus præfectus ad accipiendum tributum, et ad alia quædam.

II *Reg.* II, 23.

Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, et post se alter nomine Maceloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio erat Banaias filius Joiadæ sacerdotis ; et in divisione sua viginti quatuor millia : ipse est Banaias fortissimus inter triginta et super triginta. Præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus. Quartus, mense quarto, Asael frater Joab, et Zabadias filius ejus post eum ; et in turma ejus viginti quatuor millia. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites ; et in turma ejus viginti quatuor millia. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites ; et in turma ejus viginti quatuor millia. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim; et in turma ejus viginti quatuor millia. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi ; et in turma ejus viginti quatuor millia. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini ; et in turma ejus viginti quatuor millia.

Digitized by Google

Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites, de stirpe Zarahi; et in turma ejus viginti quatuor millia. Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites, de filiis Ephraim; et in turma ejus viginti quatuor millia. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Othoniel; et in turma ejus viginti quatuor millia.

Porro tribubus præerant in Israel: Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri; Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha; Levitis, Hasabias filius Camuel; Aaronitis, Sadoc; Judaitis, Eliu frater David; Issacharitis, Amri filius Michael; Zabulonitis, Jesmaias filius Abdiæ; Nephthalitibus, Jerimoth filius Ozriel; filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu; dimidiæ tribui Manasse, Joel filius Phadaiæ; et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ; Benjamin autem, Jasiel filius Abner; Dan vero, Ezrihel filius Jeroham. Hi principes filiorum Israel. Hæc expositione non indigent.

Noluit autem. Sic scribi debet, et non, Voluit. Itaque, noluit *David numerare eos,* videlicet filios Israel, *a viginti annis et inferius,* id est eos qui nondum venerunt ad virilem ætatem, propter eorum innumerabilitatem : ideo subditur, *quia dixerat Dominus, ut multiplicaret* filios *Israel quasi stellas cœli:* ideo viri et pueri numerari vix potuissent. *Joab filius Sarviæ cœperat numerare* a viginti annis et supra, *nec complevit:* non enim numeravit tribum Levi et Benjamin; *quia super hoc ira irruerat in Israel:* id est, antequam totus populus numeraretur a Joab, Deus misit pestem in populum, propter peccatum superbiæ qua David jusserat totum populum numerari; et nisi Dominus iram suam monstrasset, probabile est quod David fecisset numerari residuos. *Et idcirco numerus eorum qui fuerunt recensiti,* hoc est, numerati seu commemorati per numeralem descriptionem, *non est relatus in fastos* A *regis David,* id est, redactus sive descriptus non est in libris annalibus, in quibus describuntur gesta anni. Unde videtur, quod David cordialiter de sua superbia pœnitens, et Deum sibi reconciliare exoptans, non permisit numerum illum referri in fastis ex humilitate, quia peccavit in numeratione. Quod textus satis innuere videtur : Joab, inquiens, cœperat numerare, nec complevit, quia super hoc ira irruerat in Israel. Quibus verbis adjecit : Et idcirco numerus eorum qui recensiti sunt, etc.

Gen. xv, ...; xxii, 17; xxvi, 4; Deut. i, 10. ... Par. xxi, ...

... Reg. xxiv, ...; I Par. xxi, 14.

B Consequenter exprimuntur in textu custodes et præsides thesaurorum terræ nascentium regis, videlicet qui custodiebant divitias ejus naturales et artificiales, mobiles atque immobiles : quia ex rationabilibus causis licet regibus et principibus thesaurizare, tamen cum moderamine. *Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. His autem thesauris qui erant in urbibus et in vicis et in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ. Operi autem rustico et agricolis qui exercebant terram,* C *præerat Ezri filius Chelub; vinearumque cultoribus, Semeias Romathites; cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. Nam super oliveta et ficeta quæ erant in campestribus, Balanan Gederites; super apothecas autem olei, Joas. Porro armentis quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites; et super boves in vallibus, Saphat filius Adli; super camelos vero, Ubil Ismaelites; et super asinos, Jadias Meronathites; super oves quoque, Jaziz Agareus. Omnes hi principes substantiæ regis* D *David. Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir potens et prudens et litteratus; ipse et Jahiel filius Hachamoni, erant cum filiis regis* David, ad erudiendum eos, vel ad communicandum cum eis in honore. *Achitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Arachites amicus regis. Post Achitophel fuit Joiada filius Banaiæ, et Abiathar. Princeps autem exercitus regis, erat Joab.*

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : CONVOCAVIT IGITUR DAVID OMNES PRINCIPES ISRAEL.

PRÆSENS capitulum refert, qualiter David rex videns se morti propinquum, filium suum sibi in regno successurum sapienter ac ferventer admonuit, et instruxit de universis agendis per ipsum. *Convocavit igitur David omnes principes Israel,* utpote *duces,* hoc est præfectos, *tribuum, et præpositos turmarum,* quorum quilibet præerat viginti quatuor millibus pugnatorum, *qui ministrabant regi; tribunos quoque,* id est millenarios, quorum unusquisque præfuit mille viris pugnantibus, *et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis,* id est eos qui custodiebant opes et facultates regis, *filiosque suos cum eunuchis, et potentes et robustissimos quosque in exercitu, Jerusalem.* Eunuchi dici solent abscisi; non autem licuit Israelitis abscidere se. Quod si dicantur eunuchi isti fuisse gentiles, non fuissent forsitan ad consilium convocati. Hinc per eunuchos intelliguntur hic, viri spirituales devoti. Ideo ait Glossa : Lex prohibet Israelitas abscidi; et alienigenæ non solent ad consilii secreta admitti. Sed dicunt hoc loco eunuchos vocari, qui a sæculi actibus alieni, orationibus et lectioni vacabant, et uxores non causa libidinis, sed suscipiendæ prolis habebant : quos Josephus vocat Essenos. Hinc etiam aliqui scribunt, per eunuchos designari instructores filiorum regis et nutritores, ita ut propter suam castitatem saltem conjugalem et probitatem vocentur eunuchi.

Deut. xxiii, 1.

Quumque surrexisset rex, et stetisset. Ex his et quæ in libro Regum scripta sunt, videtur quod David præ invaletudine ac senio decubuit lecto, quando filium suum Salomonem informavit de his, quæ in isto et sequenti habentur capitulis. Sicque dicendum esset, Et surrexit de lecto et stetit, id est, resedit in eo, vel extra lectulum stetit, ut melius audiretur a multis. Alii dicunt, quod surrexit a loco quo sedit, et stetit super gradum quem fecerat ad loquendum. Assurrexit quoque majoribus convocatis, qui communitatem totam repræsentabant, ad reverentiam communitatis, quemadmodum de beatissimo Petro legitur in Actis : Surgens Petrus in medio fratrum, dixit. Sic abbas assurgit conventui, in quo Christum honorat.

III Reg. i, 1,15; ii, 1, 2.

Act. i, 15.

Ait : Audite me, fratres mei : ecce verbum humilitatis ; *et populus meus :* ecce verbum paterni amoris. *Cogitavi ut ædificarem domum in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Domini Dei nostri ; et ad ædificandum, omnia præparavi.* Jam supra habitum est, Ædificavit David locum, id est domum, arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum : quomodo ergo nunc subditur, *Deus autem dixit mihi, Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et multum sanguinem fuderis ?* Sed ad istud patet responsio ex expositione superiorum. Non enim de quacumque domo intelligitur istud, sed de templo solenni, ut sacrificia fierent. Præterea, operimentum arcæ erat secundum quosdam scabellum pedum Dei residentis super propitiatorium, quod fuit thronus seu sedes super illud sedentis, quod portabatur a Cherubim : idcirco in textu dictum est, Et scabellum pedum Dei nostri, esset in domo illa seu templo. Alii vero imaginantur, quod sedile Dei seu propitiatorium, fuit ipsum arcæ operimentum ; et pavimentum coram arca, fuerit Dei scabellum. Et intelligendum est spiritualiter totum istud, quum Deus altissimus sit prorsus incircumscriptibilis, atque immensæ et superpurissimæ simplicitatis. Sed

I Par. xv, 1.

Ibid. xvii; II Reg. vii.

Digitized by Google

ubi specialiter operatur, ibi specialiter esse, habitare, residereque dicitur. Quum ergo Deus intra Sancta sanctorum responsa dare, et solitus fuerit apparere super oraculum seu propitiatorium, merito dicebatur ibi sedere : qui tamen ad insinuandum suæ majestatis immensitatem, per Isaiam protestatur : Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Loquitur autem Scriptura de Deo more humano, quamvis ipse in propria natura non habeat corporalia lineamenta aut membra humana.

Is. LXVI, 1.

Deus autem dixit mihi : Non ædificabis, etc. Istud supra expositum est. *Sed et elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum. De Juda enim elegit principes; porro de domo Juda, domum patris mei.* Circa hoc quidam scribit, quia in transitu maris Rubri tribus Juda primo secuta est Moysen, formidantibus aliis, ideo meruit regiam dignitatem. Verumtamen potius est tenendum, quod Deus de Juda elegit reges et principes, quia ex tribu illa incarnari decrevit. Propter quod tribum illam multis privilegiis decoravit; et diu ante transitum maris Rubri prædixit per Jacob patriarcham, Non auferetur, inquiens, sceptrum de Juda. *Et de filiis patris mei placuit ei, ut me eligeret regem super cunctum Israel. Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel.* Circa hoc aliqui dicunt, quod Salomon fuit promotus ad regnum, non solum voluntate humana, sed etiam divina, et hanc ordinationem nuntiavit Nathan regi David, ut habetur supra, et secundo libro Regum. Ad hoc dico, quod utique ordinatione et electione divina, Salomon ad regnum promotus sit; Nathan quoque prædixit ipsi David in generali, quod filius suus post ipsum regnaret, non tamen in speciali expressit de Salomone.

I Par. XVII, 4; II Reg. VII, 5. — Gen. XLIX, 10. — I Par. XVII, 11-14; II Reg. VII, 12-16. — Ibidem.

Dixitque mihi : Salomon filius ædificabit domum meam, id est templum, *et altaria mea*, videlicet altare holocausti et altare thymiamatis : quorum primum fuit in atrio, secundum in parte templi exteriori. *Ipsum enim elegi mihi in filium* adoptivum, *et ego ero ei in patrem.* Hoc Deus dixit ad Nathan, et per Nathan ad David, de filio David successuro ei in regno indeterminate, juxta continentiam litteræ. Sed David applicat hoc in particulari ad Salomonem, quia cognovit in spiritu id esse prædictum de ipso; vel præter revelationem factam ipsi David per Nathan, Deus revelatione cœlesti angelica manifestavit hoc ipsum David regi, ut textus iste videtur prætendere. Vel, si Deus per Nathan expressit istud de Salomone in particulari, hoc Scriptura subticuit; nec videtur, quod ita expresserit, quum tertio libro Regum Nathan legatur dixisse ad David : Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, ut scilicet Adonias regnaret, et mihi non indicasti quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? Si autem Nathan jam ante indicasset regi, quod Salomon ex divina ordinatione esset regnaturus, non videtur quod sic locutus fuisset regi, sed magis dixisset : Nonne tibi ex revelatione divina prædixi, quod Salomon succederet tibi in regno? Verumtamen de istis temere nil affirmo. *Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea et judicia, sicut et hodie.*

III Reg. I, 27.

Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Deo meo : qui quamvis sit omnium Deus jure creationis et providentiæ generalis, specialiter tamen Deus est hominum perfectorum, quos ipse gratiosissime dirigit, et a quibus ipse devotissime colitur. Itaque, Audiente, hoc est intuente et cognoscente, seu approbante Deo, vos hortor : *Custodite*, per memoriam et adimpletionem, *et perquirite*, id est, perfecte et diligenter investigate, et intelligere laborate, *cuncta mandata Domini Dei nostri :* qui tunc fuit specialiter Deus Hebræorum, ceteris gentibus ad idololatriam lapsis, ita quod aut non aut vix erat aliqua tota gens

Digitized by Google

verum Deum colens, quamvis inter gentiles tunc fuerint multi in lege naturæ Deum colentes, imo et complacentes, si cum fide Salvatoris futuri fecerunt hoc. Et bene ait,
Jacob. II, 10. Cuncta mandata : quia si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Ut possideatis terram bonam,* hoc est, in possessione terræ hujus uberrimæ maneatis ; *et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum.* Non quod possessio boni terreni, fuerit merces sufficiens et totalis aut principalis actuum virtuosorum, sed inductiva quodammodo, accessoria et annexa, sub qua intelligenda erat merces principalis et plena, videlicet salus æterna.

Tu autem, Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, id est, Deum quem ego colui, agnosce notitia actuali et practica, quæ est notitia formata boni honesti approbativa ; *et servi ei* soli servitute latriæ, *corde perfecto :* rex enim debet esse vir heroicus, in omni virtute perfectus, et totus divinus ; *et animo voluntario,* hoc est prompto, ex caritate fervente, non ex servili timore. *Om-*
Ps. VII, 10. *nia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies :* dummodo quæ-
Deut. IV, 29. ras eum eo modo quo scriptum est : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Ideo ait
Matth. VII, 8; Luc. XI, 10. Salvator : Omnis qui quærit, invenit. Et enim facienti hoc modo quod in se est, divinum auxilium non negatur. *Si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.*
II Reg. VII, 14; I Par. XXII, 10. Sicut ex verbo illo præhabito, Ipse erit mihi in filium, et quibusdam similibus, oritur spes de salvatione Salomonis, ita ex verbis nunc introductis potest timor de opposito generari. Nam diu atque gravissime Deum reliquit. Attamen sancti patres Hieronymus, Ambrosius, multique alii, scribunt eum esse salvatum. Ideo verba hæc sic possunt exponi : Si autem dereliqueris eum per finalem impœnitentiam, projiciet te in æternum, hoc est, æternaliter condemnabit. Vel, Projiciet te in

A æternum, nisi pœniteas. Vel istud fuit verbum comminationis, non assertionis. *Nunc ergo quia elegit te Dominus, ut ædificares domum sanctuarii, confortare et perfice.*

Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum. Ista et cetera quæ ponuntur in littera, pro maxima parte exposita sunt in tertio Regum libro. III Reg. VI, VII. Itaque, per verba et scripta docuit David rex Salomonem, ea quæ per ipsum fieri voluit, scilicet templum et at-
B tinentia ei, quanta et qualia esse deberent. Porro cellaria templi dicuntur, loca facta ad reponendum in eis species et aromata quorum usus fuit in templo, et ex quibus conficiebatur thymiama. *Et cœnaculi.* Erant autem in templo plura cœnacula, id est mansiones, prout tertio Regum libro expositum est. Ibid. VI, 8. *Et cubiculorum in abditis* *, * adytu id est thalamorum, in quibus custodes templi quiescebant seorsum in locis secretis prope murum templi. *Et domus propitiationis :* per quam interior pars templi, videlicet
C Sanctum sanctorum, accipitur, in qua propitiatorium erat, et Dominus populo propitiabatur. *Necnon et omnium quæ cogitaverat,* id est, facere proposuerat ipse David, utpote *atriorum :* quæ tria fuerunt ibidem, scilicet atrium sacerdotum, atrium virorum mundorum, et atrium feminarum; *et exedrarum per circuitum :* quæ erant cameræ in circuitu sitæ, in quibus sacerdotes tempore sui ministerii dormiebant ; *in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum.* Thesauri domus Domini seu
D templi, fuerunt (ut dicitur) vasa sacra et sacerdotalia ornamenta, sive ibidem oblata in usum ministrorum templi. Porro thesauri sanctorum, erant oblata, Deo consecrata, ad reparandum collapsa aut vetera, seu ad faciendum necessaria quæque in templo. *Divisionumque sacerdotalium et Leviticarum,* id est, qualiter sacerdotibus et Levitis in suis ordinibus atque temporibus determinatis servirent in templo, *in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini.*

Digitized by Google

Aurum in pondere per singula vasa ministerii : id est, ad faciendum quæque aurea vasa ac instrumenta, seu utensilia cultus divini dedit certa pondera auri ; vel descripsit filio suo, quantum de auro quodlibet aureum vas haberet : et eodem intelligitur sensu quod subditur. *Argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate.* Dedit equidem pondera argenti multa, ac differentia secundum diversitatem et differentias argenteorum vasorum ex ipsis producendorum, quamvis non dederit totum argentum et aurum, quod in talibus exposuit Salomon. Nec verum est, quod solum dedit Salomoni in scriptis, quantum pondus argenti aut auri ponendum esset in unoquoque vase aureo sive argenteo, quoniam manifeste subjungitur : *Sed et ad candelabra aurea et ad lucernas eorum, aurum* dedit *pro mensura uniuscujusque candelabri et lucernarum. Similiter et in candelabra argentea et in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit. Aurum quoque dedit in mensas propositionis, pro diversitate mensarum :* quatenus aurea mensa, super quam panes duodecim omni sabbato ponebantur, formaretur ex illo. *Similiter et argentum* dedit *in alias mensas argenteas,* super quas thura ac similæ et alia quædam offerenda componebantur. Denique, quam copiosissime præparaverit David filio suo argentum, aurum, æs, ferrum, ligna pretiosa et lapides ad ista, dictum est supra. I Par. XXII.

Ad fuscinulas quoque, hoc est tridentes quibus carnes de caldariis extrahebantur, *et phialas et thuribula* formanda *ex auro purissimo, et leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus* auri *distribuit,* ad producendum ex eo, *in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit,* id est, divisim deputavit. Circa hoc scribit quidam : Non invenitur scriptum, quod in templo Salomonis fuerint leunculi aurei. Unde discordat translatio nostra ab Hebraica. Nam ubi habemus, Leunculos aureos, in Hebræo habetur, Expiatoria aurea : et ratio hujus

A discordantiæ est, quoniam dictio significans expiatorium, et dictio significans leunculum, magnam habent in Hebræo convenientiam litterarum. Secundum Hebræos vero, expiatoria ista sunt bacini aurei, in quibus portabatur sanguis intra Sanctum sanctorum in die expiationis. Similiter ubi habemus, In leones argenteos, in Hebræo habetur, In expiatoria argentea : quæ erant argentei bacini, quibus portabatur sanguis victimarum, effundendus in altari holocaustorum. Hæc Lyra. In cujus verbis vi-B detur translator noster inconsiderationis aut imperitiæ argui, et translatio ejus de errore notari. Ideo dico, sicut et alibi sæpius tetigi, credendum esse, quod a Spiritu Sancto directus sit in transferendo, præsertim propter commune bonum Ecclesiæ non errantis. Et vir ille tam sanctus, et in Hebræo valde peritus, qui et tot translationes ante se habuit, et cum Hebræorum doctissimis assidue contulit, non est credendus tam inconsiderate aut erronee transtulisse.

C Idcirco quod Lyra ait, scriptum non inveniri, quod in templo Salomonis fuerunt leunculi aurei, potest negari, quia hoc loco id scriptum est. Insuper tertio Regum libro ait Scriptura : Sculpturæ inter juncturas, et inter coronulas et plectas, leones et boves, etc. Et rursus ibidem : Et subter leones et boves. Et si ad hoc respondetur, sicut et Lyra respondet, quod leones illi de ære fuerunt, non aurei : dicendum, quod textus ibi non dicit hoc, nec habetur ex textu, sed legitur ibi, quod erant in templo D decem æreæ bases, et quasi lora ex ære dependentia, et ærei axes ; de leonibus vero non exprimitur, quod ærei erant, nec expositores hoc dicunt ibi, imo nec Lyra. Glossa vero hic loquitur : Nec in Exodo, in constructione tabernaculi, neque in libro Regum, in ædificio templi, uspiam leguntur facti leones et leunculi, nisi quod in templo cælatura facta narratur in confectione decem basium, ubi leones et boves, et Cherubim, et palmæ sculptæ narrantur. Hæc Glossa. Potest præterea esse

III Reg. VII, 28, 29. Ibid. 29. Ibid. 27, 29, 30. Exod. XXV, XXVI ; III Reg. VII, 29.

Digitized by Google

quod verba illa Hebraica, æquivoca sint ad leunculos et expiatoria, sicut frequenter contingit in simili.

Altari autem in quo adolebatur incensum, id est pro illo altari fiendo in templo constituto, in quo accendebatur thymiama suave, *dedit aurum purissimum, et ut ex ipso* auro *fieret similitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini.* Ipsa etenim aurea Cherubim instar currus portabant thronum Dei seu propitiatorium, atque suarum extensione alarum arcam velabant, id est, ex latere operiebant eam superius, quoniam arca in medio Cherubim fuit.

Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. Quasi sanctus vir David dicat suo filio Salomoni : Noli, o fili, parvipendere aut negligere ista, quasi humanæ adinventionis novitatem aut opus, quia exemplar horum ostensum mihi est a Deo. Quod dupliciter potest intelligi : Primo, quod Samuel vel Nathan aut Gad, aliusve Propheta ex revelatione divina docuerit regem David de his. Secundo, quod Deus ostenderit ista David per revelationem cœlestem in imaginaria visione, aut alio modo, quemadmodum Moysi ostenderat in monte Sinai tabernaculi formam, eique dixit : Omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. *Exod.* xxv, 40; xxvi, 30; *Hebr.* viii, 5.

Dixit quoque David Salomoni filio suo : Viriliter age, et confortare, et fac. Ne timeas et ne paveas inordinato timore. *Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te, nec derelinquet* te, *donec perficias omne opus ministerii domus Domini,* id est præfata vasa et instrumenta cultus divini in templo. Hoc plane beatus David prædixit prophetico ore, et fuit impletum. Nam usque ad omnium horum consummationem mansit in gratia. Postea autem enormiter et insipientissime cecidit. *Ecce divisiones sacerdotum et Levitarum,* hoc est sacerdotes et Levitæ ordinate multipliciterque divisi, *in omne ministerium domus Domini,* id est ad exsequendum opera divini obsequii, *adsistent tibi* consilio atque auxilio, *et parati sunt, et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.*

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI NONI ET ULTIMI : LOCUTUSQUE EST DAVID REX AD OMNEM ECCLESIAM.

CAPITULUM istud est continuatio historiæ capituli præcedentis : et in duobus istis capitulis multa supplentur de institutione Salomonis in regem, et felici fine David, quæ in fine secundi Regum fuerunt omissa. *Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam,* hoc est totam fidelium Judæorum congregationem secum collectam : sicque ecclesia sumitur hic extense, prout a synagoga non distinguitur, sed eam includit. *Salomonem filium meum elegit Dominus* in regem et templi actorem, *adhuc puerum et tenellum.* Qualiter hoc dupliciter possit intelligi, patet ex dictis super illud supra scriptum : Dixit David : *I Par.* xxii, 5. Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus, etc. *Opus enim,* videlicet templum ædificandum, *grande est* jam in apprehensione, et grande erit in effectu. *Neque enim homini habitatio,* hoc est habitaculum, *præparatur, sed Deo :* ad cujus honorem decuit in veteri Testamento grande et præclarum construi templum, quia tunc exterior honorificentia multum adhuc quærebatur. In novo autem Testamento ornatus interior amplius quæritur. Nempe lex

Digitized by Google

illa Mosaica erat carnalis, figuralis et imperfecta ; evangelica vero lex, spiritualis omnino est, ultimata et perfecta, cui alia vere divina non succedet.

Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Domini Dei mei, id est materias et expensas, ex quibus fient templum et vasa ejus ; *aurum ad vasa aurea, et argentum in argentea, æs in ærea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, et lapides onychinos,* id est gemmas quibus nomen est onyx, quæ habent colorem unguis humani, *et quasi stibinos, et diversorum colorum,* id est gemmas habentes colorem stibii.

Circa quod ait Lyra : Stibium est unguentum quo mulieres facies suas depingunt ; unde quarto Regum habetur, quod Jezabel
IV Reg. IX, 30. depinxit oculos suos stibio. Sed contra hoc scribit Rabbi Paulus : Dictio Hebraica, pro qua habemus hic, Stibium, non significat unguentum, sed pulverem sive collyrium nigrum, quod in oculis ponitur ad decorem et conservationem sanitatis oculorum. Unde de Jezabel non habetur in Hebræo, quod
Ibidem. depinxit oculos suos stibio, sed quod posuit stibium in oculis suis : quod consonat huic litteræ. Nam sicut inveniuntur marmora habentia colorem unguis humani, ita inveniuntur alia habentia colorem nigrum cum nitore, qui dicitur stibii. Hæc Paulus. Verumtamen dictum Lyræ verius reputatur, quia et expositores communiter dicunt sic, et per Jeremiam Dominus loquitur :
Jer. IV, 30. Quum pinxeris stibio oculos tuos, frustra
Job XLII, 14. componeris. Et super illud Job, Vocavit nomen tertiæ (suæ videlicet filiæ) Cornustibii, idem asseritur. Atque in Mammotractu Bibliæ fertur : Stibium est unguentum vel color nomine cerussa, quo meretrices et solutæ mulieres uti solent.

Omnemque pretiosum lapidem, hoc est quosdam de omni genere lapidum pretiosorum, quos potui reperire ; *et marmor Parium.* A Paro insula vocatur Parium marmor, quod varii fertur esse coloris, et in insula illa abundat. *Abundantissime* præparavi : in quo sancti David ingens relucet devotio. *Et super hæc,* præparavi

A ad idem ea *quæ obtuli in domum Domini Dei mei de peculio meo,* id est de speciali et propria substantia, pecunia seu opibus meis, *aurum et argentum : hæc do in templum Dei mei,* id est ad hoc, quod templum Deo ædificetur. Ex hoc apparet, quod præfata donaria obtulerit de aliunde acquisitis, et de his quæ jure belli obtinuit, ex quibus multa Domino consecravit. De quibus exponi potest quod subditur : *exceptis his quæ præparavi in ædem,* id est domum, *sanctam* ædificandam, *tria millia*
B *talenta auri de auro Ophir,* id est loci sic dicti, in quo optimum aurum dicitur inveniri, *et septem millia talentorum argenti probatissimi.* Porro quod subditur, *ad deaurandos parietes templi,* refertur ad prætaxata auri talenta. Siquidem parietes templi aureis erant laminis tecti. *Et ubicumque* III Reg. VI, 35.
opus est aurum de auro, et ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum. Et si quis sponte offert, id est, qui ex devotione et libera voluntate aliquid offert, aut offerre Deo
C proponit : oblatio namque spontanea esse debet, et ex caritate procedere, nec aliter placet Deo ; *impleat manum suam hodie,* id est, ad offerendum liberaliter se disponat, *et offerat quod voluerit Domino.*

Consequenter describitur qualiter majores mox ita egerunt, et quantum dederunt. *Polliciti sunt itaque principes familiarum et proceres tribuum Israel, tribuni quoque et centuriones et principes possessionum regis ; dederuntque in opera domus Domini, auri talenta quinque millia, et solidos*
D *decem millia, argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia, ferri quoque centum millia talentorum. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini :* id est, lapides illos ædificio aptos, vel gemmas obtulerunt, prout devotio suggerebat, ad reponendum inter donaria pro templo construendo oblata : et hoc *per manum Jehiel Gersonitis,* qui fuit de familia Gerson, ex filiis Caath * : qui Jehiel præfuit huic oblationum istarum collectioni, quam- I Par. XXIII, 7, 8; XXVI, 21. * Leedan

Digitized by Google

I Par. xxvi, 20. vis alter fuerit custos thesaurorum domus Domini, juxta præhabita.

Lætatusque est populus, quum vota, id est oblationes votivas et spontaneas, *sponte promitterent,* videlicet ex supererogatione. Nempe in eo quod homo facit libenter et ex animo atque dilectionis fervore, naturaliter delectatur. Idcirco secundum Philosophum, signum virtutis seu habitus virtuosi est, delectatio fiens in opere, id est actioni bonæ annexa. In Ecclesiastico quoque conscriptum est : Gaudium est justo, facere juste. (Cf. Prov. xxi, 15.) Hinc subditur : *quia toto corde,* id est integro cordis affectu, et ex recta ratione, devotaque voluntate, *offerebant,* id est, offerre proponebant, *ea Domino :* et jam forte aliqua cœperunt offerre quæ secum habebant. Ex his quoque elicitur, quod David non præparavit neque exhibuit universa necessaria pro templi et ceterorum ei attinentium facienda structura. Alioqui non fuisset necessaria oblatio ista majorum ac plebis. *Sed et David rex lætatus est gaudio magno,* ex contemplatione divina, ex populi sui devotione, ex filii sui promotione, et ex prosperitate sui propositi de templo ædificando. *Et benedixit Domino* benedictione laudis, id est, laudavit et glorificavit Deum, *coram multitudine universa* ibi adstante. Verumtamen, ut videtur, huic congregationi non interfuerunt Joab atque Abiathar, quoniam istud fuit post primam Salomonis unctionem in regem : (III Reg. i, 39, 49.) qua facta, statim dissolutum est conventiculum Adoniæ, et ex tunc Joab et Abiathar declinaverunt a regis præsentia, ut tertio Regum libro habetur.

Et ait : Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, id est, tu Deus Jacob patriarchæ, qui alio nomine vocatus est Israel, (Gen. xxxii, 28; xxxv, 10.) *ab æterno* a parte ante, *et in æternum* a parte post. *Tua est, Domine, magnificentia,* id est excellentia in agendo, quia eminentissime, potentissime, et sapientissime operaris, *et potestas*,* id est omnipotentia, convenit tibi, *et gloria,* id est lætitia seu fama clara cum laudibus, *atque victoria, et tibi laus. Cuncta enim* A *quæ in cœlo sunt et in terra, tua sunt. Tuum, Domine, regnum ; et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ, et tua est gloria ; tu dominaris omnium. In manu tua virtus et potentia ; in manu tua magnitudo et imperium omnium.* Omnium enim aliorum robur et fortitudo, in tua omnipotentia consistunt et fulciuntur et conservantur, atque dependent ex te, sine cujus manutenentia nec per momentum possent durare. *Nunc igitur, Domine Deus noster, confitemur tibi,* propria mala humiliter recognoscendo, B *et laudamus nomen tuum inclytum,* id est te ipsum supernobilissimum, qui nusquam a propria dignitate degeneras.

* potentia

Quis ego, et quis populus meus, ut possimus tibi hæc universa promittere? quasi dicat : A nobis ipsis nil boni habemus, nec aliquid boni facere possumus. Idcirco subjungitur : *Tua sunt omnia,* jure creationis, conservationis et gubernationis, *et quæ de manu tua,* id est, de tua omnipotentia et munificentia, *accepimus, dedimus,* id est, C obtulimus seu promisimus *tibi. Peregrini enim sumus coram te et advenæ :* id est, in vita præsenti, et in terra habitationis sæculi hujus, constituti sumus sicut in via quadam et in exsilio, atque in loco non mansivo ac stabili, sed transitorio et incerto, ut ad alium locum mansivum, perpetuum, aliamque vitam felicem, cœlestem, æternam tendamus, properemus ac pertingamus ; *sicut omnes patres nostri :* quoniam sancti patres et omnes electi sic usi sunt vita præsenti et habitatione terrena. D Propter quod Jacob disseruit : Dies peregrinationis vitæ meæ super terram, centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt super terram. (Gen. xlvii, 9.) Et Apostolus : Non habemus, inquit, hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. (Hebr. xiii, 14.) Et rursus de antiquis patribus loquens : Defuncti sunt, ait, omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super (Ibid. xi, 13, 14.)

Digitized by Google

terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

Dies nostri quasi umbra super terram, id est, vita instabilis est, transitoria, incerta, caduca, indesinenter festinans ad finem; et quantumlibet longa appareat, tamen respectu futuræ æternitatis, in qua erimus post hanc vitam, est quasi momentum et indivisibile instans. Idcirco Jacobus ait apostolus (*Jacob.* IV, 15.): Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens; deinceps exterminabitur. Et Psalmista (*Ps.* CXLIII, 4.): Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt. Sanctusque Job (*Job* VII, 16.): Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. De hoc in libro Sapientiæ multa leguntur, dicente Scriptura (*Sap.* V, 9.): Transierunt omnia illa tanquam umbra. *Et nulla est mora,* id est fixa stabilitas in hac vita, sed incessabilis cursus ad mortem, juxta illud libri Sapientiæ (*Ibid.* 13.): Nos nati, continuo desivimus esse. Et rursus (*Ibid.* II, 3, 5.): Transiet vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur. Umbræ enim transitus est tempus nostrum. Ideo ait beatus Job (*Job* VII, 6.): Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.

Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. Scio, Deus meus, quod probes corda, id est, per prospera et adversa tentes et examines homines, an vere sint virtuosi et tibi fideles: quemadmodum scriptum est (*Sap.* III, 6.), Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Et hoc agit omnipotens et supersapiens Deus, non ut sibi aliquid innotescat, sed ut homines agnoscant se ipsos, vel aliis in exemplum ponantur, sicut et istum sanctum David multis annis probavit per Saul, et sanctum Job ac Tobiam (*Tob.* II, 12.), ut in illorum patientia, constantia, fidelitate alii ædificentur. *Et simplicitatem diligas,* loquendo de simplicitate columbina, duplicitatem, calliditatem, simulationemque excludente, de qua ait Salvator (*Matth.* X, 16.): Estote simplices sicut columbæ. Cum talibus simplicibus est sermocinatio Dei (*Prov.* III, 32.). Sic namque Job simplex (*Job* I, 1.)

A fuit; et Jacob erat vir simplex, in tabernaculis habitans (*Gen.* XXV, 27.). Quumque similitudo sit causa amoris, non mirum, quod summe simplex Deus amet simplicitatem.

Unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc; et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Ista expositione non indigent, sed exhortatione et imitatione. Hinc et nos in cunctis simus sinceri et simplices, ac recta intentione omnia facientes. Simulatores enim et callidi provocant iram Dei (*Job* XXXVI, 13.). B Et vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis (*Jacob.* I, 8.). Imo, væ duplici corde; væ hypocritis odibilibus prorsus miserrimis (*Eccli.* II, 14.). *Domine Deus Abraham et Isaac et Israel patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem,* id est devotam istam volitionem, *cordis eorum; et semper in venerationem tui, mens ista permaneat. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, et testimonia tua, et cærimonias tuas, et faciat universa; et* C *ædificet ædem, cujus impensas paravi.* A Deo quippe est inchoatio, prosecutio et consummatio omnis meritorii actus.

Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum, et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum cultu latriæ, *et deinde regem* David honoratione duliæ, quæ excellentibus debetur personis. *Immolaveruntque victimas Domino,* scilicet hostias pacificas et sacrificia gratiarum actionis, *et obtule-* D *runt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis,* id est sacrificiis de materiis liquidis, *et universo ritu,* id est cum observantiis cærimonialibus observandis in talibus, *in omnem Israel abundantissime,* quia et pro toto populo Israelitico hæc egerunt. *Et comederunt et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia,* id est devote et cum spirituali jucunditate ad Dei honorem, quemadmodum ad Corinthios monet Apostolus (*I Cor.* X, 31.): Sive manducatis, sive bibitis,

Digitized by Google

sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Et unxerunt secundo Salomonem filium David* in regem. Jam enim III *Reg.* I, 38, 39. semel unctus fuit in Gihon per Sadoc et Nathan : per quos et ista renovatio ac confirmatio prioris unctionis creditur facta. *Unxerunt autem eum Domino in principem,* id est, ad Dei honorem unxerunt Salomonem in regem, *et Sadoc in pontificem.* Abiathar namque jam declinavit a *Ibid.* II, 27, 35. Salomone, et eo a pontificatu ejecto per Salomonem, unctus est Sadoc in præsulem, ut tertio libro Regum describitur.

Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, id est super regalem thronum David patris sui : qui thronus fuit solium Dei, quoniam fuit solium regis fidelis, qui præsidendo ac judicando fuit vicarius Dei et cultor ipsius; *et cunctis placuit,* id est multis de omnibus, et pene universis; non tamen omnibus absolute, saltem in principio, quia non *Ibid.* I, 5, 7. placuit Adoniæ, nec ejus fautoribus, Joab, Abiathar, et consimilibus; *et paruit illi omnis Israel. Sed et universi principes et potentes, et cuncti filii regis David* ibi præsentes, *dederunt manum et subjecti erant Salomoni regi,* id est, concorditer consenserunt promotioni Salomonis. Nar- Hist. lib. III Reg. c. 2. rat autem Magister in historiis, quod David rogavit filios suos, ne ægre ferrent Salomonem filium suum minimum, id est juniorem, eis esse prælatum, quia Deus ita I *Reg.* XVI, 11. mandavit, sicut et ipse minimus inter fratres suos fuit eis præpositus ad regnandum; et tunc filii acquieverunt, atque ut fertur, promiserunt aut juraverunt, quod Salomoni fideliter obedirent. *Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel, et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel.*

Igitur David filius Isai, regnavit super universum Israel. Et dies quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni. In Hebron regnavit septem annis, et in A *Jerusalem annis triginta tribus. Et mortuus est David in senectute bona,* id est virtuosa, et septuagenarius, *plenus dierum,* quoniam senex, et dies suos fructuose expendit, in quibus sibi thesaurizavit virtu- *Matth.* 20. tum divitias et merita copiosa : ideo subditur, *et divitiis et gloria. Et regnavit Salomon filius ejus pro eo.*

Gesta autem David regis priora et novissima, quæ scilicet a principio regni sui usque ad finem peregit, *scripta sunt in libro Samuelis videntis,* id est in libris B Regum primo et secundo a Samuele compositis, prout fertur. Vel duo libri Regum collecti sunt ex volumine Samuelis pro maxima parte, secundum eos qui libros Regum dicunt a Jeremia conscriptos. Nam et Samuel per tempus notabile est defunctus, antequam acciderunt quædam ad secundum librum Regum spectantia. *Et in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Isti libri secundum aliquos non fuerunt conservati in esse, nec reparati per Esdram. Ideo non habentur, nec C apud Catholicos, nec apud Hebræos. Porro Rabbi Paulus ait, quod sicut primus liber Regum adscribitur Samueli, ita secundus et tertius rationabiliter possunt adscribi Nathan prophetæ seu Gad videnti, quia fuerunt prophetæ contemporanei David et Salomoni. Verumtamen constat, quod diu defuncti sint antequam contigerunt plura valde quæ tertio Regum habentur. *Universique regni ejus,* scilicet David gesta, *et fortitudinis, et temporum quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis re-* D *gnis terrarum :* id est, in libris Nathan et Gad descripta sunt principalia ac notabilia opera quæ David egit, tam in proprio regno quam in circumjacentibus regnis, quæ sibi subjecit : forsan etiam præfati Prophetæ gesta aliorum regnorum aliqua inseruerunt. Unde quod ait, In cunctis regnis, per synecdochen et per hyperbolen est intelligendum.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI PRIMI PARALIPOMENON

Digitized by Google

ENARRATIO
IN SECUNDUM LIBRUM
PARALIPOMENON

Digitized by Google

PRÆFATIUNCULA

COMPLETO in primo libro tractatu de primo et præelecto Israel rege David, nunc in secundo isto volumine tractatur de posteris ejus, qui ei successerunt in regno : et primo de Salomone, sub quo populus Israeliticus fuit in maxima prosperitate.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN SECUNDUM LIBRUM
PARALIPOMENON

IN QUO SALOMONIS, RELIQUORUMQUE POST EUM REGUM JUDA ET ISRAEL GESTA, IN LIBRIS REGUM PRÆTERMISSA, EXPLICANTUR.

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : CONFORTATUS EST ERGO SALOMON.

CONFORTATUS est ergo Salomon filius David in regno suo. Confortatus fuit in regno, quia legitime institutus, et a Deo ad regnandum electus, atque a toto populo concorditer acceptatus, nec quisquam se ei opposuit. *Et Dominus erat cum eo,* per gratiam et virtutes, *et magnificavit eum in excelsum,* id est valde sublimiter. *Præcepitque Salomon universo Israeli,* id est majoribus totius populi sui, in quibus tota communitas virtualiter continetur. Unde quasi expositorie subditur : *tribunis et centurionibus et ducibus et judicibus omnis Israel, et principibus familiarum.* Distinctio autem horum officiatorum ab
I Par. xxvii. invicem, in expositione libri primi inducta est. *Et abiit cum universa multitudine* horum majorum et eis associatorum, *in excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses famu-*
Exod. xxxvi, 1. *lus Domini in solitudine* per manus Beseleel. Qualiter excelsum hoc Gabaon dupli-
I Par. xvi. citer possit exponi, in elucidatione primi libri expressum est. In eodemque libro expositum est quod hic sequitur. *Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum quem præparaverat ei, ubi* I Par. xiii. *fixerat illi tabernaculum, hoc est in Jerusalem. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat,* videlicet in excelso Gabaon, *coram tabernaculo Domini,* id est ante in atrio ejus; *quod et requisivit,* id est, accessit ac visitavit, *Salomon et omnis ecclesia,* id est tota fidelium Judæorum congregatio secum exsistens. *Ascenditque Salomon ad altare æneum coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias,* id est super altare illud holocaustorum, per manus sacerdotum : quod æneum erat, ut ignis calorem sacrificia incendentem posset sine læsione sufferre. Itaque propter sanctitatem et dignitatem tabernaculi et altaris illius obtulit ibi.

Circa hæc ait Glossa : Gabaon olim fuit metropolis Hevæorum, ceciditque in sortem Benjamin, et fuit separata Levitis. Mirum est ergo quod Josephus dicit Salo-

Digitized by Google

monem venisse in Hebron, ut sacrificaret A in altari æneo, quod fecerat Moyses, nisi forte ipsam Hebron excelsum Gabaon intelligi voluit. Hæc Glossa. Auctor vero Hist. lib. III Reg. c. 5. Scholasticæ historiæ : Creditur, inquit, Gabaon non esse proprium nomen loci seu oppidi, sed appellativum, et interpretatur, collis excelsus. Josephus enim dicit, eum ascendisse in Hebron.

Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens : Postula quod vis, ut dem tibi. Dixitque Salomon Deo : Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam, B *et constituisti me in regem pro eo.* Istud III *Reg.* III, 5 *et seq.* pene totum in tertio Regum libro fuit expositum. *Nunc ergo, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David* II *Reg.* VII, 13; I *Par.* XVII, 12. *patri meo :* cui promisisti quod firmabis thronum ejus super Israel in æternum. Sed quum Deus sit verus infallibilisque promissor, quid necesse fuit orare, ut ejus promissio impleretur? Et respondendum, quod Salomon scivit illam promissionem fuisse conditionatam, aut conditionaliter intelligendam, utpote nisi posteri David C regis peccando ponerent obicem adimpletioni promissionis divinæ. Ideo Salomon petiit gratiam præservationis pro se et posteris ab hujusmodi obice. *Tu enim fecisti me regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est quam pulvis terræ.* Hoc per modum hyperbolicæ locutionis est accipiendum, ad insinuandum valde copiosam plebis illius pluralitatem. III *Reg.* III, 8. *Ps.* CVI, 26. Unde tertio libro Regum dicitur, Populi infiniti. Sicque in Psalmo cantatur : Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt D usque ad abyssos.

Da mihi sapientiam et intelligentiam. Per sapientiam potest intelligi clara notitia legis divinæ, et præceptorum ejus judicialium ac jurium divinorum ; per intelligentiam vero, prudentia seu discretio in rebus actibusque humanis, seu positivarum cognitio legum ac jurium humanorum. Imo Salomon petiit sibi dari prudentiam politicam, œconomicam, et ethicam, ad judicandum ac discernendum in omnibus juste ac vere. *Ut ingrediar et egrediar coram populo tuo.* Aliqui dicunt, quod egressus iste intelligendus est pro exitu ad prælia pro populi defensione ; ingressus vero, ad præscindendum plebis litigia. Potius tamen intelligendum videtur hoc verbum in generali, pro omni exemplari et efficaci processu et directione coram populo sibi commisso, ut sit sensus : Ut ingrediar et egrediar coram populo tuo, id est, digne et efficaciter eos regam intus et extra, in pace et bello, et exemplaris sim eis in cunctis, quia hoc maxime ædificat subditos : et istud omnis qui præsidet, præsertim spiritualis prælatus, petere debet a Domino. *Quis enim potest hunc populum tuum digne (qui tam grandis est) judicare?*

Dixit autem Deus ad Salomonem : Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias et substantiam et gloriam, neque animas eorum qui te oderunt, sed nec dies vitæ plurimos; petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem : sapientia et scientia data sunt tibi. Divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante, nec post te, fuerit similis tui.

Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Jerusalem. His verbis in aliquibus textibus additur, *coram tabernaculo fœderis :* quod difficultatem inducit, quum dictum sit, quod tabernaculum fœderis Domini adhuc fuit in Gabaon. Idcirco hoc loco per tabernaculum fœderis, intelligitur tabernaculum in quod David introduxerat arcam. Hinc tertio Regum scriptum est : Quumque venisset Jerusalem, stetit coram III *Reg.* III, 15. arca fœderis Domini. Sicque exponit Hieronymus. *Et regnavit super Israel. Congregavitque sibi currus et equites; et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum; et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem. Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus, multitudine magna. Adduceban-*

Digitized by Google

tur autem equi de Ægypto et Coa, a negotiatoribus regis : qui ibant et emebant pretio quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta. Similiter de universis regnis Hethæorum, A *et a regibus Syriæ emptio celebrabatur.* Quæ hic dicuntur de excellentia opulentiæ Salomonis, et de fortitudine ac multitudine equitum ejus et equorum ac curruum, habita sunt atque exposita in tertio Regum libro. III *Reg.* x.

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : DECREVIT AUTEM SALOMON ÆDIFICARE DOMUM NOMINI DOMINI.

QUAM fervens atque sollicitus fuerit Salomon statim post obitum patris sui obedire et exsequi patris sui præcepta de templi structura, nunc recitatur. *Decrevit autem Salomon ædificare domum,* id est templum, *nomini Domini, et palatium sibi.* Primo tamen studuit templum construere, præferens Dei honorem propriis commodis. *Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris onera, et octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria*
Reg. v, 16. *millia sexcentos.* Hoc tertio libro Regum expositum est.

Misit quoque Salomon ad Hiram regem Tyri, dicens : Sicut egisti cum patre meo David amicabiliter atque fideliter, *et misisti ei ligna cedrina, ut ædificaret sibi domum in qua et habitavit :* juxta illud
Reg. v, secundi libri Regum, Misit Hiram rex Tyri nuntios ad David et ligna cedrina, etc.; *sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, et consecrem eam ad adolendum incensum coram illo,* id est ad hoc, quod thymiama accendatur in exteriori parte templi super altare incensi in præsentia Dei; *et fumiganda aromata,* id est ad hoc, quod aromatibus ibi inflammatis, vapor dulcis inde consurgat, ut sit suavis odor in templo; *et ad propositionem panum sempiternam,* id est, ut jugiter sint
c. xxiv, ibi super mensam propositionis panes duodecim. Dum enim in sabbato duodecim ve- B teres panes removebantur, qui et a sacerdotibus edebantur, mox alii duodecim panes recentes mensæ imponebantur. *Et ad holocautomata mane et vespere,* id est ad hoc, ut juge sacrificium fiat quotidie, *Num.* xxviii, 3-8.
quo omni mane offerebatur unus agnus in holocaustum, et similiter quolibet vespere; *sabbatis quoque,* id est ad offerenda sacrificia quæ secundum legem offerenda *Ibid.* 9, 10.
sunt singulis sabbatis, *et neomeniis,* id est exordiis mensium, *et solennitatibus* cete- *Ibid.* 11-15.
ris *Domini Dei nostri in sempiternum, quæ* *Ibid.* 16 *et seq.* et xxix
C *mandata sunt Israeli.* per totum.

Domus enim quam ædificare cupio, magna est, id est, magna, pretiosa et præclara erit, et nunc talis est in apprehensione atque proposito. *Magnus enim* Dominus *Deus noster super omnes deos,* quia incomparabiliter et penitus infinite dignior et perfectior est universis. *Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum?* id est, nullus sufficiens est construere templum tantæ eminentiæ, quantæ eminentiæ templo dignus est Deus, et quan- D tæ excellentiæ domum decet ei ædificari per respectum ad suæ majestatis immensitatem. *Si cœlum* empyreum, summum, immobile, maximum, quod est locus, mansio et patria Beatorum, *et cœli cœlorum,* id est superiores orbes cœlestes, ut nona sphæra et firmamentum, quamvis aliqui super ea ponant adhuc unum mobile cœlum, *capere,* id est intra se claudere et ter-

Digitized by Google

minare, *eum nequeunt,* quia incircumscriptibilis est, et ab omni materialitate prorsus immunis, infiniteque distans; *quantus ego sum,* id est, nimis indignus et parvus sum, *ut possim ei ædificare domum,* prætacto modo condignam? Per quæ verba excluditur rudissimus error putantium Deum in sua deitate esse localem, materialem, et corporalia lineamenta habentem. *Sed ad hoc tantum* cupio Deo templum construere, *ut adoleatur incensum coram illo:* sub adoletione incensi, intelligendo et cetera sacrificia et ministeria, quæ fiebant in templo, et causas eorum finales.

Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro et argento, ære et ferro, purpura, coccino et hyacintho, et qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus quos mecum habeo in Juda et in Jerusalem, quos præparavit David pater meus. Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arceuthina. Thyina vel arceuthina, sunt ligna imputribilia et spinosa instar albæ spinæ. *Et pinea de Libano,* id est sumpta

III Reg. v, 8, 10. de arbore pino. Porro tertio Regum non fit mentio, nisi de lignis cedrinis et abiegnis, id est de abiete seu abietibus sumptis. *Scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano. Et erunt servi mei cum servis tuis, ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim quam ædificare cupio, magna est nimis et inclyta.*

Præterea, operariis qui cæsuri sunt ligna servis tuis, dabo in cibaria tritici coros viginti millia. Corus hic sumitur pro mensura. *Et hordei coros totidem.* De hor-

Ibid. 11. deo non fit mentio in præallegato Regum libro. *Olei quoque sata viginti millia.* Satum hic sumitur pro genere quodam mensuræ, quam aliqui vocant batum. Præbuit etiam præfato regi totidem batos vini. Et quamvis dicatur hic, quod Salomon dedit ista operariis Tyri, non tamen eis dumtaxat, nec ipsi hæc omnia consumpserunt, sed pro tota familia regis Hiram dedit hæc Salomon quolibet anno. Unde tertio libro

Ibid. 9. Regum Hiram ait ad Salomonem: Præbebis necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum. Diligere enim, est alicui bonum velle. Præcipuum autem bonum et saluberrimum donum inferiorum, est bonus prælatus et efficax princeps, quemadmodum scriptum est in libro Sapientiæ: Rex sapiens, populi stabilimentum Sap. vi, 2? est. Ex bono namque regimine præsidentis, dependet non parum profectus et salus crediti sibi gregis. *Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum et terram, qui dedit David regi filium sapientem* in divinis, *et eruditum* in Scripturis, *et sensatum atque prudentem,* id est providum et discretum, *ut ædificaret domum Domino et palatium sibi. Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum,* id est bene edoctum et expertissimum, *Hiram fabrum patrem meum.* Secundum Glossam interlinearem, rex Tyri nomine Hiram, nominat virum istum etiam sic vocatum, patrem suum, quia vir iste de terra Israel peregre profectus, docuit ipsum Tyri regem Dei timorem et veritatis notitiam. Vel propter ætatem et artis suæ præclaritatem, nominat eum patrem. Porro Hebræi (ut fertur) sic legunt: Hiram patris mei; quia, ut dicunt, vir iste fuit artifex excellentissimus etiam apud patrem hujus Tyrii regis, cujus patrem dicunt fuisse eodem nomine appellatum, videlicet Hiram. *Filium mulieris* natæ *de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius.*

Sed obviare videtur illud tertii Regum libri: Misit rex Salomon, et tulit Hiram de III Reg. vii, 13, 14. Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio. Ad quod (ut fertur) respondent Hebræi, quod fuit de tribu Dan ex parte matris, et de tribu Nephthali ex parte patris, et quod pater ejus dicitur Tyrius, non natione, sed habitatione. Cui dicto videtur textus non consonare, quum dicitur, Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio. Et si ex utroque parente fuisset Israelita, potius diceretur filius viri Hebræi, quam mulieris Hebrææ,

Digitized by Google

quoniam descriptio genealogiæ magis fit A per nomen patris, quam matris. Denique, si pater ejus habitavit in Tyro, probabile est quod et mater. Ideo videtur magis dicendum, quod mater ejus ex una parte fuit de tribu Dan, ex alia de progenie Nephthali. Nihilo minus Glossa ait : Ostendit Scriptura eum esse de progenie Sa-
Lev. xxiv, 11. lumith de tribu Dan : de qua Salumith in libro legitur Levitico. Patrem vero ejus tradunt fuisse Hebræum de stirpe Ooliab
Exod. xxxv, 34. de tribu Dan, qui cum Beseleel operatus est tabernaculum. Quod autem Tyrium vocat, dicunt ex translatione contigisse.

Qui novit operari in auro et argento, ære et ferro et marmore et lignis, in purpura quoque et hyacintho, id est lana aut laneo panno, *et bysso,* id est candidissimo ac subtilissimo lino, *et coccino,* id est ru-
* scit beo; *et qui sciat* cœlare omnem sculpturam, et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, et cum artificibus domini mei David patris tui. Triticum ergo et hordeum et oleum et vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis.* Ex hoc patet verum esse quod dictum est, quod scilicet Salomon misit regi Tyri etiam vinum. *Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe; tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.*

Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post B *dinumerationem quam dinumeravit David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta tria millia et sexcenti. Fecitque ex eis septuaginta millia qui humeris onera portarent, et octoginta millia qui lapides in montibus cæderent; tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi.* Hæc plana sunt, et in præfato libro Regum sunt tractata. Ubi et spiritua- III Reg. v, 15, 16.
litas hujus requiratur capituli.

ARTICULUS III

EXPLANATIO CAPITULI TERTII : ET COEPIT SALOMON ÆDIFICARE DOMUM DOMINI IN JERUSALEM.

De expositione capituli hujus atque sequentis, in quibus structura templi, pertinentiumque ad illud describitur, multa essent dicenda, nisi tertio Regum in expositione sexti et septimi capitulorum, introducta jam essent : propter quod modo est pertranseundum. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria,* id est visionis, quoniam altus erat, et ab eo undique longe respicie-
Gen. xxii, 2-18. batur : in quo Abraham filium suum Isaac voluit sacrificare, appellavitque montem illum, Dominus videt. Hinc quoque mons ille dictus est, mons Visionis, id est contemplationis, quoniam Abraham Dominum vidit ibi, et Dominus ipsum benigne ibi C intuitus est, ejusque promptum animum approbavit; et obedientiam Abrahæ manifestavit ibidem. *Qui demonstratus fuerat David patri ejus.* Nam ibi vidit angelum II Reg. xxiv, 17, 18; I Par. xxi, 16, 18.
cum evaginato gladio stantem, qui per Gad præcepit regi David construere ibi altare; tuncque cognovit David Deum velle templum ædificari illo in loco, quemadmodum in priori libro patuit. *In loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi,* id est in loco ubi area steterat, et per gyrum. *Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui :* D quia per annos præcedentes præparavit et procuravit materiam et necessaria alia. Porro tertio Regum libro habetur, In anno quarto, mense Ziph, III Reg. vi, 1.

Digitized by Google

ipse est mensis secundus regni Salomonis : quod intelligendum est sic, quod mensis ille fuit mensis secundus quarti anni regni Salomonis.

Et hæc sunt fundamenta quæ jecit, id est exordia templi quæ incepit, *Salomon, ut ædificaret domum Dei : longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta,* id est, longitudo templi fuit sexaginta cubitorum. Sicque jecit et fecit sexaginta cubitos longitudinis templi in prima mensura, id est secundum mensuram et formam sibi a David patre suo præfixam : quia, ut
I Par. xxviii, 19. patuit in primo libro, David monstravit et docuit ac reliquit in scriptis Salomoni exemplar totius templi, et dimensionum ipsius, ac producendorum in ipso. *Latitudinis cubitos viginti.* Fecit, per manus artificum. *Porticum vero ante frontem quæ tendebatur in longum, juxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat.*
III Reg. vi, 2. Tertio Regum libro habetur, Triginta cubitos in altitudine. Respondetur quod altitudo a terra usque ad primum tabulatum fuit
Ibidem. triginta cubitorum, prout istud tertio Regum plenius dictum et concordatum est. *Et deauravit eam intrinsecus auro mundissimo.*

Domum quoque majorem texit tabulis abiegnis. Tertio Regum libro sic legitur,
Ibid. 10, 9. Operuit domum lignis cedrinis; item, Texit domum laquearibus cedrinis : quomodo ergo hic dicitur, Tabulis abiegnis ? Ad quod respondere quis poterit, quod in eo-
Ibid. 15. dem habetur libro, Texit pavimentum domus tabulis abiegnis, retorquendo verba hujus capituli nunc inducta, ad illam domus majoris seu templi partem, quanquam ad istud plenior habetur responsio ex alibi dictis. *Et laminas auri obrizi affixit per*
Ibid. 21, 22. *totum.* Prætacto Regum fertur libro : Domum ante oraculum operuit auro purissimo ; nihilque erat in templo quod non auro tegeretur. Itaque per aurum obrizum intelligitur aurum purissimum, utpote in sua natura sumptum, non mixtum nec immutatum. Unde secundum Albertum, au-

A rum obrizum dicitur quasi aurum obrude, quasi in sua dispositione relictum, non lævigatum. *Sculpsitque in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes. Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore decore multo. Porro aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, et trabes ejus, et postes, et parietes, et ostia ; et cœlavit Cherubim in parietibus.*

Fecit quoque domum Sancti sanctorum. Hoc est quod libro tertio Regum dictum
B atque expositum est, Fecit interiorem do- III Reg. vi, 16.
mum oraculi in Sanctum sanctorum. Nempe domus Sancti sanctorum, fuit interior et sacratior pars templi, in qua erant arca et secum reposita : sicque domus Sancti sanctorum, fuit ipsum Sanctum sanctorum. *Longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti ; et latitudinem similiter viginti cubitorum. Et laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis. Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent.* Per hos
C enim clavos tabulata laterum seu tabulæ parietum aureis laminis connectebantur. *Cœnacula quoque,* quæ erant quasi solaria templi, in quibus reponebantur ornamenta sacerdotum et ministrorum templi, sacraque vasa et plurima pretiosa in cultu templi requisita, *texit auro.*

Fecit etiam in domo Sancti sanctorum Cherubim duos, qui stabant in interiori templi parte stabiliter : ideo subditur, *opere statuario,* id est, sicut statuæ fieri solent : quæ dicuntur a stando ; *et texit eos*
D *auro. Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, et tangeret parietem domus ; et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub. Similiter Cherub alterius ala quinque habebat cubitos, et tangebat parietem ; et ala ejus altera quinque cubitorum, alam Cherub alterius contingebat. Igitur alæ utriusque Cherubim expansæ erant, et extendebantur per cubitos viginti. Ipsi autem stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem do-*

Digitized by Google

Hist. lib. III Reg. c. 11. *mum.* Hæc Magister in historiis aliique Catholici sic exponunt, quod habebant pedes obliquatos quasi ad ambulandum, et elevatos, sicut videlicet in tripudiis habent homines saltando jubilantes. Cui expositioni objicit quidam, quia, ut asserit, in Hebræo habetur, Stabant super pedes suos. Verumtamen prætacta illa expositio aptior esse censetur, et mysterio amplius congruit. Nam, ut fertur in Glossa, ideo stabant pedibus sic erectis, ad designandum, quia nos a mundi hujus peregrinationis ærumna erectos, ad suum desiderant venire consortium; item ad figurandum omnium supernorum spirituum exuberantissimam jucunditatem. Potest autem esse quod sermo Hebræus utrumque designet; sed Hieronymus in veriorem transtulit sensum, cui et aliæ translationes concordant.

Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco et bysso, id est ex materiis horum quatuor colorum subtilibus et intextis; *et intexuit ei Cherubim.* Istud in tertio Regum libro omittitur, sicut et ibi dicitur, quod hic non habetur, videlicet III Reg. vi, 31. de ostiolis ligni olivarum. Fuitque velum istud decoris gratia factum, ut inter parietes deauratos holosericum hoc fulgeret, secundum Glossam : quod pependit ad parietem, qui inter Sanctum et inter Sanctum Matth. xxvii, 51; Marc. xv, 38; Luc. xxiii, 45. sanctorum medius stetit; quod velum et tempore passionis dominicæ legitur scissum, vel simile illi.

A *Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis; porro capita earum quinque cubitorum. Necnon et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum.* Quidam per oraculum intelligunt hic porticum seu atrium templi, in quo atrio seu porticu erant columnæ : sicque per catenulas istas accipiunt opus illud reticulatum et concatenatum, capitibus columnarum illarum appositum. Sed quoniam oraculum non consuevit accipi in B Scripturis, nisi pro propitiatorio, ex quo procedebant divina responsa, vel pro Sancto sanctorum, in quo propitiatorium fuit contentum; ideo alii per catenulas in oraculo intelligunt opus reticulatum prætactum, simile figuris quæ in parietibus Sancti sanctorum erant cælatæ instar concatenati et plectilis operis. Verumtamen istud videtur alienum a textu, in quo evidenter habetur, Catenulas in oraculo, et non, Catenulas oraculi. Porro oraculum uno modo est idem quod oratorium, id est locus orationis. C Atrium autem seu porticus, fuit locus orationis pro vulgo, et ita nunc sumitur. *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dextris, et alteram a sinistris. Eam quæ a dextris erat, vocavit Jachin; et quæ ad lævam, vocavit Booz.* Ista patent ex libro tertio III Reg. vii, 20, 21. Regum.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTI : FECIT QUOQUE ALTARE ÆNEUM.

NUNC agitur de instrumentis et vasis ac utensilibus divini cultus in templo. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.* In Exodo legitur Dominus Moysi præce- D pisse : Facies altare de lignis setim, quod Exod. xxvii, 1. habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum seu quadrangulare, et tres in altitudine. Itaque altare istud factum a Salomone per Hiram, in hoc convenit cum altari illo Mosaico,

Digitized by Google

quod utrumque fuit quadratum, seu æqualis quantitatis in longitudine ac latitudine. Sed differunt in multis : quoniam istud fuit multo majus quam illud. Istud quoque intus plenum seu solidum, quia mansurum erat in uno loco; illud vero concavum, quia portatile. Illud etiam fuit intus de lignis; istud ex lapidibus impolitis, juxta legis præceptum in Exodo scriptum. Porro utrumque fuit æneis laminis tectum, propter ignis sacrificia incendentis calorem. Erat item sub altari hoc æneo Salomonis fovea magna, in quam decidebant cineres per foramen in medio altaris formatum; et sanguis qui in altaris crepidinem fundebatur, decurrebat in eam. Interdum vero mundabatur fovea per fenestram, quæ erat ad orientem, ut Josephus dixit. Atque ut in Scholastica fertur historia, Altare factum a Moyse, propter reverentiam sui in aliqua atrii parte est reservatum : quod aliqui tradunt ibi mansisse usque ad eversionem factam per Romanos, imo etiam postea, quum gentiles in Jerusalem habitantes fecerunt ex eo horologium sibi.

Exod. xx, 25; *Deut.* xxvii, 5, 6.

Hist. lib. III Reg. c. 18.

Mare quoque æneum fusile, id est lavatorium, de quo tertio libro Regum dictum est; *decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum. Quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus. Similitudo quoque boum erat subter illud. Et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus labium maris circumibant. Boves autem erant fusiles. Et ipsum mare super duodecim boves impositum erat : quorum tres respiciebant ad aquilonem, et alii tres ad occidentem; porro tres alii meridiem, et tres qui reliqui erant, orientem, habentes mare superpositum. Posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari. Porro vastitas,* id est grossitudo seu spissitudo *ejus, habebat mensuram palmi.* Hoc est quod tertio libro Regum dicitur : Grossitudo luteris, trium unciarum erat. *Et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii; capiebatque tria millia metretas.*

III *Reg.* vii, 23-26.

Ibid. 26.

A *Fecit quoque conchas decem, et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris.* Hoc est quod præallegato Regum libro legitur, Fecit quoque decem luteres æreos. Et dicuntur conchæ a concavitate, quoniam luteres concavi erant : in quibus abluebantur pedes et intestina animalium immolaticiorum. Hinc subditur : *ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant,* aut etiam in sacrificia alia; sed holocaustum tanquam dignior hostia, specialiter exprimitur. *Porro sacerdotes in mari lavabantur.*

III *Reg.* vii 38.

B *Fecit autem et candelabra aurea decem,* quæ stabant in exteriori parte templi, quæ dicitur Sanctum vel Sancta. De istis candelabris dictum est prætacto libro Regum. *Secundum speciem quam jusserat* fieri,* id est ad similitudinem candelabri facti a Moyse, juxta exemplar ei monstratum ac jussum in monte. Attamen candelabra ista erant majoris quantitatis, quam illud Mosaicum, quamvis fuerint ejusdem formæ aut schematis. Porro de materia, forma, C ornatu candelabri Moysis, scriptum est in Exodo : quæ longum est allegare, et difficilius intelligere sine elucidatione. *Et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris. Necnon et mensas decem* aureas fecit; *et posuit eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris.* Moyses autem unam fecerat auream mensam : quæ collocata est in exteriori templi parte, in medio harum decem mensarum. *Phialas quoque aureas centum. Fecit et atrium sacerdotum.* De multiplici D atrio templi, dictum est tertio libro Regum. *Et basilicam grandem,* id est ædem notabilem seu aulam : in qua secundum Glossam populus convenit ad orandum, atque ad audiendum verbum Dei; et erat extra atrium sacerdotum, secundum Glossam. De præfato autem sacerdotum atrio legitur tertio libro Regum : Ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri. *Et ostia in basilica, quæ texit ære. Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad*

Ibid. 49.

* *quæ jussa erant*

Exod. xxv 40; *Hebr.* viii, 5.

Exod. xxv, 31-40; xxxvii, 17-24.

Ibid. xxvi 35; xxxvii 10, 11.

III *Reg.* vi 36.

Ibidem.

Digitized by Google

meridiem. Fecit autem Hiram lebetes et A *creagras,* id est caldarias, atque fuscinulas seu tridentes, *et phialas,* id est scyphos.

Omnium demum in isto capitulo sequentium expositio, evidenter habetur ac posita est in tertio Regum libro capitulo septimo, et aliqua inde habentur ejusdem libri capitulo sexto. Dicitur tamen hic : *Et complevit omne opus regis in domo Dei : id est columnas duas, et epistylia et capita, et quasi quædam retiacula quæ capita tegerent super epistylia. Malogranata quoque quadringenta, et retiacula duo, ita ut* B *bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia et capita columnarum. Bases etiam fecit, et conchas quas superposuit basibus. Mare unum, boves quoque duodecim sub mari, et lebetes, et creagras, et phialas.*

Omnia vasa cultus divini *fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo.* In quibus verbis Hiram vocatur pater Salomonis, quoniam Salomon eum quasi patrem venerabatur, propter ipsius excellentissimam artem, et diligen- C tissimum devotumque usum artis ipsius; vel ratione sollicitudinis, quam Hiram gessit pro Salomone ad explendum magnifice omne opus ipsius; et item ratione paternæ dilectionis suæ ad Salomonem. *In regione Jordanis, fudit ea rex in argillosa terra inter Socoth et Saredatha. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis. Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum, ex auro purissimo, et florentia quadam et lucernas et forcipes aureos. Omnia de auro mundissimo facta sunt. Thymiateria quoque et thuribula, et phialas, et mortariola ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est in Sancta sanctorum, et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus quod fecit Salomon in domo Domini.*

Postremo, in templo Salomonis merito aucta sunt quantitate, qualitate, et numero instrumenta et vasa cultus divini, ita quod in eo fuit tam grande altare sacrificiorum, totque candelabra, et tot mensæ, atque tam innumerabilia vasa amplius quam in tabernaculo Moysis : quoniam numerus sacerdotum ministrorumque, et templi cultus divinus, erant jam tempore David, et maxime Salomonis, plurimum aucti et multiplicati.

Spiritualis quoque omnium horum intelligentia, tertio Regum libro est expressa. *III Reg.* VI, VII. Dicunt quoque expositores, quod templum Salomonis cum attinentiis suis et vasis atque altaribus, potissime factum est ad similitudinem tabernaculi Moysis, præsertim quantum ad situm et formam ac divisionem templi in duas partes, et alia multa. Nam et templum Salomonis situm erat ad occidentem. Et istud clarius innotescet, si quis diligenter advertat ea quæ in Exodo de tabernaculo Moysis et pertinentibus ad ipsum, conscripta sunt. *Exod.* XXV, XXVI, XXXVII. Unde et spiritualis sensus istorum in multis coincidit, prout tertio libro Regum est inductum.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : INTULIT IGITUR SALOMON OMNIA QUÆ VOVERAT DAVID PATER EJUS.

DESCRIPTA templi constructione, recitatur dedicatio ejus, et primo refertur qualiter in illud sit arca Domini introdu- D cta; et pene nihil habetur in isto capitulo, quod non tertii Regum octavo conscriptum sit atque expositum. *Intulit igitur Salo-*

Digitized by Google

mon omnia quæ voverat David pater ejus, A *argentum et aurum, et universa vasa posuit in thesauris domus Domini. Post quæ,* hoc est, completis quæ in præcedentibus
II Par. III, IV. duobus describuntur capitulis, *congregavit* Salomon omnes *majores natu Israel, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Jerusalem,* ut cum majori reverentia et generali devotione templum dedicaretur, et arca transferretur in illud, *ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David quæ est Sion,* id est, tollerent eam de tabernaculo B
II Reg. VI, 17. quod David ei tetenderat juxta suum palatium. *Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solenni mensis septimi.*

Quumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ arcam : quia hoc ad eorum spectabat officium ; *et intulerunt eam* usque in atrium templi ; non autem in Sanctum, aut in Sancta sanctorum, quo ingredi eis non licuit, sed illuc intulerunt eam sacerdotes involutam ; *et omnem paraturam,* id est apparatum, *tabernaculi.* Hoc est quod tertio libro Regum C
III Reg. VIII, 4. asseritur : Portaverunt arcam Domini et tabernaculum fœderis, quod per Moysen jusserat Dominus fieri, et omnia vasa sanctuarii. Nam ea quæ Moyses fecit, tunc in templum Salomonis illata sunt. Unde subjungitur : *Porro vasa sanctuarii quæ erant in tabernaculo, portaverunt sacerdotes cum Levitis.* Tunc quippe tabernaculum Moysis fuit cum vasis suis repositum in thesauris domus Domini, et in templum Salomonis perducta sunt.

Rex autem Salomon et universus cœtus D *Israel, et omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes et boves absque ullo numero : tanta enim erat multitudo victimarum. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est ad oraculum templi, in Sancta sanctorum, subter alas Cherubim : ita ut Cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. Vectium autem quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto.*

Egressis autem sacerdotibus de sanctuario, hoc est de templo, de quo exierunt quum arcam in suo loco constituerunt ; *omnes enim sacerdotes qui ibi inveniri potuerant, sanctificati sunt,* id est purgati et aptati ad sua obsequia in dedicatione templi agenda. Sanctificati sunt autem per orationes, jejunia, continentiam, vestium lotionem aut consimilia. *Nec adhuc in illo tempore vices et ministeriorum ordo inter eos divisus erat.* In primo libro est descri- I Par. XXV.
ptum, qualiter David sacerdotes, Levitas et cantores distinxit, atque in suis fecit servire obsequiis ; sed nondum fuit hic ordo divisus per exsecutionem in templo. Nondum quoque divisus fuit tam plene, ut consequenter. Vel ideo dicitur istud, quia in templi dedicatione omnes pariter, non successive, deservierunt : ita quod pro tunc ordo successionis in serviendo non servabatur, sed propter inæstimabilem multitudinem hostiarum, omnes occupati fuerunt, quia per manus eorum omnia illa offerebantur jumenta, et Levitæ sacerdotibus ministrabant. Omnes quoque in psallendo et personando fuerunt concorditer ac pariter occupati, sicut subjungitur. *Tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Heman, et qui sub Idithun:* isti enim erant tres principales cantores ceteris præsidentes, sicut in primo libro Ibid. 1-6.
expositum est ; *filii et fratres eorum vestiti byssinis,* id est albis et lineis vestibus, *cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis,* non bellicis, sed festivalibus.

Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime

Digitized by Google

tollentibus : quod intelligendum est, reddendo singula singulis, id est, isto istud agente, et illo taliter concrepante ; *longe sonitus audiebatur.* Nam quidam ipsorum simul ore cantabant, et musicis instrumentis ludebant. Hinc subditur, *ita ut quum* Ps. cv, 1; cxvi, 1, cxxxv. *Dominum laudare cœpissent et dicere, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus : impleretur* A *domus Dei nube, ne* possent sacerdotes stare et ministrare, propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.* * nec Quod fuit certum indicium acceptationis divinæ, qua Deus illorum devotionem et laudes ac sacrificia acceptavit, et gratiosæ præsentiæ suæ, qua et in illorum cordibus habitavit : prout tertio libro Regum diffusius fuit expositum. III Reg. VIII.

ARTICULUS VI

DECLARATIO CAPITULI SEXTI : TUNC SALOMON AIT : DOMINUS POLLICITUS EST UT HABITARET IN CALIGINE.

VIDENS Salomon quam gratiose Omnipotens suum acceptasset obsequium, et sacerdotum ac Levitarum, atque cantorum, totiusque plebis devotionem, processionem, laudes et hostias, exhilaratus in Domino, in verba gratiarum actionis et orationis cum ingenti fervore prorupit. Quidquid autem in isto continetur capitulo, pene totum habitum expositumque consistit III Reg. VIII. tertio Regum libro : idcirco pertranseundum, et pauca ibi non habita, nunc tangentur.

Tunc Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine. Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum. Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta), et ait : Benedictus Dominus Deus Israel, qui, quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens : A die qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo; neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel; sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, et elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israel. Quumque B *fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel, dixit Dominus ad eum : Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti, hujuscemodi habendo voluntatem; sed non tu ædificabis mihi domum. Verumtamen filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat; et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut* C *locutus est Dominus, et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel, et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel.*

Stetit ergo coram altari Domini, id est ante altare holocausti in atrio : non enim introivit in templum ipsum, et ad altare incensi positum ibi, quum non esset sacerdos ; *ex adverso universæ multitudinis Israel,* id est ex opposito populi stantis in atriis deputatis. Verterat enim faciem suam ad populum, juxta illud tertii libri Regum : D Convertit rex faciem suam. *Et extendit manus suas. Siquidem fecerat Salomon* per manus artificum, *basim æneam,* id est arengeriam, *et posuerat eam in medio basilicæ,* id est atrii sacerdotum seu mundorum, ut III Reg. VIII, 14.

Digitized by Google

quidam exponunt : quod et Josephus vocat aulam seu basilicam grandem, et erat contiguum atrio sacerdotum, in quo situm erat altare æneum holocaustorum ; *habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis :* sicque in suis dimensionibus fuit æqualis altari holocausti facto a Moyse, ut in Exodo legitur. *Stetitque super eam, et deinde flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cœlum levatis, ait :*

Exod. xxvii, 1.

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo et in terra : qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo ; qui præstitisti servo tuo David patri meo, quæcumque locutus fueras ei, et quæ ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat. Nunc ergo, Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens : Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ita tamen, si custodierint filii tui vias meas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me. Et nunc, Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.

Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram ? Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi ? Sed ad hoc tantum facta est domus ista seu templum, *ut respicias* per approbationem et exauditionem, *orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus, et exaudias preces, quas fundit famulus tuus coram te ; ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum in quo pollicitus es, ut invocetur** *nomen tuum, et exaudires orationem quam servus tuus orat in eó, et exaudias preces famuli tui et populi tui Israel.* Supra Salomon dixit : Sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo. Itaque sicut ibi per incensi adoletionem, sic hic per orationis exauditionem subintelliguntur alii actus qui exercebantur in templo, propter quos

* invocaretur

II Par. II, 6.

A ibi fiendos fuerat factum. Porro qui ex ferventissimo loquuntur affectu, frequenter abrumpunt verba, ita ut aliquid subintelligere sit necesse, sicut in Canticis asserit Sponsa : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. *Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est de cœlis, et propitiare.*

Cant. 10.

Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista, tu audies de cœlo, et faB cies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulciscaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi), et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati te in loco isto, tu exaudies de cœlo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram, quam dedisti eis et patribus eorum. Si clauso cœlo pluvia non fluxerit propter peccata C *populi tui, et deprecati te fuerint in loco isto, et confessi nomini tuo, et conversi a peccatis suis, quum eos afflixeris, exaudi de cœlo, Domine, et dimitte peccata servis tuis, et populi tui Israel ; et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur, et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, et ærugo, et locusta, et bruchus, et hostes vastatis regionibus portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit ; si quis de populo tuo* D *Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de cœlo,* de sublimi scilicet *habitaculo tuo, et propitiare ; et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum), ut timeant te, et ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.*

Externum quoque qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua,

Digitized by Google

propter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et adoraverit in loco isto, tu exaudies de cœlo, firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta pro quibus invocaverit te ille peregrinus : ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, et timeant te, sicut populus tuus Israel, et cognoscant quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi nomini tuo.

Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos, per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo, ut exaudias de cœlo preces eorum et obsecrationem, et ulciscaris. Si autem peccaverint tibi (neque enim est homo qui non peccet), et iratus fueris eis, et tradideris eos hostibus, et captivos eos duxerint in terram longinquam, vel certe quæ juxta est, et conversi in corde suo, in terra ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes : Peccavimus, inique fecimus, injuste egimus ; et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et urbis quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo : ut exaudias de cœlo, hoc est de firmo habitaculo tuo, preces eorum, et facias judicium, et dimittas populo tuo quamvis peccatori. Tu es enim Deus meus. Aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.

Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, id est, in templo isto dignanter habitare de cetero velis, et illud gratiose ingredere, in quo est sedes tua, videlicet propitiatorium, et quod factum est ut requiescas in ipso, id est, per pietatis tuæ effectus ostendas te invariabilem et incircumscriptibilem Deum ibi adesse ; *tu et arca fortitudinis tuæ,* id est arca fœderis : in qua erant tabulæ testamenti, in (Hebr. IX, 4.) quibus scriptus fuit Decalogus. Quæ dicitur, arca fortitudinis Dei, quia per eam omnipotentiam suam frequenter monstravit per miraculosos effectus, sicut in percussione Ozæ et Bethsamitarum, et in plagatione Philistinorum ; in desiccatione quoque Jordanis, dejectioneque murorum Jerichuntinorum. Per eam etiam benedixit Obededom et aliis multis. (II *Reg.* VI, 7; I *Reg.* VI, 19; V, 9; *Josue* III, 14-16; VI, 11, 20; II *Reg.* VI, 11.)

Sed cur Salomon ista oravit, quum juxta historiæ ordinem, jam facta fuerit dedicatio templi, et Deus suum gratiosum ingressum in templum monstraverit per nubis introitum ? Arca quoque jam fuit ibi in Sancto sanctorum reposita. Respondetur, quod ista oravit, quatenus Deus effectus suos gratiosos conservaret et augeret in templo, et arcam stabiliret ibidem, ne tolleretur sicut jam fuit ablata de Galgala, de Nobe, de Cariathiarim et Gabaon. Unde in exordio sequentis capituli legitur, quod oratione (II *Par.* VII, 1.) ista completa, ignis descendit de cœlo et devoravit holocausta et victimas, et majestas Domini implevit domum, videlicet magis quam ante. Dicunt tamen Hebræi, quod sacerdotibus volentibus templum intrare cum arca, januæ templi se contra eos clauserunt, propter quod Salomon verba ista oravit : sicque referenda esset ista oratio ad præinducta superiora de arcæ inductione ad locum suum. Addunt quoque, quod (*Ibid.* V, 7.) sacerdotes tunc cecinerunt Psalmum centesimum tricesimum primum, scilicet, Memento, Domine, David, quatenus januæ (*Ps.* CXXXI, 1.) aperirentur. Quumque venissent ad illum versiculum, Propter David servum tuum, (*Ibid.* 10.) id est propter merita ejus, non avertas faciem christi tui, id est preces Salomonis uncti in regem, orantis pro januarum apertione, non spernas, sed impleas ; ostia reserabantur.

Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, id est, salubriter conversentur et prosperentur in te, quatenus eorum obsequium tibi complaceat, et populus adjuvetur ac ædificetur per eos. Ideo pro sacerdotibus specialiter exoravit. Nam et in veteri Testamento, cujus sacerdotium fuit carnale, rex sacerdotibus fuit superior,

Digitized by Google

quemadmodum apud gentiles. *Et sancti* A *tui,* id est fideles tibi devoti, specialiter cantores et Levitæ tibi consecrati, *lætentur in bonis,* id est actibus virtuosis, et in donis ac beneficiis tuis, omnia finaliter ordinando ad te, atque in te principaliter Jer. IX, 23, 24; I Cor. I, 31; II Cor. X, 17. gloriando : juxta illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Domine Deus meus, ne avertas faciem christi tui,* id est, meam præsentiam ne repellas, nec preces meas despicias. Hoc Salomon deprecatus est pro se ipso, qui erat christus Dei, id est unctus in regem ex ordinatione divina. Unde de Job Dominus dixit : Faciem ejus suscipiam. Job XLII. In novo autem Testamento unusquisque fidelium unctus est, et christus Dei potest aliquo modo vocari. *Memento misericordiarum David servi tui :* hoc est, sicut valde misericorditer egisti cum David, ita fac mecum ; memorque sis operum pietatis David patris mei quæ fecit, ut si non meis, saltem meritis ejus exaudias me.

ARTICULUS VII

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : QUUMQUE COMPLESSET SALOMON FUNDENS PRECES.

NUNC recitatur qualiter Deus per facta B et verba testatus est Salomoni, se exaudisse preces ipsius. *Quumque complesset* III Reg. VIII, 54. *Salomon* suam orationem totalem, *fundens preces :* quia in ejus totali oratione multa puncta, pro quibus oravit, continebantur ; *ignis descendit de cœlo :* juxta expositio- I Par. XXI, 26. nem præhabitam in primo libro, quia de aereo cœlo descendit angelico famulatu, quum tamen naturale sit igni ascendere ; *et devoravit,* id est, omnino consumpsit intensissimo suo calore, *holocausta,* id est sacrificia ad divinæ majestatis reveren- C tiam immolata ad hoc, quod incenderentur igne qui erat in altari holocaustorum, *et victimas* pacificas, quæ non consueverunt totaliter inflammari, sed una earum pars. Istud fuit certum indicium, quod Dominus acceptavit orationes, cultum et hostias Salomonis ac ministrorum templi et plebis, Gen. IV, 4; Judic. VI, 17-21; XIII, 19-23; Lev. IX, 24. sicut contigerat in sacrificiis Abel et Gedeonis ac Manue, Aaron quoque et filiorum ejus, quando consecrati fuerunt. *Et majestas Domini implevit domum :* id est, nubes præclara, quæ fuit effectus et signum D omnipotentiæ Dei et gratiosæ suæ præsentiæ, ingressa est templum, imo et partim operuit illud, quemadmodum in erectione prima tabernaculi Moysis, juxta illud Exodi : Operuit nubes tabernaculum testimo- Exod. XL, 32, 33. nii, et gloria Domini implevit illud ; nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis. *Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini.* Denique prætacta combustio sacrificiorum ab igne illo cœlesti, intelligenda videtur de sacrificiis positis super altare, non de ceteris omnibus, de quibus paulo post subdetur.

Sed et omnes filii Israel ibi præsentes, *videbant descendentem ignem, et gloriam Domini supra domum,* id est nubem præfatam operientem templum : ita quod pars nubis descendit atque introiit templum, præsertim per januam ejus, quemadmodum sub Moyse factum est, secundum illud Exodi : Ingresso illo tabernaculum fœde- Ibid. XXXIII, 9. ris, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium. Unde constat verum esse quod de opertione templi Salomonis a nube, jam tetigi. *Et corruentes proni in terram,* id est, toto corpore se ad divinæ majestatis reverentiam prosternentes, *super pavimentum stratum lapide,* id est lapidibus complanatum : et hoc fuit pavimentum atrii ubi stabant. Et hoc pavimentum vocatur

Digitized by Google

hic terra : nam lapis quamvis sit mixtum, A tamen terra prædominatur in eo, et in Scripturis terra frequenter pro quocumque mixto terreno accipitur, sicut quum dicitur : Quid superbit terra et cinis ? (Eccli. x, 9.) *Et laudaverunt et adoraverunt Dominum* adoratione latriæ interiori et exteriori, utpote mente et corpore, *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram Domino. Mactavit igitur, id est, per manus sacerdotum occidit, et obtulit, *rex Salomon hostias boum* B *viginti duo millia, arietum centum viginti millia.* Istud tertio Regum libro expositum est. (III Reg. VIII, 63.) *Et dedicavit domum Dei rex et universus populus,* hoc est, per manus pontificis et sacerdotum ei subministrantium consecraverunt templum, et atria ejus atque altaria. Pontifex autem fuit Sadoc. *Sacerdotes autem stabant in officiis suis* distincte et ordinate, sicut a David per familias suas erant distincti ; (I Par. XXIII-XXV.) *et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum, Quo-* C *niam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus :* id est, Levitæ in manibus suis habebant diversa musica instrumenta, cum quorum sonitu simul et ore cantabant cantica spiritualia a David ex inspiratione Spiritus Sancti edita et conscripta, utpote psalmos. Ideo subditur : *hymnos David canentes per manus suas,* per quas ludebant in musicis instrumentis. Ex his verbis videtur argumentum non minimum elici posse, quod omnes psalmi a David compositi sint. *Porro sacerdotes canebant* D *tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini. Obtulerat enim ibi holocausta, et adipes pacificorum : quia altare æneum quod fecerat, non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipes pacificorum.*

Fecit ergo Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti. Hoc tertio libro Regum expositum est usque ad (III Reg. VIII, 65, 66.) id : *Fecitque die octavo collectam :* quod de congregatione pro necessariis templi exponitur, prout in Levitico clarius dictum est; (Lev. XXIII, 36.) et Thomas in prima secundæ ita exponit, aliique communiter. Ideo reprobatio qua Rabbi Paulus Lyram de hac expositione sæpius reprehendit, non prævalet. *Eo quod dedicasset altare septem diebus, et solennitatem celebrasset diebus septem. Igitur in die vicesimo tertio mensis septimi, dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono quod fecerat Dominus David, et Salomoni, et Israel populo suo.*

Complevitque Salomon domum Domini, scilicet templum, *et domum regis,* id est palatium suum regale, *et omnia quæ disposuerat in corde suo ut faceret in domo Domini, et in domo sua :* in quibus fecit varia utensilia, ornamenta, et consimilia. Fecit autem domum suam infra tredecim (III Reg. VII, 1; VI, 38.) annos, et templum in annis septem : et per domum regis, intelliguntur tria regalia ædificia quæ fieri jussit, hoc est palatium suum, et domus quam fecit suæ primæ et (Ibid. VII, 8, 2.) principali uxori filiæ Pharaonis, et domus Saltus, prout ista tertio libro Regum plenius sunt prolata. *Et prosperatus est.*

Apparuit autem ei, scilicet Salomoni, *Dominus nocte, et ait : Audivi orationem tuam.* Tertio Regum narratur, qualiter Do- (Ibid. VI, 11-13.) minus apparuit Salomoni, durante adhuc templi ædificatione, contestans sibi placere illam constructionem. Hic vero describitur, qualiter ei apparuit, atque locutus sit templo jam ædificato. *Et elegi locum istum,* videlicet montem Moria, seu templum in eo constructum, *mihi in domum sacrificii :* quia oblationes fiebant in atrio; orationes quoque et laudes Dei, quæ sunt spiritualia sacrificia, agebantur in templo. *Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum ; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisie-*

Digitized by Google

rit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.

Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, hoc est, jugiter per omne tempus veteris Testamenti habitem, invocer, et colar ibidem ; *et permaneant oculi mei,* id est, pietatis meæ respectus operetur, *et cor meum,* hoc est, intellectus seu sapientia mea clementer agat atque exaudiat, *ibi cunctis diebus,* nisi per vestra peccata ponatur obstaculum : sic enim sub conditione intelligendæ erant promissiones hujusmodi. Illa quoque conditio interdum implicite innuebatur, quandoque explicite promebatur, quemadmodum in verbis sequentibus. *Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, et justitias meas judiciaque servaveris; suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur de stirpe tua vir, qui non sit* princeps in Israel.* * qui nt

Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos : evellam vos de terra mea, quam dedi vobis ; et domum hanc quam ædificasti nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes : Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? Respondebuntque : Quia reliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt ; idcirco venerunt super eos universa hæc mala. Totus hic passus tertio Regum libro expositus est. III Reg. ix, 1-9,

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : EXPLETIS AUTEM VIGINTI ANNIS.

PROSPERITAS Salomonis in ædificiis, divitiis, victoriis, familiis, devotio quoque ejus in divinis, et prudentia ejus in utrisque, videlicet in humanis atque divinis, hic recitatur ; et prima pars hujus capituli tertio libro Regum exposita est, paucis demptis. (III Reg. ix, 10 et seq.) *Expletis autem viginti annis postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam, civitates quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare fecit ibi filios Israel.* Tertio libro Regum habetur, quod ipse Salomon dedit regi Hiram viginti oppida in terra Galilææ ; (Ibid. 11.) hic vero insinuatur, quod et ipse Hiram dederit Salomoni aliquas urbes, quas Salomon ædificavit, eas reparando et meliorando sive augendo, in quibus Israelitas fecit morari, ut sic cultus veri Dei dilataretur. Nam et in oppidis quæ contulit Regi Hiram, manserunt filii Israel commorantes, quamvis oppida illa essent sub ditione regis illius gentilis, qui tamen coluit Deum verum. *Abiitque in Emath Soba, et obtinuit eam. Et ædificavit Palmyram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. Exstruxitque Bethoron superiorem et Bethoron inferiorem, civitates muratas, habentes portas et vectes et seras :* de quibus in libro Josue legitur. (Josue xv, 3, 5; xvii, 13, 14; xx, 22.) Porro tertio libro Regum non fit mentio nisi de Bethoron inferiore : (III Reg. ix, 17.) et dicitur una superior alia, vel situ, vel dominatu. *Balaath etiam,*

Digitized by Google

et omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum et urbes equitum. Omnia quæcumque voluit, fecit rex Salomon atque disposuit; ædificavit in Jerusalem, et in Libano, et universa terra potestatis suæ.

Omnem populum qui derelictus fuerat de Hethæis et Amorrhæis et Pherezæis et Hevæis et Jebusæis, qui non erant de stirpe Israel, de filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis. Ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, principes quadrigarum et equitum ejus. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. Unus fuit post regem supremus totius exercitus princeps, videlicet Banaias, qui vices suas interdum commisit filio suo. Sub principe illo communi fue-
Par. xxvii, 6.
runt principes jam præfati, quorum aliqui pluribus, aliqui paucioribus præfuerunt, secundum quod quidam erant tribuni, quidam centuriones, quidam quinquagenarii. Verumtamen tertio Regum asseritur :
III Reg. ix, 23.
Erant autem principes super omnia opera Salomonis, præpositi quingenti quinquaginta. Nec est contradictio in his, quoniam ibi est sermo de principibus, qui statutis operibus, id est operariis, imperabant; hic vero de principibus exercitus.

Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex : Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit, id est Deo quodammodo consecrata, domus David ; *quia ingressa est in eam arca Domini.* Intulit enim eam
II Reg. vi, 17.
David in tabernaculum præparatum infra septa palatii situm, et ibi jugiter ministri, Levitæ et cantores divino cultui erant intenti : propter quod tota domus David fuit exinde quodammodo consecrata.

Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod exstruxerat ante porticum, ut per singulos dies offerretur in eo, juxta præceptum Moysis, in sabbatis, et in calendis, et in festis diebus ter per annum, id est in solennitate Azymorum, et in solennitate Hebdomadarum, et in solennitate Tabernaculorum. Et constituit juxta dispositionem, id est ordinationem ac jussionem, *David patris sui, officia sacerdotum in ministeriis suis ; et Levitas in ordine suo, ut laudarent et ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei ; et janitores in divisionibus suis, per portam et portam. Sic enim præceperat David homo Dei. Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat :* id est, sacerdotes et Levitas, cantores et janitores ordinate distinxit, divisit et suis temporibus fecit servire in templo, nunc istos, nunc illos, juxta quod David supra primo libro a capitulo vicesimo tertio inclusive usque ad capitulum vicesimum septimum exclusive instituisse describitur. I Par. xxiii-xxvi. *Et in custodiis,* id est repositoriis et ædibus *thesaurorum* suorum, *omnes impensas,* id est necessarios sumptus et requisitas materias pro templi ædificatione, *præparatas habuit Salomon ex eo die quo fundavit domum Domini usque in diem quo perfecit eam.* Sicque juxta evangelicam Christi parabolam sapienter se habuit, quoniam volens domum ædificare, prius Luc. xiv, 28. sedens cogitavit et præparavit necessarios sumptus.

Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath, ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom. Misit ergo ei Hiram per manus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir. Tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem. Hoc est quod legitur tertio libro Regum : Classem quo- III Reg. ix, 26-28.
que fecit rex Salomon in Asiongaber, etc. ; quod ibi expositum est. Illuc ergo abiit Salomon navigio, quia servos suos illuc direxit ; non tamen apparet quod personaliter illuc profectus sit, nisi forte ad visitan-

Digitized by Google

dum suum socerum Pharaonem, aut prælii causa, vel ratione solatii. Nempe, ut Josephus protestatur, et in Scholastica fertur A historia, Salomon ultra fines terræ promissionis urbes plurimas occupavit, auxiliante ei Pharaone præfato. Hist. lib. III Reg. c. 25.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI NONI : REGINA QUOQUE SABA, QUUM AUDISSET FAMAM SALOMONIS.

Regina quoque Saba, quum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opibus, et camelis qui portabant aromata et auri plurimum, gemmasque pretiosas. Quumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat; nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. Quæ postquam vidit sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, necnon et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum ejus, et vestimenta eorum, pincernas quoque et vestes eorum, et victimas quas immolabat in domo Domini, non erat præ stupore ultra in ea spiritus. Dixitque ad regem : Verus est sermo quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem, vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam. Vicisti famam virtutibus tuis. Beati viri tui, et beati servi tui hi qui adsistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas. Non fuerunt aromata talia, ut hæc quæ dedit regina Saba regi Salomoni. Sed et servi Hiram B *cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina, et gemmas pretiosissimas : de quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini et in domo regia, citharas quoque et psalteria cantoribus. Nunquam visa sunt in terra Juda ligna talia. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit et postulavit, et multo plura quam attulerat ad eum. Quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis.*

Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta C *sexaginta sex talenta auri, excepta ea summa, quam legati diversarum gentium et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni. Fecit igitur Salomon rex ducentas hastas aureas, de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta. Posuitque ea rex in arma*D *mentario, quod erat consitum nemore. Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes juxta brachiola, sed et alios duodecim leunculos, stantes super sex gradus ex utraque parte. Non fuit tale solium in universis regnis. Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, et vasa domus Saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus*

Digitized by Google

illis pro nihilo reputabatur. Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus; et deferebant inde aurum et argentum et ebur et simias et pavones.

Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus. Et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma et aromata, equos et mulos, per singulos annos. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia. Constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges a flumine Euphrate usque ad terram Philistinorum, id est usque ad terminos Ægypti. Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem, quasi lapidum; et cedrorum tantam multitudinem, velut sycomorum quæ gignuntur in campestribus. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus.

Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis; in visione quoque Addo videntis, contra Jeroboam filium Nabat. Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis; dormivitque cum patribus suis. Et sepelierunt eum in civitate David. Regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

Sententia istius capituli tota continetur atque exposita est tertio libro Regum: nisi quod ibi dicitur, Fecit rex Salomon ducenta scuta de auro puro, et trecentas peltas de auro probato; hic autem habetur, *Fecit rex Salomon ducentas hastas aureas, trecenta quoque scuta aurea.* Itaque quod in (III Reg. x. Ibid. 16, 17.)

A Regum de hastis omittitur, hic suppletur. Similiter, quod ibi de trecentis peltis narratur, hoc loco siletur. Nec contradictio est in eo, quod ibi ducenta, hic vero trecenta scuta aurea exprimuntur: quoniam numerus major minorem includit, nec minor absolute positus, numerum excludit majorem. Hoc quoque sciendum, quod nec hastæ, nec scuta, nec peltæ erant in toto ex auro, sed intus erant de materia alia, et foris aureis laminis pretiosis et grossis operta: propter quod non solum deaurata, sed B et aurea nuncupantur. Et hoc ex textu isto ostenditur, quo habetur: *Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta.* Similiter de hastis hic fertur: *Fecit ducentas hastas aureas, de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur.* Nec enim ex aureis illis tota materia hastæ constabat.

Reliqua vero *operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis,* qui fuit de loco seu oppido Silo; *in* (III Reg. xiv, 2.) C *visione quoque Addo videntis,* id est prophetæ, qui vaticinatus est *contra Jeroboam,* qualiter ipse et sua posteritas perirent propter scelera sua. Præallegati autem libri non supersunt apud Hebræos, nec apud Catholicos. Nec verum est quod Rabbi Paulus ait, per librum Nathan probabiliter posse intelligi secundum et tertium libros Regum, ut in expositione primi libri ostensum est: præsertim quoniam tertio libro Regum legitur, Reliquum autem verborum (Ibid. xi, 41.) Salomonis et omnia quæ fecit, et sapientia D ejus, scripta sunt in libro Verborum Salomonis. Si autem Nathan librum illum Regum tertium edidisset, non diceretur hoc loco, quod universa opera ejus reliqua scripta sint in verbis Nathan, quum et Nathan, secundum istam opinionem, dicat ea scripta in libro Verborum Salomonis.

Digitized by Google

ARTICULUS X

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : PROFECTUS EST AUTEM ROBOAM IN SICHEM.

PRÆSENS capitulum recitat, qualiter Salomone defuncto, facta sit Israelitici regni divisio, eo quod filius ejus Roboam insipienter et dure locutus sit populo. *Profectus est autem Roboam in Sichem : illuc enim cunctus Israel convenerat, ut constituerent eum regem. Quod quum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est. Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : Pater tuus durissimo jugo nos pressit ; tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi. Qui ait : Post tres dies revertimini ad me.*

Quumque abiisset populus, iniit consilium cum senibus qui steterant coram patre ejus Salomone, dum adhuc viveret, dicens : Quod datis consilium, ut respondeam populo? Qui dixerunt ei : Si placueris populo huic, et lenieris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. At ille reliquit consilium senum, et cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius. Dixitque ad eos : Quid vobis videtur? vel quid respondere debeo populo huic, qui dixit mihi, Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus? At illi responderunt ut juvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt : Sic loqueris populo tuo qui dixit tibi, Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva ; et sic respondebis ei : Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. Pater meus imposuit vobis grave D A *jugum, et ego majus pondus apponam. Pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.*

Venit ergo Jeroboam et universus populus ad Roboam die tertio, sicut præceperat. Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum ; locutusque est juxta juvenum voluntatem : Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam. Pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus. Et non acquievit populi precibus. Erat enim voluntatis Dei, B *ut compleretur sermo ejus, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis, ad Jeroboam filium Nabat. Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum : Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua, Israel. Tu autem pasce domum tuam, David. Et abiit Israel in tabernacula sua.*

Super filios autem Israel qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat C *tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Jerusalem. Recessitque Israel a domo David, usque in diem hanc. Factum est autem quum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum, congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israel ; nec secutus est quispiam domum David, præter tribum Juda solam.*

Tota hujus capituli historia libro tertio Regum jam semel est exposita. III Reg. 12.

Digitized by Google

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : VENIT AUTEM ROBOAM IN JERUSALEM.

ENARRATUR consequenter in isto capitulo, qualiter Roboam congregavit exercitum ad debellandum adversarium suum Jeroboam, atque ad subjiciendum sibi decem tribus quæ ab ejus obedientia recesserunt. *Venit autem Roboam in Jerusalem, et convocavit universam domum Juda et Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens : Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israel, qui est in Juda et Benjamin : Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros. Revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui quum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam.* Hoc totum tertio libro Regum expositum est.

II *Reg.* xii, 1-24.

Habitavit autem Roboam in Jerusalem, tanquam in metropoli sui regni, *et ædificavit civitates muratas in Juda,* id est in sorte et funiculo tribus Juda, seu in terra sui imperii, in quo et terra Benjamin continebatur. *Exstruxitque Bethlehem et Etam et Thecue, Bethsur quoque, et Socho, et Odollam, necnon et Geth, et Maresa, et Ziph, sed et Aduram, et Lachis, et Azeca, Saraa quoque, et Aialon, et Hebron, quæ erant in Juda et Benjamin, civitates munitissimas. Quumque clausisset eas muris, posuit in eis principes* ad defendendum, *ciborumque horrea, hoc est olei et vini.* Vinum inter pocula, et oleum inter cibariorum condimenta communiter computantur : idcirco hoc loco per ciborum

A horrea, videntur quæcumque repositoria alimentorum intelligenda. *Sed et in singulis urbibus fecit armamentaria,* id est domus ad reponendum arma in eis, *scutorum et hastarum ; firmavitque eas summa diligentia. Et imperavit super Judam et Benjamin.* Infra habetur, quod Roboam erat rudis et corde pavido ; nunc autem commendatur de providentia et fortitudine : sed ista bona ex instigatione seniorum ac sapientum suorum fecisse credendus est. Salomon quoque pater ejus dimisit ei quasi infinitas divitias et copiosam familiam : ideo tot urbes infra breve tempus potuit ædificare aut reparare.

II *Par.* xiii, 7.

B

Sacerdotes autem et Levitæ qui erant in universo Israel, id est in terra et regno decem tribuum : quæ sibi nomen Israel retinuerunt, eo quod multo plures essent quam reliquæ tribus ; *venerunt ad eum de cunctis sedibus,* id est mansionibus et urbibus *suis, relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem : eo quod abjecisset eos Jeroboam*

C *et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.* Fecerat enim sibi vitulos aureos ad colendum, et ritum sacrificiorum legis abjecit. *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum,* id est locorum sublimium, in quibus idola coluit, seu fanorum, lucorum aut idolorum in montibus et collibus positorum : in quibus idolis non Deus, sed dæmones colebantur ; ideo subditur, *et dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat.* Ex quibus constat, quod filii Israel vitulos aureos adorantes nequeunt excusari, quasi

D in illis verum Deum coluerint, quamvis Josephus videatur eos velle taliter excusare. Fecit quoque Jeroboam sibi sacerdotes

Digitized by Google

de extremis populorum; et quia Levitæ A noluerunt sibi in sua idololatria consentire aut communicare, ipsos de suo abjecit dominio.

Sed et de cunctis tribubus Israel decem præfatis, *quicumque dederant cor suum*, id est, promptos se exhibuerunt, *ut quærerent Dominum Deum Israel*, id est, Deo placere niterentur et ei uniri, *venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum*, secundum legis præcepta, statutis temporibus
Tob. i, 6. anni : quod et Tobias se fecisse fatetur. B
Et istud fecerunt cum magno periculo, quia contra regis sui iniqui vitiosum præ-
Osee v, 1. ceptum. Imo, ut patet in Osee propheta, impiissimi reges decem tribuum posuerunt quosdam in locis montanis ad observandum an aliqui ex regno illo irent ad immolandum in templo Jerusalem. *Et roboraverunt regnum Juda* : quia tam tribus Benjamin quam tribus Levitica, et quidam ex aliis tribubus, associaverunt se regno tribus Juda et regi ipsius. *Et roborave-*
* confirmaverunt *runt* * *Roboam filium Salomonis per tres* C
annos, quia tamdiu adstiterunt ei secundum legem. *Ambulaverunt enim in viis*, id est operibus bonis ac jussionibus, *David et Salomonis annis tantum tribus*. In his verbis videtur Salomon justus insinuari et pœnituisse.

Duxit autem Roboam uxorem Mahalath filiam Jerimoth filii David; Abihail quoque filiam Eliab filii Isai, quæ peperit ei filios, Jehus et Somoriam et Zoom. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalon, quæ peperit ei Abiam et Ethai et Ziza et Salomith. Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalon super omnes uxores suas et concubinas. Nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta; et genuit viginti octo filios et sexaginta filias. Hic itaque recitatur numerus uxorum et concubinarum ac sobolis ejus : et quia erat tam carnalis, quid mirum, si et idololatriam incidit? Habuit ergo proles octoginta octo, videlicet viginti octo filios, sexagintaque filias. *Constituit vero in capite Abiam* filium suum et *filium Maacha ducem super omnes fratres suos*, id est, ceteris filiis suis etiam senioribus prætulit illum. *Ipsum enim regem facere cogitabat, quia* ceteris *sapientior, et potentior fuit super omnes filios ejus, et in cunctis finibus Juda et Benjamin, et in universis civitatibus muratis*. Ideo ergo commisit ei gubernacula urbium, et procuravit quod sibi successit in regno.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : QUUMQUE ROBORATUM FUISSET REGNUM ROBOAM.

IN isto capitulo consequenter recitatur, D qualiter rex Roboam cum suis ad idololatriam lapsus sit, et propter hoc, Deo disponente, juste punitus sit a rege Ægypti. *Quumque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo*, id est populus ejus pro maxima parte. Nam qua-
Eccli. x, 2. lis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. *Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverunt Domino) cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum. Nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes. Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque in Jerusalem. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam et principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fu-*

Digitized by Google

gientes Sesac, dixitque ad eos : Hæc dicit A *Dominus : Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatique principes Israel et rex, dixerunt : Justus est Dominus.*

Quumque vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. Recessit B *itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini et domus regis, omniaque secum tulit, et clypeos aureos quos fecerat Salomon, pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. Quumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii et tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum.* Quamvis enim Roboam et principes ejus ex verbis Semeiæ prophetæ pœnituerunt, et humiliaverunt se, non ta- C men tam plene, quod plenarie liberari meruerunt a jugo servitutis regis Ægypti : ideo manserunt sub ejus servitute durissima, ut vel sic reprimerentur a suis sceleribus, atque per experientiam scirent distantiam inter servitutem Dei et tyran-
Is. xxviii, 19. norum, et sic vexatio daret eis intellectum. *Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus : siquidem et in Juda inventa sunt opera bona,* id est, aliqui de regno Roboam, manserunt in cultu Dei, quorum meritis adjuti sunt alii.

Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem atque regnavit, id est, rege Ægypti regresso ad sua, rursus ad aliqualem succrevit confortationem in regno. *Quadraginta autem et unius anni erat quum regnare cœpisset. Et decem et septem annis regnavit in Jerusalem, urbe quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel. Nomen autem matris ejus, Naama Ammanitis. Fecitque malum, et non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum,* id est, ad gratiam Dei non disposuit se vere et stabili modo. Nam quamvis ad tempus humiliavit se, non tamen permansit in bonis.

Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo videntis, et diligenter exposita. Pugnaveruntque adversum se Roboam et Jeroboam cunctis diebus, id est cunctis temporibus quamdiu pariter regnaverunt. Quamvis enim (ut præcedenti habetur capitulo) Roboam et populus ejus in exordio II Par. xi, 4.
regni sui cessavit a prælio contra Jeroboam concepto, tamen tempore procedente contra se invicem pugnaverunt, et fuit inter eos displicentia, aversio atque elatio multiplex. *Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in civitate David; et regnavit Abia filius ejus pro eo.*

Hujus capituli verba hic non exposita, ex præallegato tertio Regum libro clara sunt. III Reg. xiv, 21 et seq.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ANNO OCTAVODECIMO REGIS JEROBOAM.

HIC agitur de regno Abiæ. *Anno octavodecimo regis Jeroboam regnavit Abia*
III Reg. xv, 1, 2. *super Judam. Tribus annis regnavit in Jerusalem.* Hoc idem tertio Regum libro D scriptum expositumque est. *Nomenque matris ejus Michaia filia Uriel de Gabaa.* Supra scriptum est, quod Roboam accepit Maacha filiam Absalon, quæ peperit ei II Par. xi, 20.

Digitized by Google

Abiam : quomodo ergo nunc dicitur, quod mater Abiæ fuit Michaia filia Uriel de Gabaa? Ad hoc quidam dixerunt, quod Absalon alio nomine dictus sit Uriel. Sed hoc non videtur sufficere, quia adjunctum est, De Gabaa. Absalon autem non fuit de Gabaa, sed de Jerusalem, sive de Bethlehem ex parte patris sui David, et de Gessuri ex parte matris. Porro Lyra respondet, quod verus textus habeat, Filia Abessalon, quia in Hebræo ita habetur, et non, Filia Absalon. Quo admisso, adhuc remanet quæstio, quia hic dicitur, Filia Uriel. Ad quod aliqui responderunt, quod Uriel et Abessalon fuerunt duo nomina viri ejusdem. Alii opinantur, quod Abessalon fuit avus feminæ hujus, et Uriel pater ipsius. At vero Magister in historiis ait, quod Abia fuit filius Thamar filiæ Absalonis. Sicque dici posset, quod Uriel iste fuit maritus il-
[*II Reg.* XIV, 27.] lius Thamar, quæ fuit eleganti forma, ut secundo Regum habetur : et istud verius reor. Si autem in Hebræo scriptum est, Abessalon, poterit dici, quod Abessalon sumitur ibi pro Absalon, sicut Michaia est eadem quæ Maacha, quoniam eadem nomina aliquando variantur in principio et in fine. Nec puto, quod uxor Roboam regis fuit immediata filia Absalonis, ut multi putant, quoniam Absalon diu mortuus fuit antequam Salomon cœpit regnare aut generare. Salomon autem regnavit quadraginta annis : sicque filia Absalonis immediata, fuit quasi vetula dum Roboam suas accepit uxores.

Et erat bellum inter Abiam et Jeroboam omni tempore vitæ ejus, scilicet Abiæ, ut
[*III Reg.* XV, 6.] additur tertio Regum : ubi non recitatur in speciali aliquis eorum congressus, sed unus hoc loco diligenter describitur. *Quumque inisset Abia certamen,* id est, in procinctu esset ad congrediendum, *et haberet bellicosissimos viros, et electorum,* id est elegantium ad pugnandum, *quadraginta* * [* quadringenta] *millia, Jeroboam instruxit econtra aciem octoginta* * [* octingenta] *millia virorum, qui et ipsi electi erant et ad bella fortissimi.*

Stetit ergo Abia super montem Semeron nomine, *qui* mons *erat in Ephraim.* Unde videtur Abia intrasse terram regni Jeroboam. *Et ait* alta voce clamando : ideo stetit in monte, ut melius audiretur a tanto exercitu : *Audi, Jeroboam, et omnis Israel,* id est plebs decem tribuum tibi adstans. *Non* * *ignoratis :* [* Num] quasi dicat, Utique scitis aut scire debetis; *quod Dominus Deus Israel dederit regnum* ipsi *David super Israel,* id est duodecim tribus, *in sempiternum, ipsi et filiis ejus in pactum salis,* id est fœdere fixo et stabili datione : sicut in omni oblatione rite facta, et in omni cibo bene condito sal ponitur. Infra in isto fertur capitulo, et sunt verba Abiæ : [vers. 12.] Filii Israel, nolite pugnare contra Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. Ex quo elicitur, quod Abia intendebat adversariis persuadere, ut sine bello abirent, vel regnum totum sibi pacifice redderent : ad quod diversa inducit motiva, quorum primum jam tactum est, utpote quoniam Dominus contulit David ac posteris ejus Israeliticum regnum in ævum. [*II Reg.* VII, 13-16.] Verumtamen promissio Dei de hoc facta regi David, et datio ipsa, intelligendæ fuerunt sub conditione, videlicet, si in Dei obsequio perseverarent fideles.

Et surrexit Jeroboam filius Nabat servus Salomonis filii David, et rebellavit contra dominum suum Roboam regem, vel Salomonem : quum tertio Regum scriptum sit : Jeroboam quoque filius Nabat Ephratæus, [*III Reg.* XI, 26.] servus Salomonis, levavit manum suam contra regem. Nempe, ut Josephus aliique testantur, quum Ahias propheta prædixisset huic Jeroboam, quod regnaturus esset super decem tribus, ipse Jeroboam ex hoc audacior factus et intumescens, cœpit quasdam, præsertim tribum Ephraim et Manasse, sollicitare ad recedendum a dominio Salomonis. Quo cognito, Salomon voluit eum occidere : propter quod Jeroboam [*Ibid.* 40.] fugit, et intravit Ægyptum. *Congregatique sunt ad eum viri vanissimi et viri* * *Belial,* [* filii] id est sine jugo, *et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis.*

Verumtamen agnoscendum, quod decem tribus satis concorditer fecerunt super se [*Ibid.* XII, 20.]

Digitized by Google

regem Jeroboam, nec omnes qui hoc fecerunt, eique adhæserunt, fuerunt iniqui : imo ex rationabili causa aversi fuerunt a Roboam, propter improbam et stolidam ejus responsionem. Ex præordinatione quoque divina, et justa ipsius instigatione, recesserunt decem tribus a filio Salomonis, in pœnam scelerum ejus, quemadmodum supra Semeias propheta legitur ad Roboam et exercitum ejus dixisse : Non ascendetis contra fratres vestros, quia mea hoc gestum est voluntate. In libro quoque tertio Regum Dominus ait ad Salomonem : Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Conformiter ad Jeroboam dixit Dominus per Ahiam prophetam : Ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus, eo quod Salomon dereliquerit me ; te autem assumam, erisque rex super Israel. Si ergo audieris omnia quæ præcepero tibi, sicut David servus meus, ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem. Ex quibus ostenditur, quod ex divina præordinatione et voluntate non solum permissiva, sed etiam effectiva, Jeroboam factus sit rex decem progenierum. Verumtamen in hoc peccavit et rebellavit, quod ante debitum tempus, utpote Salomone vivente, conatus fuit populum sibi allicere. Nam et per Ahiam Dominus inter cetera dixerat ei : Auferam regnum de manu filii ejus, utpote Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Idcirco Jeroboam non debuit tempus illud præoccupare et anticipare.

II *Par.* XI, 4. — III *Reg.* XI, 11. — *Ibid.* 31, 35, 37, 38. — *Ibid.* 35.

Porro Roboam erat rudis : quia non erat industriosus in bellicis rebus ; fuit quoque insipiens respondendo ad populum, et idolis serviendo. Unde in Ecclesiastico legitur : Dereliquit Salomon post se stultitiam, et minutum a prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo. *Et corde pavido :* quia non fuit virilis neque magnanimus, nec passionem timoris carnalis ac mundani per virtutem fortitudinis refrenavit : et ista sunt potissimum vitiosa in rege, quem oportet esse expertum et peritum in bellicis, prudentem, fortem, magnanimum. *Nec potuit resistere eis,* id est prævalere. Nam propter scelera sua Deus abstulit ei suum subsidium.

Ibid. XII, 13, 14 ; XIV, 22, 23. — *Eccli.* XLVII, 27, 28.

Nunc ergo vos dicitis, quod resistere possitis regno Domini quod possidet per filios David, id est regi ac populo Juda Deum colentibus, atque legitimum regnum ex divina institutione habentibus : ita quod regnum eorum fuit regnum Dei, qui fuit principalis eorum rex, cujus vicarialis rex fuit legitimus ipsius David successor ; *habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos. Et ejecistis sacerdotes Domini, filios Aaron atque Levitas,* de terra et officio eorumdem ; *et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum,* id est instar quorumcumque gentilium, qui de quacumque natione sibi faciunt sacerdotes deorum suorum. *Quicumque venerit et initiaverit,* id est superstitiose consecraverit, *manum suam,* in stando et applicando se pro sacerdotio sacrilego obtinendo, prece aut pretio : initiaverit, inquam, *in tauro et in bobus et in arietibus septem,* id est, hæc pecora offerendo, vel per linitionem sanguinis eorum effusi se consecrando, aut consecrationem in sacerdotem suscipiendo. Aitque, Septem, propter septenarii perfectionem, vel quia in tali initiatione offerebantur hujusmodi septem jumenta. Denique Dominus ait amicis Job : Assumite vobis septem tauros et septem arietes. *Fit sacerdos eorum qui non sunt dii,* videlicet idolorum, aut hominum impiorum quos gentes coluerunt pro diis, seu qualiumcumque creaturarum, in quibus non est deitas vera. Nec enim alicui creaturæ est sacrificandum, ut in libro de Fide et legibus ostendit Guillelmus Parisiensis. *Job* XLII, 8.

Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus, id est, verum Deum, qui est omnium dominus principalis, adoramus et colimus ; *sacerdotesque qui ministrant Domino de filiis Aaron,* id est, sacerdotes habemus legitimos, quoniam solos post eos Aaron Dominus jussit esse sacer- *Act.* X, 36. — *Exod.* XXIX, 9 ; *Num.* III, 3, 10.

Digitized by Google

dotes in lege; *et Levitæ sunt in ordine* A
I *Par.* xxiv, 1-19. *suo,* id est ordinate distincti per sua officia. *Holocausta quoque offerunt* sacerdotes *Domino per singulos dies mane et vespere,* juge sacrificium offerendo : imo et alia multa offerebant quotidie, inter quæ istud fuit præcipuum, ideo specialiter nominatur.
Num. xxviii, 3-8. Juge autem sacrificium fuit quotidie immolatio unius agni de mane, et unius de vespere. *Et thymiama, juxta legis præcepta confectum.* Unde in Exodo Dominus
Exod. xxx, 34, 35. ait ad Moysen : Sume tibi aromata, stacten et onycham et galbanum boni odoris et B thus lucidissimum, faciesque thymiama : quod scilicet ex quatuor illis speciebus aromaticis efficiebatur, et in altari stante in templo incendebatur, ad faciendum ibidem suavem odorem. *Et proponuntur panes in mensa mundissima :* hoc est, quolibet
Ibid. xxv, 30; *Lev.* xxiv, 5-8. sabbato ponuntur super auream mensam duodecim panes propositionis, prout in Exodo præceptum est. Salomon tamen
II *Par.* iv, 7, 8. fecit decem mensas aureas tales, sicut et decem candelabra aurea, ut patuit in superioribus.

Estque apud nos, id est in templo a Salomone constructo, *candelabrum aureum :* quod exponi potest vel de candelabro a Moyse facto, vel de candelabris decem quæ fecerat Salomon, ut singulare pro plurali ponatur. Aliqui tamen in dubium vertunt, an Sesac Ægypti rex, templum spoliando, abstulerit inde candelabra illa pretiosissima. Et apparet quod non, quoniam præ-
Ibid. xii, 9. cedenti capitulo legitur : Recessit Sesac sublatis thesauris domus Domini, et thesauris regis; et clypeos aureos, quos fecerat Salomon, secum tulit; nec legitur abstulisse aliqua vasa aut instrumenta cultus divini seu templi, sicut Chaldæi. Imo quarto libro Regum legitur Nabuchodonosor
Cf. IV *Reg.* xxv, 15, 16. abstulisse a templo omnia vasa aurea, quæ Salomon fecit. *Et lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam.* In candelabro Moysis erant septem lucernæ aureæ, hoc
Exod. xxv, 37. est lampades, ut in Exodo habetur; similiter in quolibet candelabro, facto a Salomone. Idcirco hoc loco ponitur singulare pro plurali. Illæ autem lucernæ omnes ardebant de nocte, sed tres (ut fertur) in die; et rursus accendebantur ad vesperam illæ quæ erant de mane exstinctæ, prout super Exodum diffusius est expressum. *Exod.* xxvii, 20, 21 *Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis.* Huic videtur contrarium, quod tertio libro Regum legitur Abia ambulasse in omnibus peccatis III *Reg.* xv, 3. patris sui. Ad quod poterit responderi, quod sicut Roboam tribus annis ambulavit in viis David, ita et filius ejus Abia ad tempus bene se habuit, sed non perseveravit.

Ergo in exercitu nostro dux est Deus, hoc est principalis director et adjutor omnium nostrum eum colentium : qui in Deuteronomio cultoribus suis promisit suum *Deut.* xx, 1. auxilium et ducatum; *et sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, et resonant contra vos.* Nam et hoc in libro Numerorum fuit jussum, *Num.* x, 9 ut filii Israel in congressibus clangerent tubis : quod fiebat per sacerdotes. Verumtamen loquente Abia hæc verba, non clangebant, sed paulo post : ideo sensus est, C Qui clangunt, hoc est, parati sunt clangere tubis. *Filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum,* id est contra nos cultores Dei Patriarcharum, *quia non vobis expedit.* Contra nos enim Dei servos præliando, contra Deum præliaremini, et succumberetis. Videtur Abia ex parte sperasse in Deo, sed imperfecte; atque ex alia parte timuisse, videns tantam hostium turbam : ideo persuasit eis, ne contra se inirent conflictum.

Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias : D quia commisit quibusdam ducibus sui exercitus, ut silenter abirent, et circumvallarent cuneis suis exercitum regis Abiæ. *Cumque ex adverso hostium staret,* id est, ipse Jeroboam stando ex opposito vultus Abiæ, *ignorantem Judam suo ambiebat exercitu :* quo patet fraudulentia ejus. *Respiciensque Judas,* id est exercitus Abiæ, in quo etiam multi de tribu Benjamin, tribuque Levi erant, sed a principali tribu totus exercitus nomen sortitur, *vidit instare bellum ex adverso, et post ter-*

Digitized by Google

gum : sic quippe erant intenti ad verba Abiæ domini sui, quod adversariorum insidias non observabant; *et clamavit ad Dominum,* invocando ejus auxilium, *ac sacerdotes tubis canere cœperunt, omnesque viri Juda vociferati sunt. Et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israel qui stabat ex adverso Abia et Juda,* id est totum ejus exercitum, vociferantibus scilicet viris Abiæ, et sacerdotibus ejus clangentibus. Per quod adjuvari a Domino meruerunt, quemadmodum in libro Numerorum Dominus dixit : Si exieritis ad bellum, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Certum est autem, quod Dominus perterruit corda Jeroboam et suorum, ea obstupefaciendo et infrigidando ac debilitando; sed an fecerit hoc per alia exteriora, quam quæ hic in textu tanguntur, videlicet per sonitum apparatus armorum, sicut perterruit Syros, seu per fragorem, tonitrua, saxaque grandinis, aut consimilia, non est certum. Ministerio quoque angelorum perterritio illa creditur partim facta.

Num. x, 9.

IV Reg. vii, 6.

Fugeruntque filii Israel Judam, et tradidit eos Deus in manu eorum. Percussit ergo eos Abia, et populus ejus, plaga magna ; et corruerunt vulnerati ex Israel quinquaginta millia virorum fortium.* Et apparet, quod de exercitu Abiæ nullus corruerit : ideo victoria illa fuit evidenter miraculosa. *Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati sunt filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.* Quis enim speravit in Domino, et derelictus est? Ideo primo Machabæorum conscriptum est : Omnes qui sperant in ipso, non infirmantur. Et Psalmista : In Domino, inquit, sperans, non infirmabor. Denique teste Philosopho, qui bene se habent in divinis, melioris fiduciæ sunt.

* quingenta

Eccli. ii, 11, 12.

I Mach. ii, 61.

Ps. xxv, 1.

Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, qui cum residuis triginta millibus fugam arripuit; *et cepit civitates ejus, Bethel et filias ejus, et Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias ejus,* id est, urbes has cepit et filias, id est villas illarum. *Nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia : quem percussit Dominus, et mortuus est.* Abia namque fuit ingratus his tantis beneficiis Dei, nec permansit in ejus obsequio. Ideo propter aliquas suas culpas a Deo plagatus est, et defunctus. Verumtamen culpa ejus non exprimitur in hoc loco, nec genus suæ percussionis aut mortis. Sed tertio Regum asseritur, quod ambulavit in omnibus peccatis patris sui. Unde aliqui opinantur, quod quum cepisset urbem Bethel, in qua unus duorum aureorum exstitit vitulorum, invenerit ibi idola, et reservaverit atque coluerit ea : prout infra legitur Amasias rex Juda coluisse deos Idumæorum, quum eos vicisset. At vero quod hic de morte inseritur, per anticipationem narratur. Nam de eodem subjungitur :

III Reg. xv, 3.

II Par. xxv, 14.

Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim. Supra legitur, quod Roboam adhuc vivens, multas petivit uxores filio suo Abiæ : et de illis videtur istud intelligendum, quod scilicet Abia, confortato suo imperio, sumpsit illas in conjuges. Si vero ante eas accepit, et ultra hoc istas, fuisset magnus excessus. *Procreavitque viginti duos filios et sedecim filias. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum ejus, scripta sunt diligentissime in libro* Prophetæ, nomine *Addo prophetæ :* cujus liber non superest. Et ex isto innotescit, quod sancti Prophetæ cum ingenti diligentia conscripserunt facta regum Israelitici populi tam bona quam mala : non utique principaliter propter facta illa in se, aut propter reges, sed ad Dei honorem, in quantum divina justitia aut pietas Omnipotentis ostendebatur in factis illorum bonis aut malis.

Ibid. xi, 23.

Juxta intelligentiam spiritualem declaratur nobis ex isto capitulo divina justitia et fidelitas Dei, suos fideles in se sperantes et invocantes salvantis, ac impios prosternentis. Idcirco et nos in omni spirituali

Sensus spiritualis.

Digitized by Google

conflictu tentationum in eo confidere, ipsumque indesinenter ac fervide invocare debemus. Deus etenim, devotorum in exercitu et in omni congregatione virtuosa sibi fideli, dux est. Quod si a Deo adjuvari ac prævalere optamus, studeamus ei in omnibus obedire, sacrificia spiritualia immolare, ecclesias et ejus ministros ac sacra divini ministerii instrumenta debite venerari. In exterioribus etiam bellis in Domino est sperandum, et ejus est invocandum auxilium; atque per opera bona, et per præviam confessionem sinceram parare se debent ad prælia congressuri.

Præterea in hac historia per Abiam et ejus exercitum, intelligi potest quicumque princeps aut rex christianus et ejus exercitus justus. Per Jeroboam vero et ejus ex- A ercitum, princeps quicumque hæreticus, schismaticus, Sarracenus, aut aliter perfidus et iniquus, ejusque populus vitiosus, qui impugnant Ecclesiam. Quibus catholicus princeps respondet, an ignorent quod Deus Pater omnipotens contulit David et filiis ejus regnum, hoc est Christo et ejus vicariis ac ministris, dominium populorum, sicut prædictum est : Omnes populi, tribus *Dan.* VII. 14.
et linguæ servient ei. Itemque : Dominabi- *Ps.* LXXI. 8.
tur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Ideo impii B illi inaniter enituntur Ecclesiam demoliri, quia in sola Christi Ecclesia verus Deus veraciter colitur, et ei in ea salubriter sacrificatur, sacerdotes legitime instituuntur. In ceteris autem omnia sunt perversa, superstitiosa, sacrilega.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : DORMIVIT AUTEM ABIA CUM PATRIBUS SUIS.

CONSEQUENTER in tribus capitulis agitur de regno, virtutibus et magnificentiis Asa regis, et de aliquibus ejus defectibus. *Dormivit autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David. Regnavitque Asa filius ejus pro eo : in cujus diebus requievit terra annis decem,* id est, populus regni Asa non habuit notabilia bella. Contra quod objici
III *Reg.* XV, 16. potest illud tertii Regum : Bellum erat inter Asa et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. Ad quod poterit responderi, quod scriptura hæc loquitur de quiete a bellis gentium alienarum, ita quod Asa non impugnabatur ab illis; vel quod in principio imperii sui non sustinuit acres pugnas a
* quia Baasa, qui* tunc potentior erat. *Fecit ergo Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus,* hoc est idololatriæ, quæ est aliena a veri Dei obsequio, *et excelsa,* in C quibus ante idolis sacrificabatur. Reliquit tamen excelsa, in quibus populus suus obtulit Deo sacrificia quædam, præsertim spontanea seu votiva. Hinc tertio Regum
fertur : Excelsa autem non abstulit. Aliqui III *Reg.* XV, 14.
vero affirmant, quod non abstulit excelsa seu fana, quæ Salomon fecit diis uxorum
suarum in monte Olivarum, ut tertio Re- *Ibid.* XI, 7.
gum libro legitur. *Et confregit statuas, lucosque succidit. Et præcepit Judæ, ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem et universa mandata. Et* D *abstulit de cunctis urbibus Juda, aras et fana, et regnavit in pace.*

Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. Erat enim a bellis quiescens, pacificus quoque, et a vitiorum ac passionum inquietudine fuit alienus, quum ter-
tio Regum scriptum sit : Cor Asa perfectum *Ibid.* XV, 14.

Digitized by Google

erat cum Domino Deo suo cunctis diebus suis. *Dixit autem Judæ,* hoc est populo regni sui, tam Judæ quam Benjamin filiis et Levitis : *Ædificemus civitates istas et vallemus muris, et roboremus turribus et portis et seris, donec a bellis quieta sunt omnia* ista et opera nostra, *eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum.* In isto patent sapientia, prudentia, atque justitia regis Asa, quoniam tempore prosperitatis coluit Deum fideliter, et memor fuit malorum, quæ accidere poterant, et contra illa munivit se : quo exemplo reges ac principes instruuntur, ut similiter faciant. *Ædificaverunt igitur, et nullum in exstruendo impedimentum fuit. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta et hastas,* hoc est bellatorum, *de* tribu *Juda :* hic capitur Juda pro tribu Juda dumtaxat ; *trecenta millia ; de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia. Omnesque isti viri fortissimi.* Quo constat, quam præpotens fuit. (Prov. XIV, 28.) Multitudo autem ministrorum ac subditorum ad dignitatem et gloriam pertinet principis, ut Salomon protestatur.

Consequenter recitatur, qualiter regem Æthiopum vicit, et Deum in adjutorem invocando locutus est. *Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis, et venit usque Maresa. Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa. Et invocavit Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus :* hoc est, quum sis infinitæ potentiæ, æque facile tibi est quamcumque adversariorum multitudinem dejicere per paucos bellatores, ac per multos. Hoc est quod primo libro (I Reg. XIV, 6.) Regum Jonathas ait : Non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis. *Adjuva nos, Domine Deus noster. In te enim et in nomine tuo,* id est in tuæ potestatis ac pietatis invocatione, *habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem,* quæ multo major est nobis : quoniam decies centena millia erant in adversariorum exercitu. Nec dedit eis Asa spatium intrandi terram imperii sui, ne eam vastarent, sed ivit viriliter obviam. *Domine, Deus noster tu es,* hoc est, o Domine, tu es Deus noster. Vel, o Domine Deus noster, tu es, id est, tibi soli competit verum, plenum, infinitumque esse, cujus comparatione, esse creaturarum est quasi non esse. Propter quod locutus es Moysi : Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. (Exod. III, 14.) *Non prævaleat* contra te homo,* hoc est, nulla hominum multitudo prævaleat nobis cultoribus tuis, quibus prævalendo reputarent se Deo nostro quodammodo prævaluisse, quasi nequiverit nos liberare ab ipsis.

* alias *prævalet*

Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda : juxta modum in præcedenti articulo tactum. (II Par. XIII, 15.) Nam Deus omnipotens immediate agit in hominum voluntates, et eas ad libitum suum transmutat, debilitat, et confortat. *Fugeruntque Æthiopes, et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Gerara. Et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa. Et percusserunt,* Asa ac ejus exercitus, *omnes civitates per circuitum Geraræ.* Gerara, secundum Augustinum sextodecimo de Civitate Dei, fuit urbs in Palæstina, cujus (De Civ. Dei lib. 16, c. 30.) rex fuit Abimelech, juxta illud Genesis : Misit Abimelech rex Geraræ. (Gen. XX, 2.) Terra autem Philistiim seu Palæstinæ, deputata et data fuit a Deo filiis Israel, sicut in Josue legitur : (Josue I, 2-4.) sicque urbes illæ videntur pertinuisse ad Asa et populum ejus de jure. Unde non peccavit, ut apparet, eas vastando ac spoliando : et forte peccaverunt in eum, Æthiopibus præbendo obsequia sive auxilia. *Grandis quippe cunctos terror invaserat. Et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. Sed et caulas,* id est stabula, *ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam,* id est valde magnam et quasi innumerabilem, *multitudinem,*

Digitized by Google

et camelorum; reversique sunt in Jerusalem.

Sensus moralis. Ex isto capitulo docentur reges ac principes christiani, qualiter bello instante debeant se habere in primis, videlicet Deum sibi reconciliando, si ipsum in aliquo offenderunt; deinde hostibus magnanimiter occurrendo, exercitum prudenter ordinando, situando ac instruendo; sed et totam spem suam ponendo in Omnipotente, et ejus auxilium devotissime invocando; nec A præsumendo quidquam de viribus suis, quia de cœlo victoria est, ita quod Deus omnium moderator, juxta ordinem sapientiæ suæ, et juxta justitiæ suæ censuram, præliorum exitus moderatur, victoriamque largitur.

In spirituali quoque conflictu debemus ita in Deo confidere, quantumcumque multi et magni sint qui nos impugnant, et prætactam orationem seu ei consimilem Deo offerre.

ARTICULUS XV

DECLARATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : AZARIAS AUTEM FILIUS ODED, FACTO IN SE SPIRITU DEI.

RECITATUR hic qualiter Asa de bono profecit in melius. *Azarias autem filius Oded, facto in se Spiritu Dei,* hoc est, gratia prophetali sibi infusa, et Spiritu Sancto sibi immisso ad prophetandum, *egressus est in occursum Asa, et dixit ei,* videlicet Asa regi : *Audite me, Asa et omnis Juda et Benjamin. Dominus vobiscum,* id est, gratiose vos juvit, *quia fuistis cum eo,* hoc est, ei fideliter adhæsistis et supplicastis. Absolute tamen loquendo, gratia Dei prævenit hominem. Deut. iv, 29. *Si quæsieritis eum* ad obtinendum dona gratiæ ejus, seu ad proficiendum in eis, *invenietis* eum, si tamen toto corde perseveranter feceritis hoc. Luc. xi, 10. Omnis enim qui taliter quærit, invenit. Aliqui autem quærunt eum ex servili timore, nec inveniunt, sicut in libro Proverbiorum fatetur : Prov. i, 28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me. *Si autem dereliqueritis eum* per aversionem cordis ab eo, *derelinquet vos.* Hoc fuit vel comminatio, vel affirmatio. Aliquando enim justus Deus omnino relinquit Rom. ix, 22, 23. aversos a se, utpote vasa iræ. Interdum vero avertentes se et aversos, misericorditer revocat, prævenit, salvat, si sint vasa misericordiæ suæ.

B *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote, absque doctore quoque, et absque lege.* Hoc aliqui dicunt tempore Babylonicæ captivitatis impletum, quia tunc populus regni Juda fuit translatus, nec coluit Deum in templo suo et in terra sancta per sacrificia, nec sacerdotes tunc exercebant sacerdotale officium, nec doctores more solito populum instruebant. Populus quoque pro maxima parte fuit legis transgressor. Insuper impletum est istud tempore Regum C Juda idololatrarum, videlicet Joram, Joas, Amasiæ, Achaz, Manassæ, quorum aliqui per totum tempus imperii sui, quidam per tempus fuerunt idololatræ. (II Par. xxi, 4, 6, 11; xxiv, 17, 18; xxv, 14; xxviii, 2-4; xxxiii, 2-7.) *Cumque reversi fuerint in angustia sua,* hoc est tribulatione et necessitudine, *et clamaverint ad Dominum Deum Israel, et quæsierint eum* per pœnitentiam veram, *reperient eum.* Sic Manasses quæsivit ac reperit Deum; (Ibid. xxxiii, 13.) similiter qui in Babylone erant captivi. *In illo tempore non erit pax egredienti et ingredienti, sed terrores undique in cunctis* D *habitatoribus terrarum.* In illis quippe temporibus, primo Assyrii, deinde Chaldæi regnum Juda et Israel, ac cetera undique regna atrociter ac multipliciter vexaverunt,

IV *Reg.* xviii, 9 *et seq.*; xxiv, 11 *et seq.*; xxv; *Jer.* xxi, xxxii, xxxix, etc. *Ezech.* xii, xvii, etc.

sicut in libris Regum et in libris Jeremiæ atque Ezechielis ostenditur. *Pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem.* Nam multæ nationes et urbes restiterunt præfatis, et contra se invicem alii plurimi pugnaverunt. *Quia Dominus conturbabit eos in omni angustia.* Dominus enim per unum regnum punit peccata alterius. Propter quod de rege Assyriorum ait per Isaiam : Virga furoris mei et baculus, ipse est. *Is.* x, 5.

Vos ergo confortamini, perseverando et proficiendo in omni virtute et cultu Dei, *et non dissolvantur manus vestræ,* hoc est, vires operativæ non cessent ab actibus bonis. *Erit enim merces operi vestro :* non solum æterna felicitas, sed temporalis quoque prosperitas, prout communiter in veteri Testamento fieri consuevit. Nam Deus supra condignum remunerat, sed infra condignum punit.

Quod quum audisset Asa, verba videlicet et prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda, et de Benjamin, et ex urbibus quas ceperat montis Ephraim ; et dedicavit altare Domino, quod erat ante porticum Domini, hoc est, altare situm in atrio, quod forsitan fuerat profanatum per Roboam et Abiam idololatras, rursus consecravit, aut solenniter honoravit, offerendo in eo sacrificia copiosa, ut patet in littera. *Congregavitque universum Juda et Benjamin, et advenas cum eis,* hoc est eos qui ex regno decem tribuum, relictis aureis vitulis, confugerunt ad eum *de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon. Plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.*

Quumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno quintodecimo regni Asa, immolaverunt Domino in die illa de manubiis, hoc est spoliis manu raptis, *et prædam* alio modo acquisitam, *quam adduxerant, boves septingentos, et arietes septem millia. Et intravit ex more* in atria templi Salomonis, *ad corroborandum fœdus,* id est, ut tam ipse quam totus populus ejus,

A eo instigante, de novo et firmius quam ante, adstringerent se ad serviendum Deo fideliter, *ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel,* sed idola coluerit, *moriatur, a minimo* adultæ ætatis inclusive, *usque ad maximum, a viro usque ad mulierem.* Lex enim sub pœna etiam mortis corporalis præcepit hoc. *Deut.* xiii, 6-9; xvii, 2-7. *Juraveruntque voce magna Domino,* quod ei sic adhærerent, *in jubilo, et in clangore* B *tubæ, et in sonitu buccinarum, omnes qui erant in Juda,* hoc est cum omni ista solennitate et jucunditate præcipua, ad majorem suæ obligationis stabilitatem, *cum exsecratione,* imprecando sibi ipsis mala pœnalia et adversa, si pollicitationem hanc violarent. *In omni enim corde suo,* id est toto intellectu et ratione, *juraverunt* cum debitis circumstantiis, et reverentia condecenti : prout jurare, est actus virtutis, quæ latria nominatur. Unde et Psalmista testatur : Juravi et statui custodire judicia ju- *Ps.* cxviii, 106. C stitiæ tuæ. *Et in tota voluntate,* hoc est integro voluntatis affectu, *quæsierunt eum,* id est, Deo se conjungere, et ei placere, ejusque charismata obtinere conati sunt, *et invenerunt. Præstititque eis Dominus requiem per circuitum.* Qui enim sic quærit, mox invenit, quoniam prope est Dominus omnibus invocantibus eum. *Luc.* xi, 10. *Ps.* cxliv, 18.

Sed et Maacham matrem Asa regis, hoc est, ipse Asa rex matrem suam nomine Maacham, *ex augusto deposuit imperio,* id est a principatu suo sua æstimatione ma- D gnifico, quo ipsa præerat in sacris et sacrificiis, idololatriisque Priapi, *eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi : quod omne contrivit, et in frusta comminuens, combussit in torrente Cedron :* prout hoc tertio Regum expositum est. III *Reg.* xv, 13. Aliqui autem legunt, *angusto :* ut sit sensus, quod ipse Asa removit eam a sua præsidentia arcta et stricta, quia in specu coluit Priapum. Vel aptius appellatur, angustum imperium, quoniam vilis et modica fuit prælatio illa in tanta regina. *Excelsa autem derelicta*

Digitized by Google

sunt in Israel. Attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus. Eaque quæ voverat pater suus et ipse, intulit in domum Domini, argentum et aurum, vasorumque diversam supellectilem. Bellum vero non fuit, usque ad tricesimum [*quintum*] *annum regni Asa.*

III *Reg.* XV. Cetera in hoc capitulo non exposita, tertio libro Regum fusius exposita sunt.

Sensus moralis. Moraliter, ex isto capitulo docemur exemplo Asa regis, de acceptis beneficiis Dei non extolli, sed regratiari et sacrificia laudis offerre, atque de bono in melius crescere, aliosque ad meliora allicere, et errantes pro posse convertere; etiam si sint parentes, corripere graviter delinquentes. Cum ipso item renovemus quotidie in nobis bona proposita; non tamen vovendum est aut jurandum de eis servandis, nisi cum deliberatione matura. Postremo, historia hujus capituli est specialiter regum ac principum instructiva, ut scilicet exemplo regis istius, pro reformatione communi totius populi sui sint solliciti, laboriosi ac fervidi, pravas consuetudines diligenter exstirpent, una cum plebe sua atque familia ad ecclesiam properent, subditos suos verbo et opere ædificare non cessent, et circa augmentum ac reverentiam cultus divini exsistant devoti, et liberales in offerendo. Clerum vero et religiosos, quos propria auctoritate reformare et castigare non possunt, nec debent, a superioribus suis reformari procurent pro viribus.

Omnibus demum nobis dicitur in hoc loco : *Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro.* Hoc etenim est quod hortatur

A Apostolus ad Ephesios : Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Alibi quoque : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Hinc et Salvator admonuit : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum. Non igitur fatigemur, aut tædio afficiamur in Dei servitio, quia non sunt condignæ passiones aut actiones hujus temporis ad gloriam illam futuram. Verumtamen perfectius est atque divinius, Deo servire solo intuitu et amore suæ infinitæ dignitatis et honorabilitatis, quam mercedis intuitu. Tamen si et ipsa remuneratio referatur ad Dei amorem et honorem, non repugnabit perfectioni, Deo propter præmium servire. Quemadmodum etiam caritatis divinæ puritati et perfectioni non derogat, Deum diligere propter beneficia ac præmia ejus seu promissa, si beneficia, præmia et promissa divina, ad Deum et ad ejus reverentiam ac amorem debite ordinentur, et accipiantur tanquam media necessaria, sine quibus Deum vere et plene amare, venerari ac obtinere non possumus.

Ephes. VI, 10, 11. — I *Cor.* XV, 58. — *Luc.* XII, 32. — *Rom.* VIII, 18.

Rursus, quod in isto capitulo dictum est, *Si quæsieritis Deum, invenietis eum,* parit et auget fiduciam ; quod vero subjungitur, *Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos,* inducit timorem. Ideo enim et Apostolus dixit : Qui stat, videat ne cadat. Unde et ignoramus, quali utique fine concludemus hanc vitam : propterea simus jugiter timorati. I *Cor.* X, 12.

Digitized by Google

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ANNO AUTEM TRICESIMO SEXTO REGNI EJUS, ASCENDIT BAASA.

ADVERSITATES Asa regis nunc describuntur, et primo quando et qualiter Baasa rex Israel cœperit impugnare regnum et populum Asa. *Anno autem tricesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa rex Israel in Judam, et muro circumdabat Rama, ut nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa. Protulit autem Asa argentum et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regiis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens : Fœdus inter me et te est. Pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam. Quamobrem misi tibi argentum et aurum, ut rupto fœdere quod habes cum Baasa rege Israel, facias eum a me recedere. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel. Qui percusserunt Ahion et Dan et Abelmaim, et universas urbes Nephthali muratas. Quod quum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, et intermisit opus suum. Porro Asa rex assumpsit universum Judam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa, et Maspha.*

Historia ista tertio libro Regum est explanata; sed difficultatem inducit, quod in exordio hujus capituli dicitur Baasa ascendisse in Judam anno tricesimo sexto Asa regis. Baasa quippe cœpit regnare anno tertio imperii Asa, ut tertio Regum fertur (g. xv,); regnavitque Baasa viginti quatuor annis tantum : sicque vicesimo sexto anno Asa, vel circiter, est defunctus. Non ergo ascendere potuit contra Asa tricesimo sexto anni ipsius Asa, quia jam decem annis fuit mortuus. Ad hoc aliqui dicunt, quod A primus annus alicujus regis, in Scripturis dupliciter appellatur. Primo, annus quo simpliciter cœpit regnando præesse. Secundo, ab aliquo notabili facto, inclytoque triumpho, quemadmodum in Daniele habetur : In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium (Dan. II, 1.) : quod intelligitur de anno secundo sui regni, a tempore victoriæ suæ contra Ægyptios, quia jam diu ante regnavit. Sic in proposito dicunt, quod Asa rex undecimo anno regni sui habuit triumphum præin- B clytum contra Æthiopes, et a tempore illius triumphi inchoando computationem annorum regni Asa, vixit Baasa usque ad annum regni ejus tricesimum sextum. Hæc autem responsio non videtur idonea, quoniam Asa in toto non regnavit nisi quadraginta et uno anno, ut tertio Regum legitur (III Reg. xv, 10.). Si ergo computatio annorum regni Asa incipiatur ab anno illo undecimo, quo Æthiopes vicit : qui annus fuit undecimus regni a tempore quo absolute loquendo, regnare exorsus est; non ascendet computus C iste annorum regni sui a tempore præfatæ victoriæ usque ad annum tricesimum sextum, sed tricesimum aut tricesimum primum : quod est contra hanc veritatis Scripturam.

Quod si dicatur, quod illud tertii Regum, Anno tertio Asa, Baasa cœpit regnare (Ibid. 33.), intelligatur de tertio anno regni Asa, incipiendo computationem a præfato triumpho : qui tertius annus, fuit tertiusdecimus annus regni ejus simpliciter sumpti ; hoc stare non potest, quoniam tertio Regum D scriptum est : Nadab filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda (Ibid. 25, 28.); regnavitque super Israel duobus an-

Digitized by Google

nis. Et interfecit eum Baasa in anno tertio regis Asa, et regnavit pro eo. Porro, quod Nadab dicitur regnasse secundo anno Asa, non potest intelligi, nisi de anno secundo regni Asa simpliciter accepti, qui fuit diu ante prætactum triumphum. Jeroboam (III *Reg.* XIV, 20.) namque regnavit annis viginti duobus, ita quod in anno vicesimo secundo regni sui defunctus est, ut tertio Regum patet. Abia (*Ibid.* XV, 1, 2, 8.) autem cœpit regnare octavodecimo anno regni Jeroboam, et tribus annis regnavit: cui Asa successit in regno. Quemadmodum ergo secundus annus Asa, quo cœpit Nadab regnare, intelligendus est necessario de secundo anno regni sui simpliciter sumpti, ita et tertius annus regni ejus, quo Baasa cœpit regnare : alias Nadab regnasset multo diutius, quam annis duobus. Hinc alii dicunt, quod hoc loco, sicut et alibi sæpe, vitio scriptorum erratum sit in numero : quod etiam fieri potuit in Hebræo. Siquidem in conscriptione numerorum et propriorum nominum, faciliter error contingit.

In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ infideli atque idololatra, *et non in Domino Deo tuo,* in hoc casu ; *idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua :* hoc est, exercitum regis Syriæ non vicisti, quem una cum rege atque exercitu Israel ei confœderatis vicisses, si sperasses in Domino, et illi pariter contra te venissent. *Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant, quadrigis et equitibus et multitudine nimia, quos, quum Domino credidisses* fide formata cum spe divini auxilii, *tradidit in manu tua ?* (*Hebr.* XI, 33.) Sancti enim per fidem vicerunt regna. *Oculi enim Domini contemplantur universam terram,* hoc est, intellectus et sapientia Dei, universos habitatores terræ inspiciunt et plene cognoscunt, *et præbent fortitudinem* corporalem et spiritualem tempore belli, *his qui corde perfecto,* non (*Jer.* XXIX, 13.) hæsitanti, *credunt in eum :* qui suis perfectis cultoribus opem promisit. *Stulte igitur egisti, et propter hoc etiam præsenti* A *tempore adversum te bella consurgent* acriora seu plura, quam ante.

Iratusque Asa contra Videntem,* (* adversus) hoc est præfatum Prophetam, *jussit eum mitti in nervum,* id est in cippum seu compedem. *Valde quippe super hoc fuit Dominus indignatus :* quoniam erat enorme crimen in Deum redundans, cujus instinctu seu jussione Propheta ille venit et regem corripuit ; *et interfecit de populo in tempore illo plurimos.* Sicque punivit regem in satellitibus suis, sicut et regem David (II *Reg.* XXIV, 15.) B in populo suo. Estque probabile, quod regi consenserunt in crimine isto ; vel aliunde digni erant interitu. Percussi sunt autem vel peste, vel gladio belli, aut alia plaga.

Opera autem Asa prima et novissima, scripta sunt in libro Regum Juda et Israel. Ægrotavit etiam Asa anno tricesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo : et hoc justo Dei judicio, quoniam sanctum virum dolore pedum afflixit in cippo ; sicque per quæ peccavit, punitus (*Sap.* XI, 17.) C est. *Et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum,* ut suum mitigaret dolorem, *sed magis in arte medicorum confisus est.* Verumtamen potuit sine peccato uti remediis medicinæ, dummodo egisset hoc ordinate. Debuitque magis sperare in gratia quam in natura, et suam recognoscere culpam, sicque a Deo precari medelam, et medicorum arte sub ordine divinæ providentiæ uti. *Dormivitque cum patribus suis. Et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. Et sepelierunt eum in sepulcro suo,* D *quod foderat sibi in civitate David. Posueruntque eum,* hoc est corpus ejus exanime, *super lectum suum plenum aromatibus et unguentis meretriciis,* id est lascivis et mollibus ac bene redolentibus, *quæ erant pigmentariorum arte confecta :* quibus et mulierculæ incontinentes se ungunt aut liniunt pro odore corporis sui : quæ et lectos suos ac thalamos consueverunt talibus occupare ad alliciendum sibi amatores, juxta illud Proverbiorum, Adspersi cubile (*Prov.* VII, 17.) meum myrrha et aloe et cinnamomo ; *et*

combusserunt super eum ambitione nimia, hoc est arroganter et nimium sumptuose, eo quod tam gloriose regnaverit.

Circa prædicta oritur quæstio. Scriptum est enim præcedenti capitulo, Cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus; et tertio Regum, Cor Asa perfectum erat cum Domino Deo suo cunctis diebus suis. Nunc vero de multis vitiis est notatus, ut quod regem Israel inordinate pertimuit, quod ad regem Syriæ infidelem confugit, quod non speravit in Domino, quod increpationem Prophetæ contempsit, increpanti iratus fuit, et eum injuriose ligavit et clausit, quod nec in infirmitate sua Dominum requisivit, sicque induratus fuisse videtur. Ad hæc videtur dicendum, quod utique fuit vir valde justus, quamvis interdum ita excessit, sicut et David, et pro suis excessibus fuit in vita hac castigatus, et pœnituisse credendus est, et læso satisfecisse. Quoniam ergo tot annis juste vixit, atque tam multa bona ac optima opera egit, ideo dicitur cor ejus semper fuisse perfectum: quia quod modicum est, pro nihilo reputatur. Et quamvis prætacta ejus peccata non fuerunt parva in se, tamen respectu virtutum et virtuosissimorum actuum ejus, parva fuisse censentur.

II *Par.* xv, 17. III *Reg.* xv, 14. II *Reg.* xi, 4-17; xvi, 4; xxiv, 1, 2.

Quum ergo vir tantus post tantas justitias, circa extrema vitæ suæ ita ceciderit, debemus jugiter esse custoditi et timorati, nec de prioribus meritis incaute gaudere, aut unquam præsumere, sed quotidie tanto plus in omni virtute proficere, quanto finis noster magis imminet nobis.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : REGNAVIT AUTEM JOSAPHAT FILIUS EJUS PRO EO.

AGITUR nunc per quatuor capitula de virtutibus, divitiis, potestate, prosperitate, regimine, et felici fine Josaphat regis; et in primo isto capitulo tractatur de ejus justitia, potestate et opulentia. *Regnavit autem Josaphat filius ejus,* videlicet Asa, *pro eo,* id est post eum, et in solio ejus, *et invaluit contra Israel,* id est, rege Israel fuit potentior, et ei prævaluit. Non tamen leguntur specialia bella inter ipsum et regem Israel facta, sed (ut infra habetur) civitates quas pater ejus jure prælii abstulit regi Israel, retinuit et defendit potenter, ut paulo post subditur. *Constituitque militum numeros,* id est multitudinem copiosam, *in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris,* ut urbes ipsas ab hostibus defensarent; *præsidiaque,* id est munitiones, *disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim,* id est in oppidis regni decem tribuum, seu specialiter tribus Ephraim, *quas ceperat Asa pater ejus.* Supra legitur Abia rex Juda cepisse quasdam civitates regni Israel. De Asa vero Scriptura non dixit, quod ceperit urbes Ephraim; sed certum est ex hoc passu, quod aliquas ceperit. Sapienterque egit, quod eas specialiter munivit præsidiis atque militibus, quia probabile erat, quod rex Israel eas recuperare satageret.

II *Par.* xiii, 19.

Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis, et non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui; et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israel: id est, opera virtuosa quæ David fecit in exordio regni sui, secutus est, et non in peccatis ejus quæ diu postea fecit circa Uriam et ejus conjugem. Vel, In viis ejus primis, id est actibus virtutum ejus præcipuis. *Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis* vir *Juda munera Josaphat.*

II *Reg.* xi, 4-17.

Digitized by Google

Ex hoc apparet, quod subditi ejus contulerunt ei ultra debitum dona et jocalia quædam, quia videbant se prosperari per optimum regimen ejus. *Factæque sunt ei infinitæ,* id est valde multæ et magnæ, *divitiæ.* Videtur tamen in hoc excusabilis exstitisse, non obstante quod in Deuteronomio jusserat Dominus, ut reges Israelitici populi non congregarent sibi immensa pondera argenti et auri. Nam bella undique sibi instabant, sicque rationabilem habuit causam taliter thesaurizandi, et divitias suas ad honestum retulit finem; nec eis cupiditate subjacuit, ita quod habuit eas, non habebatur ab eis. *Et multa gloria,* id est potestas et fama præclara, imo delectatio copiosa in Domino, quia temporaliter ac spiritualiter prosperabatur. *Cumque sumpsisset cor ejus fiduciam* propter vias Domini,* id est augmentum spei ex suis operibus virtuosis, quæ erant viæ ad veram salutem, ac Deo placentes : spes etenim ex actibus bonis fovetur et crescit; *etiam excelsa et lucos de Juda abstulit.* Confortatus quippe in Domino, non timuit in hoc offensam humanam. Sed his contrariari videtur illud tertii libri Regum de Josaphat : Verumtamen excelsa non abstulit; adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis, id est in locis sublimibus. Dici potest, quod abstulit ea pro parte, et potissimum abstulit excelsa et lucos quæ reperit, in quibus idololatria exercebatur; consuetudinem vero populi sacrificantis Deo in locis excelsis, non exstirpavit in toto.

Deut. XVII, 17. — *audaciam — III Reg. XXII, 44.

Tertio autem anno regni sui misit de principibus suis, Benhail et Obdiam et Zachariam et Nathanael et Michæam, ut docerent in civitatibus Juda; et cum eis Levitas, Semeiam et Nathanaiam et Zabadiam, Asael quoque et Semiramoth et Jonathan, Adoniamque et Thobiam et Thobadoniam Levitas, et cum eis Elisama et Joram sacerdotes. Docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circumibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat. Sed et Philistæi Josaphat munera deferebant et vectigal argenti. Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, et hircos totidem. Crevit ergo Josaphat et magnificatus est usque in sublime, atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas; et multa opera patravit in urbibus Juda.

Viri quoque bellatores et robusti erant in Jerusalem, quorum iste numerus per domos atque familias singulorum. In Juda princeps exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia. Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia. Post illum quoque Amasias, filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium. Hunc sequebatur robustus ad prælia, Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum, ducenta millia. Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis quos posuerat in urbibus muratis et in universo Juda.

Hic recitatur qualiter misit quosdam sacerdotes atque Levitas, timoratosque principes, qui pergebant de urbe in urbem ad populum instruendum in lege Dei. In quo patet magna bonitas et devotio regis hujus, qui non solum legibus civilibus ac positivis, sed etiam divinis plebem suam instruxit, rexitque : quo glorioso exemplo utinam prælati et principes christiani debite ædificentur. Et quia rex iste tanto zelo Dominum honoravit, Deus quoque glorificavit ipsum in tantum, quod Philistæi ac Arabes dederunt ei vectigal ac munera, sicut habetur in textu, qui clarus est. Insuper habuit copiosissimam pugnatorum militumque numerositatem ordinate distinctam. Erant autem per quinque turmas distincti, sicut habetur in littera, et successive erant cum rege, imo et omnes tempore opportuno. Ecce qualiter Deus gloriosus

Digitized by Google

I Reg. II, 30. et justus glorificantes se glorificat : et utique justis, virtuosis atque prudentibus regibus et principibus communiter melius succedit in cunctis, quam impiis et tyrannis, prout in libro de Regimine regum S. Thomas pulchre declarat.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : FUIT IGITUR JOSAPHAT DIVES ET INCLYTUS MULTUM.

HISTORIA hujus capituli refert, qualiter Josaphat rex iverit cum Achab rege Israel ad prælium contra Syriæ regem. *Fuit igitur Josaphat dives et inclytus multum:* quia non solum in temporalibus, sed et in supernaturalibus gratiæ donis ac meritis fuit abundans, et nobilis corde, præsertim magnanimis, ut condecet regem ; *et affinitate,* id est matrimoniali propinquitate, *conjunctus est Achab* regi Israel, quia Athaliam filiam hujus Achab accepit filio suo Joram in conjugem, ut infra scriptum est. *Descenditque post duos annos ad eum,* puta ad Achab, *in Samariam.* Tertio Regum scriptum est, In anno tertio descendit, etc. Dicique potest, quod post aliquot annos initi connubii aut sponsalium inter Joram atque Athaliam, Josaphat sit profectus invisere Achab tanquam affinem. *Ad cujus adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi et populo qui venerat cum eo, persuasitque illi ut ascenderet* secum *in Ramoth Galaad :* id est, ipse Achab precibus et rationibus induxit regem Josaphat, ut secum ascenderet versus urbem nomine Ramoth, sitam in terra Galaad, ad obtinendum et recuperandum eam de manu regis Syrorum. *Dixitque Achab rex Israel ad Josaphat regem Juda : Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit : Ut ego, et tu ; sicut populus tuus, sic et populus meus ; tecumque erimus in bello.*

III Reg. XXII. II Par. XXI, 6. XXII. 2. III Reg. XXII, 2.

Dixit Josaphat ad regem Israel : Consule, obsecro, impræsentiarum sermonem Domini. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere ? At illi : Ascendite, inquiunt, et tradet eos Deus in manus regis. Dixitque Josaphat : Numquid non est hic Prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus ? Et ait rex Israel ad Josaphat : Est vir unus a quo possumus quærere Domini voluntatem. Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore. Est autem Michæas filius Jemla. Dixitque ei Josaphat : Ne loquaris, rex, hoc modo. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei : Voca cito Michæam filium Jemla. Porro rex Israel et Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio. Sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis. Sedecias vero filius Chanaan, fecit sibi cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec conteras eam. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant : Ascende in Ramoth Galaad, et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manus regis.

Nuntius autem qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi : En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant. Quæso ergo te, ut sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. Cui respondit Michæas : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. Venit ergo ad regem. Cui rex ait : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere ? Cui ille respondit : Ascendite. Cuncta enim prospera

Digitized by Google

evenient, et tradentur hostes in manus vestras. Dixitque rex : Iterum atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini. At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore. Et dixit Dominus : Non habent isti dominos ; revertatur unusquisque in domum suam in pace. Et ait rex Israel ad Josaphat : Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt ? At ille : Idcirco (ait) audite verbum Domini. Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris. Et dixit Dominus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad ? Quumque diceret unus hoc modo, et alter alio, processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam eum. Cui Dominus : In quo, inquit, decipies ? At ille respondit : Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus : Decipies, et prævalebis ; egredere, et fac ita. Nunc igitur ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala.

Accessit autem Sedecias filius Chanaan, et percussit Michææ maxillam, et ait : Per quam viam transivit spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi? Dixitque Michæas : Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo tuo, ut abscondaris. Præcepit autem rex Israel, dicens : Tollite Michæam, et ducite eum ad Amon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech; et dicetis : Hæc dicit rex : Mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace. Dixitque Michæas : Si reversus fueris in pace, non est Dominus locutus in me. Et ait : Audite, omnes populi.

Igitur ascenderunt rex Israel, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad. Dixitque rex Israel ad Josaphat : Mutabo habitum, et sic ad pugnam vadam; tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel. Itaque, quum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum, dimicantes. At ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. Quum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel, reliquerunt eum. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, et percuteret regem Israel inter cervicem et scapulas. At ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum. Et finita est pugna in die illo. Porro rex Israel sedebat in curru suo contra Syros, usque ad vesperam, et mortuus est occidente sole.*

* stab

Tota hæc historia exposita est libro tertio Regum, capitulo vicesimo secundo.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI NONIDECIMI : REVERSUS EST AUTEM JOSAPHAT REX JUDA IN DOMUM SUAM PACIFICE IN JERUSALEM.

CONSEQUENTER narratur, qualiter post præfatum bellum Josaphat se habuit. *Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem,* quia Deo auxiliante evasit periculum. *Cui occurrit Jehu filius Hanani, videns,* id est propheta. Tertio Regum fertur, quod Baasa rex Israel interfecit Jehu filium Hanani

III Re.

Digitized by Google

prophetam, quum increpatus fuisset ab illo : quod factum est adhuc regnante Asa ; et inter Baasa et Achab fuerunt reges Is- III Reg. xvi, 8, 10, 23, 28. rael, Ela et Zambri et Amri ; Achab vero fuit filius Amri. Quomodo ergo Jehu filius Hanani occurrit, increpationemque intulit Josaphat regi, quum longe antea fuerit interfectus ? Ad quod respondere videtur difficile, nisi forte fuerint duo ejusdem nominis atque officii, vel unus fuerit resuscitatus a Domino.

Et ait ad eum : Impio præbes auxilium, id est, Achab idololatræ subvenisti, *et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris,* hoc est, familiaritatem amicabilem et affinitatem inisti cum Achab et Jezabel atque Athalia, pertinentibusque ad eos, *et idcirco iram quidem Domini merebaris,* id est, a Deo puniri meruisti et occidi in bello ; *sed opera bona inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum, ut requireres Dominum Deum patrum tuorum,* id est, propter ista et alia opera tua virtuosa quæ Deus conspexit in te, misericorditer tibi pepercit. Verumtamen impios tenemur diligere, non in quantum tales, sed in quantum sunt Gen. i, 27. homines felicitatis capaces, ad Dei imaginem facti ; sed eorum familiaritas seu amicitia socialis vitanda est, nec subveniendum est eis in causa injusta. Hanc autem increpationem Josaphat rex non solum patientissime tulit, sed etiam ex ea provocatus est ad meliora. Unde subjungitur :

Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem. Rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, id est de uno regni sui extremo usque ad aliud, visitando, instruendoque populum suum. Dicitur autem ad illos exisse, vel IV Reg. xxiii, passim. per se ipsum, quemadmodum quarto Regum legitur de Josia ; vel per suos ministros, mittendo videlicet sacerdotes et II Par. xvii, 9. Levitas ac principes ad populum exhortandum, ut supra est descriptum. *Et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum :* eos scilicet qui erant aversi, ad pœnitentiam admonendo ; et stantes, ad

A profectum trahendo. *Constituitque judices terræ,* id est populi habitantis in terra, vel terrenarum ac minorum causarum, quia causæ majores pertinebant ad judices superiores, ut infra inducitur ; *in cunctis civitatibus Juda munitis,* id est regni sui, intelligendo per Juda etiam Benjamin, *per singula loca,* id est in portis urbium, sicut tunc moris erat, ut judices invenirentur in promptu in causis minoribus et humanis.

Et præcipiens judicibus : Videte, ait, quid faciatis, id est, actus vestros, verba B et sententias diligenter pensate, ne devietis in aliquo. *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini,* id est, in judicando estis vicarii Judicis summi (sic et rex in regnando), et a Deo auctoritas ac potestas judiciaria derivatur, ita quod Dei locum vicemque suppletis. Ideo judices, sicut et principes, dii in Scripturis vocantur, juxta illud in Exodo : Diis non detrahes. Exod. xxii, 28, 8. Et rursus : Dominus domus applicabitur ad deos. *Et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit :* id est, si juste judicaveri- C tis, habebitis præmium gloriosum a Deo ; si injuste, supplicium. *Sit timor Domini vobiscum,* id est, filialis timor Dei jugiter cordibus vestris inhæreat. Timor namque retrahit a peccato, ideo valde necessarius judicibus principibusque consistit : qui nisi timuerint Deum, tanto facilius poterunt se injuste habere, aliis quoque nocere, quanto major eis inest libertas, ampliorque potestas et major peccandi occasio. *Et cum diligentia cuncta facite,* id est prudenter, non præcipitanter : quia in ju- D dicando multa sunt consideranda, et causa quæ ignoratur, est diligentissime investiganda ; et qui judicat homines, debet perpendere, quod ipse paulo post adsistet tribunali Altissimi, judicandus ab illo.

Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas : juxta illud Psalmi, Quoniam rectus Dominus Deus noster, et Ps. xci, 16. non est iniquitas in eo. Ipse etenim essentialiter sanctus est, omnisque sanctitatis et æquitatis origo, causa et mensura seu regula, juxta quod in libro Sapientiæ scri-

Digitized by Google

Sap. xii, 16. ptum est : Virtus tua, Domine, justitiæ initium est. *Nec personarum acceptio :* quia unicuique secundum merita sua largitur, neque alicui obligatur. Ideo in libro Job
Job xxxiv, 10, 11. asseritur : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum
Ps. xv, 2; I Par. xxix, 11, 12. restituet. *Nec cupido munerum :* quia bonorum nostrorum non eget, et ejus sunt omnia. Ideo judices debent eum præcipue formidare, tanquam justissime judicandi ab eo, qui a veritate et æquitate nequaquam flexibilis est. Propter quod ait Scri-
Sap. vi, 3, 4, 6. ptura : Præbete aures, vos qui continetis multitudines, quoniam data est vobis potestas a Domino, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur. Cito et horrende apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.

Præterea præceptum fuit a Domino in Deuteronomio, ut in urbe principali cultus divini et sacrificiorum, constituerentur judices principales, ad quos in gravioribus ac majoribus causis ac casibus haberetur recursus. Scriptum est equidem in Deute-
Deut. xvii, 8, 9. ronomio : Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, surge et ascende ad locum quem Dominus elegerit, veniesque ad sacerdotes, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Quoniam ergo Jerusalem fuit metropolis regni, in qua fuit templum, sanctus rex Josaphat statuit ibi judices tales, sicut jam subditur : *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel,* id est, aptiores ex familiis Levitarum ac sacerdotum, ac majores elegit ad tantum officium, *ut judicium* verum et justum, *et causam Domini,* id est, id quod Deo complacitum est, et quæ causa sit rationabilis ac divina, *indicarent** *habitatoribus ejus.*

* judicarent

Præcepitque eis, dicens : Sic agetis in timore Domini fideliter et corde perfecto. Omnem causam quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum qui habitant in urbibus suis, et inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, id est de

A aliquo pertinente ad legem divinam, quantum ad testimonia seu credenda, *de mandato,* id est de aliquo casu pertinente ad præcepta moralia, *de cærimoniis,* id est de præceptis cærimonialibus, *de justificationibus,* id est præceptis judicialibus, per quæ inter homines conservatur justitia; *ostendite eis* veram solutionem, et quid placeat aut displiceat Deo, *ut non peccent in Dominum, et ne veniat,* hoc est, ut non veniat, *ira,* id est ultio, *Dei super vos,* propter omissionem impletionis vestri of-
B ficii, *et super fratres,* id est subditos *vestros,* qui pares sunt vobis in natura, et similes in religione. Hinc scriptum est per Malachiam : Labia sacerdotis custodiunt Malach.
scientiam, et legem requirent de ore ejus, 7.
quia angelus Domini exercituum est. *Sic ergo agentes, non peccabitis.*

Amarias autem sacerdos summus, *et,* pro id est, *pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit,* in his scilicet quæ pontificale concernunt officium : ut quærat oraculum Dei, atque ab ipso re-
C sponsa recipiat, et ingrediatur in Sancta sanctorum; in difficillimis quoque discernat ac judicet, maxime in credendis et in necessariis ad salutem. *Porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda,* id est princeps sæcularisque judex, *super ea opera erit quæ ad regis officium pertinent :* id est, in causis civilibus erit vicarius regis, et judex puniens reos. Vel sensus est, quod ex parte auctoritateque regis compescet et puniet illos, qui præfatorum judicum sententiis obtemperare noluerint.
D Rex enim fuit absolute supremus in populo in veteri lege. *Habetisque magistros Levitas coram vobis. Confortamini et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.*

Ecce ex isto capitulo commendatur nobis patientia, justitia, caritas, sapientia, et zelus præfervidus boni communis sancti Josaphat regis : quem prælati et principes in his debent virtutibus imitari, et per se ipsos ac suos vicarios, informare, hortari, corripere, reformareque subditos ; præci-

Digitized by Google

puamque diligentiam adhibere circa officiatos ac judices, admonendo eosdem juxta præhabita, ut in cunctis timorate, prudenter et juste se habeant sine omni personarum acceptione et cupiditate. Quod si A contingat principem aut prælatum, quantumlibet magnum, aliquando a viro bono caritative et juste increpari, non debet super hoc indignari, sed patienter suscipere, seque ad meliora extendere. *Philipp.* III, 13.

ARTICULUS XX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI : POST HÆC CONGREGATI SUNT FILII MOAB ET FILII AMMON.

MIRA et magna victoria Josaphat regi collata, jam describitur. *Post hæc congregati sunt filii Moab et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis.* Per istos de Ammonitis, intelliguntur hoc loco Idumæi, qui
vers. 10. infra in isto capitulo vocantur, mons Seir, et vocantur hic Ammonitæ : vel, quia ex una parte erant de plebe illa; vel, quia confœderati et associati eis fuerunt, aut eorum vexillis signati. Porro Magister in historiis scribit, quod Arabes erant. *Ad Josaphat,* id est contra eum : nam adhuc longe erant ab eo; *ut pugnarent contra eum. Veneruntque nuntii et indicaverunt Josaphat* regi, *dicentes : Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare* Mortuum *sunt, et de Syria :* sicque fuerunt ibi et Syri; *et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.*

Josaphat autem timore perterritus : primi etenim motus non possunt totaliter reprimi. Josaphat tamen non diu mansit in illo timore quodammodo prædominante, sed spe et fortitudine mentis repressit eumdem. Nam subditur : *totum se contulit,* id est, toto corde se recollegit et præparavit, *ad rogandum Dominum,* ut auxiliaretur suis cultoribus; *et prædicavit jejunium in universo Juda,* id est, toti populo per nuntios jussit, ut jejunarent
Tob. XII, 8, 9. ad impetrandum Dei auxilium. Nam et oratio adjuta jejunio, volat in cœlum; similiter eleemosynis multum juvatur : ita quod eleemosyna atque jejunium sunt duæ alæ B orationis. *Congregatusque est Judas,* scilicet habitatores Jerusalem, aliarumque urbium, *ad deprecandum Dominum* in templo : cujus consecratio auxit orationis ibi factæ exaudibilitatem, quoniam et Salomoni Deus promiserat quod orantium ibi vota audiret. *Sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.* III *Reg.* IX, 3; II *Par.* VII, 12-16.

Quumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda et Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum, ait : Domine, Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et C *dominaris cunctis regnis gentium* de jure, non tamen prorsus de facto. Non enim Deo obediunt omnia regna, et tamen omnipotentiæ ejus subjecta sunt, et facit in omnibus atque de omnibus quidquid ei placuerit, et ex se ipso competit ei super omnia auctoritas et potestas. *In manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere. Nonne tu, Deus noster, interfecisti omnes habitatores terræ hujus, coram populo tuo Israel, et dedisti eam semini Abraham amici tui, in sempiter-* D *num? Habitaveruntque in ea, et exstruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes,* id est, patres nostri, videlicet Salomon et populus ejus ædificaverunt in terra ista promissionis templum tuæ majestati, in quo Salomon in persona omnium III *Reg.* VIII, 22 *et seq.*; II *Par.* VI, 12 *et seq.*
et pro omnibus exoravit : *Si irruerint super nos mala,* id est adversa, utpote *gladius judicii, pestilentia et fames,* id est, [gladius] tuo judicio venire permissus aut

Digitized by Google

missus, aut judicium armatura, seu per A quem exercetur judicii exsecutio. Unde in *Job* xix, 29. libro Job habetur : Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et *Ezech.* xiv, 21; *Jer.* xiv, 12. scitote esse judicium. Hinc in Ezechiele et Jeremia Dominus nominat gladium inter quatuor judicia sua pessima, id est pœnalissima, quæ sunt, gladius, fames, pestis, et bestiæ. *Stabimus coram domo hac,* id est in atriis templi, quæ erant in facie templi seu domus Dei, *in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum; et clamabimus ad te in tribulationibus nostris,* et *exaudies nos, salvosque facies.*

Nunc ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, id est Idumæi habitantes in monte Seir, seu in terra Edom montuosa, *per quos non concessisti filiis Israel ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos.* Qualiter intelligendum sit hoc, *Deut.* ii; *Judic.* xi, 17, 18. patet ex dictis in libris Deuteronomii et Judicum. Siquidem filii Israel transierunt ex latere per Idumæam, et per aliquam partem regnorum Moab et Ammon, prout C in Deuteronomio manifeste habetur, non tamen ad nocendum aut impugnandum, sed pertransierunt velociter, et declinaverunt ab eis pro posse : sicque dicuntur non transisse per illos, id est per medium terræ ipsorum itinere consueto. *Econtrario agunt, et nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis, Deus noster. Ergo non judicabis eos?* id est, quum *Ps.* vii, 12. sis justus omnium judex, tantam illorum impietatem dijudicabis et punies.

In nobis quidem non est tanta fortitudo, D *ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos.* Hoc mirum videtur, quum II *Par.* xvii, 14-19. supra descripti sint principes et exercitus Josaphat, ita quod quinque erant principes illi, sub quorum primo erant viri robustissimi trecenta millia, sub secundo ducenta octoginta millia, sub tertio ducenta millia, sub quarto totidem, sub quinto centum octoginta millia militum expeditorum, qui omnes erant ad manum regis, exceptis aliis quos posuerat in urbibus muratis, et in universo Juda. Sed forte hac vice non fuerant congregati, aut propter adversariorum repentinum adventum nequibant se apte colligere et parare, vel adversarii erant mirabiliter multi et fortes. *Sed quum ignoremus quid agere debeamus* via humana, *hoc solum habemus residui, ut oculos nostros* interiores *dirigamus ad te,* id est ad intuendum et invocandum infinitam misericordiam tuam. Istud est in omni tentatione et angustia unicum saluberrimumque consilium.

B *Omnis vero Juda stabat coram Domino cum parvulis et uxoribus et liberis suis :* ut ex hoc Dominus amplius ad misericordiam provocaretur, quoniam mulieres et pueri ac puellæ sunt miserabiles personæ et pronæ ad fletum. Itemque, ut ex tanta orantium multitudine oratio exaudibilior fieret, juxta illud ad Corinthios : Ut ex II *Cor.* i, 11. multarum personis facierum, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Deinde narratur, qualiter pius Dominus devotissimum regem et populum ejus afflictum, orationibus, jejuniis, vigiliisque lassatum, cito consolari dignatus est. *Erat autem Jahaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Jehiel, filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini,* id est, in cujus corde diffusa est a Spiritu Dei revelatio prophetalis, *in medio turbæ, et ait : Attendite, omnis Juda et qui habitatis in Jerusalem, et tu, rex Josaphat. Hæc dicit Dominus vobis : Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem. Non enim est vestra pugna, sed Dei:* id est, Deus pugnabit pro vobis, quia et isti contra vos convenerunt injuste atque ad Dei injuriam, cujus estis cultores, et moti sunt contra vos propter ea quæ Deus in patribus vestris est operatus. *Cras descendetis contra eos. Ascensuri enim sunt per clivum,* id est montuosum ascensum, *nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel. Non enim eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et*

Digitized by Google

videbitis auxilium Domini super vos. O Juda et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis. Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.

Josaphat ergo et Juda, et omnes habitatores Jerusalem ceciderunt proni in terram coram Domino, humillime ei ac devotissime regratiantes, et ex zelo justitiæ contra adversarios laborantes, *et adoraverunt eum. Porro Levitæ de filiis Caath, et de filiis Core, laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum,* psalmos canendo seu cantica sancta.

Quumque mane surrexissent Josaphat et sui, *egressi sunt per desertum Thecue. Profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me, viri Juda et omnes habitatores Jerusalem. Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis. Credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera :* ne vestra incredulitate ponatis obicem gratiæ vobis promissæ. *Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis,* id est, ordinate
I Par. xxv. distinxit et disposuit eos, sicut erant a David divisi, ut unaquæque eorum turma Deum laudaret, *et antecederent exercitum,* tanquam speciales milites Dei ad communitatis tutelam, et vulgi propugnatores, spiritualibus armis tuentes eos qui sequeban-
Ps. cxxxv, 1. tur, *ac voce consona dicerent : Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Quumque cœpissent laudes canere, id est Deum laudare, *vertit Dominus insidias eorum,* utpote adversariorum, *in semetipsos, filiorum scilicet Ammon et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Judam, et percussi sunt :* ita quod sibi invicem fecerunt quod populo Judæorum facere decreverunt. *Nam filii Ammon et Moab,* tanquam mutuo propinquiores, *consurrexerunt adversus habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos. Quumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi,* videlicet Moabitæ in Ammonitas, *mutuis concidere vulneribus.*
Is. xix, 14. Sicque Dominus miscuit in his spiritum

A vertiginis et furoris, inquietudinem contentionis et litis, sic quod contra se invicem corrixari ac superbire ac insanire cœperunt : quod Deo permittente per angelos malos creditur factum. *Porro Juda quum venisset ad speluncam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere. Venit ergo Josaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum. Inveneruntque inter cadavera variam supel-*
B *lectilem, vestes quoque et vasa pretiosissima, et diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre, præ prædæ magnitudine.*

Die autem quarto congregati sunt in valle Benedictionis. Etenim (quoniam ibi benedixerunt Domino) vocaverunt locum illum vallis Benedictionis, usque in præsentem diem. Reversusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos in Jerusalem, cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gau-
C *dium de inimicis suis. Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, et citharis, et tubis in domum Domini. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum,* id est, habitatores regnorum undique situatorum perterriti sunt, et Deum Israel servili quodam timore formidare cœperunt, *quum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel,* id est, quod illos taliter prostravisset : propter quod non audebant regem Josaphat impugnare. *Quievitque regnum Josaphat, et præbuit*
D *ei Dominus pacem per circuitum.*

Regnavit igitur Josaphat super Judam, et erat triginta quinque annorum quum regnare cœpisset. Viginti autem et quinque annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Azuba filia Selahi. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. Per hoc justitia Asa regis evidenter insinuatur, eo quod hoc commemoretur pro præcipuo filii sui, scilicet Josaphat regis, præconio, quod secutus est opera pa-

Digitized by Google

tris sui Asa. *Verumtamen excelsa non abstulit.* Quod qualiter intelligendum sit, in expositione superiorum est expressum. *Et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum.* Jam habitum est supra in diversis capitulis de grandi Judæorum devotione ad Deum sub Asa et Josaphat, sub quibus percusserunt fœdus cum Domino, et in toto corde suo Domino juraverunt, eumque invenerunt. Deinde per jejunia et orationes, per laudes, sacrificia et gratiarum actiones erexerunt corda sua ad Dominum. Quomodo ergo nunc dicitur, quod populus adhuc non direxit cor suum ad Dominum? Respondetur, quod hoc dicitur ad insinuandum quamdam eorum imperfectionem, ita quod non direxerunt cor suum ad Deum stabiliter et perfecte, quoniam multi ex eis adhuc contra legis præceptum obtulerunt sacrificia Deo alibi quam in templo. Videntur tamen quadam dispensatione seu permissione in hoc ipso excusari a culpa mortali. Nam multi justi reges permiserunt hoc fieri, quia a diebus Judicum et David ac Salomonis erant assuefacti in hoc.

II *Par.* XVII. *Ibid.* XV, 14, 15; XVII, 7-9; XIX, 4.

Reliqua autem gestorum Josaphat, priorum et novissimorum, scripta sunt in libris Jehu filii Hanani, quæ digessit in libro Regum Israel. Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda, cum Ochozia rege Israel,* fratre uxoris filii sui, scilicet Joram, *cujus opera fuerunt impiissima; et particeps fuit, ut facerent naves quæ irent in Tharsis. Feceruntque classem in Asiongaber.* Sicque, quemadmodum Asa circa finem vitæ suæ in quibusdam excessit, ita et Josaphat, minus tamen quam Asa. Punivit quoque Dominus culpam hanc Josaphat per hoc, quod naves ejus quas misit pro auro seu aliis rebus pretiosis in Tharsis et in Asiongaber, id est in mare et in locum illum juxta mare Rubrum, contritæ sunt: et apparet, quod classes Ochoziæ ibant cum classibus Josaphat. *Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa, ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.*

* verbis

Sensus moralis.

Moraliter ex isto capitulo instruuntur Christiani, qualiter in omni tam corporali quam spirituali conflictu, eis vel a visibilibus aut ab invisibilibus hostibus imminente, debeant se habere. Nempe principes pugna corporali eis instante, non debent immoderate timere, sed se totos ad Dominum exorandum conferre, in ipso confidere, subditos suos per se et spirituales viros hortari, ut vitam suam in cunctis emendent, orationibus et jejuniis vacent. Specialiter vero a religiosis et clero debent orationum et Missarum postulare suffragia, et ordinare ut psalteria et litaniæ legantur, Missæ celebrentur quamplurimæ, processionesque fiant. Quod si viderint adversarios suos exsistere fortiores, cum omni humilitate fateantur, dicentes: *In nobis,* o Domine, *non est tanta fortitudo, ut possimus multitudini* super nos irruenti *resistere; sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Denique in spirituali conflictu constitutis contra invisibiles inimicos nobis callidiores, fortiores ac plures, istud potissime est dicendum, præsertim dum acriter impugnamur: tuncque cum omni fiducia et fervore clamemus ad Dominum, ejus invocantes auxilium incessanter. Postremo, omnia hæc sunt specialiter Christianis contra infideles præliaturis, agenda.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : DORMIVIT AUTEM JOSAPHAT CUM PATRIBUS SUIS.

AGITUR jam de filio Josaphat qui patri A suo successit in regno, sed non in regendo officio, quia pater suus fuit rex optimus, et iste tyrannus pravissimus, vas iræ, (Rom. IX, 22.) et homo miserrimus. *Dormivit autem Josaphat cum patribus suis,* quum sexaginta esset annorum, *et sepultus est cum eis in civitate David; regnavitque Joram filius ejus pro eo. Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam, et Jahiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam. Omnes hi filii Josaphat regis Juda; deditque eis pater suus multa munera auri et ar-* B *genti, et pensationes,* id est ponderationes rerum pretiosarum, vel ut aliqui legunt, pensiones aut pensitationes, id est annuos census seu reditus, *cum civitatibus munitissimis in Juda,* dando unicuique eorum aliquas urbes, in quibus præerant, tamen sub rege. *Regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus. Surrexit autem Joram super regnum patris sui. Quumque se confirmasset* Joram, id est, consilio impiorum atque auxilio se firmasset, *occi-* C *dit omnes fratres suos,* sicut Abimelech occidit omnes fratres suos, (Judic. IX, 5.) *gladio :* ut bona eorum solus haberet, et ne populus ipsum propter suam perversitatem abjiceret, et aliquem fratrum suorum promoveret in regem; *et quosdam de principibus Juda,* quos vidit suæ malignitati contrarios, et suo proposito adversantes.

Triginta duorum annorum erat Joram quum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavitque in viis, id est vitiis et idololatriis, *regum Israel, sicut egerat domus Achab. Filia quippe* D *Achab erat uxor ejus. Et fecit malum in conspectu Domini. Noluit autem Dominus disperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo, et quia promiserat ut daret ei lucernam, et filiis ejus in omni tempore. In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem. Quumque transiret Joram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom, qui se circumdederat, et omnes duces equitatus ejus. Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem. Eo tempore et Lobna recessit, ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum. Insuper et excelsa fabricatus est in urbibus Juda, et fornicari fecit habitatores Jerusalem, et prævaricari Judam,* hoc est idololatriam exercere.

Allatæ autem sunt ei litteræ ab Elia propheta. Quod dupliciter potest intelligi : primo, quod Elias propheta personaliter attulit litteras istas ad Joram; secundo, quod aliquis ex parte Eliæ detulit eas. *In quibus scriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda; sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab; insuper et fratres tuos domum patris tui, meliores te, occidisti : ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, et filiis et uxoribus tuis,* qui tibi communicaverunt in vitiis, *universaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.*

Circa hæc oritur quæstio, quomodo Elias propheta potuit litteras istas portare aut destinare ad Joram, quum Elias translatus (IV Reg. II, 11.) jam fuerit, Josaphat adhuc regnante : præsertim quum quarto Regum libro recitetur,

Digitized by Google

IV *Reg.* III, 7 *et seq.* quemadmodum ipso Josaphat pergente ad prælium cum Joram filio Achab, deficienteque aqua, sciscitatus sit Josaphat (*Ibid.* 11.) : Estne hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum ? Responditque unus : Est hic Eliseus, qui fundebat aquam super manus Eliæ. Ad istud aliqui responderunt, quod iste Elias propheta, fuit alter a magno illo Elia. Nam et Magister in historiis scribit (Hist. lib. IV Reg. c. 13.) : Tulit ad Joram Elias quidam propheta epistolam correctoriam. Alii dicunt, quod Elias præscius futurorum, scripsit epistolas istas ante suam translationem, et post eam apportatæ sunt ad Joram. Hinc refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod istæ epistolæ fuerunt ad Joram allatæ post translationem Eliæ.

Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philistinorum et Arabum, qui confines sunt Æthiopibus ; et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam. Diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis; insuper et filios ejus et uxores. Textus iste planissimus est. *Nec remansit ei filius nisi Joachaz, qui minimus natu erat :* qui alio nomine appellatur Ochozias, et Ahazias, et Azarias. Sicque per quæ impius ille Joram peccavit, per hæc punitus est (Sap. XI, 17.) : quia sicut fratres suos occidit, sic filii sui occisi sunt.

Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore, id est dolore, *insanabili,* scilicet ægritudine chronica, id est temporali et diuturna, ut patet consequenter in littera. *Cumque dici succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus. Et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima,* hoc est pœnalissima, in qua nec pœnituit. *Et non fecit ei populus secundum morem combustionis, exsequias,* id est, regio honore non sepelierunt, comburendo super corpus ejus aromata, ut fuerat consuetudo, *sicut fecerat majoribus ejus. Triginta duorum annorum fuit quum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavitque non recte. Et sepelierunt eum in civitate David; verumtamen non in sepulcro regum.* Unde et Josephus : Separatum, inquit, tumulum tradiderunt ei sine regalibus exsequiis ; et hoc in detestationem facinorum ejus.

Cetera hujus capituli verba hic non exposita, aut penitus plana sunt, aut quarto Regum libro sunt elucidata. (IV *Reg.* VIII 16-24.)

Sensus moralis. Ecce ex isto docemur capitulo, quam secreta et metuenda sint Dei judicia, et quod nemo potest de parentum suorum electione aut sanctitate præsumere, quoniam optimus ille rex Josaphat, tam sceleratissimum ac reprobissimum habuit filium. Insuper constat ex dictis, qualiter divina justitia quædam scelera ob nimiam eorum enormitatem punire incipiat in præsenti, et postea puniat ea in sempiternum. Iterum innotescit ex his, qualiter sanctus et justus Deus omnipotens interdum privet reprobos in præsenti optato fine, atque cupito malignitatis eorum effectu. Siquidem crudelissimus et penitus inhumanus iste Joram, regno non contentus, proprios fratres peremit, ut civitates et opes eis collatas acquireret : et ecce privatus est subito proprio regno, omnique prosperitate et sanitate ac vita.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : CONSTITUERUNT AUTEM HABITATORES JERUSALEM OCHOZIAM, FILIUM EJUS MINIMUM, REGEM PRO EO.

SEQUITUR historia de Ochozia filio Joram regis Juda ; estque littera hujus
V Reg. VIII, -29; IX, 14 et seq. capituli libro quarto Regum pene tota exposita. *Constituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus*, id est ipsius Joram, *minimum*, id est juniorem,
II Par. XXI, 17. *regem pro eo*. Ceteri enim, ut dictum est, erant occisi. *Omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerunt latrones Arabum, qui irruerant in castra. Regnavitque Ochozias filius Joram regis Juda. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias quum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem :* quoniam primo
IV Reg. IX, 27. anno regni sui fuit a Jehu occisus. Sed oritur dubium, qualiter Ochozias poterat esse quadraginta duorum annorum, dum cœpit regnare, quum quarto Regum libro ac præ-
Ibid. VIII, 17; II Par. XXI, 5, 20. cedenti dicatur capitulo, quod Joram pater ejus triginta duorum erat annorum, dum cœpit regnare, et octo annis regnavit, sicque quadragenarius obiit. Rursus, quarto
V Reg. VIII, 26. Regum libro asseritur, quod Ochozias regnare exorsus est, dum erat annorum viginti duorum. Ad hoc expositores respondent, quod teste Hieronymo, Joram regnavit annis viginti octo : sed octo anni computantur in numero, quia tot annis præfuit bene ; ceteri omittuntur, quia in eis idololatriæ deservivit : juxta quem sensum di-
I Reg. XIII, 1. citur Saul duobus annis regnasse. Itaque viginti anni quibus Joram regnavit inique, qui quarto Regum tacentur, hoc loco nectuntur annis vitæ filii ejus.

Et nomen matris ejus Athalia, filia Amri. Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab. Mater enim ejus impulit eum, ut impie ageret, hoc est, Athalia filium suum Ochoziam vehementer instigavit et traxit

A ad idololatriam. *Fecit ergo malum in conspectu Domini, sicut domus Achab* avi sui. *Ipsi enim*, qui erant de genere et familia Achab, *fuerunt ei*, scilicet Ochoziæ, *consiliarii post mortem patris sui in interitum ejus ; ambulavitque in consiliis eorum.* Ex eorum ergo iniquo consilio tam dire excessit, quod meruit corporaliter occidi, æternaliter damnari : et ita ex illorum consilio incurrit triplicem mortem, videlicet mortem culpæ mortalis, et corporalis occisionis, atque miseriæ infernalis.

B *Et perrexit cum Joram filio Achab, rege Israel, in bellum contra Hazael regem Syriæ, in Ramoth Galaad; vulneraveruntque Syri Joram. Qui reversus est ut curaretur in Jezrael. Multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram, rex Juda, descendit ut inviseret Joram* fratrem matris suæ, *filium Achab, in Jezrael ægrotantem. Voluntatis quippe Dei fuit adversus Ochoziam,* hoc est, in ejus justum interitum, *ut veniret ad Joram,* ut scilicet simul cum ipso Joram
C occideretur a Jehu ; *et quum venisset, et egrederetur cum eo,* puta cum Joram, *adversum Jehu filium Namsi,* hoc est in ipsius occursum, non tamen intentione pugnandi contra eum ; *quem* Jehu *unxit Dominus,* id est, per unum ex discipulis Elisei fecit ungi in regem, *ut deleret domum,* id est posteritatem, *Achab :* de cujus semine fuit et Ochozias, ideo Dominus voluit eum occidi a Jehu.

Quum ergo everteret Jehu domum Achab, interficiendo ejus progeniem, *invenit prin-*
D *cipes Juda,* qui erant ministri Ochoziæ, *et filios fratrum Ochoziæ.* Nam fratres Ochoziæ, quamvis fuerunt occisi, filii tamen

Digitized by Google

eorum manserunt superstites. *Qui ministrabant ei,* scilicet patruo regi Ochoziæ; IV *Reg.* x, 13, 14. *et interfecit illos :* prout quarto Regum libro legitur. *Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad se, occidit.* Istud videtur contrariari historiæ quarti Regum *Ibid.* IX, 27. libri, in quo legitur : Ochozias autem rex Juda, videns hoc, fugit per viam domus horti, persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo. Et percusserunt eum in ascensu Gaver. Ad hoc respondetur, quod Ochozias conspiciens qualiter Joram occidebatur a Jehu, fugit in urbem Jezrael, interim quod Jehu cum suis fuit occupatus circa Joram, et corporis sui projectionem in agrum Naboth. Audiens autem, quod Jehu veniret ad Jezrael, fugit inde in urbem Samariæ fortem, et ibi Jehu per suos satellites reperit eum, quem jussit sibi adduci, adductumque ad se, occidit. Tamen ut quarto Regum habetur, *Ibidem.* non statim occidit eum totaliter, sed in ascensu Gaver vulneravit letaliter, et inde Ochozias fugit in Mageddo, obiitque ibidem. *Et sepelierunt eum,* non ipse Jehu et servi sui, sed ministri Ochoziæ tulerunt IV *Reg.* IX, 28. corpus ejus in Jerusalem, et sepelierunt in civitate David, *eo quod esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in corde suo.*

Quæ autem hic sequuntur, exposita sunt libro quarto Regum. *Nec erat ultra spes* *Ibid.* XI, 1-3. *aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ. Siquidem Athalia mater ejus, videns quod mortuus esset filius suus, surrexit et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram. Porro Josabeth filia regis, tulit Joas filium Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis quum interficerentur, absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum. Josabeth autem quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Joiadæ pontificis, soror Ochoziæ : et idcirco Athalia non interfecit eum. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.*

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : ANNO AUTEM SEPTIMO CONFORTATUS JOIADA, ASSUMPSIT CENTURIONES.

CONSEQUENTER in præsenti capitulo recitatur, qualiter Joas filius Ochoziæ institutus sit rex, et Athalia interfecta, cultusque Dei reparatus in templo. *Anno autem septimo confortatus Joiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham, et Ismael filium Johanan, Azariam quoque filium Obed, et Maasiam filium Adaiæ, et Elisaphat filium Zechri; et iniit cum eis fœdus. Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Domini cum rege. Dixitque ad eos Joiada : Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David. Iste est ergo sermo quem facietis : Tertia pars vestrum, qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum et Levitarum et janitorum, erit in portis; tertia vero pars, ad domum regis ; et tertia, ad portam quæ appellatur Fundamenti. Omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini; nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes et qui ministrant de Levitis. Ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt; et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua ; et si quis alius ingressus fu-*

Digitized by Google

erit templum, interficiatur; sintque cum rege et intrante et egrediente. A

Fecerunt ergo Levitæ et universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Joiada pontifex. Et assumpserunt singuli viros, qui sub se erant, et veniebant per ordinem sabbati, cum his qui jam impleverant sabbatum, et egressuri erant. Siquidem Joiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant. Deditque Joiada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo B *Domini. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextera, usque ad partem templi sinistram, coram altari et templo, per circuitum regis. Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem. Unxit quoque illum Joiada pontifex, et filii ejus; imprecatique sunt ei atque dixerunt, Vivat rex.*

Quod quum audisset Athalia, vocem scilicet currentium, atque laudantium regem, C *ingressa est ad populum in templum Domini. Quumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, et principes turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, et ait: Insidiæ, insidiæ. Egressus autem Joiada pontifex ad centuriones et principes exercitus, dixit eis : Educite illam extra septa templi, et interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos, ne occideretur in domo* D *Domini. Et imposuerunt cervicibus ejus manus. Quumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi.*

Pepigit autem Joiada fœdus inter se universumque populum et regem, ut esset populus Domini. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam; et altaria ac simulacra illius confregerunt. Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

Totus hujus historiæ sensus, scriptus est atque expositus quarto Regum libro. Nam IV *Reg.* XI, 4 *et seq.* et verba pauca quæ hic adduntur, ibi inserta fuerunt atque explanata. Hic tamen inter cetera adjungitur : *Constituit autem Joiada præpositos in domo Domini, ut sub manibus sacerdotum et Levitarum, quos distribuit David in domo Domini, offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysis, in gaudio et canticis juxta dispositionem David.* Præpositus domus Dei, solet pontifex accipi; sed ita non sumuntur hoc loco isti præpositi, sed potius possunt intelligi viginti quatuor præcipui sacerdotes post pontificem, quos David instituit, et successive ministrabant ac sacrificabant in templo cum sacerdotibus et Levitis, cantoribus et janitoribus sibi subjectis, prout supra primo libro expositum I *Par.* XXIV, 3 *et seq.* est; et quando sacrificabant, Levitæ et cantores psalmos canebant cum gaudio spirituali, sicut hic tangitur. Offerebant autem præpositi illi sub manibus, id est simul per ministeria sacerdotum ac Levitarum. *Constituit quoque janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re. Assumpsitque centuriones et fortissimos viros, ac principes populi, et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini, et introire per medium portæ superioris, in domum regis, et collocaverunt eum in solio regali. Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit. Porro Athalia interfecta est gladio.*

Digitized by Google

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : SEPTEM ANNORUM ERAT JOAS QUUM REGNARE COEPISSET.

SCRIPTURA hoc loco enarrat, qualiter Joas in principio regni sui, et deinceps per longum tempus bene se habuit in suo regimine circa Deum et populum, et qualiter tandem inciderit vitia magna, atque propterea pœnas adversitatesque maximas. Porro prima pars hujus capituli, exposita est quasi tota libro quarto Regum. (IV *Reg.* XII.) *Septem annorum erat Joas quum regnare cœpisset.* Nec erat ætas illa sufficiens ad regnandum, quum scriptum sit, Væ terræ cujus rex puer est; (*Eccle.* X. 16.) sed necessitate urgente, sapientissimus pontifex Joiada unxit puerum illum in regem, ut finis imponeretur pessimo regimini detestandæ Athaliæ, et quoniam Joiada erat sufficientissimus defectus pueri illius supplere, et eum in cunctis dirigere. *Et quadraginta annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Sebia, de Bersabee. Fecitque quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Joiadæ sacerdotis. Accepit autem ei Joiada uxores duas, e quibus genuit filios et filias.* Accepit ergo ei tunc Joiada pater ejus uxores duas, quod utique tunc licitum erat, imo multi præcedentium regum habuerunt valde plures : quod quoniam multis fuit ruinæ occasio, voluit pontifex virtuosus, ut Joas contentus esset duabus uxoribus.

Post quæ placuit regi *Joas, ut instauraret domum Domini,* id est, ruinas et fracturas templi repararet. *Congregavitque sacerdotes et Levitas, et dixit eis : Egredimini ad civitates Juda, et colligite de universo Israel pecuniam,* id est, de quolibet capite seu patrefamilias, vel de quolibet viro apto ad bellum, qui scilicet sit ad minus viginti annorum, accipite medium siclum, prout fieri debuit, quando populus numerabatur, ut in libro Exodi legitur, *ad sarta tecta templi Dei vestri* reparanda, (*Exod.* XXX. 12-16.) hoc est, ad reformandum ea quæ in tecto templi, aut aliis ejus partibus erant corrupta aut lapsa. Quod autem subjungitur, *per singulos annos,* ad utrumque potest referri, ut scilicet vel talis collectio pecuniarum, vel talis instauratio ruinarum, fieret omni tempore opportuno ; *festinatoque hoc facite. Porro Levitæ egerunt negligentius,* id est, hi quibus commissa fuit illa collectio, pigre executi sunt regis præceptum. *Vocavitque rex Juda Joiadam principem* sacerdotum, *et dixit ei : Quare non fuit tibi curæ, ut cogeres,* id est, corripiendo et corrigendo diligenter induceres, *Levitas inferre de Juda et de Jerusalem pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini,* id est, de habitatoribus Jerusalem ceterarumque urbium regni mei levare præfatum medium siclum a quolibet viro, prout in Exodo jussum est, (*Ibidem.*) *ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii,* id est, unusquisque de populo, comportaret partem suam ad templum in atrium ejus ?

Denique, quæ sequuntur, possunt esse vel verba regis Joas, assignantis causam suæ increpationis, vel verba auctoris hujus voluminis, insinuantis cur necesse fuit pecuniam colligi. *Athalia enim impiissima* in Deum, cujus cultum destruxit, et in proximum : nam regnandi libidine filios filii sui puerulos trucidavit, et ita secuta est (IV *Reg.* XI. 1.) Jezabel matrem suam ; *et filii ejus.* Naturales filii Athaliæ, fratres Ochoziæ, omnes fuerunt occisi a latrunculis Arabum, juxta præhabita supra. (II *Par.* XXII. 1.) Idcirco per filios Athaliæ, intelliguntur vel ejus cognati ex parte Achab et Jezabel, vel hi quos ad idolola-

Digitized by Google

triam traxit, vel, ut aliqui dicunt, sacerdotes Baal quos nutrivit ut filios. *Destruxerunt domum Dei,* id est templum, illud non conservando, nec ejus ruinas reintegrando; *et de universis quæ sanctificata fuerant in domo,* id est templo, *Domini,* id est de vasis sacris et ornamentis, et pecuniis in templo oblatis, *ornaverunt fanum Baalim,* id est templum Baal.

Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam, id est repositorium oblationum, *posueruntque eam juxta portam* [*domus*] *Domini forinsecus,* id est in atrio juxta januam ejus, B juxta altare holocausti. Hoc est quod quarto IV Reg. XII, 9. Regum libro fertur : Tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen unum desuper, et posuit illud juxta altare, ad dexteram ingredientium domum Domini. *Et prædicatum est in Juda et Jerusalem,* id est, per sacerdotes seu Levitas denuntiatum per totum regnum, *ut deferrent singuli* viri *pretium Domino, quod constituit Moyses servus Dei super omnem* Exod. XXX, 12-16. *Israel in deserto,* scilicet medium sicli : quod vocabatur pretium pro redemptione C animæ, quoniam non misit Dominus plagam in populum, quando in sua numeratione solvit unusquisque vir hoc argentum juxta legis præceptum; sicque facta est copiosissima pecuniarum oblatio ad usum templi præfatum. *Lætatique sunt cuncti principes et omnis populus; et ingressi, contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur. Quumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam), ingrediebatur scriba regis, et* D *quem primus sacerdos constituerat, effundebantque pecuniam, quæ erat in arca. Porro arcam reportabant ad locum suum. Sicque faciebant per singulos dies.*

Et congregata est infinita pecunia, quam dederunt rex et Joiada his qui præerant operibus domus Domini. At illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini; fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur. Egeruntque hi qui operabantur, id est artifices, *industrie,* id est prudenter, *et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum,* hoc est, parietum seu murorum templi læsio reformabatur, *ac suscitaverunt domum Domini ad statum pristinum,* bene reparando eamdem, *et firmiter eam stare fecerunt. Quumque complessent omnia opera* quæ in templi reparatione necessaria erant, *detulerunt coram rege et Joiada reliquam partem pecuniæ,* quæ fuit residua. *De qua facta sunt vasa templi, in ministerium ad holocausta,* hoc est materiæ holocaustorum emptæ, vel altare holocausti reparatum, *phialæ quoque et cetera vasa aurea et argentea.* Nec istud obviat his quæ quarto Regum libro scripta sunt : Verumtamen IV Reg. XII, 13. non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini et fuscinulæ : quia hoc, sicut ibidem innuitur, intelligendum est, quod pecunia illa non fuit oblata ad talem usum, nec durante templi reparatione fiebant illa ex ipsa pecunia. *Et offerebant holocausta in domo Domini jugiter cunctis diebus Joiadæ.*

Senuit autem Joiada senectute sancta, *plenus dierum,* id est fructibus et meritis operum virtuosorum, quæ multis diebus exercuit; *et mortuus est quum esset centum et triginta annorum.* Circa hoc in Scholastica fertur historia : Joiada sacer- Hist. lib. IV Reg. c. 17. dos solus legitur post Moysen centum triginta annis vixisse. Sed advertendum, quod Moyses legitur vixisse annis centum viginti, non centum triginta. Deut. XXXIV, 7. Multi quoque post Moysen vixerunt plus quam annis centum triginta. *Sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel,* et cum David, *et cum domo ejus,* id est propter excellentias suarum virtutum et beneficentiarum, quas impendit toti regno, et specialiter posteris David, ad quos regnum David reduxit.

Postquam autem obiit Joiada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem. Principes isti fuerunt iniqui, et diabolica tentatione faciliter victi, ita quod idololatræ fieri cupiebant : quod sine re-

Digitized by Google

gis consensu facere non audentes, exhibuerunt ei honorem divinum, atque ut fertur, blandiebantur ei, dicentes ac persuadentes quod dignus esset tali honore, eo quod in infantia sua fuisset conservatus et enutritus in templo sex annis : quod non contigisset, nisi divinum quid fuisset in eo, quoniam aliis quam sacerdotibus non licuisset sine periculo ingredi in ipsum Dei templum ultra atrium, sine periculo, per momentum. *Qui delinitus eorum obsequiis,* id est vitiose emollitus a virtutum constantia et soliditate justitiæ, sacrilego illorum honore sibi exhibito, *acquievit eis* ad idololatriam exercendam : et ita videtur fuisse occulte superbus, seu a stabili fundamento virtutum et gratiæ alienus, quia tam cito et facile est deceptus, tamque enormiter lapsus. *Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus. Et facta est ira Domini contra Judam et Jerusalem, propter hoc peccatum. Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant.*

IV *Reg.* xi, 3.

Spiritus itaque Dei induit Zachariam, filium Joiadæ, sacerdotem summum : id est, Spiritus Sanctus assumpsit sibi personam hanc elegantem, ad utendum eo tanquam instrumento, et ad loquendum per eum ; *et stetit in conspectu populi,* id est in templo coram rege et principibus ac frequentia populi, *et dixit eis : Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini,* idololatriam prohibentis, *quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides,* id est, Zachariam lapidaverunt, *juxta regis imperium, in atriis domus Domini,* videlicet inter templum et altare holocaustorum. *Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius,* utpote Zachariæ, *secum,* prout præcedenti capitulo est descriptum ; *sed interfecit filium ejus* crudelissima et injustissima morte. *Qui quum moreretur, ait : Videat Dominus, et requirat,* id est, tantam inju-

II *Par.* xxiii.

A stitiam vestram in me, ostendat se cognoscere per debitam ultionem : quod zelo justitiæ, non livore vindictæ, sanctus martyr ille locutus est, præsertim quoniam tantam Dei injuriam in idololatria illa, non potuit æquanimiter sustinere. Iste est Zacharias, secundum Hieronymum, de quo in Evangelio loquitur Christus. Ex illo tempore, ut Epiphanius ait, non accepit populus Judæorum responsum divinum manifeste, nec ex Dabir, neque ex Ephod, ut ante. Porro Dabir, secundum Josephum, fuit gemma B quadra, duorum digitorum magnitudinem habens, in medio rationali inter alias gemmas sita : cujus radius, mutatioque coloris, signum erat divinæ propitiationis et subventionis seu exauditionis.

Hier. in Matthæum. *Matth.* xxiii, 35.

Consequenter narratur, quam cito et copiose oratio seu potius prophetia Zachariæ contra Joas ac populum sit impleta. *Quumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ,* et tractaverunt eum ac principes ejus et populum, sicut in textu, qui planus est, recitatur. *Venitque in* C *Judam et Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum. Et certe, quum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. In Joas quoque ignominiosa exercuere judicia. Et abeuntes, dimiserunt eum in languoribus magnis :* id est, eum irreverenter turpiterque tractaverunt ac graviter afflixerunt, quatenus qui sibi divinos permisit exhibe- D ri honores, tam vilissime ac bestialiter tractaretur. *Surrexerunt autem contra eum servi sui in ultionem sanguinis Zachariæ filii Joiadæ sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est. Sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulcris regum. Insidiati vero sunt ei Zachar filius Semaath Ammonitidis, et Josabad filius Semarith Moabitidis.*

Porro filii ejus, ac summa pecuniæ, quæ adunata fuerat sub eo in præfata oblatione, *et instauratio domus Dei, scripta sunt*

Digitized by Google

diligentius in libro Regum. In libro Regum quem habemus, non fit mentio, nisi de uno filio Joas, scilicet Amasia, nec summa illa ibi taxatur. Idcirco per librum Regum hic allegatum, intelligendus putatur aliquis liber, in quo facta hujus Joas et aliorum quorumdam regum Juda ab aliquo Propheta fuerunt conscripta : qui liber non invenitur. Siquidem liber Regum quem habemus, ex multis hujusmodi libris est compilatus, ut Magister in historiis tangit ; qui etiam addit, quod omnes filii Zachariæ cum eo lapidati fuerunt, præter unum qui et post vocatus est Zacharias.

IV *Reg* XIV, 1-20. Hist. lib. IV Reg. in contrarietatum solutione.

Moraliter ex isto capitulo informamur, quam necessarium sit perseverare usque in finem, seque in vera et stabili humilitate fundare, et esse jugiter timoratum. Siquidem Joas iste qui multis annis tam juste vixit, et tanti erat fervoris, quod tam pontificem virtuosum, quam sacerdotes ac Levitas de eorum negligentia increpavit, ac circa templi instaurationem fuit tam studiosus, paulo post ad tam enormissima A lapsus est scelera, nec acquievit Prophetis, et justum pontificem, cui tam gratus exsistere tenebatur, crudelissima morte peremit, eo quod juste et pie corriperetur ab illo. Videamus ergo et nos, ne ex aliorum adulatione flectamur a via justitiæ, et trahamur ad vitia. Nec alicui nisi Deo, et aliis in Deo, placere optemus. Caveamus etiam, ne paternam aut fraternam correptionem impatienter aut arroganter feramus, et ne corripientem lædere affectemus ; nec aliquis tam vanus et excæcatus consistat, quod B supra merita sua cupiat honorari, vel immoderate se sinat laudari aut venerari : ne cum miserrimo isto Joas dispereamus. Quinimo exemplo Zachariæ, zelo justitiæ ferveamus, injuriam Dei non dissimulemus, præceptum correptionis fraternæ viriliter et prudenter implere conemur. Postremo, ad reparandas ecclesias, vetustate aut negligentia læsas aut lapsas, principes et prælati, ac ceteri inardescant et conferant, magisque doleant scissuras et destructiones in domo Dei, quam in ædibus suis.

Sensus moralis.

ARTICULUS XXV

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : REGNAVIT AUTEM AMASIAS FILIUS EJUS PRO EO.

HIC agitur de regno Amasiæ. *Regnavit autem Amasias filius ejus pro eo. Viginti quinque annorum erat Amasias quum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Joadan, de Jerusalem. Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto. Quumque roboratum sibi videret imperium, jugulavit servos, qui occiderant regem patrem suum, sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in libro legis Moysis, ubi præcepit Dominus, dicens : Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur*. Lit- C tera ista exposita est quarto libro Regum pro parte magna.

Deut. XXIV, 16. IV Reg. XIV, 1-6.

Qualiter vero congressus sit contra Idumæos, quarto Regum breviter, hic vero diffuse describitur, nec magna est difficultas in textu. *Congregavit igitur Amasias Judam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones, in universo Juda et Benjamin ; et recensuit a viginti annis et sursum, invenitque triginta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum*. Quo con- D stat, quod parvum habebat exercitum, quia sub patre ejus innumerabiles erant occisi a Syris. *Mercede quoque conduxit de Israel*

Ibid. 7. II *Par.* XXIV, 24.

Digitized by Google

centum millia robustorum, centum talentis argenti.

Venit autem homo Dei ad illum, qui erat propheta, *et ait : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel. Non est enim Dominus cum Israel et cunctis filiis Ephraim :* quia idolis serviebant, et propter eorum peccata Deus subtraxisset Amasiæ auxilium suum, eo quod in idololatris esset confisus. Ideo princeps christianus non debet in adjutorium suum provocare homines publice sceleratos. *Quod si putas in robore exercitus bella consistere,* id est victoriam principaliter dependere ex multitudine et fortitudine corporali bellatorum, et non potius ex moderamine providentiæ Dei, et dispositione divinæ justitiæ, quæ secundum merita atque demerita hominum disponit exitus præliorum, *superari te faciet Deus ab hostibus,* quamvis paucis. Talis namque opinio derogaret fidei et Scripturis, et providentiæ Dei. *Dei quippe est adjuvare* justos, et eos quibus ex occultis causis vult largiri triumphum, *et in fugam convertere* alios. Deus enim ad libitum suum corda immutat, vires confortat, et
Prov. XXI, 1. animum quocumque voluerit, vertit, quem-
Is. XL, 29. admodum Isaias fatetur : Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, robur multiplicat. *Dixitque Amasias ad hominem Dei : Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel ? Et respondit ei homo Dei : Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura.*

Separavit itaque Amasias exercitum qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum. At illi, scilicet centum millia decem tribuum, *contra Judam vehementer irati,* quia videbant se tanquam iniquos et alienos a Deo repelli, *reversi sunt in regionem suam,* mercede eis collata retenta : sicque Amasias cum paucis prævaluit populo magno, quoniam credidit et acquievit Prophetæ. *Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir, decem millia. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, et adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt. At ille exercitus quem remiserat Amasias, ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron.* Primo tamen, ut dictum est, redierunt in propria, et regi suo nuntiaverunt qualiter tanquam viles et adversarii Dei fuerunt abjecti ab Amasia. Tunc de regis sui licentia redierunt ad impugnandum Amasiam : quod dicitur factum post reditum Amasiæ. *Et interfectis tribus millibus* de populo Juda, *diripuit prædam magnam* de ejus terra : quod justo Dei judicio creditur factum, quoniam Amasias ex collato sibi triumpho intumuit.

Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos sibi *deos filiorum Seir, statuit illos sibi in deos, et adorabat eos, et illis adolebat incensum.* Circa quod scribit Lyra : In libro de Hebraicis quæstionibus dicitur, quod morientibus victisque Idumæis, Hieron. idola responderunt Idumæos hoc pati, quia negligentes fuerunt in veneratione ipsorum : quod audiens Amasias, coluit eos. Sed Lyra hoc reprobat, dicens : Nulla glossa Hebraica dicit hoc, nec aliquis expositor Latinus authenticus. Verumtamen Magister in historiis ait : Amasias deos quos tulerat, adoravit, quia audivit eos dantes responsa, ideo Hist. lib. IV Reg. c. 1 perisse Amalecitas seu Idumæos, quoniam negligentes fuerunt in cultu ipsorum. Denique satis credibile est, dæmones sic respondisse per idola, tum ad majorem idololatrarum illorum deceptionem, tum ad Amasiæ subversionem : qui etiam perpendere tenebatur, quod responsa talia, essent dæmonum verba.

Quamobrem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum Prophetam qui diceret ei. Et in hoc declaratur ineffabilis pietas Dei, qui ad tam ingratum et improbum regem redarguendum, mittere dignabatur sanctum Prophetam. *Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua ?* quasi diceret, Nec te poterunt liberare. *Cumque hæc ille loqueretur, re-*

Digitized by Google

spondit ei, Amasias Prophetæ : *Num consiliarius regis es?* quasi dicat, Non spectat ad te, arguere me. *Quiesce* a tua reprehensione, *ne interficiam te*. Ecce quanta superbia, ira et impatientia. *Discedensque Propheta* ab incorrigibili et obstinato, *Scio, inquit, quod cogitaverit Dominus occidere te, quia fecisti hoc malum*, deos falsos colendo, *et insuper non acquievisti consilio meo*. Hinc et Salomon ait : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Unde constat, quam detestabile sit, increpationi non acquiescere. Pessimum vero est, increpanti indignari, minari, resistere. Ideo in libro Proverbiorum scriptum est : Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Prov. XXIX, 1.

Ibid. XIII, 18.

Denique, sicut Propheta iste prædixit, sic contigit Amasiæ, ut in fine capituli hic recitatur. *Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu, regem Israel, dicens : Veni, videamus nos mutuo. At ille remisit nuntios, dicens : Carduus qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Et ecce bestiæ quæ erant in silva Libani, transierunt et conculcaverunt carduum. Dixisti : Percussi Edom ; et idcirco erigitur cor tuum in superbiam. Sede in domo tua. Cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Juda tecum? Noluit autem audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium, propter deos Edom. Ascendit igitur Joas rex Israel, et mutuos sibi præbuere conspectus. Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Juda. Corruitque Juda coram* A *Israel, et fugit in tabernacula sua. Porro Amasiam regem Juda, filium Joas, filii Joachaz*, id est Ochosiæ, qui alio nomine dictus est Joachaz, *cepit Joas rex Israel in Bethsames* Juda, id est in prælio juxta urbem regni Juda, nomine Bethsames, *et adduxit in Jerusalem ; destruxitque murum ejus*, videlicet urbis Jerusalem, *a porta Ephraim*, quæ dicitur porta Vallis, *usque ad portam Anguli, quadringentis cubitis. Omne quoque aurum et argentum, et universa vasa quæ repererat in domo Dei, et* B *apud Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, necnon et filios obsidum*, id est obstagiorum, *reduxit in Samariam*. Hoc sonat, quasi in Jerusalem fuissent obsides ex regno Israel, et illos Joas eruerit ac secum reduxerit : quod et aliqui dicunt, adjicientes, quod filii obsidum (de quibus nunc est sermo) erant filii principum detentorum in obsides ab Amasia. Alii dicunt, quod obsides isti erant principes regis Juda, quos Joas cepit in prælio, secumque duxit in Jerusalem, atque pro eis filios eo- C rumdem accepit, et secum perduxit. Unde quarto libro Regum legitur, quod tulit obsides secum. IV Reg. XIV, 14.

Vixit autem Amasias filius Joas, rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz, rex Israel, quindecim annis. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et novissimorum, scripta sunt in libro Regum Juda et Israel. Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset Lachis, miserunt et interfecerunt eum ibi ; reportantesque D *super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David.*

Cetera hic non exposita, super præfatum librum Regum exposita constant.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : OMNIS AUTEM POPULUS JUDA FILIUM EJUS OZIAM ANNORUM SEDECIM, CONSTITUIT REGEM PRO AMASIA PATRE SUO.

DE prosperitatibus, virtutibus et operibus Oziæ regis, et tandem de ejus culpa et debita pœna agit præsens capitulum. *Omnis autem populus Juda filium ejus,* videlicet Amasiæ, *Oziam,* qui etiam dictus est Azarias, imo et Zacharias, secundum quosdam, *annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo.* Pontifex tamen unxit eum in regem, et populus acceptavit. *Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis. Sedecim annorum erat Ozias quum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Jechelia, de Jerusalem. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus, et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum.* I Par. xxiv, 21, 22. Iste Zacharias creditur fuisse filius Zachariæ sacerdotis occisi a Joas. Iste itaque Zacharias Oziam docuit et direxit. *Quumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.*

Denique egressus est, et pugnavit contra Philistiim, et destruxit murum Geth, et murum Jabniæ, murumque Azoti. Ædificavit quoque oppida in Azoto, id est prope Azotum et in terminis ejus, *et in Philistiim; et adjuvit eum Deus contra Philistiim :* sicque Philistæos sibi subjecit, quorum terram Dominus Israeli promisit; *et contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ. Et divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias,* quia et Arabes vicit et Ammonitas.

A *Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super portam Anguli, et super portam Vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas :* sicque reparavit, quæ Joas rex Israel destruxit ibidem. IV Reg. 13. *Exstruxitque turres in solitudine* pro tutela et custodia gregum suorum atque pastorum, *et effodit cisternas plurimas* pro gregibus adaquandis, *eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus quam in eremi vastitate :* quæ partim pugnando obtinuit. *Vineas quoque habuit et vinitores in montibus* B *et in Carmelo. Erat quippe homo agriculturæ deditus. Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia, sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. Omnisque numerus principum per familias suas virorum fortium, duum,* id est duorum, *millium sexcentorum; et sub eis universus exercitus trecentorum et septem millium quingentorum, qui erant apti ad bella, et pro rege contra adversarios dimicabant. Præparavit* C *quoque eis et Ozias, id est cuncto exercitui, clypeos et hastas et galeas et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos lapides. Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, ut mitterent sagittas et saxa grandia. Egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum.* Ex quo constat, quam præpotens fuit et copiosus in numero bellatorum.

Sed quum corroboratus esset, potestate, D fama, honore et gloria, divitiis atque potentia, quæ sæpe fiunt etiam bonis incita-

Digitized by Google

mentum elationis, *elevatum est cor ejus* A tumore superbiæ, *in interitum suum,* quia in hoc peccavit mortaliter, et morte civili percussus est, *et neglexit Dominum Deum suum,* id est, justitiam Dei non consideravit consideratione practica et formata, nec honoravit Deum legitime. *Ingressusque in templum Domini,* id est in primam par-
Hebr. ix, 6. tem templi, quæ dicitur Sancta, in quam sibi introire non licuit, quia non erat sacerdos, *adolere voluit incensum super altare thymiamatis,* quod erat in præfata templi parte, non in atrio. *Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos* et pon- B tifex, *et cum eo sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo,* id est, usurpatorie tu agis, intromittendo te sacerdotali officio, cui regale officium est commissum. C

Iratusque Ozias : in quo patet superbia et incorrigibilitas ejus; *et tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus.* Ibi enim cœpit primo oriri, vel saltem apparere, et toto corpore perfusus est lepra, ad innuendum quam turpiter egit, et ad humiliandum tantam superbiam. *Coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Quumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram* D *in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini :* sicque fuit civiliter mortuus. De qua morte illud in Isaia ex-
Is. vi, 1. ponitur : In anno quo mortuus est rex Ozias. *Porro Joathan filius ejus rexit domum regis, et judicavit populum terræ.*

Reliqua autem sermonum, id est operum, *Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos propheta,* in libro speciali, qui non habetur, non autem in libro visionum suarum. *Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus; et regnavit Joathan filius ejus pro eo.* Quarto Regum libro legitur, Sepe- IV Reg. xv, 7.
lierunt eum in civitate David : ergo videtur fuisse sepultus cum regibus. Et respondendum, quod fuit sepultus cum eis in eodem loco communi, hoc est, in agro in quo erant sepulcra regalia, non tamen in eodem loco proprio, id est non in sepulcro regali alicujus regis. Propter quod Josephus dicit eum solum inter reges esse sepultum in hortis. De his in Scholastica recitatur historia : Quum ditatus esset Hist. lib. IV Reg. c. 21.
Ozias mortali substantia, contra immortalem Deum agere nisus est, quia in festo Propitiationis pontificali stola indutus, ingressus est templum adolere incensum; et factus est terræ motus, et claritas solis valde effulsit et incidit in faciem regis, et percussus est lepra in facie. Ante civitatem vero scissa est media pars montis Olivarum ad occidentem et devoluta, ita ut vias clauderet, et regios hortos opprimeret. Verumtamen quidam dixerunt, quod Ozias ex quadam excessiva, sed indiscreta, devotione usurpaverit sibi sacerdotale officium.

Postremo, quum dignitas sacerdotii evangelicæ legis, sit incomparabiliter major legalis sacerdotii dignitate, et ipse Ozias rex lepra percussus sit, eo quod actum illius legalis sacerdotii exsequi sit conatus: quid damnationis imminet quibusdam sacerdotibus atque episcopis evangelicæ legis, qui quum in episcopos et sacerdotes sint consecrati, tamen ex quadam superbia omittunt exsequi debitum sui officii, impie erubescentes Missarum solennia celebrare, sacramenta conferre, et populo evangelizare, sicut professi sunt et tenentur, quasi sint nimis boni ad talia exsequenda?

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : VIGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT JOATHAN QUUM REGNARE CŒPISSET.

AGITUR hic de regimine Joathan filii Oziæ. Et quæ hoc loco scribuntur de isto, pro magna parte quarto libro Regum exposita sunt. (IV *Reg.* xv. 33-38.) *Viginti quinque annorum erat Joathan quum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus.* Vidit enim patris sui satis terribilem ac subitaneam plagam : ex qua timoratior factus est. (II *Par.* xxvi, 19.) *Excepto quod non est ingressus templum Domini* ad exercendum sacerdotale officium, sicut Ozias. (*Ibid.* 16.) Hoc refertur non ad illud quod dictum est, Fecitque rectum, quia sic ingredi templum, fuisset obliquum ; sed ad illud, Juxta omnia quæ fecerat Ozias, quia in tali ingressu non est patrem suum secutus. *Et adhuc populus delinquebat,* in excelsis sacrificando.

Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multa con- A *struxit. Urbes quoque ædificavit in montibus Juda :* quia urbes sic situatæ, sunt inexpugnabiliores ; *et in saltibus castella et turres,* id est, in nemoribus aut prope construxit fortalitia, forsitan contra latrunculos, ut vias regni sui servaret securas. *Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eum. Dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei. Hæc ei præbuerunt filii Ammon in anno secundo et tertio. Corroboratusque* B *est Joathan, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.*

Reliqua autem sermonum Joathan, et omnes pugnæ ejus et opera, scripta sunt in libro Regum Israel et Juda. Viginti quinque annorum erat quum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Dormivitque Joathan cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David; et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ QUUM REGNARE CŒPISSET.

IN isto capitulo consequenter de Achaz fit mentio. *Viginti annorum erat Achaz quum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus, sed ambulavit in viis regum Israel, insuper et statuas fudit Baalim. Ipse* C *est qui adolevit incensum in valle Benennom, et lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel. Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.*

Digitized by Google

Tradiditque eum Dominus Deus ejus, qui fuit Deus ipsius Achaz creatione, non veneratione, *in manu regis Syriæ. Qui percussit eum,* id est quosdam de populo ejus : non enim percussit ipsum Achaz in corpore, sed in rebus ac subditis ; *magnamque prædam cepit de ejus imperio,* id est de terra regni Achaz, *et adduxit in Damascum. Manibus quoque regis Israel traditus est, et percussus plaga grandi,* non in sua persona, sed modo prætacto. Sed his objici potest illud quarti Regum :
IV Reg. xvi, 5; Is. vii, 1. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem ad præliandum; quumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.

Ad istud breviter dici potest, secundum quod Josephus tangit, quod quantum ad hoc non potuerunt superare eum, quod urbem Jerusalem propter murorum suorum fortitudinem capere non valebant. Porro Lyra hic scribit, quod Achaz obsessus a rege Syriæ et rege Israel, et valde
Is. vii, 3 et seq. perterritus, consolabatur ab Isaia propheta, prout in Isaiæ volumine legitur ; sed Achaz idololatra discredens Prophetæ, et diffidens de Dei auxilio, postulavit a rege Assyriorum subsidium. Veniente ergo rege Assyriorum et impugnante Syriæ regnum, rediit ad sua rex Syriæ : quo regresso, sperans Achaz soli regi Israel prævalere, iniit contra eum certamen, et victus fuit
Hist. lib. IV Reg. c. 25. Achaz cum suis. — Magister vero in historiis verius ac plenius circa hoc scribit, dicens ipsum Achaz bis fuisse obsessum a regibus illis. Et in prima obsidione Jerusalem, Achaz contra illos congressus est et victus, et filius ejus Zacharias occisus est, multaque millia secum ; princeps quoque
* Dithan militiæ ejus Dichan * captus ; et tunc rex Israel secum duxit captiva multa millia mulierum et puerorum ac puellarum. Deinde secundo obsederunt Jerusalem ; tuncque Achaz valde expavit, sed confortavit
Is. vii, 4. eum Isaias : Ne timeas, inquiens, a duabus caudis titionum fumigantium istorum. Et
Ibid. 11. addidit : Pete signum a Domino. Achaz vero non credidit, nec petere voluit si-
A gnum, sed ad regem confugit Assyriorum, qui venit et cepit Damascum, ac regem ejus Rasin occidit. Huic recitationi videtur hæc littera amplius consonare.

Occiditque Phacee filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die una, omnes viros bellatores, eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum. Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis Achaz : forsan iste Maasias fuit alter a Zacharia filio Achaz, quem Josephus dicit occisum;
B *et Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis,* id est ex terra regni Juda, *ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum, et infinitam prædam ; pertuleruntque eam in Samariam,* ut subjugarent eos in servos et ancillas, ut infra habetur in textu. Verumtamen increpati in reditu a Propheta nomine Oded, mutaverunt propositum, et remiserunt captivos, sicut diffuse consequenter recitatur in littera, quæ expositione non indiget.

C *Ea tempestate erat ibi Propheta Domini, nomine Oded. Qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis : Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas. Insuper filios Juda et Jerusalem vultis vobis subjicere in servos et ancillas : quo nequaquam facto opus est. Peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. Sed audite consilium meum, et reducite captivos quos ad-*
D *duxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, et dixerunt eis : Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta? Grande quippe peccatum est, et ira furoris Domini imminet super Israel. Dimiseruntque viri*

Digitized by Google

Israel bellatores prædam, et universa quæ ceperant, coram principibus et omni multitudine. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos omnes qui nudi erant, vestierunt de spoliis. Quumque vestiissent eos et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam, quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt eos in Jericho civitatem Palmarum, ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam.

Tempore illo misit rex Achaz ad regem
Hist. lib. IV Reg. c. 25. *Assyriorum, postulans auxilium.* Hoc consonat præfatæ narrationi Magistri in historiis, quod scilicet post primam obsidionem et debellationem suam Achaz postulavit a rege Assyriorum subsidium. *Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Juda, et ceperunt prædam magnam. Philistiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, et ad meridiem Juda,* id est, urbes Juda sitas in campis juxta confinia Palæstinæ, et in meridiana plaga regni Juda respiciente terram Philistinorum, invaserunt. Isti ex antiquo oderunt Judæos : ideo visa eorum debilitatione, auxerunt calamitatem ipsorum. *Ceperuntque Bethsames et Aialon, et Gaderoth, Socho quoque et Thamnan et Gamzo cum viculis, et habitaverunt in eis. Humiliaverat enim Dominus Juda propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. Adduxitque contra eum Theglathphalasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit.* Iste fuit rex, a quo Achaz jam ante
IV *Reg.* XVI, 7, 8. petierat opem, et munera ei miserat pretiosa. Nihilo minus tempore procedente, idem rex venit et devastavit regnum impiissimi Achaz, et oppressit muneribus quæ ei contulit Achaz. *Igitur Achaz spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit.*

A *Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum :* quia in tribulationibus tantis non est reversus ad cor, nec Isaiæ obtemperavit, sed deos Syriæ, a *Is.* VII;
quibus fuit percussus, adoravit et coluit. *Reg.* XVI, 13.
Siquidem Syri ad consultationem deorum et dæmoniorum suorum impugnaverunt impium Achaz, sicque percussus asseritur a diis Syrorum. *Ipse per se rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, et adeB runt mihi : quum econtrario ipsi fuerint ruina ei, et universo Israel. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis :* diripuit enim ea et fregit, atque in alios usus convertit, ac munera inde donavit regi Assyriorum; *clausit januas templi Dei,* ut cultus Dei omnino cessaret in templo, *et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem. In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum.*

C *Reliqua autem sermonum ejus, et omnium operum suorum priorum et novissimorum, scripta sunt in libro Regum Juda et Israel. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem :* non in civitate David, id est, non in ea parte Jerusalem, quæ dicta est civitas David, ubi erat ager regalium sepulcrorum; sed in alia parte Jerusalem, tanquam indignum uti consortio sepulturæ regum bonorum. Ideo subditur : *Neque enim receperunt eum in sepulcris regum Israel,*
D id est, non permiserunt corpus ejus locari in aliquo regalium sepulcrorum, in quibus communiter sepeliebantur reges Israel, id est reges Juda nati ex Jacob, qui alio nomine dictus est Israel, qui præfuerunt tri- *Gen.*
bubus Juda et Levi ac Benjamin natis ex XXXV, 23.
Israel : sicque reges Israel accipiuntur hic non pro regibus decem tribuum, ut communiter in libris Regum accipi solent. *Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.*

Digitized by Google

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI NONI : IGITUR EZECHIAS REGNARE COEPIT.

RECITATUR hic historia Ezechiæ devotissimi regis, qualiter Dei cultum reparavit. *Igitur Ezechias regnare cœpit quum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.* Exordium hujus capituli, quarto libro Regum expositum est. A
IV *Reg.* xviii, 1-3.

In ipso anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, quas impius Achaz clausit, ad exstirpandum ritum cultus divini, secundum legem Moysis in templo consueti, *et instauravit eas,* quia deterioratæ fuerunt et deformatæ per idololatras. *Adduxitque,* id est, ad se vocavit, *sacerdotes atque Levitas,* de diversis locis habitationum suarum, *et congregavit eos in plateam orientalem,* id est in atrium quod erat ante faciem templi respicientis ad orientem : sicque atrium illud fuit in parte orientali respectu templi, et in atrio illo stetit altare holocaustorum. *Dixitque ad eos : Audite me, Levitæ.* Per Levitas intelligit etiam sacerdotes, qui erant de genere Levi, sicque ratione originis vocantur Levitæ. Frequenter tamen accipiuntur, prout a sacerdotibus distinguuntur ratione officii. *Et sanctificamini,* id est, per continentiam, orationes, jejunia, seu per aquam lustrationis lotionemque vestium, aptate vos ad exercitia cultus divini. *Mundate domum Domini Dei patrum vestrorum* a spurcitiis idololatriæ, a corporalibus quoque immunditiis : et forsan consecraverunt seu dedicaverunt eam de novo, quia multipliciter fuerat violata atque polluta ; *et auferte omnem immunditiam de sanctuario.*
II *Par.* xxviii, 24.

Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum. Averterunt patres nostri *facies suas a tabernaculo Domini Dei nostri,* illud non ingrediendo ad exercendum ea quæ Dei sunt, *et præbuerunt dorsum,* per inobedientiam et mentis aversionem a Deo ; et item per hoc, quod more gentilium adoraverunt facie versa ad orientem, quum juxta legis præceptum adorare debuerint ad occasum juxta templi situm. *Clauserunt ostia quæ erant in porticu,* id est in atrio, *et exstinxerunt lucernas,* quæ jugiter ardere debebant in prima et exteriori parte templi. *Incensumque non adoleverunt,* id est non incenderunt super altare thymiamatis, *et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.* Et omnium horum causa malorum fuit Achaz. *Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem :* prout præcedenti capitulo patuit ; *tradiditque eos in commotionem et in interitum et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. Et* corruerunt patres nostri gladiis, filii nostri et filiæ nostræ et conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus. Nunc ergo placet mihi, ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel,* id est, pacto obligemus nos ad serviendum Deo vero, *et avertet a nobis furorem iræ suæ.*
Ezech. viii, 16. — B — *Lev.* xxiv, 2-4. — II *Par.* xxviii. — * En — C

Filii mei, nolite negligere. Ezechias adhuc quasi adolescens, regia auctoritate sacerdotes et Levitas nominat filios, maxime quia in veteri lege rex sacerdotibus et pontifice dignior fuit. *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo* in loco sacrato, *et ministretis illi* in cultu tabernaculi et sacrificiis, *colatisque eum,* orando et sacrificando pro populo, *et cremetis ei in-* D

censum, scilicet thymiama incendendo ad A Dei honorem : quod fuit officii sacerdotum. Hinc in libro Numerorum Moyses ait
Num. XVI, 9. Levitis : Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei?

Surrexerunt ergo Levitæ : Mahath filius Amasai, et Joel filius Azariæ, de filiis Caath. Porro de filiis Merari : Cis filius Abdi, et Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gerson : Joah filius Zemma, et Eden filius B *Joah. At vero de filiis Elisaphan : Samri et Jahiel. De filiis quoque Asaph : Zacharias et Mathanias. Necnon de filiis Heman : Jahiel et Semei. Sed et de filiis Idithun : Semeias et Oziel. Congregaveruntque fratres suos, et sanctificati sunt, et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent,* id est purgarent, *domum Dei. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini, ut sanctificarent illud.* Nam ipsum templum, scilicet Sancta et Sancta sanctorum, Levitis non licuit in- C
Hebr. IX, 6. troire; sacerdotes vero intrabant in Sancta, hoc est in exteriorem templi partem. *Extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini,* id est, sordes exportaverunt de Sanctis usque in atrium; *quam tulerunt Levitæ,* id est, de atrio exportaverunt, *et asportaverunt ad torrentem Cedron,* qui inter Jerusalem Olivetique montem currebat, *foras. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum* D *domus templi Domini,* porticu seu atrio illo jam emundato. *Expiaveruntque templum diebus octo.* Sicque diu occupati fuerunt in expurgando. Siquidem Achaz idola sua et deorum suorum imagines, aliasque spurcitias constituerat ibi, et parietibus atrii ac templi affixit. *Et in die sextadecima ejusdem mensis, quod cœperant impleverunt :* quia non solum exportaverunt immunda, sed et vasa ac utensilia cultus divini expiaverunt, quemadmodum subditur.

Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei : Sanctificavimus omnem domum Domini et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis, cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est; et ecce exposita sunt omnia coram altari Domini.

Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit, id est congregavit, *omnes principes civitatis* Jerusalem, puta majores et in officiis constitutos, *et ascendit in domum Domini,* scilicet usque in atrium. *Obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato,* id est pro remissione culparum eorum qui subjunguntur : *pro regno,* id est pro rege et majoribus ac domesticis regis, *pro sanctuario,* id est pro templi ministris, *pro Juda,* id est pro communitate. In Levitico habetur, quid pro peccato *Lev.* IV, 3-12; 13-21; 22-26; 27-35.
sacerdotis, quid item pro peccato multitudinis, et quid pro peccato principis, quid demum pro peccato cujuslibet de populo fuerat offerendum. Hac autem vice, in qua tam multi sacerdotes, Levitæ et principes et subjecti fuerant congregati, ita quod pro singulis seorsum offerri non potuit, oblata sunt præfata septenaria pecorum. Siquidem septenario universitas designatur. *Dixitque* Ezechias *sacerdotibus filiis Aaron, ut offerrent super altare Domini.* Quamvis enim rex, principes seu populus exhibuit animalia offerenda, oblatio tamen fiebat per manus et obsequium sacerdotum super altare holocaustorum. Sanguinem etiam pecorum oblatorum fuderunt partim super altare : de quo ritu super Leviticum est plenius dictum. *Ibid.* v.

Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare. Mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt. Immolaverunt agnos, et fuderunt super altare sanguinem. Applicaverunt hircos pro peccato offerendos *coram rege et universa multitudine, imposue-*

Digitized by Google

runtque manus suas super eos, id est, quidam ex parte omnium, posuerunt manus
Lev. I, 4. super hircos immolandos : prout in Levitico habetur, quod offerens manum imponeret super hostiam immolandam : ubi rationes horum inductæ sunt litterales ac spirituales. *Et immolaverunt eos sacerdotes, et adsperserunt sanguinem eorum coram altari* holocausti ad basim ipsius, *pro piaculo universi Israelis,* id est pro remissione culparum totius plebis. *Pro omni quippe Israel* collective accepto, *præceperat rex ut holocaustum fieret, et,* pro id est, *pro peccato* etiam suo. Quamvis enim hostia pro peccato personæ, non consuevit tota comburi, tamen hostia pro totius
Ibid. IV, 20. II, 12. populi peccatis oblata, tota comburebatur, et quantum ad hoc, fuerat holocaustum; vel holocaustum fiebat ad divinæ reverentiam majestatis.

Deinde describitur qualiter piissimus Ezechias ordinavit in domo Domini Levitas cantores, qui Deum ore laudarent, et cum hoc in musicis instrumentis eum glorificarent, præsertim hora sacrificiorum, sicut de hoc supra dictum est sæpe. *Constituit quoque Levitas in domo Domini cum cymbalis et psalteriis et citharis secundum dispositionem David regis, et Gad videntis, et Nathan prophetæ :* qui ipsos
I Par. XXIV-XXVI. sacerdotes, Levitas, cantores et janitores diviserunt in turmas, et distinxerunt per ordines sub certis capitibus, prout dictum est sæpius. *Siquidem præceptum Domini fuit,* ut taliter fieret *per manum,* id est per institutionem et subministrationem, *Prophetarum ejus* jam præfatorum, qui ex divina inspiratione sic ordinaverunt, idcirco eorum præceptum, fuit præceptum Dei. *Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et sacerdotes tubas.*

Et jussit Ezechias ut offerrentur holocausta, quæ ad Dei honorem totaliter comburebantur, *super altare* quod erat in atrio.
IV Reg. XVI, 10-16; II Par. XXVIII, 24. Ex quo enim sacrilegus Achaz polluit illud altare et atrium per diversa sacrificia idolorum, voluit Ezechias ut Deo sacrificaretur hac vice super altare illud omni genere
A sacrificiorum legalium juxta Moysis traditionem. Fuerunt autem quædam sacrificia pro peccato, quædam pro pace, quædam Lev. I-VII; Num. XV.
pro salute, et quædam holocausta; rursus, quædam ex debito, quædam spontanea ex speciali devotione : et de omni genere sacrificiorum istorum est tunc facta oblatio, ut elici posse videtur ex isto capitulo. *Cumque* per sacerdotes *offerrentur holocausta, cœperunt* Levitæ cantores, *laudes,* scilicet psalmos et cantica sancta, *canere Domino, et clangere tubis, atque in*
B *diversis organis, quæ David rex Israel repererat, concrepare. Omni autem turba adorante, cantores et hi qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum,* quatenus Deus sacrificia acceptaret : quæ non habuerunt vim justificandi ex opere operato, utpote ex se ipsis, sed ex opere operante, id est ex offerentium devotione et sacerdotum oratione, Levitarumque psalmodiis et laudibus.

Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt :
C id est, cum humili genuflexione seu inclinatione vero Deo cultum latriæ exhibuerunt, et gratias ei egerunt de divini recuperatione obsequii. Oraverunt quoque, ut Dominus sacrificia habere dignaretur accepta. *Præcepitque Ezechias, et principes,* id est præcipui sacerdotes, vel alii eminentiores et officiati majores, *Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus,* id est psalmis, *David et Asaph videntis,* id est canticis a David et Asaph compositis, vel psalmis qui cantabantur sub eo, quia psal- I Par. XVI, 5, 7.
D lentibus præfuit; *qui laudaverunt Deum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt.*

Ezechias autem etiam hæc addidit : Implestis manus vestras Domino, id est, ad Dei honorem cœpistis agere bona, et sacrificia manibus adduxistis aut obtulistis, fuistisque liberales in offerendo; *accedite, et offerte victimas et laudes in domo Domini.* Istud exponi potest de sacrificiis votivis, spontaneis et pro gratiarum actione oblatis. Hinc subditur : *Obtulit ergo*

Digitized by Google

universa multitudo per manus sacerdotum *hostias* pacificas *et laudes,* id est victimas gratiarum actionis, *et holocausta* ad summæ reverentiam majestatis, in recognitionem quod omnia bona deriventur ab ipsa, et quod homo se totum debeat Deo, *mente devota. Porro numerus holocaustorum quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria millia:* id est, tot animalia separaverunt et deputaverunt ad hoc, quod tempore opportuno immolarentur Deo. Sanctificari etenim dicitur, quod divino cultui applicatur aut deputatur.

Sacerdotes vero pauci erant, tunc præsentes, et satis sanctificati; *nec poterant sufficere, ut pelles holocaustorum* aut etiam aliorum sacrificiorum *detraherent:* quod tamen ad eorum spectabat officium. Quamvis autem holocausta totaliter comburebantur, pelles tamen primo detrahebantur, erantque sacerdotum, nisi quando pro [ipsorum aut] totius communitatis peccato holocaustum offerebatur. *Unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos:* quia urgente necessitate, quæ dispensationis est mater, poterant ita cooperari sacerdotali officio; *donec,* id est quousque, *impleretur opus* divini obsequii in oblationibus, *et sanctificarentur antistites,* id est, sacerdotes sufficienter purgarentur, et aptarentur ad suorum exsecutionem officiorum. Antistes, pro magno sacerdote seu episcopo accipi solet : qui vocatur antistes, quasi ante alios stans ; sed hic pro sacerdote accipitur. *Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur,* id est, ad sua officia coaptantur et purificantur, *quam sacerdotes.* Nam et inferiora et imperfectiora ad suam facilius pertingunt perfectionem, quam eminentiora : ideo Levitæ citius erant in numero sufficienti, quam sacerdotes. Aliam causam quidam assignant, dicentes quod Achaz elongaverat sacerdotes a civitate et templo cultus divini : sed qua ratione elongavit inde sacerdotes, videtur quod et Levitas, quia utrique ad cultum Dei in templo et atrio fuerunt electi. At vero de consecratione sacerdotum et Levitarum, scribitur in libro Exodi, in Levitico et alibi.

Lev. I, 6; VII, 8; IV, 11, 12, 20.

Exod. XXIX; *Lev.* VIII; *Num.* VI.

Fuerunt ergo holocausta plurima immolata, *adipes pacificorum,* id est hostiarum quæ offerebantur pro pace data, in gratiarum actionem, vel pro pace obtinenda aut conservanda, *et libamina holocaustorum,* hoc est materiæ liquidæ, ut vinum et oleum, quæ simul cum holocaustis offerebantur. *Et completus est cultus domus Domini,* id est veneratio Dei et ejus obsequium in templo et atrio. *Lætatusque est Ezechias et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum.* Virtuosi etenim gaudent in actibus bonis, et de reverentia Deo exhibita, quum et Philosophus dicat, quod signum virtutis est delectatio fiens in opere bono. *Repente quippe hoc fieri placuerat,* hoc est, valde complacuit Ezechiæ ac populo, quod reparatio cultus divini, mundatio templi, et obsequium Dei in eo, fuerunt tam subito, expedite et prospere adimpleta. Ipsi etiam voluerunt, ut omnia ista absque dilatione peragerentur.

Sensus spiritualis.

Amplius, de spirituali intelligentia hujus capituli, et rationibus sacrificiorum prædictorum, multa valde possent hic introduci : de quibus, brevitati studens, pertranseo, præsertim quoniam super Leviticum copiose sunt posita. Moraliter vero, docemur ex isto capitulo, quam magnum Dei donum sit, habere virtuosum prælatum, et quanta subditorum salus, gratia, et profectus inde nascantur ; quam item periculosum sit, vitiosum aut negligentem præsidentem habere. Propter quod Salomon dixit : Regnantibus impiis, ruinæ populi. Et rursus : Quum impii sumpserint principatum, gemet populus. Hinc populus Dominum jugiter deprecetur, ut sibi de idoneo et condigno providere dignetur principe et prælato. Præterea devotio, diligentia, ardor, religio electi Ezechiæ, nobis ex isto capitulo clare atque uberrime commendantur. Et ipse rex Ezechias universis principibus et prælatis proponitur in exemplum,

Lev. I-V.

Prov. XXVIII, 12. XXIX, 2.

Digitized by Google

ut ipsius fervorem et zelum, diligentiam et fidelitatem sectentur, quatenus pro bono communi, et generali reformatione summe solliciti sint, ac indilate laborent. Et I Cor. III, 16; VI, 15, 19. quoniam juxta Apostolum, non solum corda, sed etiam membra ac corpora nostra templum sunt Spiritus Sancti, non differamus, nec omittamus emundare nos plene ab omni inquinamento carnis et spiritus, II Cor. VII, 1. ut Spiritus Sanctus in nobis gratiose habitare dignetur, et deliciæ Dei ac Creatoris nostri sint, esse nobiscum. Prov. VIII, 31.

ARTICULUS XXX

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI : MISIT QUOQUE EZECHIAS AD OMNEM ISRAEL ET JUDAM.

NARRAT præsens capitulum, quam solenniter ac devote rex Ezechias et populus ejus celebraverunt festivitatem paschalem in primo sui imperii anno. *Misit quoque Ezechias ad omnem Israel,* hoc est ad eos qui ex decem tribubus nondum capti fuerunt, *et Judam,* id est ad populum regni sui; *scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen,* hoc est ad reliquias illarum tribuum, imo et ceterarum, ut infra innuitur, *ut venirent ad domum Domini in Jerusalem,* id est ad Jerusalem et ad templum, *et facerent Phase Domino Deo Israel,* id est, Pascha secum celebrarent, quod Deut. XVI, 5, 6. extra urbem cultus divini et templi celebrari non licuit.

Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo : hoc est, ipse rex et principes ac seniores et patresfamilias Jerusalem, celebrato super hoc concilio, definierunt celebrare solennitatem paschalem mense secundo anni illius: Exod. XII, 6. non obstante quod Dominus jussit in Exodo, ut celebratio illa inciperet quartadecima die mensis, qui apud Judæos est primus mensis anni, qui concurrit cum nostro Martio vel Aprili. Siquidem in Numerorum libro Dominus jussit, ut qui le- Num. IX, 10, 11. gitime impediti, non poterant facere Phase juxta legem mense primo, quartadecima mensis illius die, facerent illud mense secundo, quartadecima ejus die. Tale autem impedimentum contigerat istis. Unde subjungitur : *Non enim occurrerant facere tempore suo,* hoc est, dispositi non fuerunt Pascha peragere tempore determinato in lege: cujus multæ causæ subduntur. Una est : *quia sacerdotes qui possent sufficere* ad offerendum solennia sacrificia, tunc septem diebus solennitatis illius offerenda, atque ad alia tunc per sacerdotes agenda, *sanctificati non fuerant,* hoc est satis parati, purgati, et consecrati ad exsequenda sua officia. Alia causa est : *et populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem,* id est, de urbibus nondum convenit in ipsam regni metropolim. Non enim cognoverunt satis tempestive, templum esse tam repente purgatum, cultumque Dei recuperatum.

Placuitque sermo regi et omni multitudini, secum tunc exsistenti; *et decreverunt, ut mitterent nuntios ad universum Israel de Bersabee usque Dan,* hoc est per totam terram regni Israel, ab uno termino ejus qui dicebatur Bersabee, usque ad alium qui dictus est Dan, *ut venirent et facerent Phase Domino Deo Israel in Jerusalem. Multi enim non fecerant, sicut in lege præscriptum est,* scilicet in Exodo Exod. XII, 14; XXIII, 14, 15, 17; Lev. XXIII, 5, 6; Num. XXVIII, 16, 17; Deut. XVI, 16. et alibi : quod scilicet omni anno venirent in Jerusalem, præsertim in festo paschali, in Pentecoste quoque, et in festo Tabernaculorum ; nisi forte dispensaretur cum eis, ob longitudinem viæ, de adventu in

Digitized by Google

Pentecoste et Tabernaculorum celebritate. Achaz quippe observantiam horum impedivit pluribus annis.

Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio et principum ejus in universum Israel et Judam, juxta id quod rex jusserat, prædicantes : Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac et Israel ; et revertetur ad reliquias quæ effugerunt manus regis Assyriorum : id est, vobis ipsis propitius erit, qui nondum capti estis. *Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino* B *Deo patrum suorum, et tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri,* id est, mentes vestras non exhibeatis indociles et rebelles. *Tradite manus vestras Domino*, id est, exhibete vos paratos Deo servire, et hoc ipsum, si placet, juramento et voto firmate, *et venite ad sanctuarium ejus quod sanctificavit in æternum. Servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris ejus. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum* reditio- C ne mentali, per contritionem et dilectionem divinam, *et fratres vestri et filii* vestri *habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos :* id est, Deus per merita vestræ conversionis et justæ conversationis inclinabit corda gentilium principum ad miserendum ac parcendum vestris cognatis, quos habent captivos ; *et revertentur in terram hanc. Pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.* D

Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim et Manasse, usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos. Per quod patet ipsorum obstinatio in idololatria aliisque peccatis. In Scholastica historia additur, quod occiderunt quosdam ex cursoribus seu nuntiis Ezechiæ ; propter quod meruerunt postea captivari. *Attamen quidam viri ex Aser et Manasse et Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem.* Isti non coluerunt idola sicut præfati, aut non erant idololatriis et aliis vitiis ita immersi, sed pœnituerunt. *In Juda vero facta est manus Domini,* hoc est, Deus pietatem suam gratiose ostendit in populo Ezechiæ, *ut daret eis cor unum,* id est sic, quod dedit eis voluntatem concordem, et sensum unanimem ad celebrandum festum paschale, *ut facerent juxta præceptum regis et principum, verbum Domini.*

Hist. lib. IV Reg. c. 27.

Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solennitatem Azymorum in mense secundo. Et surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Jerusalem ; atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron. Immolaverunt autem phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ, tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini ; steteruntque in ordine suo, juxta dispositionem et legem Moysis hominis Dei. Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum. Qualiter intelligendum sit hoc, verba pandunt sequentia, *eo quod multa turba sanctificata non esset, et idcirco immolarent Levitæ phase his qui non occurrerant sanctificari Domino.* Est itaque sensus, quod multi illorum qui debebant in suis domibus agnum immolare paschalem, non erant ita purificati, quod secundum legis tenorem poterant agnum offerre manibus suis in propriis ædibus. Idcirco Levitæ jam purificati, obtulerunt pro illis, partemque sanguinis agni oblati attulerunt sacerdotibus, ut funderetur super altare holocausti.

Magna etiam pars populi de Ephraim et Manasse et Issachar et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat. Isti effugerunt manus Assyriorum, vel se abscondendo, vel ad regnum Juda, aut alia regna confugiendo ; et quidam ex his venerunt ad Ezechiæ admonitionem. *Comedit phase,* id est agnum paschalem cum azymis panibus, *non juxta quod scriptum est,* id est aliter quam lex tradit, utpote absque præ-

Digitized by Google

via purificatione ab omni immunditia legali, ut erat contactus immundi, fluxus seminis, irregularitas ex præsentia mortui, Lev. v, 2, 3; xi-xv, xxi. et consimilia : de quibus in Levitico continetur, et ibi ex dictis Alexandri de Hales super tertium Sententiarum et ex dictis Thomæ in prima secundæ, atque ex scriptis Guillelmi Parisiensis, libro de Fide et legibus, expositum recolo. *Et oravit pro eis Ezechias, dicens : Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt.* Ex his verbis innuitur, quod isti non purificati habuerunt excusationem : quia etsi exteriori immunditia legis erant detenti, intus tamen devoti erant, et ex integro corde Dominum requirebant. Ideo exterior immunditia legis, quæ frequenter caruit culpa, non imputabatur eis in casu isto, vel faciliter eis indulgebatur ad preces Ezechiæ, quia non habuerunt tempus se purificandi ante esum agni paschalis. Hinc subditur : *Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo.* Nam pium et fiduciale desiderium ejus habuit vim orationis, et illud Dominus adimplevit, de quo Ps. x, 17. ait Psalmista : Desiderium pauperum (id est humilium) exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum, videlicet non solum orationem, sed etiam dispositionem ad orandum, audivit auris tua. Isti itaque etsi peccaverunt edendo pascha non purificati, non tamen ex contemptu.

Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solennitatem Azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies : Levitæ quoque et sacerdotes, per organa quæ suo officio congruebant. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, verba consolatoria et beneplacentia eis loquendo, *qui habebant intelligentiam bonam super Domino,* hoc est, per scientiam sapidam formatam, practicamque notitiam, et per sapien- Is. xi, 2. tiam salutarem, quæ est donum Spiritus Sancti, Dominum cognoverunt. *Et comederunt septem diebus solennitatis,* quibus

A duravit paschalis festivitas illa, *immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dominum Deum patrum suorum.* Lev. xxiii, 5-8.

Placuitque universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios septem dies : et ita ex devotione duplicaverunt celebrationem festi paschalis ; *quod et fecerunt cum ingenti gaudio* spirituali, recolendo beneficia Dei, præsertim liberationem ex Ægypto, in cujus memoriam instituta fuit paschalis Exod. xii, 14. celebritas. *Ezechias autem rex Juda præbuerat multitudini mille tauros et septem* B *millia ovium; principes vero dederant populo,* scilicet multitudini, cui dedit et Ezechias, *tauros mille et oves decem millia.* Ista pecora dederunt vulgo in esum et sumptuum relevamen : ex quibus tamen fiebant quædam oblationes, quarum aliquæ partes cedebant in esum sacerdotum, et aliquæ in offerentium usum. *Sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo :* quia infra hos septem dies additos, completa eorum sanctificatio seu consecratio fuit.

C *Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam sacerdotum et Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel :* ita quod interior eorum jucunditas redundavit ac refulsit in corpore et in vultu ; *proselytorum quoque,* id est conversorum ad Judaismum, qui erant *de terra Israel,* id est, qui in regno decem tribuum morabantur, *et habitantium in Juda,* id est eorum qui in regno Juda manebant. *Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David* D *regis Israel in ea urbe non fuerat :* quia non solum gaudebant his diebus de festo paschali ; sed et de templi repentina ac prospera emundatione, de divini cultus reparatione, de reformatione totius regni in melius, et quia ex decem tribubus tam multi convenerant ; de purificatione quoque et innovatione Levitarum et sacerdotum, et quia sperabant sibi de cetero adfuturum gratiosum Dei auxilium.

Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ, benedicentes populo. Et exaudita est

vox eorum, pervenitque oratio ad habitaculum sanctum cœli, id est, nubes et cœlum penetravit, et usque ad Dei thronum pervenit in cœlum empyreum, in quo Deus specialiter esse, habitare, operari et exaudire asseritur. Etenim angeli sancti orationes devotorum illorum Deo in cœlo obtulerunt, et Deo orationes illæ placuerunt: propter quod ad habitaculum sanctum cœli pervenisse dicuntur, quoniam residenti in A cœlo erant placentes; et item ratione effectus, quoniam a rege cœlorum sunt exauditæ.

At vero de spirituali intelligentia eorum quæ in isto tanguntur capitulo, scilicet de mystica significatione agni paschalis et concernentium istam materiam, plurima dici possent : de quibus pertranseo, quoniam super Exodum et alibi, inde diffuse tractatum est. *Exod. XII. Lev. XXIII.*

ARTICULUS XXXI

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : QUUMQUE HÆC FUISSENT RITE CELEBRATA.

Hic enarratur qualiter sanctus Ezechias cultum Dei plenius renovavit per templi ministros. *Quumque hæc,* quæ præcedenti capitulo sunt relata, *fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel qui inventus fuerat in urbibus Juda,* præcipue viri, *et fregerunt simulacra,* quæ invenerunt in regno Juda, et in decem tribuum terra, *succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, et altaria destruxerunt, non solum de universo Juda et Benjamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec penitus everterent. Reversique sunt omnes filii Israel in possessiones et civitates suas.*

Ezechias autem constituit turmas sacerdotales et Leviticas, per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam sacerdotum videlicet, quam Levitarum : id est, tam sacerdotes quam Levitas ordinate distinxit atque divisit, sicut instituit David, ordinando viginti quatuor turmas sacerdotum : ita quod unicuique turmarum illarum præfuit unus supremus sacerdos in ea, habens sub se viginti quatuor sacerdotes, totidemque Levitas, tot etiam janitores, ut in Scholastica fertur historia ; *ad holocausta et pacifica,* id est ad offerendum holocautomata, hostiasque pacificas, quas sacerdotes immolabant ; Levitæ vero B sacerdotibus ministrabant. *Ut ministrarent* quique in suis officiis, *et confiterentur canerentque,* hoc est, Deum laudarent ac psallerent, *in portis castrorum Domini,* id est in atriorum ingressu. *I Par. XXIV.*

Pars autem regis eorum erat, id est portio regem contingens, seu onus eum concernens, *ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum mane semper et vespere,* id est juge sacrificium, quo omni mane immolabatur unus agnus, et etiam quolibet vespere : qui agni totaliter com- C burebantur in altari holocaustorum, unus per diem, alter per noctem ; *sabbatis quoque,* id est quolibet sabbato, *et calendis,* id est exordiis mensium, *et solennitatibus ceteris,* scilicet Pentecostes, Tabernaculorum et Expiationis, quia in his temporibus specialia sacrificia offerebantur, *sicut scriptum est in lege Moysis,* præsertim in Levitico, et item in libro Numerorum. *Præcepit etiam populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus et Levitis,* id est decimas atque primitias, *ut possent* D *vacare legi Domini,* hoc est divino cultui, et sacrificiis legis, ac orare pro populo, et docere ac psallere : ideo sustentandi erant a populo. Nec soli habitatores Jerusalem, sed ceteri quoque Judæi tenebantur ad is- *Exod. XXIX. 38-42. Lev. XXIII. Num. XXVIII.*

Digitized by Google

tud. Istud etiam jussum fuit a Deo per Moysen in pluribus locis : ideo jussio Ezechiæ fuit quasi quædam commemoratio et innovatio jussionis divinæ, quia sub Achaz ista erant diu omissa.

Num. XVIII, 21 et seq.; Deut. XII, 6, etc.

Quod quum percrebuisset, hoc est, ex publica fama insonuisset, *in auribus multitudinis :* quia ad aliarum urbium et villarum habitatores devenit; *plurimas obtulere primitias filii Israel, frumenti, vini et olei, mellis quoque; et omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. Sed et filii Israel et Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum quæ voverant Domino Deo suo; atque universa portantes,* id est prima ac præcipua de suis pecoribus et fructibus terræ ac jumentorum. Erant enim devoti et fervidi sub Ezechia, sequentes ejus vestigia. Atque universa portantes ad templum, ad usum ministrantium ibi : tamen et alibi dabantur sacerdotibus ac Levitis pro sustentatione ipsorum; *fecerunt acervos plurimos* decimarum et primitiarum. *Mense tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta,* id est, acervos inchoaverunt, ponendo juxta terram quædam oblata ex fructibus, quæ erant quasi fundamenta eorum quæ eis superponebantur, *et mense septimo compleverunt eos.*

Quumque ingressi fuissent Ezechias et principes ejus locum acervorum prope templum, *viderunt acervos,* id est cumulos fructuum victualiumque illorum, *et benedixerunt Domino,* ei gratias referendo, *ac populo Israel,* qui tam liberaliter dedit hujusmodi, ei bona imprecando : imo tam Deum quam populum collaudabant, et principaliter Deum; populum autem in Deo, et ad Dei honorem. *Interrogavitque Ezechias sacerdotes et Levitas, cur ita jacerent acervi. Respondit illi Azarias sacerdos primus,* scilicet pontifex, *de stirpe Sadoc, dicens : Ex quo cœperunt offerri primitiæ,* et etiam decimæ, *in domo Domini, comedimus et saturati sumus,* id est sufficienter, non gulose, refecti, *et remanserunt plurima, eo* A *quod benedixerit Dominus populo suo. Reliquiarum autem,* id est residuorum quæ nobis superfuerunt, *est copia ista quam cernis. Præcepit ergo Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini,* id est prope atria templi : in quibus ponerentur et conservarentur residua illa. Circa hæc scribit quidam, quod Azarias primus sacerdos, de quo jam dictum est, fuit ille qui supra legitur restitisse Oziæ thurificare volenti. II Par. XXVI, 17, 18.
Quod non apparet, quum inter tempus illud Oziæ et tempus istud Ezechiæ fluxe-B rint plurimi anni, et Joathan et Achaz inter hos regnaverint, defunctique fuerint : ideo potest dici, quod fuit filius Azariæ illius. *Quod quum fecissent, intulerunt tam primitias, quam decimas, et quæcumque voverant, fideliter.*

Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, et Semei frater ejus, secundus. Post quem Jahiel, et Azarias, et Nabath, et Asael, et Jerimoth, Josabad quoque, et Eliel, et Jesmachias, et Mahath, et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ et Semei fra- C *tris ejus, ex imperio Ezechiæ regis, et Azariæ pontificis domus Domini, ad quos omnia pertinebant. Core vero filius Jemna Levites et janitor orientalis portæ, præpositus erat his quæ sponte offerebant Domino,* id est ultra debitum ex supererogatione, quia talia custodivit, *primitiisque et consecratis in sancta sanctorum,* id est quæ deputabantur ad hoc, ut essent valde sacrata, et de numero sacratorum. *Et sub cura ejus* erant, *Eden, et Benjamin, Jesue, et Semeias, Amarias quoque, et Se-* D *chenias, in civitatibus sacerdotum :* id est, viri isti Levitæ, erant præfato Core subjecti in civitatibus sacerdotum, in quibus scilicet sacerdotes commorabantur, non dominabantur; *ut fideliter distribuerent fratribus suis,* puta Levitis, *partes* decimarum, *minoribus atque majoribus,* faciendo justam divisionem decimarum universis et singulis illis : sicut per justitiam distributivam datur unicuique quod ei debetur; *exceptis maribus, ab annis tribus et supra, cunctis qui ingrediebantur templum Do-*

Digitized by Google

mini. Hoc exponitur, quod non accipiebatur A distributio aliqua pro masculis, quousque ad minus haberent tres annos : sicque excipiuntur masculi ab annis tribus et supra versus originem seu exordium nativitatis eorum, omnes videlicet qui minus habebant, quam annos tres. *Et quidquid per singulos dies conducebat,* id est, simul adducebatur per offerentes decimas, primitias, seu hostias, *in ministerio atque observationibus juxta divisiones suas, sacerdotibus per familias, et Levitis a vicesimo anno et supra, per ordines et turmas suas,* B *universæque multitudini, tam uxoribus quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur :* id est, ex præfatis decimis et primitiis, ceterisque oblatis et Deo consecratis, præbebantur fideliter necessaria vitæ sacerdotibus et Levitis atque eorum domesticis, præsertim uxoribus et soboli utriusque sexus.

Et quod dictum est, A vicesimo anno et supra, refertur ad Levitas : qui quamvis tempore Moysis, et postea diu non recipiebantur C ad ministeria sua in tabernaculo exercenda, nisi ab anno tricesimo, ut legitur in libro Numerorum, quanquam ab anno vicesimo quinto admitterentur ad faciendum in tabernaculo obsequia quædam, per quæ sacerdotes experirentur aptitudinem Levitarum ad sua officia, et ad quid unusquisque eorum esset magis idoneus, ut dictum est plenius super librum Numerorum; postmodum tamen, præsertim templo Salomonis constructo, admittebantur ad sua officia ab anno vicesimo, et ante vicesimum annum accipiebatur de ipsis prætacta experientia : quia ex tunc non habuerunt tam laboriosa facere opera, sicut ante dum tabernaculum cum pertinentibus ad se portabatur assidue, vel interdum de loco ad locum.

Num. IV, 3; VIII, 24.

Ibidem.

Sed et filiorum Aaron per agros et suburbana urbium singularum dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de sacerdotibus et Levitis. Sensus est, quod certi viri erant instituti per suburbana et agros filiorum Aaron, scilicet sacerdotum, qui partes distribuebant omnibus masculini sexus sacerdotalis seu Leviticæ stirpis : et viri isti erant quasi redituarii, et procuratores, ac dispensatores illorum.

Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus, in omni Juda. Operatusque est bonum, et rectum, et verum coram Domino Deo suo, in universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et cærimonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: bonum, quoad præcepta moralia, quæ magis bonificant observantem; et rectum, quoad præcepta cærimonialia, in quibus modus divini cultus attendebatur; et verum, quoad præcepta judicialia, in quibus consistebat veritas justitiæ, quantum ad proximos. *Fecit, et prosperatus est.* Quia bene sibi successit in his, et profecit per ea ad veram salutem.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : POST QUÆ ET HUJUSCEMODI VERITATEM, VENIT SENNACHERIB.

FRUCTUS justitiarum Ezechiæ hic recitatur, quoniam meritis suæ justissimæ conversationis contulit ei Deus miram et supernaturalem victoriam. Estque historia D hujus capituli pro maxima parte quarto libro Regum exposita. *Post quæ,* in præcedenti capitulo enarrata, *et hujuscemodi veritatem* triplicem, quæ abundavit in Eze-

IV *Reg.* XVIII-XX.

Digitized by Google

chia, videlicet veritatem vitæ, veritatem doctrinæ, et veritatem justitiæ, *venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingressus Judam, obsedit civitates munitas* in Juda, *volens eas capere. Quod quum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Jerusalem :* aliis etenim pluribus Judæ urbibus captis, maxime acuebat se impius ille ad impugnandum metropolim regni ; *inito cum principibus consilio virisque fortissimis,* hoc est cum talibus viris, *ut* viri illi *obturarent,* id est clauderent, *capita fontium qui erant extra urbem* Jerusalem, *et hoc omnium decernente,* hoc est definiente, *sententia,* præsertim quia jam ante hæc Ezechias consolationem accepit ab Isaia de Assyriorum dejectione ; *congregavit plurimam multitudinem* hominum robustorum secum in urbe pro ejus defensione et fontium obturatione, *et obturaverunt cunctos fontes,* extra Jerusalem, *et rivum qui fluebat in medio terræ,* egrediendo de urbe per terram longe : cujus rivi fluxum per terram impediebant ; *dicentes : Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aquarum abundantiam.* Sed cur dixerunt, Ne veniant reges Assyriorum, quum solus Sennacherib rex legatur venisse ? nisi forte acceperint plurale pro singulari. Vel aliqui erant reges minores in Assyria sub Sennacherib isto, qui cum eo venerunt.

IV Reg. xviii, 13.

Ibid. xix, 6; Is. xxxvii, 7.

Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum qui fuerat dissipatus, reparando destructiones murorum, quia sub Achaz facta fuit multiplex debilitatio regni et urbis Jerusalem, *et exstruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum. Instauravitque Mello in civitate David.* Mello erat profunda vorago, cujus instauratio fuit ad hostium demersionem in eam. *Et fecit universi generis armaturam et clypeos,* ad resistendum adversariis. Tamen, ut quarto Regum habetur, antequam ita paravit se ad repugnandum, misit ad regem Assyriorum pro pace, offerens se ad dandum quidquid ille ab ipso exigeret. Denique sicut ait Scriptura, Ezechias totam spem suam col-

IV Reg. xviii, 14.

A locavit in Deo : nihilo minus fecit quidquid per industriam potentiamque valebat humanam ; alioqui fuisset quasi vir tentans Deum. *Constituitque principes bellatorum in exercitu.*

Eccli. xviii, 23.

Et convocavit universos cives, et bellatores qui in Jerusalem erant, *in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum,* hoc est, efficaciter consolatus est eos, *dicens : Viriliter agite et confortamini. Nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ est cum eo.* B Verumtamen ipsemet Ezechias primo timuerat illum ; sed visa infidelitate illius (qua fœdus cum Ezechia initum de recedendo accepta pecunia, fregit), Ezechias sumpsit in Deo majorem fiduciam, sperans quod divina justitia tantam illius vitiositatem non dimitteret impunitam, nec urbem templi et cultus sui permitteret a perfido et perjuro illo vastari. *Multo enim plures nobiscum sunt,* scilicet angeli sancti, *quam cum illo. Cum illo enim est brachium carneum,* id est terrena et humana potestas. C *Nobiscum* est *Dominus Deus noster,* et cum eo sanctorum innumerabilia millia. Simili modo dixit Eliseus sanctus ad suum ministrum. *Qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ regis Juda :* cujus sanctitatem sapientiamque noverunt, ideo ejus meritis sperabant juvari ; et visa ejus constantia, animati sunt corde.

IV Reg. xviii, 14-17.

Deut. xxxiii, 2; Dan. vii, 10.

IV Reg. vi, 16.

Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos, videlicet Tharthan et Rabsaris et Rabsacen, prout D quarto Regum istud diffuse narratur, *Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Juda, et ad omnem populum qui erat in urbe, dicens : Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum : In quo habentes fiduciam, sedetis obsessi in Jerusalem ? Num Ezechias decepit* vos, ut tradat morti in fame et siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? Numquid non iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius et altaria, et præcepit*

Ibid. xviii, 17.

* decipit

Digitized by Google

Juda et Jerusalem, dicens : Coram altari uno adorabitis, et in ipso comburetis incensum ? An ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei cunctis terrarum populis? Numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea? Quis est de universis diis gentium, quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regionum liberare populum suum de manu mea, et de manu patrum meorum ; consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de hac manu.

Sed et alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum, et contra Ezechiam servum ejus. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel. Hoc fuit quando ad tempus recessit a terra Juda, cognito adventu regis Æthiopiæ contra se.

IV *Reg.* xix, 8, 9.

Et locutus est adversum eum : Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic et Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista. Insuper et clamore magno, lingua Judaica contra populum qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem. Locutusque est contra Deum Israel, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum.

Oraverunt igitur Ezechias rex, et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam zelo justitiæ, ut justus et omnipotens Deus eam ulcisceretur, *ac vociferati sunt usque in cœlum,* hoc est, tam ardentissime ac fiducialissime et indesinenter Dominum invocaverunt, quod Deus in cœlo residens, ostendit se eam audisse. Oravit autem et totus populus Ezechiæ, sed hi duo, tanquam excellentiores et sanctiores, præ ceteris exprimuntur. Nempe oratio justi penetrat cœlos.

Eccli. xxxv, 21.

Et misit Dominus angelum suum, qui percussit omnem vi-

A *rum robustum et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum. Reversusque est cum ignominia in terram suam.* Verumtamen ut dictum est quarto Regum et super Isaiam ostensum, decem manserunt superstites, cum quibus rex fugit.

IV *Reg.* xix, 35, 36 ; *Is.* xxxvii, 37.

Quumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio. Salvavitque Dominus Ezechiam, et habitatores Jerusalem, de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit ei quietem* B *per circuitum.*

* *eis*

Multi etiam gentilium ex regno decem tribuum *deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem,* audito isto admirando triumpho, ex quo omnipotentiam et providentiam atque justitiam Dei pensabant ; regratiabanturque ei, quod impiissimum illum tyrannum, qui tantum vexaverat undique regna terrarum, tam gloriose ac metuende dejecit ; *et munera Ezechiæ regi Juda,* diligentes eum et grates ei referentes, eo quod tanti tyranni procurasset C ruinam. *Qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus,* hoc est, famosus effectus apud omnes qui ista perceperunt, eo quod talis ac tantus esset apud Altissimum, qui sic per angelum suum pugnavit pro eo.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem exclusive, *et oravit Dominum* ut sanaretur. *Exaudivitque eum, et dedit ei signum,* ita quod sol rediit decem lineis seu gradibus in horologio Achaz, prout istud quarto Regum libro expositum fuit.

Super IV Reg., art. xxii.

Sed non juxta beneficia quæ acceperat D a Deo, *retribuit* ei, id est, ingratus Deo effectus est, qui tanta fecit ad ipsius Ezechiæ instantiam, in solis supernaturali retrocessione, in Assyriorum per angelum incineratione, in sui ipsius miraculosa curatione, et vitæ suæ prolongatione, atque in aliis multis ac magnis spiritualibus ac corporalibus donis ; *quia elevatum est cor ejus* in superbiam, et inaniter gloriatus est ex tanta sua famatione, et quia tot et tanta propter ipsum facta fuerunt, quæ et suis meritis ultra condignum creditur adscri-

Digitized by Google

psisse. *Et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem :* hoc est, Deus detestatus est ingratitudinem ejus, et pompam et gloriam vanam, et contra subditos ejus fuit iratus propter eorum peccata, et quia suo regi communicaverunt in malis. Vel propter eorum peccata Deus permisit regem ipsorum ita tentari ac labi, sicut et ipsum David, dum populum numerari præcepit. Unde et propter peccatum illud David, percussus est populus. Nam ut ait Gregorius, Deus disponit corda præsidentium secundum merita aut demerita subditorum. Deus quoque per Isaiam Ezechiæ prædixit et comminatus est debitam punitionem. *Humiliatusque est postea,* quia ad Isaiæ reprehensionem advertit, et detestatus est suos excessus ac flevit, *eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ* per Chaldæos, de quibus Isaias prædixit ; postea vero tempore Joakim cœpit venire.

II *Reg.* XXIV, 1, 2, 15.

Is. XXXIX, 6, 7.

IV *Reg.* XXIV, 1, 2.

Fuit autem Ezechias dives et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti et auri, et lapidis pretiosi, aromatum et armorum universi generis, et vasorum magni pretii ; apothecas quoque frumenti, vini et olei, et præsepia omnium jumentorum, caulasque pecoribus, et urbes sex ædificavit. Habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis. Fuitque inclytus carnis origine ex regali David progenie, sed nobilior mente, non degenerando a sanctorum regum nobilitate, hoc est, virtuositate. Ex rationabili etiam causa propter commune bonum congregavit tot opes. *Ipse est Ezechias qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon,* id est, fontem illum sic clausit, quod extra urbem non fluxit, ob causam præhabitam, *et avertit eas,* scilicet aquas Gihon, *subter,* id est, inferius eas convertit et fluere fecit, *ad occidentem urbis David,* quatenus interiorem piscinam influerent. Fecit quoque ante fontem Siloe quasi stagnum, in quo aquæ colligerentur, et cibus reservarentur pro tempore obsidionis : quod stagnum in Evangelio Joannis appellatur natatoria Siloe, atque ut Epiphanius asserit, Isaia orante, copiosius solito de fonte Siloe [aqua prorupit]. *In omnibus operibus suis fecit prospere quod voluit.*

Joann. IX, 7.

Epiphan. de Prophetis.

Attamen in legatione principum Babylonis, hoc est in missione solennium nuntiorum regis Babylonis, *qui missi fuerant ad eum* a rege illo, ut quarto Regum libro legitur, *ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram,* id est, causam miraculosæ retrocessionis solis ab eo investigarent : quam retrocessionem propter eum factam fuisse perceperant. Unde et ejus dignitatem et excellentiam mirabantur, propter quem cursus cœlestium corporum immutaretur. *Dereliquit eum Dominus, ut tentaretur* a spiritu superbiæ, *et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus,* hoc est, interior ejus elatio, ingratitudo et vana gloria ostenderentur ad nostram cautelam, per verba et facta ejus exteriora : quia tunc demonstravit nuntiis illis opulentiam et magnificentiam suam et alia quædam, magis quam licuit, ut quarto Regum expressum est.

IV *Reg.* XX, 12.

Ibid. 13.

Reliqua autem sermonum Ezechiæ et misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaiæ, filii Amos, prophetæ, et in libro Regum Juda et Israel. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et sepelierunt eum supra sepulcra filiorum David, id est, eminentius atque præclarius sepulcrum fecerunt ei quam aliis regibus, propter ipsius virtutes eximias, et quoniam totum populum suum sic reformavit, et tantam prosperitatem attulit regno. *Et celebravit ejus exsequias universus Juda, et omnes habitatores Jerusalem ; regnavitque Manasses filius ejus pro eo.*

Sensus moralis.

Docemur ex isto capitulo, ut in arduis causis celebrentur concilia, et prælati ac principes, quantumcumque sapientes ac virtuosi, non despiciant, nec omittant cum suis consiliariter loqui, et de agendis tractare. Devotorum quoque orationes requirant, et sperent in Domino, præliorumque

Digitized by Google

tempore suos sapienter ac fervide exhortentur. Postremo docemur hic, qualiter spiritualis illa elatio et gloria vana, insidientur virtutibus etiam in viris perfectis. Ideo semper super custodiam nostram stare de-
Habac. II, 1. bemus et esse solliciti, ne peccemus; et in
Eccli. XI, 27, 4. die bonorum, memores esse debemus malorum. Neque in die honoris sui debet quisquam extolli, imo tunc magis formidare debet occulta judicia Dei, qui electis suis in hac vita magis solet concedere adversa, A quam prospera. Itaque quo plura et majora a Deo dona sortiti fuerimus, eo plus subjecti, grati et humiles esse debemus, et omne bonum toto corde Deo adscribere, et juxta beneficia quæ recepimus, pro posse retribuere. Etenim si tantus vir sic cecidit, quis potest esse securus? Ideo ex aliorum laude, fama et reputatione nequaquam inaniter gloriemur, sed attendamus, quam horrendum sit incidere in manus Dei vi- *Hebr.* X, 31.
ventis.

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI TERTII : DUODECIM ANNORUM ERAT MANASSES QUUM REGNARE COEPISSET.

Ut opposita juxta se posita, evidentius innotescant, post descriptionem vitæ et gubernationis optimi Ezechiæ, sequitur historia sceleratissimi filii ejus : qui tamen ex infinita misericordia Dei tandem vere pœnituit. *Duodecim annorum erat Manasses quum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. Fecit autem malum coram Domino juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel. Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus; construxitque* C *aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cœli, et coluit eam. Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus, In Jerusalem erit nomen meum in æternum. Ædificavit autem ea cuncto exercitui cœli, in duobus atriis domus Domini; transireque fecit filios suos per ignem in valle Benennom.*
IV *Reg.* XXI, 1 *et seq.* Exordium hujus capituli quarto Regum libro expositum est pro maxima parte.

Observabat somnia superstitiose, et non solum prout ex naturalibus causis et na- D turali scientia, ex qualitate et exsistentia somniorum aliquid sciri potest et conjici, B prout de hoc in pluribus locis tractatum est; *sectabatur auguria,* id est artem divinandi ex garritu, volatu et motibus avium; *maleficis artibus inserviebat,* id est, diversis speciebus artium magicarum intentus. *Habebat autem secum magos et incantatores,* qui incantationibus et invocationibus suis maleficis sensus deludunt humanos. Quæ omnia fuerunt in lege prohibita, quoniam in Levitico scriptum est : Non augurabimi- *Lev.* XIX,
ni, nec observabitis somnia; non declinetis 26, 31. ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini. *Multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum. Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Domini, de qua locutus est Dominus ad David et ad Salomonem filium ejus, dicens : In* IV *Reg.* XXI,
domo hac et in Jerusalem, quam elegi 7, 8. *de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum, et movere non faciam pedem Israel de terra quam tradidi patribus eorum; ita dumtaxat, si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem et cærimonias atque judicia, quæ mandavi per manum Moysis. Igitur Manasses seduxit Judam et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes*

Digitized by Google

gentes quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel.

Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum. Ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt eum in Babylonem. Si Assyrii eum vinxerunt, quomodo ductus est in Babylonem? Ad hoc Josephus et alii dicunt, quod Babylonii cum rege suo venerunt contra Manassen, sed appellantur Assyrii, quoniam ante fuerunt sub monarchia atque dominio Assyriorum, a quibus tamen jam recesserunt.

Qui postquam coangustatus est, id est valde arctatus. Hinc in Scholastica fertur historia (Hist. lib. IV Reg. c. 33.): Immisit Dominus adversus Manassen regem Babyloniorum, qui depopulatus est Judæam, et Manassen dolo captum, traxit in Babylonem, et pluribus afflixit tormentis. *Oravit Dominum Deum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum,* id est, cordialem habuit contritionem intensam, secundum quod magnitudo et multitudo criminum ejus exegit. Contritionem quippe oportet esse adæquatam peccatis. *Deprecatusque est eum* pro remissione culparum, *et obsecravit intente* pro infusione gratiæ ac virtutum, vexatione durissima dante sibi durissimo intellectum (Is. XXVIII, 19.); *et exaudivit orationem ejus.* O quam infinita fuit hæc misericordia Dei, quod tam cito et pie exaudivit impium illum, quo in tota Scriptura vix aliquis legitur gravius ineffabiliusque peccasse! *Reduxitque eum Jerusalem in regnum suum.* Modus autem quo de captivitate eum redemit, non scribitur hic neque exprimitur. *Et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus:* id est, per multiplicem divinæ pietatis et æquitatis effectum circa se et in se, experimentaliter consideravit et vidit, quod Dominus creator universorum, vere sit Deus hominum, præsertim Hebræorum, habens providentiam eorumdem, et justus exsistens judex Judæorum ac omnium.

Deinde subjungitur, qualiter in sua reversus, reparavit et emendavit regnum suum in melius, tam in corporalibus quam in spiritualibus. *Post hæc ædificavit murum extra civitatem David,* faciendo ibidem antemurale, *ad occidentem Gihon,* id est in occidentali parte urbis David, in qua situs fuit fons Gihon, *in convalle, ab introitu portæ Piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer. Constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis,* ne regnum suum amplius posset sic devastari. *Et abstulit deos alienos,* idololatriam exstirpando, *et simulacra de domo Domini, aras quoque quas fecerat in monte domus Domini, et in Jerusalem, et projecit omnia extra urbem. Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem; præcepitque Judæ,* id est universo populo regni sui, *ut serviret Domino Deo Israel.* In quo patuit mutatio dexteræ Excelsi (Ps. LXXVI, 11.); et non sine grandi omnium admiratione vitam duxit de cetero virtuosam. *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.*

*Reliqua autem gestorum Manassæ, et obsecrationes ejus ad Deum suum, verba quoque Videntium quæ** (* qui) *loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel. Oratio quoque ejus, et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa et fecit lucos et statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua,* id est in horto domus suæ, in horto Oza, prout quarto Regum libro habetur (IV Reg. XXI, 18.). *Regnavitque pro eo filius ejus Amon.*

Viginti duorum annorum erat Amon quum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Jerusalem. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus; et cunctis idolis quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit. Et non est reveritus faciem Domini sicut reveritus est Manasses pater ejus, et

Digitized by Google

multo majora deliquit. Quumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua. Porro reliqua populi multitudo, cæsis his qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo. Hæc omnia quarto Regum
IV *Reg.* XXI, 19-26. libro exposita sunt, quæ ibi requirantur.

Ex isto docemur capitulo quam vere in- A finita sit misericordia Dei in suis electis, et quod de nullo sit desperandum ; quod item salubre sit sustinere adversa, quæ sunt multis salutis occasio. Itaque qui stat, I *Cor.* X, 12.
videat ne cadat, nec lapsos et impios aspernetur incaute, quoniam hi quos ipse hodie videtur præcedere, cras forsan ipsum præcedent.

ARTICULUS XXXIV

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI QUARTI : OCTO ANNORUM ERAT JOSIAS QUUM REGNARE COEPISSET.

IV *Reg.* XXII, XXIII.
HUJUS capituli sententia, in quo ætas, vita, gubernatio Josiæ describitur, quarto Regum libro continetur atque exposita est : ideo non est immorandum. *Octo annorum erat Josias quum regnare cœpisset, et triginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui; non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Octavo autem anno regni sui, quum adhuc esset puer, utpote sedecim annorum, *cœpit quærere Deum patris sui David.* Imo, ut Josephus narrat, quarto anno regni sui quum duodecim esset annorum, cœpit populum ab idololatria revocare, pravaque opera tanquam senior emendare. *Et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis et lucis, simulacrisque et sculptilibus. Destruxeruntque coram eo aras Baalim, et simulacra quæ superposita fuerant, demoliti sunt. Lucos etiam et sculptilia succidit atque comminuit, et super tumulos eorum qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam et Jerusalem. Sed et in urbibus Manasse et Ephraim et Simeon usque Nephthali, cuncta subver-* B *tit. Quumque altaria dissipasset et lucos, et sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra,* id est templa idolorum, *demolitus esset,* non solum in regno suo, sed item in terra decem tribuum, *de universa terra Israel, reversus est in Jerusalem.*

Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata jam terra et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Joha filium Joachaz a commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui. Qui venerunt ad C *Helciam sacerdotem magnum ; acceptaque ab eo pecunia, quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ et janitores de Manasse et Ephraim et universis reliquiis Israel, ab omni quoque Juda et Benjamin, et habitatoribus Jerusalem, tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent. At illi dederunt eam artificibus et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, et ligna ad commissuras ædificii, et ad contignationem domorum quas* D *destruxerant reges Juda : qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Jahath et Abdias, Levitæ de filiis Merari, Zacharias et Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus : omnes Levitæ,*

Digitized by Google

scientes organis canere. Super eos vero, qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ et magistri de Levitis janitores. Hic ergo describitur, qualiter providit et procuravit templi reparationem in suis ruinis aut corruptelis. Josias namque piissimus volens templum instaurare, misit per regnum suum et per terram Israel Levitas ac janitores ad colligendum pecuniam a populo regni sui et ab aliarum reliquiis tribuum : quam collectam et in templum portatam, fecit Josias dari præpositis operariorum ; præpositi quoque dabant artificibus ad emendum necessaria pro reparatione sartatectorum, infirmarumque partium domus Dei.

Quumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini, qui datus fuerat per manum Moysis. Et ait ad Saphan scribam : Librum legis inveni in domo Domini. Et tradidit ei. At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei, dicens : Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur. Argentum quod repertum est in domo Domini, conflaverunt, id est, pecuniam argenteam in templo repertam, collegerunt viri ad hoc deputati, *datumque est præfectis artificum et diversa opera fabricantium.* Quidam tamen exponunt sic, quod Josias jussit residuum oblatæ pecuniæ ad templi instaurationem, conflari, ut inde fierent vasa sancta in templi obsequio. *Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum.*

Quem quum rege præsente recitasset, audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua, et præcepit Helciæ et Ahicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ et Asaiæ servo regis, dicens : Ite et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israel et Juda, super universis sermonibus libri istius, qui repertus est. Magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine. Quarto Regum (IV Reg. xxii, 13.) habetur, Ite et consulite Dominum super

A me et super populo. Itaque sensus est : Ite ad aliquam personam sanctam, spiritum prophetiæ habentem, et facite orari pro me et pro populo meo ; consilium quoque inde accipite, quid agendum sit nobis.

Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Holdam propheten, uxorem Sellum filii Thecuath, filii Hasra, custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in secunda ; et locuti sunt ei verba quæ supra narravimus. At illa respondit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dicite viro qui misit vos ad me. B *Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam mala super locum istum et super habitatores ejus, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Juda, quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum. Idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non exstinguetur. Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini : Hæc dicit Dominus Deus Israel :* C *Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Domini, super his quæ dicta sunt contra locum hunc et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace ; nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus. Retulerunt itaque* D *regi cuncta quæ dixerat.*

At ille convocatis universis majoribus natu Juda et Jerusalem, ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda et habitatores Jerusalem, sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis. Et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, et custodiret præcepta et testimonia et justificationes ejus in toto corde suo et in tota

Digitized by Google

anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo quod legerat. Adjuravit quoque super hoc omnes qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin. Et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum. Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel, id est de tota terra eorum, A quæ multas regiones Chananæorum inde olim ejectorum includebat; *et fecit omnes qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus vitæ suæ non recesserunt a Domino Deo patrum suorum,* per idololatriam, aut per generalem deformationem. Quo constat, quanta bona faciat in grege sibi commisso præsidens virtuosus.

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI QUINTI : FECIT AUTEM JOSIAS IN JERUSALEM PHASE DOMINO.

Describitur in hoc loco solennissima Paschæ celebratio facta a rege Josia sanctissimo, et consummatio ejus luctuosa. *Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino,* id est paschale sacrificium, et constituit sacerdotes in officiis suis, præcipiendo eis, ut juxta distinctionem eorum a David institutam, se collocarent, et sua devote officia exsequerentur : ideo subditur, *quod immolatum est quartadecima die mensis primi. Et constituit sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos, ut ministrarent in domo Domini,* sacrificando et incensum ponendo, ac consimilia ad eorum officium pertinentia exsequendo in templo. *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino,* id est filiis Levi, qui communem populum docuerunt qualiter se præpararet ad solennitatem Paschæ agendam, *locutus est : Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel.* Levitæ juxta præhabita nec Sanctum, nec Sanctum sanctorum, id est nec exteriorem nec interiorem templi partem intrabant : quomodo ergo præcipitur eis, ponere arcam in sanctuario templi, id est in Sancto sanctorum? Denique, si ponenda erat ibidem, jam extra illud fuit.

I *Par.* xxiv, 3 *et seq.*

Circa hoc refert Lyra : Libro de Hebraicis quæstionibus dicitur, quod tempore Achaz idololatræ, arca fuit de templo ad B domum Holdæ prophetissæ portata, et inde sub Josia ad templum relata. Glossa vero Hebraica dicit, quod arca non fuit de loco suo transposita, sed per Manassen tracta ad partem, quatenus in loco ejus idolum quod Manasses coluit, poneretur. Primum horum reprobat Lyra, quia si arca fuisset posita extra templum sub Achaz, non est verisimile quin devotus rex Ezechias fecisset eam reduci. Secundum etiam reprehendit, quia si arca mansisset in sanctuario, Josias non jussisset Levitis quod eam C in sanctuario ponerent, quoniam sanctuarium introire non licuit eis. Hinc probabilius opinatur, quod tempore Manassæ fuit extra templum portata, et sub Josia per Levitas reportata usque ad templi ingressum, atque ab illo loco per sacerdotes delata, et in sanctuario posita. Hæc Lyra. Sed mirum, si Manassæ temporibus fuit elata de templo, quod ipse Manasses post suam conversionem non fecit arcam suo restitui loco, præsertim quum supra scriptum sit : Abstulit Manasses deos alienos D et simulacra de domo Domini, et instauravit altare Domini, etc. Potius igitur reor, quod sub impiissimo idololatra Amon filio Manassæ potuit fieri deportatio illa arcæ extra proprium locum.

II *Par.* xxxiii, 15. 16.

Nequaquam enim eam ultra portabitis, id est, arca de cetero fixa manebit in loco suo, nec propter aut per idololatras aufe-

Digitized by Google

retur. Hoc dixit Josias, quia firmissime statuit idololatriam omni tempore vitæ suæ repellere. *Nunc ergo ministrate Domino Deo vestro* servitute latriæ, *et populo ejus Israel,* sicut superiores ministrant subditis suis, id est, communem populum informate, et circa eorum sacrificia exhibete quod vestro incumbit officio. *Et præparate vos per domos et cognationes vestras in divisionibus singulorum,* id est, officia vestra peragite, secundum quod divisi estis per turmas et ordines sub sacerdotibus, quibus ministratis, *sicut præcepit David rex Israel,* ut sæpe expositum est, *et descripsit Salomon filius ejus.* David enim primo descripsit hoc, atque in scriptis tradidit Salomoni, ut primo libro habetur; deinde Salomon descripsit, vel in scriptis dedit hæc aliis.

r. xxiv. xxviii. ır. viii.

Ministrate in sanctuario ejus per familias turmasque Leviticas, et sanctificati, immolate phase. In qualibet etenim domo agnus immolabatur. Porro super illud superius scriptum, Comedit phase non juxta quod scriptum est, Rabbi Paulus reprehendit Lyram ibi dicentem, quod pascha non poterat immolari, nisi a purificatis seu sanctificatis; sed reprobatio illa non valet, quia non solum hoc loco, sed et alibi sæpe docet Scriptura, quod non nisi purificati poterant phase offerre, imo nec manducare. Præterea immunditiæ illæ legales et corporales, vocantur irregularitates, quia per eas efficiebantur ministri templi et populus inepti ad sacrificia offerenda seu manducanda, et ad templi ingressum, prout Thomas in prima secundæ, et Alexander de Hales super tertium Sententiarum, Guillelmus quoque Parisiensis libro de Fide et legibus, ac alii expositores testantur. *Fratres autem vestros* nondum sanctificatos, *præparate,* id est, purificate ad exercendum sua officia, *ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysis facere,* id est, sua obsequia digne implere.

I. xxx.

Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus, in solennitate Phase, A *agnos et hædos de gregibus et reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: hæc de regis universa substantia. Duces quoque ejus sponte, quod voverant, obtulerunt tam populo quam sacerdotibus et Levitis.* Hic recitatur, qualiter Josias et etiam principes dederunt populo ad celebrandum Phase, et in sumptuum sacrificiorumque relevamen ac opem, multa millia jumentorum mundorum, id est aptorum ad immolandum atque edendum, sicut superius de Ezechia relatum est. *Porro Helcias* pontifex *et Zacharias et Jahiel principes domus Domini,* id est templi: Helcias etenim pontifex fuit, et post eum alii erant sacerdotes præcipui; *dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta,* id est pecora diversarum specierum, quorum quædam erant oves, arietes sive agni, quædam capræ aut hœdi, quæ omnia simul fuerunt duo millia et sexcenta. Quidam tamen exponit, Commixtim, id est communiter seu pariter, quia præfati simul accepti, tot pecora contulerunt. *Et boves trecentos.* Simili modo præcipui inter Levitas, dederunt Levitis ceteris pecora multa pro causa eadem, ut in textu subjungitur. *Chonenias autem et Semeias etiam et Nathanael fratres ejus, necnon Hasabias, et Jehiel, et Josabad principes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos.* II Par. xxx, 24.

B C

Præparatumque est ministerium, id est, media rite disposita sunt ad exsequendum paschalis festi obsequium. *Et steterunt sacerdotes in officio suo,* convenienter ordinati et distincti per turmas, similiter Levitæ, ut dictum est. *Levitæ quoque in turmis juxta regis imperium; et immolatum est phase,* id est, non solum agnus paschalis in domibus singulorum, sed et sacrificium paschale in templo et atrio. *Adsperseruntque sacerdotes manus suas sanguine,* id est, sanguinem hostiarum effundendo, et circa altare fundendo, etiam manus suas sanguine perfuderunt; *et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum:*

D

Digitized by Google

quod quamvis ad sacerdotes spectaverit, A tamen in hoc poterant adjuvare Levitæ, quando ob multitudinem sacrificiorum fuit necesse; *et separaverunt eas,* scilicet pelles a carnibus pecorum offerendorum, *ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysis,* id est, carnes darent sacerdotibus ad offerendum pro his, qui animalia illa adduxerunt ad immolandum, vel ut partem de oblatis darent immolantibus: secundum quod aliquæ partes hostiarum cesserunt in offerentium usum. Et juxta B hoc oblationes istæ non erant plenarie holocausta, quoniam holocausta proprie dicta, totaliter comburebantur, sed erant holocausta, extense sumendo nomen holocausti pro sacrificio cujus aliqua pars incendebatur. *De bobus quoque fecerunt similiter.*

Et assaverunt phase, id est agnum paschalem, *super ignem, juxta quod præceptum est in lege.* Siquidem in Exodo legitur (*Exod.* XII, 9.): Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua, sed assum tantum igne. C *Pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus,* id est ollis æneis, *et cacabis et ollis,* bulliendo eas, *et festinato distribuerunt universæ plebi,* id est unicuique offerentium partem talium hostiarum seu carnium, quæ eis secundum legem debebatur: secundum quam, major pars talium hostiarum venit in offerentium esum, ut in Levitico patet (*Lev.* VII, 11 *et seq.*). *Sibi autem et sacerdotibus postea paraverunt. Nam in oblatione holocaustorum et adipum, usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: unde et* D *Levitæ sibi et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis.*

Porro cantores filii Asaph, stabant in ordine suo, juxta præceptum David et Asaph et Heman et Idithun prophetarum regis David. Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent a ministerio: quamobrem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos. Omnis igitur cultura Domini, rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ. Hic narratur, qualiter cantores et janitores erant convenienter et ordinate dispositi in suis officiis.

Feceruntque filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solennitatem Azymorum septem diebus, infra quos vescebantur azymis panibus, non fermentatis. *Non fuit Phase simile huic in Israel a diebus Samuelis prophetæ.* Aliqui textus habent, A diebus Salomonis, dicentes, vitio scriptorum scriptum, Samuelis pro Salomonis. Verumtamen Josephus scripsit, A diebus Samuelis; et quarto Regum libro dicitur, A diebus Judicum (IV *Reg.* XXIII, 22.). Denique, ideo Phase istud ceteris sic præfertur, vel quia cum præcipua devotione est factum, vel quia Josias præcipuam liberalitatem monstravit in festo isto, dando tot millia pecorum populo, secundum modum prædictum. Ideo dicitur consequenter in littera: *Sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, sacerdotibus et Levitis et omni Judæ, et Israel qui repertus fuerat, et habitantibus in Jerusalem:* quia de his quæ liberalissime præstitit, omnes reficiebantur. Apparet quoque, quod plures hostiæ in hoc festo sint immolatæ, vel absolute, vel respective: tamen sub David et Salomone, ante regni divisionem, fuit ibi major frequentia populi. *Octavodecimo anno regni Josiæ, hoc Phase celebratum est.*

Consequenter describitur, qualiter sanctus Josias fuit occisus. *Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis,* id est juxta urbem sic appellatam, *juxta Euphraten* fluvium; *et processit in occursum ejus Josias,* quia noluit regi Ægypti concedere iter per terram suam. *At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi et tibi est, rex Juda?* id est, lis aut inimicitia non est inter nos, cur opponis te mihi? *Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum.* Nam, ut Magister in historiis scribit (Hist. lib. IV Reg. c. 37.), Nechao rex ascendit con-

tra regem Assyriorum, quem audierat debilitatum, eo quod Medi ac Babylonii ab illius recesserint monarchia : ideo rex Ægypti putavit se regnum Syriæ posse de facili obtinere. Et primo voluit congredi adversus regem Adadremmon, regnantem in Charcamis, qui simul cum Josia disposuit acies contra regem Ægypti. *Ad quam me Deus festinato ire præcepit.* Per Deum, intelligit vel deum falsum quem coluit, seu deos, per singulare intelligendo plurale ; vel verum Deum, quia multi idololatræ, præter deos suos, esse noverunt et suo modo coluerunt unum altissimum Deum, quemadmodum Samaritani. Itaque a Deo dixit se esse motum et inspiratum ad iter et bellum illud : atque (ut infra habetur) sic erat. Nam Deus per unum regem et regnum, frequenter ulciscitur peccata regis et regni alterius. *Desine adversum Deum facere, qui mecum est,* id est, mihi a Deo misso ac inspirato in causa hac noli resistere, nec divinæ ordinationi obicem ponere audeas, *ne interficiat te,* id est, interfici faciat aut permittat per me.

...q. xvii, 12.

Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao, quos protulit *ex ore Dei,* id est ex inspiratione angelica seu divina. Josias tamen nescivit hoc. *Verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo,* id est loci vel oppidi seu territorii sic vocati. *Ibique vulneratus a sagittariis* regis Ægypti, *dixit pueris,* id est servis *suis;* et forte quidam de filiis suis erant secum in acie : *Educite me de prælio, quia oppido,* id est valde, *vulneratus sum. Qui transtulerunt eum de curru,* ex quo præliabatur, et in quo fuerat vulneratus, *in alterum currum qui sequebatur eum more regio :* quia tunc fuit regum consuetudo, ut eis in uno curru sedentibus, et ex illo pugnantibus, alii currus vacui sequerentur eos, si forsitan indigerent, sicut nunc equi vacui plures currunt post eos. Quarto libro Regum legitur, quod occisus est in Mageddo, quia ibidem letaliter læsus est. *Et asportaverunt eum in Jerusalem; mortuusque*

...xxiii,

A *est, et sepultus in mausoleo,* id est sepulcro, *patrum suorum.*

Et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum, tanto plus, quanto melior et regno utilior fuit, et quia pro regni sui commodo opposuerat se regi Ægypti, a quo timuit regno suo damna inferri. *Jeremias maxime,* quia ardentissime sanctum Josiam propter suas virtutes dilexit, et quia præ ceteris magis clare cognovit in spiritu, quam nociva esset mors Josiæ reipublicæ, cultuique divino et saluti communi ;

B *cujus omnes cantores atque cantatrices,* id est personæ utriusque sexus, qui carmina et lamentationes factas a Jeremia decantant, *usque in præsentem diem lamentationes,* id est threnos seu lugubres versus, *super Josiam replicant,* id est, frequenter ingeminant seu resumunt : *et quasi lex obtinuit in Israel,* id est, laudabilis consuetudo inde effecta est. *Ecce scriptum fertur in Lamentationibus,* id est in Threnis Jeremiæ, qui inchoant, Quomodo sedet *Thren.* I, 1.
sola civitas. Istud ostenditur, quia de hac

C re partim conscripti sunt. Præterea sicut in Scholastica recitatur historia, præfatus rex Adadremmon cum suo exercitu inconsolabiliter deplanxit Josiam piissimum. Unde in Zacharia scriptum est : In die *Zach.* XII, 11.
illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddo.

Reliqua autem sermonum Josiæ et misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini, opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in libro Regum Juda

D *et Israel.* Fertur quoque quod Josias juxta fontem et arborem sit occisus, qui protinus aruerunt.

Postremo ex isto capitulo innotescunt nobis devotio, liberalitas, et infatigabilis fervor Josiæ circa Deum et ejus ministros. Tantum igitur regem in istis virtutibus prælati ac principes christiani non cessent sectari. Patet item ex dictis, quam incom- *Rom.* XI, 33.
prehensibilia sint omnipotentis ac justi Dei judicia, qui regem tam pium et sanctum, ab infideli rege permisit occidi. Quo

Digitized by Google

constat, quod propter occultas causas Deus A quandoque permittat justos reges ac principes ab injustis in bellis interfici : ideo victor in bello non debet gloriari inaniter aut incaute. Amplius, ex hoc quod sacerdotes et Levitæ, cantores ac janitores erant in templo tam ordinate dispositi, constat quam ordinate et reverenter habere se debeant in divinis sacerdotes, canonici, clerici, religiosi ac monachi evangelicæ legis.

ARTICULUS XXXVI

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : TULIT ERGO POPULUS TERRÆ JOACHAZ FILIUM JOSIÆ.

CONSUMMATIO regni Judæorum usque B ad Babylonicam captivitatem hic enarratur. *Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, et constituit regem pro patre suo in Jerusalem. Viginti trium annorum erat Joachaz quum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. Amovit autem eum rex Ægypti quum venisset in Jerusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti et talento auri. Constituitque pro eo regem Eliacim fratrem ejus super Judam et Jerusalem, et vertit nomen ejus, Joakim. Ipsum vero* C *Joachaz tulit secum, et adduxit in Ægyptum.* Quæ hic dicuntur, omnia exposita IV *Reg.* xxiii, 31-34. sunt quarto Regum libro, ubi hæc eadem scripta sunt.

Præterea advertendum, quod super quartum librum Regum scribit Lyra : Quum Pharao cepisset Syriam, mandavit pro Joachaz, ut veniret ad eum in Reblatha, quæ est Syriæ civitas; et ille non audens renuere, eo quod non habebat resistendi virtutem, venit, et missus est a rege Ægypti vinctus in Ægyptum, et ibi est mortuus. D Huic autem recitationi videtur scriptura hujus capituli obviare, dicendo, Amovit eum rex Ægypti quum venisset Jerusalem : ex quo apparet quod in Jerusalem eum deposuit. In Scholastica quoque historia Hist. lib. IV Reg. c. 38. sic narratur : Tribus mensibus tantum regnavit Joachaz in Jerusalem. Nam, ut dicit Paralipomenon liber, veniens rex Ægypti in Jerusalem, amovit eum, etc. Et duxit eum secum in dolo, sub spe honorandi ipsum in Ægypto. Sed quum venisset in Reblatha, vinxit eum, et ligatum misit in carcerem in Ægypto.

Deinde de regimine Joakim agitur, quem rex Ægypti pro fratre ipsius Joachaz instituit regem. *Viginti quinque annorum erat Joakim quum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem; fecitque malum coram Domino Deo suo.* Quæ hic scribuntur de Joakim, scripta atque exposita etiam sunt quarto libro Regum. IV *Reg.* xxiii, 36, 37. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem,* id est, ducere illuc cœpit, et ad hoc catenavit eum, ut sic deduceretur in Babylonem, *ad quam et vasa Domini transtulit, et posuit ea in templo suo.* In via tamen rex Babylonis mutavit consilium, et ipsum Joakim remisit sub obligatione quod solveret ei annuatim tributum. *Reliqua autem verborum Joakim et abominationum ejus,* id est abominabilium vitiorum, præsertim idololatriarum, *quas operatus est, et quæ inventa sunt in eo,* scilicet figuræ seu stigmata vel incisiones, quæ in corpore ejus exanimi repertæ sunt, quas adhuc vivens corpori suo impressit in honorem deorum suorum, nomen quoque cujusdam idoli nomine Chodonazor, contra quod in Levitico Dominus jussit, Super *Lev.* xix, 28. mortuo non incidetis carnes vestras, neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis; *continentur in libro Regum Juda et Israel.*

Digitized by Google

Deinde subjungitur de filio præfati Joakim : *Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo. Octo annorum erat Joachin quum regnare cœpisset, et tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Jerusalem; fecitque malum in conspectu Domini.* Quarto
IV Reg. xxiv, 8. Regum habetur, Decem et octo annorum erat Joachin quum regnare cœpisset : quomodo ergo hic dicitur, Octo annorum ? Respondetur, quod Joachin iste decem annis regnavit cum patre suo, qui undecim annis regnavit, et filium suum octennem constituit regem ad secum regnandum secundo sui imperii anno : sicque Joachin iste fuit octo annorum dum cum patre suo regnare exorsus est. Porro decem et octo erat annorum, quando, patre suo defuncto, solus cœpit regnare. *Quumque anni circulus volveretur,* id est, ipse annus decurreret usque ad tempus conveniens exeundi ad prælia, *misit Nabuchodonosor rex nuntios, qui et adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Do-*
Ibid. 11. *mini.* Quarto Regum habetur, Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam : quo constat, quod et personaliter venit, et forsan quosdam præmisit. Quum enim occidisset Joakim patrem istius, et constituisset istum regem pro patre suo, atque abisset, mutato consilio, rediit, et urbem obsedit, timens ne Joachin iste memor mortis sui patris associaret se adversariis suis, videlicet regis Babylonis; tuncque ad
Ibid. 12, 15. consilium Jeremiæ Joachin iste cum suis se tradidit regi præfato, et ductus fuit in Babylonem.

Regem vero constituit ipse Nabuchodonosor *Sedeciam patruum ejus,* scilicet fratrem patris sui, filium Josiæ, *super Judam et Jerusalem. Viginti et unius anni erat Sedecias quum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec eru-*
Jer. xxxii, 3; xxxvii, 3, 16, 20; xxxviii, 5, 6, 19. *buit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini.* Imo frequenter contempsit verba ipsius, et aliquando eum incarceravit. Interdum tamen satis pie Jere-
A miam alloquebatur, et liberavit de carcere, tortamque panis dedit ei quotidie : quæ omnia in libro Jeremiæ diffuse habentur. *A rege quoque Nabuchodonosor recessit* per inobedientiam, et juramenti ac pacti transgressionem, *qui adjuraverat eum per Deum,* hoc est, jurejurando præcepit Sedeciæ, ne recederet a se, et super hoc juramentum ab eo recepit. *Et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel.*

Sed et universi principes sacerdotum, id
B est pontifex et ceteri sacerdotes præcipui, qui sub istis Josiæ filiis præfuerunt, de quibus loquitur Jeremias : Sacerdotes non Jer. ii, 8.
dixerunt, Ubi est Dominus ? *et populus, prævaricati sunt inique, juxta universas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Jerusalem. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos, per manum nuntiorum suorum :* hoc est, suos Prophetas et per eorum obsequium verba sua saluberrima, misit ad illos iniquos; *de nocte*
C *consurgens,* id est mane atque celeriter, Ibid. xxv, 4, 5.
instar principis ad aliquid expediendum in tantum accelerantis, ut de nocte consurgens, suos dirigat servos ad illud. Vel, De nocte, hoc est adversitate instante, seu vitiorum caligine omnia occupante. *Et quotidie commonens,* id est, ad emendationem exhortans iniquos, *eo quod parceret populo et habitaculo,* id est templo *suo :* quia quantum in se fuit, sategit, ne populus vastaretur, et ne templum incenderetur.

At illi subsannabant nuntios Dei, et
D *parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis :* quemadmodum de se multa loquitur Jeremias, Omnes, inquiens, sub- Ibid. xx, 7, 8; xv, 10.
sannant me ; Factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die ; Omnes maledicunt mihi. Hinc et Ezechiel dixit : Ego portentum vestrum. Et ex his Ezech. xii, 11; xxiv, 24, 27.
elucescit ineffabilis pietas Dei ; mira quoque et inexcusabilis ingratitudo, perversitas, et obstinatio populi. *Donec ascenderet furor Domini,* id est rigorosus effectus divinæ justitiæ, *in populum ejus, et esset*

Digitized by Google

nulla curatio afflictionum et pœnarum, quas intulit illis per Chaldæos, per quos gladio, fame et peste consumpti sunt. Unde
Jer. xiv, 19. a Jeremia dicitur Deo : Quare percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas?

Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii. Non est misertus adolescentis et virginis et senis, nec decrepiti quidem : hoc est, tam districte ultus est Deus crimina populi sui, quod nec miserabilibus personis, quibus solet parci in bellis, pepercit; *sed omnes tradidit in manibus ejus,* videlicet regis Chaldæorum ; *universaque vasa domus Domini, tam majora quam minora, et thesauros templi et regis et principum, transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem. Universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. Si quis evaserat gladium,* id est necem per Chaldæos illatam, *ductus in Babylonem, servivit regi* Chaldæorum, *et filiis ejus,* qui ei successerunt in regno. Aliqui tamen Judæi, qui non restiterunt Chaldæis perti-
IV Reg. xxv, 22-24. naciter, ut Godolias, et qui ei commissi fuerunt, et qui confugerunt ad eum, remanserunt in terra Judææ ad tempus. *Donec imperaret rex Persarum,* hoc est, quousque Cyrus monarchiam acquireret, *et compleretur sermo Domini ex ore Jere-*
Jer. xxv, 11; xxix, 10. *miæ,* prolatus de Judæorum detentione in Babylonem per annos septuaginta, *et celebraret terra sabbata sua,* id est, terra Judææ suam servaret quietem et cessationem a cultura et inhabitatione humana. Nam interim pro maxima parte mansit inculta et
Ibid. xli, 2. vacua, præsertim Godolia occiso. Hinc subditur : *Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum,* hoc est, quietem præfatam retinuit, *usque dum complerentur septuaginta anni.*

Anno autem primo Cyri regis Persa-
I Esdr. i, 1-3. *rum.* Istud est finis hujus voluminis, et coincidit cum exordio libri Esdræ, quem-
Luc. xxiv, 52, 53; Act. i, 12, 14. admodum finis evangelii S. Lucæ coincidit cum exordio libri Actuum Apostolorum.

A Unde conjicitur, Esdram edidisse hunc librum. Itaque, Anno primo regis Persarum, non utique anno primo vitæ suæ, nec primo suæ regalis præsidentiæ anno, sed primo anno suæ monarchiæ, quo, avunculo suo Dario mortuo, factus est monarcha, imperio Chaldæorum destructo; *ad explendum,* id est opere adimplendum, *sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ,* quod scilicet septuaginta annis captivitatis Jer. xxv, 12; xxix, 10.
completis reducerentur Judæi ad propria, *suscitavit Dominus spiritum Cyri regis*
B *Persarum,* hoc est animum seu intellectum, vel cor Cyri instigavit ad faciendum quod divinitus fuit prædictum ; *qui jussit prædicari in universo regno suo etiam per scripturam,* id est, per totum suum imperium verbo et scripto celeriter insinuavit ac divulgavit, *dicens :*

Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia I Esdr. i, 2.
regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli. Istud est hyperbolicus sermo. Id est, tot et tot regna mihi subjecit summus et verus Deus, cujus virtute prævalui, quod cuncta
C mundi regna me reor quasi obtinuisse : quia et quæ nondum obtinui in re, jam habeo bona et probabili spe. Verumtamen nec Assyrii, nec Chaldæi, nec Persæ et Medi, nec Græci, imo nec Romani, qui ceteris longius ac latius imperaverunt, absolute loquendo, obtinuerunt omnia mundi regna, quæ suis fuerunt temporibus. *Et ipse præcepit mihi,* per inspirationem occultam, et per prænuntiationem propheticam, *ut ædificem ei domum,* hoc est, templum ei construi faciam, *in Jerusalem, quæ est*
D *in Judæa,* id est in loco ubi Jerusalem jam antea stetit, et ubi ex mea licentia rursus jam construetur : quo facto, ædificabitur ibi templum. Nam, ut dicunt S. Hieronymus et Hebræi, Judæi in captivitate positi Hieron. in
ostenderunt Cyro librum Isaiæ prophetæ, fine Quæst. Hebr.
et scriptum in eo : qualiter sanctus ille Propheta per tot annos prædixit etiam proprium nomen ipsius Cyri, et ejus victorias sibi desuper dandas aut datas ; qualiter item populum Judæorum licentiaret ad revertendum atque ad reædificandum ci-

Digitized by Google

vitatem et templum : quibus visis exhilaratus est Cyrus valde, et quamdam unius veri Dei accepit notitiam, libenterque annuit precibus Judæorum. *Quis ex vobis est in omni populo ejus ?* id est, quis vestrum (o Judæi) est vere de populo Dei cœli, qui A scilicet pro ejus honore zelum gerit sincerum ? *Sit Dominus Deus suus cum eo,* hoc est, gratiose juvet ac dirigat eum, *et ascendat* ad terram Judææ, ad reædificandum templum et colendum in eo Altissimum.

EXPOSITIO ORATIONIS MANASSÆ REGIS JUDA

QUUM PER CAPTIVITATEM HUMILIATUS ESSET.

Rom. v, 20. SICUT vere ait Apostolus, ubi abundavit peccatum, abundat et gratia. Nam IV Reg. xxi, 2-17; II Par. xxxiii, 2-9. sicut Manasses ineffabiliter dire peccavit, in tantum ut Climacus dicat, Nullum invenio ita peccasse, sicut Manassen ; sic cordialissime pœnituit, seque profundissime humiliavit, et ferventissime exoravit : cujus oratio magno est digna præconio, et est efficax valde ad impetrandum. Siquidem oratio quæ laudibus Dei redundat, atque orantis culpas miseriasque includit, efficacior ad exaudiendum censetur, juxta Ps. xvii, 4. quod ait Propheta : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Talis vero est ista oratio, in qua Deus multipliciter ac excellenter laudatur de sua majestate et omnipotentia, de sua pietate et justitia, de sua bonitate et sapientia, et de præclaris effectibus suis.

Itaque rex Manasses detentus in vinculis, et compedibus aggravatus, ad cor suum Is. xlvi, 19. reversus est, vexatione sibi intellectum præstante ; atque, ut supra continetur, egit II Par. xxxiii, 12, 13. pœnitentiam valde, hoc est, intimam habuit contritionem, et deprecatus est Deum intente, ferventissime, humillime, contritissimo corde dicens : *Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac, et Jacob.* Manasses de horum sanctorum Patriarcharum semine natus, recte et industriose suam incepit orationem hoc modo, quatenus tantorum Patriarcharum meritis juvaretur, divinæ quoque pietatis B recordaretur, qua Dominus universorum, omnem intellectum et rationem infinite transcendens, et cunctis incomparabiliter dignior, dignatus est horum virorum Deus specialiter nominari, istoque titulo designari, hoc cognomine commendari, quemadmodum in Exodo ait ad Moysen : Hæc Exod. iii, 15. dices filiis Israel : Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum ; et hoc memoriale meum in generationem et generationem. *Et seminator* eorum juste.* Dicitur Deus, seminator C Patriarcharum istorum, tum quia principalis institutor eorum, tum quia in corde eorum verba vitæ, semen gratiæ, ac diversa charismata seminavit, tum quia eorum sobolem copiosissime propagavit.

Qui fecisti cœlum et terram cum omni ornatu eorum : juxta illud Genesis, Perfe- Gen. ii, 1. cti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum. Itaque fecit Deus cœlum et terram, hoc est superiora et inferiora, visibilia et invisibilia, summa et infima cum mediis, D cœlum cum sideribus ac planetis, cum omni luce, influentia ac virtute cœlestium corporum, terram cum ceteris elementis et omnibus in eisdem contentis.

Qui signasti mare verbo præcepti tui :* id est, impressione tuæ virtutis et jussione omnipotentiæ tuæ, indidisti mari suam proprietatem et vim, qua quasi sigillo ab aliis est distinctum, et tuus esse effectus

* alias *seminis eorum justi,* vel *semini eorum justo*

* alias *ligasti*

Digitized by Google

cognoscitur : quod de quolibet mari potest A intelligi. Ideo in libro Proverbiorum Sa- *Prov.* viii, 27, 29. pientia ait : Certa lege et gyro vallabat abyssos, et legem ponebat aquis.

Qui conclusisti abyssum : hoc est, ipsum aquæ elementum termino certo clausisti infra limites suos, quamvis sit levius elemento terræ, ne ascendat et operiat illud. *Job* xxxviii, 8, 10, 11. Hinc ad Job Dominus loquitur : Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Quod quam mirum magnificumque consistat, atque ad timorem Dei provocativum, Dominus protestatur per Jeremiam : *Jer.* v, 21, 22. Audi, inquiens, popule stulte, qui non habes cor. Me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit? Intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. Hoc *Ps.* xxxii, 7. est quod etiam cantatur in Psalmo : Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. *Et signasti terribili et laudabili nomini tuo :* hoc est, Oceanum prætacto modo determinasti et specificasti, ad laudem et gloriam tuam, qui es su- *Eccli.* i, 8. per omnia incomparabiliter metuendus et *Prov.* xvi, 4. superlaudandus. Omnia enim propter te *Eccle.* iii, 14. ipsum operatus es, Domine, et omnia fecisti ut timearis, quia in universis et singulis ostendisti et resplendere jussisti bonitatem, sapientiam, et omnipotentiam tuam, quatenus hæc pensantes, veneremur et vereamur te ex tuarum consideratione creaturarum.

*Quod omnes timent**, id est quidam ex omnibus : et omnes bene sensati te metuunt filiali seu initiali timore. Nihilo minus innumerabiles sunt, qui non timent *Ibid.* viii, 11. te, quum Salomon dicat : Quia non cito profertur judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. *Et tremunt a vultu virtutis tuæ :* id est, ex consideratione intuitus præsentiæ omnipotentiæ tuæ, omnes cum tremore formidant te : juxta sensum prætactum. Imo cuncta creata quodammodo Creatorem suum formidant, juxta illud Ecclesiastici : Ecce cœlum et cœli *Eccli.* xvi, 18, 19. cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur ; et quum conspexerit illa Deus, terrore concutientur. Ideo dixit Porphyrius, quod deum deorum polus, tellus, pontusque contremunt, et ipsa numina perhorrescunt.

* pavent

Et insustentabilis ira super peccatores comminationis tuæ : id est, ultio tuæ comminationis, quam facis iniquis, puta æterna B damnatio, est intolerabilis valde. *Immensa vero et investigabilis misericordia promissionis tuæ :* id est, pietas, gratia et gloria, quam bonis, justis ac pœnitentibus promisisti, est infinita et imperscrutabilis, quia in hac vita inæstimabilem pietatem et gratiam eis impendis, et in futuro te ipsum ac tui ipsius beatificam fruitionem eis retribuis. Ideo ait Apostolus : Oculus non vi- *I Cor.* ii, 9; *Is.* lxiv, 4. dit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.

C *Quoniam tu es Dominus Deus altissimus* *Ps.* xcvi, 9. *super omnem terram, longanimis,* id est *Ps.* cii, 8. diu exspectans emendationem peccantium, *et multum misericors,* id est naturaliter pius, et clementer subveniens miseris : imo tibi proprium est misereri et parcere ; punire vero est quasi peregrinum et alienum a te, et propter peccantium pravitates hoc facis ; *et pœnitens super malitias hominum,* id est iniquitatibus hominum pœnitentium pie indulgens, et eos faciens pœnitere ; vel, per modum pœnitentis seu D dolentis, te habens circa iniquos dum pœnitent, quia pœnam quam eis comminatus es, misericorditer eis relaxas. Hinc per Jeremiam Dominus loquitur : Repente loquar *Jer.* xviii, 7, 8. adversus gentem et regnum, ut eradicem et destruam illud ; si pœnitentiam egerit gens illa, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem eis. Jonas quoque ait : Scio quia tu Deus clemens et *Jonæ* iv, 2. misericors es, patiens et multæ misericordiæ, et ignoscens super malitia. Insuper dicitur Deus, pœnitens super malitias ho-

Digitized by Google

minum, id est per modum dolentis et tristantis se habens, propter vitia iniquorum, quæ detestatur et horret. Propter quod ait (Is. I, 14.) per Isaiam : Laboravi sustinens. Et rursus : (Ibid. XLIII, 24.) Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Unde et Malachias fatur : (Malach. III, 8.) Si affiget homo Deum, quia vos configitis me ? Ideo quoque hortatur Apostolus : (Ephes. IV, 30.) Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.

Tu autem, Domine, secundum bonitatem tuam promisisti pœnitentiam remissionis peccatorum, id est salubrem contritionem promeritoriam relaxationis culparum : quia frequenter testatus es in Scripturis, quod hi qui cordialiter dolent de suis peccatis, in quantum sunt offensiva tuæ sanctitatis et contra justitiam, consequantur a te remissionem omnium suorum excessuum. (Ezech. XVIII, 21, 22.) Siquidem per Ezechielem locutus es : Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. A (Sap. XI, 24.) Sapiente quoque dicitur Deo : Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Et tu, Deus justorum. Deus, omnium Dominus est jure creationis et universalis providentiæ ; justorum vero specialiter Dominus est, per gratiosam eorum gubernationem et specialem provisionem, et per illorum obedientialem subjectionem ac debitam servitutem. *Non posuisti pœnitentiam justis,* videlicet ipsi *Abraham, et Isaac, et Jacob,* ac consimilibus ; *his qui tibi non peccaverunt :* id est, remedium contritionis seu sacramentum pœnitentiæ talibus non providisti, in quantum sunt justi, nec eis ut talibus præcepisti pœnitere. Dicuntur autem hi non peccasse, non quod sine venialibus vitam hanc peregerunt, sed quia vel non peccaverunt mortaliter, aut raro sic peccaverunt, et de suis peccatis excellenter pœnituerunt, ita quod comparatione aliorum quasi non peccasse videntur. Juxta quem modum sanctus Job (Job XXVII, 6.) loquitur : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Et iterum ibidem : (Ibid. XVII, 2.) Non peccavi. Qui nihilo minus rursus fatetur : (Ibid. XIV, 16, 17.) Parce peccatis meis. Et ibidem : Signasti quasi in sacculo delicta mea. Itemque : (Ibid. IX, 20.) Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.

His itaque præmissis, in quibus rex Manasses excellentiam Dei multiplicem devote confessus est, ejus quoque justitiam commemoravit, ad incutiendum sibi ac aliis salubrem timorem, et etiam divinæ pietatis immensitatem, ad excludendum desperationem atque ad excitandum spem veniæ, consequenter sua confitetur ac deflet facinora. *Quoniam peccavi super numerum arenæ maris,* id est innumerabilia mala : et potest verbum istud per modum hyperbolicæ locutionis intelligi. Et utique graviter et innumerabiliter valde peccavit ultra omnem æstimationem, non solum in propria persona, sed quia rex erat, totum populum tam enormiter scandalizando, justos persequendo et occidendo : imo, ut legitur, sanctissimum Isaiam atrocissime trucidando, quum idem beatissimus vates esset jam vir ætatis decrepitæ et consanguineus regis ; insuper Dei cultum in templo impediendo, et illic idola statuendo atque colendo. Et hæc omnia ipse humiliter recognoscit, subjungens : (IV *Reg.* XXI, 2-17; II *Par.* XXXIII, 2-9. — Petr Com. hist. lib. IV Reg. c. 32.)

Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, quibus peccavi in Deum, in proximos, et in me ipsum. *Incurvatus sum multo vinculo ferri :* quia ad litteram oneratus fuit compedibus et catenis. Spiritualiter vero ad carnalia et terrena ac pessima vitia fuit depressus ferrea consuetudine et ænea obstinatione ; illudque Salomonis, Iniquitates (*Prov.* V, 22.) suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur, fuit in eo impletum. *Et non est respiratio mihi,* id est, consolationem et refrigerium non invenio in me, nec ex me, neque in aliquo homine ; *quia excitavi iracundiam tuam,* id est, justitiam tuam dire offendi, et ejus vindictam promerui, *et malum coram te feci,* tuam inhonorando præsentiam, nec tuæ majestatis adspectum curando, *statuens abominationes,* hoc est idola et cetera vitiorum incitamenta impiissimaque præcepta, *et multiplicans offensiones,* alios ad scelera inducendo, omni modo quo potui.

Digitized by Google

Et nunc flecto genua cordis mei : id est, quoniam vinctus et nervo constrictus, corporalia genua coram te flectere nequeo, spiritualia mentis meæ genua, utpote vires animæ meæ, rationem et voluntatem, conscientiam, synderesim, et quidquid intra me est, tibi humilio atque prosterno, *precans ad te bonitatem tuam, Domine,* hoc est, orationem fundens ac dirigens ad te, o Domine, tuam invocans bonitatem, et bonitatem mihi infundi exorans. Vel, Precans ad te bonitatem, id est, ad te qui naturaliter es ipsa bonitas pura ac infinita. *Peccavi, Domine,* per commissionem malorum, *peccavi* per omissionem bonorum, quoniam debitum regalis officii nequaquam implevi, *et iniquitatem meam agnosco,* hoc est, congeriem vitiorum meorum attendo, intueor, confiteor, et deploro. *Peto rogans te, Domine, remitte mihi, remitte mihi ; ne simul perdas,* id est, perire permittas ac damnes, *me cum iniquitatibus meis,* ne ea mecum portem ad inferos, *neque in æternum reserves mihi mala,* id est inferni tormenta perpetua, sed potius in hac vita per ista adversa me purga.

Denique tam humiliter et contrite, tam ferventer et attente rogando, sensit in se ex gratiosissimo tactu Spiritus Sancti quamdam spem veniæ, ideo fiducialiter subdit : *quia in æternum* salvabis me secundum magnam misericordiam tuam,* quæ in infinitum major est omni pravitate et miseria nostra : et hoc est verbum bonæ spei, non assertionis incautæ, quoniam adhuc non fuit certus se esse dignum amore ac prædestinatum, sed confidebat ; *et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ* in præsenti sæculo, et in futuro : et tanto plus, quanto ex acceptis beneficiis obligatiorem me cerno.

* *quia indignum*

Eccle. IX, 1.

Et merito te laudabo, *quoniam te laudat omnis virtus cœlorum :* tu enim universis et singulis infinite melior, sanctior, perfectiorque consistis, et a te omne bonum profluxit. Præterea, juxta divinum et sanctum Dionysium, quemadmodum omnes cœlestes spiritus appellantur angeli, ita et omnes appellantur virtutes, quia ad omnia quæ eis divina lege committuntur agenda, sunt fortes atque idonei : sicque per omnem virtutem cœlorum, potest intelligi universitas supernorum spirituum, omnesque ordines angelorum. Potest quoque per omnem virtutem cœlorum, tota vis, natura, atque causalitas cœlestium corporum designari. Spiritualiter vero, omnis virtus cœlorum, est omnis habitus virtuosus, et omnis actio bona ac meritoria hominum devotorum, specialiter contemplativorum, quorum conversatio est in cœlis. *Et tibi est gloria,* hoc est clarissima fama, jucunditas infinita, beatitudo immensa : imo pleni sunt cœli et terra gloria tua, et tibi debetur omnis laus, honor et gloria, tuamque excellentiam miratur omnis creatura, *in sæcula sæculorum. Amen.* O Deus excelse et gloriose !

Philipp. III, 20.

Is. VI, 3; *Apoc.* IV, 11.

Ecce quanta est pietas Dei in vasis misericordiæ suæ, et certe magna valde est laus, eminentia et efficacia orationis istius, quam auctor ejus in laude Dei devote concludit, sicut ab ea ipsam ferventer incepit. Nec ista oratio est de textu, nec in Hebræo habetur ; sed ipse Manasses qui eam in carcere edidit, liberatus de carcere ipsam in formam redegit ac promulgavit. Hanc ergo orationem peccatores, quorum primus ego sum, et veraciter pœnitentes, libenter, attente et quotidie legant. Ad laudem Dei, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

I Tim. I, 15.

Rom. IX, 5.

FINIS

Digitized by Google

ENARRATIONES IN LIBROS

JOB, TOBIÆ, JUDITH, ESTHER, ESDRÆ,

NEHEMIÆ, MACHABÆORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN LIBROS

JOB, TOBIÆ, JUDITH, ESTHER, ESDRÆ, NEHEMIÆ, MACHABÆORUM

INSERTO EJUSDEM D. DIONYSII TRACTATULO DE CAUSA DIVERSITATIS EVENTUUM HUMANORUM, AD INSTANTIAM REVERENDISS. D. CARD. NICOLAI CUSANI EDITO.

Ad Hebræos x.

Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam, nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, et qui venturus est, veniet, et non tardabit.

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL, MDXXXIV ; HEREDUM JOANNIS QUENTEL, MDLI ; GERVINI CALENII, MDLXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

GENEROSISSIMÆ PRINCIPI MARIÆ AB HAMAL, MARCHIONISSÆ DE AERSCHOT, DOMINÆ DE ELDEREN, DE RUMMEN, ETC., F. FRANCISCUS TALEMANIUS DE EDAMMIS, PRIOR DOMUS CARTUSIANÆ IN LOVANIO, SESE, DOMUMQUE SUAM COMMENDAT.

QUUM nihil æque sit, quod aut citius nos ad virtutem colendam promoveat, aut Dei in nos beneficia recolere faciat, atque jugis et indefessa illa in divina lege meditatio : non inconsulto multi huc ingenii et studiorum omnes conatus destinarunt, ut memoriam, intellectum, providentiam, ceterasque præclaras et divinas animi dotes non in perniciem verterent, ignavaque desidia sinerent oblitescere, sed ut assiduo quodam studio in lege Domini meditarentur, qua re nihil usquam exstitit, quod vel magis a communi vitiorum contagione eos præservarit, animumque saniori disciplina imbuerit. Quis enim tanta sui ignorantia torpescit, ut quum videat tam incertos subitosque rerum humanarum motus et casus, nihilque vel inconstantius vel inquietius mortalium vita, non ducat laudabilius esse divinæ virtutis arcana scrutari, cœlestia omnia mentis sagacitate penetrare, et summo conatu vitæ cultum expetere, quam inerti ac degenere otio delitescere, terrenaque omnia sapere usque adeo, ut in pastum ac venerem nati appareant? Quique hoc modo vitam instituunt, ut vivi atque videntes (Lucretio teste) vitam perdant, nihil minus quam hominum appellatione digni censendi sunt, nam toto conamine huc incumbunt, ut vetustos continentiæ mores novo luxu et lautitia corrumpant, veræque virtutis nervos illecebrarum contagione remittant atque emolliant : quum alii, quos solos vivere, solos otiosos esse diximus, ita sacræ philosophiæ sacris occupati sunt, ut in hac vita nihil amplius sublimiusque esse reputent, quam divinæ veritatis patrocinium subire, et in ejus majestate conquiescere. Quibus quanta sit vitæ tranquillitas et animi suavitas præ his, qui in mediis hujus mundi fluctibus agitantur, is omnium norit optime, qui dum fragilem humanæ vitæ sortem penitus explorarit, jam demum hujus vitæ tempestate caput exeruerit. Quare si vel alio quovis tempore summo expetiti fuerint studio, qui vitæ præcepta eximia cum sanctimonia et pari vitæ continentia traderent, vitiaque et gliscentem nequitiam non insigni conatu, sed constanter deprimerent, certe vel hoc sæculo, quo nihil malitiosius, summo omnium voto videntur exoptandi : præsertim quum ipsa malorum Ilias videtur in media mortalium septa prorupisse, ita ut ipsa Libya tam multiformes animalium fetus olim non advexerit, quam in dies subdola mortalium vita dolos connectat et comminiscatur novos. Ceterum, ad alias calamitates quod attinet, quibus non premimur malis? Nam non longo interjecto tempore, quis non furor subiit

Digitized by Google

mortalium pectora inter assiduos armorum crepitus, quibus jam diu totus colliditur orbis? In quæ vitia non degeneravit mortalium vita, militari licentia? Hinc urbes vidimus diutina obsidione fatigatas, vi captas, et ab imo, proh dolor, excisas. Atqui armorum terror ubi consopitus erat, tantus fuit malorum incursus, ut calamitas calamitati successisse apprime videri possit. Nam dira et atrox pestis in multa hominum millia desævit. His accedit quod propter largissimos imbres, qui agros in lati æquoris speciem operiebant, esurie et siti passim sit laboratum. Vidimus quantis denique angustiis fides arctetur Catholica, quantis dissidiis fidelium cœtus concutiatur, quibus non hæreseos zizaniis Evangelicæ doctrinæ seges vitiata sit : quæ ita gliscit in dies, ita sese hominum animis insinuat, ut sine magno discrimine inde revelli non queat. Verum in tantis malorum procellis, quæ usque adeo terrenas mentes agitant, ac potissimum bene vivendi instituto adversantur, quid minus nos decet quam dolore aut pavore contabescere? Quid magis convenit quam *Jacob.* I. gaudio exsultare, Jacobi testimonio, qui inquit : Gaudete, fratres, quum in varias tentationes incideritis? Nullus enim, animum qui abjicit, coronatur ; nullus qui contristatur, trophæum statuit. Quæ enim gloriæ spes, si nulla victoria ? Quis triumpho locus, acre certamen si non fuerit? Quare ne cedamus malis, sed contra audentiores eamus, ut virtus in hoc discrimine magis ac magis efflorescat. Hoc enim speramus (quod maritimi in difficili soleant periculo sperare), inundationem uberem comitari feracitatem. Per quam tolerantiam per tot cruciatus, Job servo Domini ad cœlum via patuit. Per hanc tolerantiam et hæc nostra Judith Judæorum avertit animos, ne ditionem sævissimo duci pararent, satiusque esse rata malis aliquantulum obrui, quam jugiter sub mortis vexillis militare imperatore dia- *Psalm.* II. bolo. Hac duce (et Propheta acclamante) disrumpamus et nos vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum : neque amplius nobis blandius ementiamur, vanitatum spe illecti, sed ab ipsius fallacis mundi spatiis atque umbraculis ad Salomonis porticum deficiamus, in qua certissima vitæ ratio ac veritas continetur. Horum vestigia insequentes, qui sanctimonia, parique vitæ castimonia ad superos nobis aditum præbuerunt, eorum potissimum consilio acquiescentes, qui nullum laborem, nullas vigilias detrectarunt, quo et posteris his sæculis scriptorum ubertate in divinis disserendis Litteris commodarent. E quorum numero et hic noster Dionysius esse potest, qui in divinis mysteriis studio indefesso, ac singulari solertia incubuit, ut omnium doctissimorum calculo divinæ Sapientiæ arcana nobis optime retexerit. Cujus lucubrationes tantum spirant Christiani dogmatis fervorem, ut pectus illud haud difficulter quis agnoscat, martyrio fuisse addictissimum. Si ingenii amplitudinem spectemus, si vim ac animi promptitudinem in refellendis hæreticorum erroribus, vel solus Dionysius hac nostra tempestate inter omnes coryphæus esse possit, quem densis hæreticorum phalangibus objiciamus. Cujus rei summum argumentum præbent præsentes hi Commentarii in Job, Tobiam, Judith et Esther : ubi fecundissimum illud ingenium tanta fide, tam acri animi vigore enucleat ac discutit singula, ut interim piorum animos, universis vitiositatis seminariis recisis, ad virtutem colendam sollicitare non desistat. Verum quum hujus tot noctium evigilati labores hactenus suppressi essent ac neglecti, et Dei Ecclesia tanto thesauro defraudata fuisset, nostri ordinis ac instituti primates, rati non esse Christiani pe-

Digitized by Google

ctoris tantum thesaurum aliis invidere, sed magis quod ex divino fonte in eum perductum esset, in alios itidem corrivare, summo studio adnisi sunt ut omnia Dionysii nostri opera in lucem proferrentur. Sed quum inter tot sinistros censores, quos orbis jam habet plurimos, qui suggillandi magis libidine, quam recte judicandi animo hos legent, Dionysii commentarios divulgare satis tutum non erat, nisi tanti patroni vel patronæ fulcirentur patrocinio, quæ et velit et possit eos ab omni calumnia defendere : tu, o generosissima Princeps, in primis occurrebas, cui divini nostri Dionysii accurata diligentia, in hisce commentariis exantlatos sudores consecraremus, grati erga te animi specimen quoddam exhibituri. Nam ad hæc, quod sis generis claritudine ac fortunæ indulgentia illustris, tanta tamen virtute, lenitate, ac in omnes pietate præfulgens, ut si vel magnanimam Tomyrim, fortemque ponamus Camillam, nullam tamen inter omnes heroicas mulieres deprehendere possim, quamvis maximo virtutis merito nomen posteritati dederit, quam tu pari ac sedulo pietatis ac omnis virtutis cultu non æquaris, vel præverteris potius. Usque adeo cura tua virtus est, et iter meditaris ad astra. Nam si animum tuum in adversis infractum ac constantem expendamus, nulla unquam tam fortis mulier fuerit, quæ pari tolerantia omnia fortunæ ludibria, muliebri abjecta mollitie, sufferre potuerit. Quo nomine ita omnibus prædicatam tolerantissimi illius Job patientiam refers, ut vel nulla et melius et accuratius potuerit. Verum etsi hæ virtutes heroicæ tuæ, generis splendori conjunctæ, tam late in omnes terras nominis tui gloriam non sparsissent, tamen hoc immortale nomen parere tibi potuit, quod eum tori consortem habueris, qui dum apud primos Cæsaris nostri Primates summus exstiterit, tamen ita vitæ suæ curam gessit, ut inter religiosos omnes vel religiosissimus Christianæ fidei assertor fuerit. Quem et tu ita vitæ integritate, inculpatisque moribus exprimis, ut an superaris in dubium vertatur. Quare non immerito te mulierem fortem appellare possumus, in qua (Salomone asserente) cor viri confidit, et spoliis *Prov.* XXXI.
non indiget, manumque suam misit ad fortia, et palmas suas extendit ad pauperes, manumque inopi aperuit. Quod et tu ita cum Tobia hoc nostro præstitisti hactenus, ut nullus sit qui tuam liberalitatem ac eximiam beneficentiam non fuerit expertus. Quem enim inopia pressum non fovisti? Cujus viduæ ac pupilli sortem miserata non es? Paula mulier Romana, e nobili Scipionum familia, amplas in pauperes divitias erogavit : tu quoque non minores non solum in inopum alimoniam, sed et religiosorum omnium usus elargiris : partim nova cœnobia divinis hymnis jugiter personantia, ab imo tuis impensis exstruens, et copiosis reditibus locupletans : partim ea quæ majorum pietate divino cultui dedicata sunt, sed jam prorsus collapsa, erigens. Inter quæ et hanc nostram Cartusianam domum, cujus dum vix jacta fundamenta essent, ita splendide erexisti, et luculentissimis ampliasti ædificiis, in quibus adeo aviti generis tui imagines ac insignia fulgent, ut hæc sola monumenta esse possint, quæ in omne ævum nomen tuum late propagarent. Ceterum quum tantis honoribus, pensatoque prorsus studio nostram prosequaris religionem, merito te matrem, vel anchoram potius totius familiæ nostræ uno ore omnes vocare possumus, nempe in qua universa nostra domus inclinata recumbat. Quamobrem quum immensa sunt quæ tibi a nobis debentur, neque aliud apud animum meum magis anxie perpendere soleam, quam ut rationem inirem aliquam, qua tibi me, etsi non

Digitized by Google

gratissimum, et penitus tuis in nos meritis parem, attamen non ingratum omnino ostenderem : quare pro mea incredibili in te caritate vel pietate potius, nihil tibi vel gratius vel acceptius obtingere posse perpendi, quam earum heroicarum mulierum incorruptam vitam tibi offerre, cum quibus non absque numine divum tibi permulta contigerunt communia, et in quibus tuam ipsius vitam tanquam in speculo contemplari possis. Clarissimo loco ortæ sunt : neque tua progenie Principis nostri ditio, quidquam habet illustrius. Pietate insignes fuere : et tua ubique est in Deum et homines prædicata pietas. Quid enim esse potest, quod tibi magis congruat, quam audire Judith, magna vitæ castimonia, prælatæ viduitatis onus sustinuisse, cujus humilitas Holophernis caput de mediis hostibus reportavit, et castitas truncavit libidinem? Mardochæus et Esther inter purpuram, sericum et gemmas, superbiam humilitate vicerunt : tantique fuerunt meriti, ut captivi victoribus imperarent. Quos et tu quidem divino quodam ductu referre videris. Nam tanta animi modestia ac humilitas tua est, ut perhumanam ac facilem te prædicent ac sentiant uno ore mediocres omnes. Tua illa illustris dignitas, claræ aviti generis imagines, quæ aliis animum subrigerent, hæc tibi virtutis colendæ incrementum suppeditant, omnino cum Mardochæo et Esther arrogantiam humilitate devincenti, quæ sola nos Deo conciliat ac lapsos erigit. Quare, nobilissima herois inter omnes hujus sæculi heroicas feminas, ac nostra patrona unica, quum ita apud omnes tua naturæ bonitas prædicetur et incredibilis humanitas tua, qua et tuam ipsius vincis magnitudinem, spero omnino futurum ut ego tam alacri animo hæc tibi porrigere ac offerre non possim, quin tu hilariore fronte hæc excipias ab eo, qui si nulla alia in re tibi vices rependere queat, certe nulli tamen officio neque studio cessurus est. Vale in Christo Jesu, qui tuam istam valetudinem diu nobis servet incolumem. Ex Cartusia nostra Lovaniensi. Anno MDXXXIV.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JOB

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

DISCIPLINAM *Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Prov. III, 11, 12.

Quoniam adversitates, tribulationes et pœnæ præsentis vitæ medicinales sunt, et non tantum præteritarum curativæ culparum, sed a futuris insuper vitiis præservativæ, dispositivæ quoque ad gratiam, et introductivæ ad gloriam, omnium quoque virtutum custoditivæ, activæ, atque cœlestium ac æternalium deliciarum ineffabiliter accumulativæ; per quas etiam Christo cruciformiter conformamur, et in electorum Dei sortem annumeramur, dummodo eas æquanimiter toleremus, et tanquam munus paterni amoris de manu superclementissimi ac supersapientissimi Domini Dei nostri cum gratiarum actione, mentalique gaudio suscipiamus : quid utilius, quidve salubrius conferre nobis poterit Conditor adorandus, in hujus loco exsilii, quam adversitates, tribulationes et pœnas, gratiamque patientiæ in eisdem, quibus collatis, simul præstabit et ceteros earum fructus prætactos? Hinc quippe loquitur Christus : Beati eritis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Merito ergo hortatur nos in Scripturis Spiritus Sanctus, ne in correptionibus, disciplinis ac tribulationibus, quæ vel Deo agente aut permittente nobis contingunt, tristemur, murmuremus vel deficiamus; quin potius caritati pietatique Dei super beneficiis talibus gratias cum gaudio referamus, humiliter confidentes nos esse de numero filiorum ipsius, quum ad Hebræos dicit Apostolus : Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Denique qui Deo cariores fuerunt, graviora perpessi noscuntur. Et tantæ beatitudinis est, tribulationibus affici in præsenti, ut nec unigenito suo Filio incarnato æternus Pater pepercerit, sed morte acerbissima atque turpissima permiserit occidi. Ideo scriptum est in Judith : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt.

Tribulationum vitæ præsentis utilitas.

Galat. II, 19. *Act.* XIV, 21.

Matth. V, 11, 12; *Luc.* VI, 22, 23.

Judith VIII, 26, 27.

Hebr. XII, 8.

Rom. VIII, 32. *Sap.* II, 20. *Judith* VIII, 23-25.

Adversitates vero et tribulationes, in quantum sunt quædam nocumenta ac mala pœnalia, non sunt ita appetibiles atque amabiles, nec delectationis et gratiarum actionis materia; sed ut sunt tam fructuosæ et utiles, itemque ex paterna Dei dispensatione ac misericordia provenientes. Et secundum hujuscemodi considerationem earum, est circa eas patientia, appetibilitas, gratiarum actio et delectatio; sicque eas considerare

Digitized by Google

Prov. XIV, 29. et acceptare, est sapientiæ. Propter quod Salomon protestatur : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

Patientia quid. Porro, patientia est virtus moralis, quæ passionem tristitiæ moderatur et frenat. Solet enim ex eventu adversitatis et illatione tribulationis tristitia generari in animo, quando videlicet talia tanquam quædam nocumenta et aspera conspicit ; sed dum ratio talia tanquam utilia contuetur, per patientiam passionem tristitiæ superat et evellit. Quo autem tristitia fugibilior est, atque nocivior, non animæ tantum spiritualique vitæ, sed etiam corpori, eo patientia desiderabilior opportuniorque consistit. Quam fugienda vero ac nociva sit tristitia, docet Ecclesiasticus, dicens : Tristitiam longe expelle a te : multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. In Proverbiis quoque habetur : Sicut tinea vestimento, sic tristitia nocet cordi viri. Rursusque Salomon ait : Animus gaudens ætatem floridam facit ; spiritus tristis exsiccat ossa. Tristitia namque est passio maxime afflictiva, corrosiva atque læsiva naturæ, breviativaque vitæ. Quod totum de inordinata, carnali seu sæculari tristitia accipi debet, de qua dicit Apostolus : Tristitia sæculi mortem operatur. Hæc enim est dolor seu mœror de temporalium rerum amissione vel corporalis incommodi inductione, de injuria, inhonoratione aut simili malo pœnali.

Eccli. XXX, 24, 25. — *Prov.* XXV, 20; XVII, 22. — II *Cor.* VII, 10.

Præterea, laus patientiæ hinc præsertim ostenditur, quod in Evangelio ait Salvator : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Possessio namque importat quietum dominium ; anima autem per patientiam se ipsam possidet cum quiete in vera tranquillitate, ita quod vitiorum dominatui non substernitur nec succumbit. Propter quod Jacobus in sua Canonica dicit : Patientia opus perfectum habet ; utpote directe in tolerandis adversis, et dispositive in bonis agendis. Ex adversitatibus enim primo procedit tristitia, quam (ut dictum est) refrenat patientia ; secundo, ira ; tertio, odium ; quarto, nocumentum. Quæ omnia evitantur, dum in principio patientia adhibetur. Unde, secundum Gregorium, patientia omnium est virtutum radix et custos, non utique illas directe causando, sed prohibens removendo, id est, impedimenta virtutum tollendo. Hinc quoque in tota veteris novique Testamenti Scriptura potissime commendatur, docetur, sæpiusque jubetur patientia : qua qui caret, dum impetum passionis ratione per passionem fuscata prosequitur, stulto assimilatur, juxta illud Proverbiorum : Impatiens operatur stultitiam.

Luc. XXI, 19. — *Jacob.* I, 4. — *Luc.* XXI, 19; II *Cor.* VI, 4; *Coloss.* III, 12; *Jacob.* V, 10. — *Prov.* XIV, 17.

Patientiæ virtus commendatur exemplo gentilium philosophorum. Postremo, ipsi quoque philosophi ac illustrissimi principes sæculi, patientiam sublimiter laudaverunt, didicerunt et impleverunt, loquendo de patientia naturali et acquisita. Quum enim (ut in libro de Virtutibus philosophorum habetur) quidam Socratem interrogasset, cur uxorem suam litigiosam ac molestissimam secum in domo ferret, respondit : Quum talem in domo sustineo, assuesco atque exerceor aliorum foris petulantiam injuriamque facilius ferre. Seneca quoque narrat, quod quum Diogenes cum quodam ageret causam, ille impatientia ductus, salivam attrahens pinguem, inspuit in mediam frontem Diogenis. Quam ille pro posse abstergens, dixit factori : Affirmabo omnibus, falli eos qui te negant os habere. Insuper, quum quidam potentissimo illi Augusto dixisset, O tyranne, patienter ferens respondit : Si essem, non diceres. De Julio etiam Cæsare legitur, quod quum calvitium graviter ferret, et de ejus calvitio joculatoria carmina publice essent vulgata, ipse hoc patientissime tulit. Similiter, quum quidam ejus * paternam despicientes originem, eum Panificum nominarent, cum mira

* Augusti

patientia ac risu id pertulit. Æneas etiam, destructa Troja, regno pulsus paterno, recedens, suos consolando, dicebat :

O passi graviora, dabit deus his quoque finem.

Patientia quippe in omni statu et gradu, tam superiori quam subditis, maxime necessaria est, et ad convictum pacificum peropportuna. Oportet enim æquanimiter in vita hac sustinere adversa, dicente Apostolo ad Hebræos : Patientia vobis necessaria est, ut *Hebr.* x, 36. voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Scribitur etiam de Platone, quod interrogatus, Quis est homo morum bonorum, respondit : Qui æquanimiter sustinet homines morum malorum.

Hæc de patientia introduxi, quia in beatissimo Job, cujus nunc elucidandus est liber, quantum Spiritus Sanctus præstiterit, præclarissimum patientiæ documentum omnibus exhibetur, ut non sufficiat nobis scire, legere et audire, sed imitari condigne conemur, quum et Philosophus dicat in Ethicis : Quid est virtus scrutamur, non ut sciamus, sed ut boni efficiamur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JOB

ARTICULUS PRIMUS

DE PERSONA, TEMPORE ET ORIGINE SANCTI JOB ; ET QUIS SIT AUCTOR LIBRI HUJUS.

De persona et tempore atque origine A sancti Job, quantum ad multa, non videtur magna certitudo faciliter posse haberi, præsertim quum sancti catholicique doctores inde variis modis inveniantur locuti. Primo igitur perscrutandum, quis fuerit iste Job, et de ejus origine. Itaque Augustinus, Ambrosius, Gregorius, et multi expositores sequentes Doctores illos præcipuos, concorditer dicunt, quod fuit natione Idumæus, de semine Esau natus. Dicit enim Augustinus super illud Genesis, Mortuus est autem Balac *, et regnavit pro B eo Jobab filius Zaræ de Bosra. Quod autem per hunc Jobab S. Gregorius intelligat Job, apertissime constat ex his, quæ primo Moralium super Job scribit statim post prologum. Ambrosius quoque super epistolam ad Romanos idem insinuat. Albertus etiam hic scribit, quod ante fuit ei nomen Jobab, eratque filius cujusdam Zaræ, qui fuit filius filii Esau, de quadam matre nomine Bosra natus, ita quod quintus fuit ab Esau, vel quartus secundum alium modum; sextus autem aut septimus ab Abraham. Et C dicitur rex fuisse terræ illius, et rex secundus : nam ante eum regnavit Balac ; post eum regnavit Husam. Hucusque Albertus.

* Bela n. xxxvi,

Porro de hac materia plenius loquitur Augustinus octavodecimo de Civitate Dei, capitulo 47, dicens : Nec ipsos Judæos existimo audere contendere, id est contentiose asserere, neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas, ex quo, id est ab eo tempore, quo propago Israel, id est generatio Jacob seu procreatio filiorum ejus, esse cœpit. Populus enim revera, qui proprie Dei populus diceretur, nullus alius fuit, videlicet quam Israelitæ. Homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt. Quod si negent, facile convincuntur de sancto et mirabili viro Job, qui nec indigena, id est inde natus, puta ex Jacob seu Israel, nec proselytus, id est advena, populi Israel fuit ; sed ex gente Idumææ genus ducens, ibi ortus, ibi et mortuus est.

Lev. xx, 26; *Num.* xxvii, 17; *Deut.* vii, 6; xiv, 2; xxvi, 18.

Sed de hac re beatus Hieronymus aliter sentit, libro de Hebraicis quæstionibus super Genesim, dicens, quod Job descendit de Nachor fratre Abrahæ. Legitur quippe in Genesi, quod Melcha genuit viro suo, videlicet Nachor, octo filios, quorum primus vocatus est Hus, secundus Buz. Dicit ergo Hieronymus, quod Job ortus sit de Nachor per primogenitum ejus nomine Hus, a quo terra illa dicitur Hus nominata, ita quod Hus est nomen viri et terræ. Unde in principio hujus voluminis scriptum est : Vir erat in terra Hus, nomine

Gen. xxii, 20-23.

Job i, 1.

Job. Præterea, de secundo filio Nachor, id est de ipso Buz, dicit Hieronymus descen- *Job* xxxii, 6. disse ipsum Eliu, de quo infra fit mentio, qui cognominatur Buzites, tanquam de tribu Buz. Idem quoque dicunt Hebræi, quos Hieronymus in hac assertione secutus est. Sed et in Scholastica historia idem asseritur, cujus conscriptor etiam aperte testatur eos errare, qui dicunt ipsum Job de Esau descendisse. Unde posterioribus quibusdam videtur magis credendum Hieronymo et Hebræis, tanquam in talibus historiis ac genealogiis amplius certis.

Quidam etiam imaginantur Augustinum atque Ambrosium motos ad præfatam positionem ex similitudine nominum horum, Job et Jobab. Verumtamen hoc non reor; nec aliquis Doctorum istorum sublimium tangit istud motivum : nam debile esset. Sed potius arbitror motos eos ex translatione Septuaginta interpretum tunc famosa, quæ habet, Vir fuit in terra Ausitide : quæ terra fertur fuisse in finibus Idumææ atque Arabiæ. Quod autem Septuaginta ita transtulerunt, testatur quodam loco Hieronymus. Insuper in aliquibus bibliis, in fine libri Job, vel in fine secundi prologi Hieronymi super Job, additur : Fertur autem Job in terra habitasse Ausitide, et erat ei ante nomen Jobab, et erat quartus ab Esau, etc. Sed istud non est in Hebræo, secundum Hieronymum; nec sunt verba Hieronymi, sed alicujus forsan expositoris.

Job quo tempore vixerit. Nunc inquirendum, quo tempore fuerit sanctus Job. Circa quod scribit S. Augustinus octavodecimo de Civitate Dei, capitulo 47 : Cujus (scilicet Job) tempora quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quam Israel, id est Jacob patriarcham, fratrem Esau. Ex quo videtur, quod secundum Augustinum Job fuit tertius seu quartus post Esau. Unde aliqui dicunt, quod fuit pronepos ejus, asserentes quod *Gen.* xxxvi; I *Par.* I, 35-54. fuit filius Balac, filii Beor, filii Esau. Quibus obviare videtur, quod nec in Genesi, A nec primo Paralipomenon, in quibus locis describitur generatio Esau, nec alibi in Scripturis legitur Beor fuisse immediatus filius Esau. Tamen primo Paralipomenon habetur, quod Bale, post quem regnavit I *Par.* I, 44 43. Jobab, fuit filius Beor. Qui autem primo Paralipomenon Bale vocatur, in Genesi dicitur Balac, secundum expositores. Rursus prædictum est, quod Jobab fuit filius Zaræ.

Præterea, juxta prædicta sequi videtur, quod Job ante Moysen fuerit : quod et multi concedunt. Sed Gregorius, quem Glos- B sa sequitur, contradicit, asserens sanctum Job fuisse tempore judicum populi Israel. Argumentum autem Gregorii est, quoniam in Genesi inter reges qui in Idumæa regnaverunt, antequam filii Israel regem habuerunt, Jobab annumeratur. Ex quo patet *Gen.* xxxvi, 33. quod Gregorius præsupponit, per Jobab intelligi Job, et per tempus præcedens præsidentiam regum Israel, intelligi judicum tempus. Vult quoque Gregorius, quod Moyses spiritu prophetico loquebatur de dominio Jobab posterioris Moyse, secundum C hanc positionem. Dicit enim Gregorius : Quia in libro Geneseos Jobab de stirpe Esau *Ibidem.* descendisse, et Balac filio Beor in regnum successisse describitur; hunc beatum Job longe ante Moysis tempora exstitisse crediderunt, morem profecto sacri eloquii nescientes : quia in superioribus suis partibus solet breviter longe post secutura perstringere, quum studet ad alia subtilius enumeranda properare. Unde et illic Jobab, priusquam reges in Israel exsisterent, fuisse describitur. Nequaquam ergo exstitisse D ante legem cognoscitur, qui Israeliticorum judicum tempore fuisse memoratur. Verumtamen argumentum istud non cogit. Quidam enim (ut etiam in Scholastica historia continetur) dicunt Moysen non describere reges Idumææ, nisi usque ad illum quem tempore suo ultimum cognoscere potuit. Per tempus quoque præcedens reges Israel, quorum primus exstitit Saul, I *Reg.* x, 1; xi, 14, 15. non est necesse præcise intelligere tempus judicum, sed intelligi potest omne tempus duodecim tribuum usque ad Saul. Denique

Digitized by Google

ista determinatio temporis Job, procedit secundum eos qui dicunt eum de Esau descendisse, secundum modum præfatum.

Sed quia positio S. Hieronymi præinducta, multis probabilior apparet, scrutandum quo tempore sanctus Job secundum hanc fuerit viam. Sicut autem Hieronymus et Scholastica historia cum Hebræis dicunt Job descendisse de Nachor per Hus, et Eliu Buziten de eodem per Buz; sic dicunt Eliu istum, esse illum qui in libro Numerorum *Num. xxii, 5.* Balaam nuncupatur, quem Balac rex advocavit. Quo dato, sequetur quod Job et Moyses *Job xxxii-xxxvii.* contemporanei fuerint. Eliu enim disputavit cum Job, et idem Eliu seu Balaam *Num. xxxi, 8.* circa finem vitæ Moysis fuit occisus a filiis Israel ante Moysis obitum, ut patet in Numeris. Constat etiam ex infra scriptis, quod Eliu quando contra Job disputavit, satis *Job xxxii, 6.* juvenis fuit. Quot vero post hoc fluxerint anni ante interfectionem ipsius, non constat; et si non multi anni illi fuisse putentur, posset fortasse positio ista cum Gregorio aliqualiter concordari. Job namque post disputationem curationemque suam *Ibid. xlii, 16.* vixit annis centum et quadraginta, ut infra patet. Post mortem vero Moysis usque ad judiciariam præsidentiam Othoniel primi judicis Israel, forte pauciores anni fuerunt. Othoniel enim tempore Moysis fuit, et *Josue xv, 17; Judic. i, 13.* filiam Caleb duxit uxorem statim post ingressum filiorum Israel in terram promissionis. Imo, quia Job ante suam percussionem provectæ fuit ætatis, potuit fieri ut et tempore Moysis fuerit, et tempore alicujus judicum Israel.

Verumtamen omnibus hinc inde, quorum multa omitto, diligenter pensatis, de hac re nil certum esse opinor, quantum ad temporis determinationem. Unde S. Thomas in prologo expositionis suæ super Job, de prætactis difficultatibus se expediens atque pertransiens, ait : Quo autem tempore fuit Job, vel ex quibus gentibus duxit originem, et an ipse vel alius librum hunc scripserit, non est præsentis intentionis discutere. Præterea unum me movet, quia si tempore Moysis fuit, mirum

A apparet quod Deus de eo perhibuit, quod non fuit ei similis in terra: præsertim quum *Job i, 8.* in Numeris loquens de Moyse ad Aaron et Mariam : Si fuerit, inquit, inter vos Propheta, *Num. xii, 6-8.* in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei; et palam, non per ænigmata et figuras, videt Deum. Rursus Moyses de se ipso testatur, quod mansuetus fuit præ cunctis habitatoribus terræ, *Ibid. 3.* videlicet temporis sui. Et B tamen de Job Augustinus sic scribit octavodecimo de Civitate Dei : De divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Verum ad solutionem multa possent excogitari : quæ transeo, et veritatem de incertis Deo sapientioribusque committo.

Librum Job quis conscripserit. Nunc inquirendum quis sit auctor et scriptor libri præsentis. Quocirca dicit Gregorius : Alii Moysen, alii unum quemlibet ex Prophetis scriptorem hujus operis pu- C tant fuisse. Eos autem, qui dicunt Moysen ista descripsisse de Job tanquam de seniore et præcedente tempora Moysis, Gregorius affirmat errasse, eo quod dicat Job tempore judicum exstitisse; magisque videtur Gregorio, quod ipsemet Job hunc edidit librum : Arbitrari, inquiens, verius possumus, quod idem beatus Job, qui certamina spiritualis pugnæ sustinuit, etiam consummatæ suæ victoriæ gesta narravit. Loquitur autem de se ipso quasi de alio juxta consuetudinem Scripturarum, quem- D admodum et Joannes frequenter de se quasi de alio scribit, Discipulus quem diligebat *Joann. xiii, 23; xviii, 15; xix, 26, 27; xx, 2-4, 8.* Jesus. Albertus quoque hic ait : Secundum verissimam sententiam ipse Job ista descripsit, quæ tanto certius scivit quanto ea per experimenta cognovit. Verumtamen de hac re, secundum Gregorium, non est immoderantius contendendum. Etenim ait : Quis hæc scripserit, valde supervacue quæritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter teneatur. Ipse igitur scripsit, qui scribenda dictavit ac inspiravit,

Digitized by Google

videlicet Spiritus Sanctus, qui per scribentis hominis vocem, imitanda sancti Job facta nobis transmisit. Si magni cujusdam (A) viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo scripta essent inquireremus, ridiculum esset.

ARTICULUS II

DE MATERIA ET INTENTIONE LIBRI HUJUS ; ET AN QUOD IN LIBRO ISTO NARRATUR, FUIT RES GESTA, VEL TANTUM PARABOLA.

IN expositione sexti capituli libri hujus, refert Albertus quatuor fuisse opiniones antiquorum de isto Job. Quidam dixerunt, quod fuit homo gentilis de Esau natus, sicut præcedenti articulo patuit. Alii, quod fuit unus de sapientibus Babylonis, unusque ducum qui ab oriente venerunt, et in Babylone moratus sit post confusionem linguarum. [*Gen.* XI, 2.] Eos vero qui dixerunt Job de Esau descendisse, Albertus divisit in duo. Nam quidam eorum dixerunt, quod Job scripsit hunc codicem; alii, quod Moyses diu post eum. Quarta fuit opinio quorumdam, quod Job non fuit homo nec aliquid in rerum natura; sed quod in libro isto habetur, parabolice scriptum est atque inventum, ad ostendendum quod ordine justitiæ humanæ non regitur mundus per providentiam Dei, sed quod regimen providentiæ divinæ penitus dissimile sit regimini et ordini justitiæ humanæ. Hoc enim ostenditur in Job, qui simplex et rectus percussus describitur, potestatique Satanæ traditus : quod ordini justitiæ humanæ non convenit. [*Job* I, 1, 12-19; II, 6, 7.] Horum autem intellectus verborum infra clarius patefiet.

Hinc et Thomas testatur : Fuerunt quidam, dicentes quod iste Job non fuit aliquid in rerum natura, sed quod sit quædam parabola ficta, ut esset quoddam thema ad providentiæ disputationem, sicut homines frequenter confingunt aliqua facta ad disputandum de eis. Lyra etiam refert fuisse quosdam Judæos, dicentes quod istud sit tantum parabola, et quod Moyses scripserit (B) librum hunc ; et ad declarandum conditionem virtutis patientiæ, retributionemque ejus, finxerit hominem nomine Job, et ea quæ in libro isto quasi res gestæ narrantur : quemadmodum auctor libelli qui incipit, Æthiopum terras, ad declarandum antiquitatem ac veritatem sacræ Scripturæ respectu poeticarum confictionum, finxit virginem nomine Alithiam, quod Græcum, Latine significat veritatem, et virum nomine Pseudis, id est falsus seu falsitas, ad invicem disputantes de sanctæ Scripturæ historiis poetarumque fabulis. [Theodulus] (C)

Sed (ut Thomas ait) quamvis ad intentionem libri non multum referat, utrum sic vel sic dicatur, refert tamen seu differt quantum ad veritatem. Hæc namque opinio sacræ obviare videtur Scripturæ, quæ de Job sicut de homine olim veraciter exsistente eloquitur, ut quum apud Ezechielem Dominus protestatur : Terra quum peccaverit, si fuerint tres viri isti in ea, Noe, Daniel et Job, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas ; filium autem et filiam non liberabunt. [*Ezech.* XIV, 13, 14, 16.] (D) Sicut ergo Noe et Daniel homines vere fuerunt, ita de Job pro certo tenendum est. Rursus, apostolus Jacobus in epistola sua, Exemplum, inquit, accipite longanimitatis, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. [*Jacob.* V, 10, 11.]

Porro materia libri hujus, est sufferentia et patientia sancti Job, secundum Alber-

Digitized by Google

Intentio, materia, et finis libri Job.

tum ; intentio autem et finis libri seu auctoris est, ostendere qualiter actus humani providentiæ divinæ subjaceant, et quomodo res humanæ gubernentur a Deo. Dicit autem circa hoc Thomas : Tota intentio libri istius circa hoc versatur, ut per rationes probabiles ostendatur res humanas a divina providentia regi. Sed istud dictum B. Thomæ cuidam non placet, eo quod totus hic liber procedat per modum disputationis inter Job et ejus amicos : intentio autem contra alium disputantis, non est probare aut declarare id in quo cum eo concordat; sed illo pro vero supposito, id in quo ab eo dissentit. Quum ergo omnes isti contra Job disputantes, concesserint actus hominum divina providentia regi, intentio Job non est id declarare, sed aliquid in quo ab eis dissensit, videlicet, quod non sic reguntur a Deo ut illi putabant.

Verum objectio ista procedit contra verba, non contra mentem Thomæ, qui in principio expositionis primi capituli dicit : Intentio tota libri hujus ordinatur ad ostendendum qualiter res humanæ providentia divina regantur. Ex quo clarissime constat, quod Thomas non voluit simpliciter dicere intentionem auctoris seu libri hujus esse, ostendere quod humana regantur a Deo, sed qualiter gubernentur ab eo. Unde et forma verborum Thomæ, quam alter impugnat, faciliter veraciterque salvatur : quoniam absolute loquendo, idem est ipsa res et veritas ejus, loquendo de veritate naturæ : sic enim ens et verum convertuntur, nec verum enti reale quid superaddit. Quum igitur Thomas dicit, Intentio libri est, ostendere quod res humanæ divina providentia gubernantur, tantum est dicere ac si dicat : Intentio libri est, ostendere quod res humanæ providentia divina reguntur, secundum quod veritas ipsa se habet, non eo modo quo aliqui errando putabant.

Res humanas divina gubernari providentia.

Præterea, præfatus in argumento suo aliquid ponit, quod inquisitionem requirit majorem. Siquidem ait, quod licet amici Job dicerent actus hominum providentia

A regi divina, tamen tenebant, quod adversa mundi non accidunt homini nisi propter ejus demerita seu mala præterita, nec prospera nisi propter præcedentia opera bona : quod constat esse erroneum. An dictum istud sit verum, videlicet, an amici Job ita senserunt, non est tam certum ut aliqui arbitrantur. Albertus quoque vir subtilissimus, ex verbis amicorum Job ostendit oppositum, prout infra clarebit. Ideo pro nunc inde pertranseo.

Advertendum autem pro intellectu dictorum, B quod sicut beatissimus Augustinus in libris de Civitate Dei, sapientissime docet, ab exordio generis humani cœperunt civitas Dei civitasque diaboli, id est congregatio hominum bonorum et electorum, et collectio impiorum et reproborum. Cain namque primogenitus protoplastorum parentum reprobus et injustus, occidit innocentem Abel : quo facto, recessit a suis parentibus, moratusque est in parte terræ distante ab eis, juxta illud Genesis, Egressus Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem partem Eden. C Deinde Adam genuit Seth electum a Deo, in cujus posteritate cultus Dei diu remansit, cujus et posteri a primo parente in divinis edocti sunt. Cain vero et posteri ejus vitiis intenderunt. Non tamen leguntur homines ad idololatriam ante diluvium declinasse : ex quo consequens est, quod unum solum verum summumque Deum esse noverunt. Paulatim tamen sic obtenebrati ac victi sunt vitiis, quod omnis caro humana viam suam corrupit; nec Dei providentiam judiciumque pensaverunt, D quamvis forte ea non negaverunt : sicut et modo multi sunt Christiani tam excæcati et vitiose viventes, quasi nec providentia Dei, nec futurum esset judicium, quamvis fide informi credant hujusmodi. Post diluvium vero ad idololatriam sunt prolapsi, et tandem in tantum excæcati sunt multi, ut vel unum verum summum Deum esse non scirent nec crederent ; vel si hoc scirent aut crederent, tamen divinam providentiam denegarent. Nec vulgus dumtaxat et indocti, sed et qui

Gen. IV, 1, 8. — *Ibid.* 16. — *Ibid.* 25; V, 3. — *Ibid.* VI, 12.

Digitized by Google

inquisitioni veritatis operam dederunt, puta philosophi quidam, tales fuerunt, omnia casualiter fieri opinantes, sicut de Epicureis et antiquis Aristoteles narrat. Posteriores vero philosophi, profundius ordinem rerum, cursum stellarum, mundi dispositionem ac statum scrutantes, invenerunt unum esse primum universorum principium : quorum quidam dixerunt sola superiora atque cœlestia ejus providentiæ subjacere, ac regi ab eo ; alii vero, omnia naturalia. Sed de rebus actibusque humanis multiplex fuit inter eos error atque opinio, utrum et quomodo esset de eis providentia, dispositio ac judicium Dei, præsertim quia difficile fuit eis videre quomodo infallibilitas præscientiæ Dei et libertas arbitrii simul starent. Et quia videbant, quod in vita præsenti boni opprimuntur a malis, et impii prosperantur, virtuosi adversitatibus affliguntur, ita quod in humanis eventibus nullus certo ordo apparet

A (non enim bonis semper eveniunt bona, nec malis semper mala ; nec iterum bonis semper mala, nec malis semper accidunt bona, sed indifferenter bonis et malis bona et mala); hinc mota sunt corda multorum, quod actus humani non disponuntur per providentiam Dei. Quorum error devenit ad hoc, quod vel fortunæ vel casui, vel fato eos attribuerunt : qui error nocentissimus fuit hominibus. Inde enim venit irrefrenata peccandi libertas; omnisque timor, amor et reverentia Dei discessit. Ideo præcipua sanctorum Patrum diligentia fuit istum exstirpare errorem, et demonstrare omnia divinitus gubernari, ita quod nullum malum permanet impunitum, nec aliquod bonum irremuneratum. Sed et aliqui præclariores philosophi hoc aliqualiter per sapientiam acquisitam docuisse leguntur. Hinc et sanctus Job in libro suo id potissime docere intendit et docet, ac probat juxta modum prætactum.

Bona et mala indifferenter bonis et malis eveniunt.

B

Job xxiv.

ARTICULUS III

DE QUIBUSDAM PRÆAMBULIS DOCUMENTIS, EX VERBIS SANCTI GREGORII.

PRÆMITTIT B. Gregorius expositioni voluminis hujus quædam utilia documenta, ad totius libri intelligentiam opportuna : Quædam, inquiens, historica expositione transcurrimus, id est, litteraliter breviter explanamus ; et per allegoriam quædam typica investigatione scrutamur, illa videlicet quæ figuraliter de Christo per allegoriam exponuntur, in quibus Job fuit Christi figura; quædam per solam moralitatem discutimus ; nonnulla autem per cuncta hæc sollicite exquirentes tripliciter indagamus, id est, litteraliter, allegorice, moraliterque exponimus. Nam primo fundamenta historiæ ponimus ; deinde per significationem typicam, figuralem seu allegoricam, in arcem fidei fabricam mentis

C erigimus, id est, animæ contemplationem ad fidei mysteria contuenda levamus : allegoria enim instruit quid credendum. Postremo per moralitatem spirituale expositionum istarum ædificium quasi superducto pulchro colore vestimus. Quos sensus ori lectoris interno tanquam fercula exhibemus, ut ejus fastidia repellamus, qui dum sibi multa oblata considerat, quod elegantius discernit, assumat. Quid etenim sunt veritatis eloquia, nisi reficiendæ mentis edulia ? — Aliqua vero litteraliter intelligi

D nequeunt, quoniam sic accepta, non ædificationem, sed errorem legentibus gignerent, ut quum dicitur, Sub quo (scilicet Deo) curvantur qui portant orbem : et de tanto viro, puta beato Job, quis nesciat

Allegoria quid.

Job ix. 13.

quod nequaquam vanas poetarum fabulas sequitur, ut mundi molem portari giganteo suspicetur sudore? Et rursus persecutionibus pressus, ait: Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea, quasi vir tantæ virtutis voluerit propter adversa suspendio vitam finire. Aliquando ipsa verba litteræ se impugnant, ne ad litteram intelligantur. Ait namque: Pereat dies in qua natus sum; et, Occupet eum caligo. Qui dies jam evolutus, stare non poterat: quomodo ergo hunc caligine involvi optabat? Qui iterum dicit, Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? Et: Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Et tamen alia responsione subjungit: Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Quæ verba dum sic invicem collata convenire stareque nequeunt, aliud quid in se, quod quæratur, ostendunt. Aliquando qui sensum litteralem omittit, propositum sibi lumen veritatis abscondit: ut quum de operibus misericordiæ suæ testatur: Si comedi buccellam meam solus, etc. Divinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat; servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Est quippe sacra Scriptura ut fluvius planus et altus sive profundus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet.

Job VII, 15. — *Ibid.* III, 3, 5. — *Ibid.* VII, 20; XIII, 26. — *Ibid.* XXVII, 6. — *Ibid.* XXXI, 17.

Insuper Gregorius de se ait: Fortasse divinæ providentiæ consilium fuit, ut percussum Job percussus, videlicet crebris viscerum doloribus cruciatus, horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassatus, lentis quoque et continuis febribus anhelans, exponerem, et flagellati mentem melius per flagella sentirem.

Præterea dicit Gregorius: Omnis homo eo ipso quo homo est, intelligere suum debet auctorem. Conditi autem, Deum considerare neglеximus. Adhibita sunt præcepta; præceptis obtemperare noluimus. Adjunguntur exempla; ipsa quoque exempla imitari declinavimus, quæ edidisse nobis patres sub lege positos cernimus. Unde ad confutandam impudentiam nostram, gentilis homo ad exemplum deducitur: ut, quia obedire homo legi sub lege positus despicit, ejus saltem comparatione evigilet, qui sine lege (scilicet scripta) legaliter vixit. Erranti igitur homini data est lex; erranti vero sub lege adducitur testimonium eorum qui extra legem sunt: ut, quia conditionis nostræ ordinem servare noluimus, præceptis admoneremur; quia præceptis obedire contempsimus, exemplis confunderemur. Itaque ex vita gentilium redarguitur vita sub lege etiam evangelica positorum, atque ex actione sæcularium confunditur vita religiosorum promissa non observantium. — Porro Redemptor noster sicut ad redemptionem Judæorum et gentilium venit, ita se prophetari Judæorum et gentilium vocibus voluit, ut per utrumque populum prædiceretur, qui pro utroque populo aliquando pateretur. Sanctus autem Job summis virtutibus fultus, sibi notus erat et Deo: qui si non flagellaretur, a nobis nullatenus perfecte cognosceretur. Virtus quippe ejus etiam in quiete se exercitavit, sed virtutis opinio flagellis commota fragravit. Sicut enim unguenta late non redolent, nisi commota; et sicut aromata fragrantiam suam non nisi incendantur, expandunt: ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Hinc dicitur in Psalmo: In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit eam. Misericordia enim Domini in die mandatur, quoniam in tranquillo tempore cognoscendo percipitur. In nocte vero declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur, tribulationibus manifestatur. — Sed subtilius perscrutandum, cur vir tantæ perfectionis tot flagella sustinuit. Et respondendum, quod quum omnia virtutum mandata perficeret, unum ei deerat, ut scilicet flagellatus etiam gratias agere sciret. Notum erat quia servire Deo inter dona et prospera noverat; sed dignum fuit, ut districtio severitatis inquireret an et inter flagella Deo devotus maneret. Pœna namque interrogat ac demon-

Hominis inobedientia erga Deum.

Virtutis odor per tribulationes fragrat et odoratur.

Ps. XLI, 9.

Digitized by Google

strat, si quietus quis Deum veraciter amat. A Fieri autem Dominus benigne permisit, quod inique diabolus postulavit. — Sed libet inter hæc mira divinæ dispensationis opera cernere, quomodo a principio generis humani Deus viros virtutibus variis decoratos, quasi stellas varia luce fulgentes, ad illuminandam noctem vitæ præsentis, id est vitam hanc vitiis tenebrosam, transmisit, et mittit quousque in fine Dominus tanquam verus Lucifer oriatur sive appareat. Ad ostendendam namque innocentiam venit Abel; ad docendam actionis munditiam B venit Enoch; ad insinuandam longanimitatem spei et operis venit Noe; ad manifestandam obedientiam venit Abraham; ad demonstrandam conjugalis vitæ castimoniam venit Isaac; ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob; ad retribuendum bonum pro malo venit Joseph; ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses; ad informandam contra adversa fiduciam venit Josue; ad ostendendam inter flagella patientiam venit Job. Sancti isti ceterique electi, qui Salvatorem præcesserunt, rebus et vocibus hunc prophetando promiserunt. Nullus etenim justus hujusmodi fuit qui non ejus per figuram nuntius exstitit. Hinc beatus Job, qui tanta Christi incarnationis mysteria protulit, eum quem voce dixit, conversatione signavit; et per ea quæ pertulit, quæ ille passurus esset, ostendit. Tantoque verius passionis Christi sacramenta prædixit, quanto hæc non loquendo tantum, sed patiendo etiam prophetavit.

Matth. xxiii, 35; *Hebr.* xi, 4.
Gen. v, 22, 24.
Ibid. vi, 14-22.
Hebr. xi, 8, 17.
Gen. xxiv, 67; xlix, 31.
Gen. xlvii, 9.
Ibid. xlv, 5-7.
Num. xii, 3.
Eccli. xlv, 4.
Ibid. xlvi, 1-10.
Tob. ii, 12.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO LITTERALIS PRIMI CAPITULI LIBRI JOB : VIR ERAT IN TERRA HUS, NOMINE JOB.

Vir erat in terra Hus, nomine Job. Pri- C mo historia quædam inducitur, quæ totius sequentis disputationis velut fundamentum et thema est, ad declarandum qualiter actus hominum providentia gubernentur divina. Porro de persona, nomine, cognatione et terra Job, dicta sunt plurima primo articulo : unde ex dictis ibidem patet intelligentia hujus particulæ textus. Fuit autem Job vir triplici virilitatis perfectione, videlicet perfectione animi per virtutum constantiam, perfectione naturæ per virentem germinationem, perfe- D ctione sexus. Sexus namque masculinus perfectior est, et ad sustinendas molestias fortior : ideo decuit personam, in qua patientiæ exemplum præclarum fuerat demonstrandum, esse sexus virilis. Denique secundum Gregorium, perfectione animi vir vocatur, qui contra biformes fortunæ insultus uniformi mentis constantia militat : qui scilicet nec prosperis vane extollitur, nec adversis mente dejicitur, sed regia via semper incedit. Hinc ad Eugenium Papam ait Bernardus : Magnus est cui dignitas sæculi si arrisit, non irrisit ; nec minor est illo, qui incidens in adversa, non excidit a sapientia. Quam perfectionem adepta est sancta Anna, de qua primo Regum habetur, Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati ; et beatissimus pater noster S. Martinus, de quo testatur Severus, quod nemo illum unquam vidit tristem aut dissolutum. Itaque et nos conemur taliter viri esse : quod erit, si passiones fuerint reformatæ, omnesque animarum nostrarum affectiones in Deum stabiliter ordinatæ. Præterea secundum Gregorium, terra in qua Job habitavit, exprimitur, ut ex hoc perfectio suæ virtutis amplius commendetur. Hus namque est terra gentilium : sicque dum scribitur inter ma-

Job triplicis exstitit perfectionis.
I Reg. i, 18.

Digitized by Google

los fuisse moratus, perfectior declaratur. A Item Gregorius : Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Quemadmodum autem gravioris est culpæ, inter bonos bonum non esse ; ita immensi præconii est, etiam inter malos bonum consistere.

Et erat vir ille simplex, triplici simplicitate, secundum Albertum (per quem in toto hoc opere intelligo Albertum Magnum ordinis Prædicatorum), videlicet simplicitate intentionis : quoniam in omnibus quæ agebat, unum summum bonum intendebat. B De qua simplicitate loquitur Christus, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : cui simplicitati opponitur duplicitas cordis volentium Deo et mundo placere, nuncque gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo ; cum tamen ipse testatus sit : Nemo potest duobus dominis servire. Unde Ecclesiasticus quoque asserit : Væ peccatori ingredienti terram duabus viis. Et iterum : Ne accesseris ad Deum duplici corde. Quantum hæc bona simplicitas placeat Deo, patet ex eo C quod Salomon profitetur : Cum simplicibus sermocinatio ejus. Ad Philippenses quoque ait Apostolus : Sitis sine querela, simplices filii Dei. Secundo, fuit simplex simplicitate virtutis in generali : quæ simplicitas consistit in hoc, quod virtus est ex una sola totaque causa, secundum divinum Dionysium atque Philosophum, vitium vero ex causa multiplici. Huic simplicitati opponitur multiplicitas peccati, juxta illud secundi Paralipomenon : Peccavi super numerum arenæ maris ; multiplicatæ sunt D iniquitates meæ. Tertio, simplicitate prudentiæ, quæ est sine plica astutiæ, dolositatis et tergiversationis ad malum. Itaque accipitur hic simplicitas non ut opponitur intellectus perspicacitati, sed dolositati. Est namque et mala ac asinina simplicitas per debitæ considerationis defectum, ad quam pertinere potest illud Proverbiorum : Simplex credit omni verbo ; astutus considerat gressus suos. Potestque ibi astutia sumi in bono.

Matth. VI, 22. — *Ibid.* 24. — *Eccli.* II, 14; I, 36. — *Prov.* III, 32. — *Philipp.* II, 15. — *Orat. Manassæ.* — *Prov.* XIV, 15.

Fuit autem *et rectus,* id est justus affectu et opere. Rectitudo equidem proprie ad justitiam pertinet, quæ in æqualitate consistit, juxta illud Isaiæ : Semita justi recta est. Quocontra de impiis Salomon ait : Relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas. Porro recta itinera sunt divina præcepta, sine vitiorum obliquitate ad beatitudinem veram ducentia : per quæ justi pede ambulant inoffenso, pravi vero in eis labuntur, juxta illud Osee : Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis ; prævaricatores autem corruent in eis. Denique Ambrosius ait : Rectus est qui suam voluntatem conformat divinæ, volens de omni re quod Deus vult eum velle, et ex eadem caritate qua Deus, vult quod vult. Anselmus quoque : Justitia, inquit, est rectitudo sola mente perceptibilis. Ex quo certum est, quod rectitudo ad justitiam spectet. Itaque rectus est qui per lineas æquitatis in actibus suis procedit. Rectum namque est, ut etiam a Platone asseritur, cujus medium non exit ab extremis. Extrema vero operationis humanæ sunt : prima principia in operabilibus, sicut est illud Salvatoris in Evangelio, Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, facite eis ; et illud Tobiæ, Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando alii facias ; et ultimus finis, puta æterna felicitas. Job ergo et omnis justus dicitur rectus, quoniam in actibus suis processit a principiis operabilium, absque declinatione ad culpam, ad ultimum finem.

At vero secundum Gregorium, quidam ita sunt simplices, ut quid sit rectum, ignorent ; sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt. Propter quod Paulus ait : Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo. Et ipsemet Christus : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ : ut scilicet simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Spiritus Sanctus non in specie columbæ tantum, sed et in igne apparuit. Per columbam namque simplicitas, per ignem

Is. XXVI, 7. — *Prov.* II, 13. — *Osee* XIV, 10. — *Matth.* VII, 12. — *Tob.* IV, 16. — *Rom.* XVI, 19. — *Matth.* X, 16. — *Ibid.* III, 16; *Act.* II, 3.

Digitized by Google

zelus exprimitur. Qui autem repleti sunt Spiritu Sancto, sic mansuetudini simplicitatis deserviunt, ut contra delinquentium culpas etiam zelo rectitudinis accendantur. Hinc et Salomon duo ista conjungit, di-
Prov. II, 21. cens : Qui recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea.

Ac timens Deum, timore filiali, reverentiali et casto, qui ex sincero Dei amore
Is. XI, 3. producitur, vel timore illo, qui unum de septem donis vocatur. Hic timor ad omne bonum sollicitat, quum sit fuga mali culpæ, seu abominatio offensæ Dei, quem quo serenius ardentiusque amamus, eo ipsius inhonorationem diligentius evitamus. Ideo
Prov. XIV, 27. in Proverbiis scriptum est : Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Et
Eccle. VII, 19. denuo Salomon ait : Qui timet Deum, nihil negligit. Ideo dicit Gregorius : Deum timere, est nulla quæ facienda sunt præterire. Quomodo autem sanctus Job Deum timue-
Job XXXI, 23. rit, ipse infra fatetur : Semper, inquiens, quasi tumentes super me fluctus timui
Eccli. XXXIV, 17. Deum. O quam beatus est cui datum est sic timere Deum ! *Et recedens a malo,* peccata vitando. Peccatum enim est fugibilitatis infinitæ, quum sit aversio a bono immenso, infinitæque majestatis Dei offensio. Ideo
Ibid. XXI, 2. scriptum est : Quasi a facie colubri fuge peccata. Duæ autem sunt partes justitiæ,
Ps. XXXVI, 27. quas tangit Psalmista, dicendo : Declina a malo : ad quod pertinent præcepta negativa, quæ obligant semper et ad semper ; et fac bonum : ad quod pertinent præcepta affirmativa, quæ obligant semper, sed non ad semper. Receditur autem a malo culpæ per mentis dissensum ; interdum quoque et corpore recedendum a malo, ut a choreis atque spectaculis. Dicit hoc loco Gregorius : Neque bona opera Deo accepta sunt, quæ ante ejus oculos malorum admixtione maculantur. Hinc namque Salo-
Eccle. IX, 18. mon ait : Qui in uno offenderit, multa bona
Jacob. II, 10. perdet. Et Jacobus : Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus
I Cor. V, 6; Galat. V, 9. est omnium reus. Paulus quoque : Modicum, inquit, fermentum totam massam corrumpit. Verumtamen totum hoc de ad-

A mixtione mortalis peccati sumendum est. Alioqui nonne, Isaia testante, quasi pannus Is. LXIV,
menstruatæ sunt universæ justitiæ nostræ? Ex præhabitis patet, quod Job bene habuerit se ad Deum, ad proximum et ad se ipsum. Ut enim Thomas hic scribit, tripliciter peccat homo, scilicet in Deum, in proximum, in se ipsum. In proximum autem dupliciter, scilicet occulte per fraudulentiam, et aperte per violentiam. Job autem proximum dolo non circumvenit : nam dicitur, Erat vir simplex. Nec vi oppressit :
B nam subditur, Et rectus. Quod vero non peccavit in Deum, monstratur dum jungitur, Ac timens Deum. Nec in se ipsum : nam sequitur, Et recedens a malo. Malum enim odio habuit propter se, utpote quia malum, non solum propter nocumentum hominis offensamque Dei. Quomodo autem Job dicatur nec verbo nec facto peccasse, infra discutiemus.

Hucusque ostensum est, qualis fuit Job in bono monastico, quod est bonum personæ. Deinde describitur qualis fuit in bono
C œconomico, id est domestico. *Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ.* Primo beati Job prosperitas notificatur, ut ex hoc magnitudo suæ adversitatis clarius insinuetur : opposita enim juxta se posita, lucidius innotescunt ; simul etiam ad ostendendum (ut Thomas affirmat) quod ex prima Dei intentione justis semper bona præstantur, non spiritualia tantum, sed corporalia quoque ac temporalia. Sed quod aliquando justi adversitatibus affliguntur, ob specialem aliquam accidit causam. Unde et a
D principio sic institutus est homo, ut nullis subjaceret adversitatibus, si in innocentia permansisset. Principium autem temporalis prosperitatis, post bonam propriæ personæ consistentiam, consistit in personis conjunctis, præsertim in sobole. Proles enim est quasi aliquid suorum parentum, secundum illud Ecclesiastici : Mortuus est Eccli. XXX, 4.
pater ejus, et quasi non est mortuus ; reliquit enim similem sibi filium. Ideo fecunditas prolis beati Job explicatur. Idque ad prosperitatis augmentum pertinuit, quod

Digitized by Google

filii plures erant quam filiæ. Sexus namque masculinus perfectior est, et filii magis consueverunt optari quam filiæ : propter quod dicit Augustinus super Joannem, quod majus est gaudium dum nascitur filius quam puella. Filii quoque efficaciores sunt ad domus aliarumque rerum dispositionem ac regimen. Nam corpore rationisque usu fortiores solent exsistere. Præterea (sicut Gregorius ait) sæpe ad avaritiam corda parentum trahit fecunditas prolis. Nam tanto plus ad congregandas divitias inflammantur, quo pluribus heredibus fecundantur. Hoc ergo ad sancti Job spectat præconium, quod tot natis abundavit, nec tamen ab æquitate per temporalium amorem superfluum declinavit.

Avaritiæ occasionem præstat interdum proles.

Et fuit possessio ejus. Possessio dicitur quasi pedum positio, quia ad nutum habetur, et possidenti subjicitur, non dominatur. *Septem millia ovium.* Ovis (secundum Albertum) est animal mansuetum, simplex, valdeque utile, fimo, lacte, carne, cibo, pelle, calceamento, lana, intestinis et vestimento. *Et tria millia camelorum,* qui utiles sunt ad onera deferenda ; *quingenta quoque juga boum,* quæ faciunt mille boves, qui ad terras colendas deserviunt, et multipliciter utiles sunt; *et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis,* quæ ad tot animalium pastum atque custodiam necessaria fuit. Ideo autem opulentia Job per jumenta describitur, quia possessio animalium pretiosior antiquitus fuit quam agrorum; imo animalia fuerunt præcipuæ antiquorum divitiæ : agri enim propter hominum paucitatem plus abundabant, et maxime in partibus orientis, in quibus usque hodie sunt pauci habitatores præ latitudine regionis, ut scribit hic Thomas.

Domus quadrifaria gubernatur virtute.

Porro (secundum Philosophum) quatuor virtutibus regitur domus : quarum prima est uxoraria, quæ est scientia et virtus bene utendi uxore; secunda est paterna, quæ senatoria dicitur ; tertia chrimatistica seu thesauritiva ; quarta despotica, quæ est virtus bene utendi servis atque ancillis. Harum nulla defuit Job. Prima notatur, quum A dicitur, Nati sunt ei, videlicet ex uxore legitima, quæ se habet in domo sicut regina in regno. Secunda notatur ibi, Septem filii, etc. Tertia ibi, Fuit possessio ejus. Quarta autem, quum sequitur, Ac familia multa nimis. Convenienter demum scribitur Job possedisse tam multa, ut magnitudo patientiæ perfectionisque suæ clarius innotescat, dum omnia illa sine impatientia amisisse narratur. Majorem namque dolorem inferunt damna majora ; et nunquam sine dolore amittitur, nisi quod sine amore superfluo possidetur. B Magnæ ergo fuit virtutis, tot opes sine inordinato possidere affectu, nec per eas a mentis stabilitate atque custodia impediri.

Denique triplex est bonum, scilicet bonum hominis, quod est bonum simpliciter; bonum domus, quod est melius ; et bonum civitatis ac gentis seu patriæ, quod primo Ethicorum optimum divinissimumque vocatur. Hinc subditur, qualis fuerit Job in bono hoc tertio. *Eratque vir ille magnus,* bonitate, sapientia, fama, honore et gloria, C *inter omnes orientales,* qui prædivites sunt, secundum Gregorium : et in hoc prosperitas ejus terrena perficiebatur, quod etiam fama inclytus fuit. Nam in Ecclesiaste scriptum est : Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. Et alibi : Curam habe de bono nomine, hoc enim magis proderit tibi quam thesauri.

Eccle. VII, 2.
Eccli. XLI, 15.

Et ibant filii ejus sex, ad domum illius in qua fuerant comesturi, qui septimus fuit; *et faciebant convivia,* id est, pariter vescebantur, *per domos,* id est successive D in domo uniuscujusque ipsorum, *unusquisque in die suo :* ita quod quolibet die simul edebant, primo die hebdomadæ incipientes comedere in domo primogeniti, ut apparet, et deinde secundum ordinem dierum hebdomadæ et nativitatis filiorum, comedebant in domibus ceteris successive: sicque completa hebdomada, complebatur convescentia in domibus singulorum ; et sequentis hebdomadæ prima die reincipiebatur in domo fratris senioris. Ex quo sequitur, quod inter fratres istos fuit grandis

Digitized by Google

stabilisque concordia, frugaliterque vixerunt : quorum utrumque ad laudem pertinet patris eorum, qui eos taliter rexit, quum tamen opulentiam rerum frequenter sequatur discordia atque tenacitas. *Et mittentes vocabant tres sorores suas,* invitando eas per nuntium, *ut comederent et biberent cum eis.* In quo insinuatur, quod non instar quorumdam protervorum ac superborum fratrum, sorores suas despexerant ob sexus inferioritatem, imo honorem eis tanquam infirmiori vasculo impendebant, prout a patre suo edocti erant. Hinc dicit Gregorius : O inæstimabilem paternæ institutionis laudem ! Et pater dives dicitur, et filii concordes asseruntur ; et dum dividenda inter eos substantia aderat, corda tamen omnium caritas indivisa implebat.

I *Petr.* III, 7.

Quumque in orbem, id est circulum hebdomadæ, *transissent dies convivii,* redeundo ab ultimo ac minore ad primum, utpote die octava secundum Gregorium, septem scilicet diebus hebdomadæ evolutis, *mittebat ad eos Job* nuntium quemdam; vel sacerdotem, secundum Albertum ; *et sanctificabat illos.* A maculis, quas convivantes incurrere solent, instrumentaliter, quantum potuit, expurgavit eos, per internuntium seu epistolam exhortando ad diluenda mala præterita, ac futura vitanda; vel forte per aliquem ritum oblationis seu expiationis eos sanctificavit. Sacrificia namque et primitiarum ac decimarum oblatio, ante legem scriptam fuerunt, prout Hugo in libro de Sacramentis plenius docet. *Consurgensque diluculo,* implens illud Ecclesiastici, Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum ; itemque illud Psalmistæ, Mane adstabo tibi et videbo. Hac equidem hora sensibus sobriis consistentibus, et mente exterioribus negotiis nondum involuta, aptior est ad devotionem homo. Ideo dicit Salvator : Primo quærite regnum Dei. Et Isaias Deum orsus affari : De mane, inquit, vigilabo ad te. *Offerebat holocausta per singulos,* id est, pro quolibet obtulit speciale holocaustum, septem videlicet holocausta, secundum Albertum et Thomam. Ex quo videtur, quod pro filiabus non obtulit : vel quia noverat eas tam verecundas ac virtuosas, quod de earum excessu notabili non timebat ; vel forte etiam pro eis obtulit, quamvis non exprimatur, sed nomine filiorum etiam filiæ intelliguntur : quemadmodum infra in isto capitulo, domus cadens dicitur oppressisse liberos, id est filios Job, nec dubium quin filias quoque ejus oppresserit, quamvis non exprimatur. Porro holocaustum fuit solennius sacrificium, quoniam ad divinæ reverentiam majestatis totum comburebatur, nulla ejus parte ad offerentium usum manente.

Eccli. XXXIX, 6. *Ps.* V, 5. *Matth.* VI, 33. *Is.* XXVI, 9.

Filiorum nomine, filiæ quoque exprimuntur.

Dicebat enim, tanquam de filiorum salute sollicitus, magis autem pro Dei honoratione accensus : *Ne forte peccaverint filii mei.* Sobrie circumspecteque loquitur, docens temerarium judicium esse vitandum. Ideo de actibus absentium atque incertis assertive non loquitur, quamvis probabiliter noverit eos in quotidianis conviviis non penitus caruisse peccatis, venialibus saltem. Convivantes namque solent multipliciter excedere, scilicet in quantitate, in delectatione, in loquacitate, in risu, in cordis quoque inepta lætitia. Ideo homo timoratus debet cum magna cordis custodia sumere cibum ac potum, præsertim quando cum aliis vescitur vel delicatioribus utitur.

Et benedixerint Deo in cordibus suis, id est, cogitando maledixerint Deo. Sed quum maledicere Deo, sit gravissimum scelus, mirum quod tantum facinus suspicabatur de filiis suis, quos tanta disciplina compescuit et tam probos cognovit ; imo dicit Gregorius : Beati Job filii tanta fuerant bonæ institutionis disciplina accincti, ut neque per facta in conviviis, neque per verba delinquerent ; perfectos quippe eos esse in opere et sermone docuerat. Ad quod respondendum videtur, quod non putavit eos in verba maledictionis prorupisse, nec tentationi de maledicendo Deo plenarie consensisse ; sed timuit ne circa hoc habuerint aliquem primum motum vel co-

Digitized by Google

gitationem incautam. Quoniam enim inter gentiles atque idololatras habitabant, poterant aliquando tentari de inhonoratione Dei præfata, videndo prosperitates servientium idolis. Hinc dicit Gregorius, quod Job de sola cogitatione pro suis filiis metuebat. Præallegatum quoque verbum Gregorii de perfectione filiorum Job, sumendum est quod a mortalibus abstinere solebant excessibus ; et si quid tale incurrerant, mox emendare curabant.

Maledictio Deo irrogata, cur per benedictionem exprimatur.

Denique, in Scripturis frequenter maledictio Dei, per ejus benedictionem per antiphrasim designatur, sicut et infra statim patebit, eo quod tantus sit horror hujus peccati, quod est blasphemare seu maledicere Deo, quod pia ora ipsum proprio nomine exprimere horrent, sed per contrarium suum illud designant. Verumtamen Thomas tangit modum, quo benedictio possit hic accipi sicut sonat, ut scilicet totum istud, Ne forte peccaverint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis, accipiatur conjunctim : eritque sensus, Ne forte peccaverint, et de ipsis actibus vitiosis benedixerint Deo, quasi complaceant Deo peccata, sicut latrones atque prædones prædam sortiti, Deo sæpe gratias referunt. Quamvis autem benedicere Deo, secundum se sit bonum, tamen sic benedicere Deo, est malum, significatque voluntatem in vitiis quiescentem. Unde sic vituperatur, dum apud Zachariam dicitur contra quosdam pascentes pecora occisionis : Quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, dicentes, Benedictus Dominus, divites facti sumus.

Benedictio falsa Deo offertur in vitiis.

Zach. xi, 4, 5.

Sic faciebat Job cunctis diebus, id est quolibet die octavo secundum modum præhabitum, utpote circulo conviviorum per hebdomadam jam completo. Sciebat enim quod postea locutus est Christus : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Multi enim ferventer incipiunt, sed paulatim tepescunt, vel omnino omittunt, similes illis quibus ad Galatas ait Apostolus : Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini ? Denique opus

Matth. x, 22.

Galat. iii, 3.

A Dei a quibusdam devote peragitur, si sit rarum ; si vero sit frequens, minus attenditur, aut in fastidium vertitur : quod negligentiæ est sive acediæ, dum quis de spirituali attædiatur labore. Talem vero non fuisse beatum Job, inducta verba testantur. Nos ergo opus Dei tanto agamus vigilantius atque ardentius, quanto frequentius. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter. Sicque perseveremus in bono cunctis diebus. Ad hoc enim incarnatus est venitque Filius Dei, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

Tædium in spiritualibus detestabile crimen.

Jer. xlviii, 10.

Luc. i, 74, 75.

B

Ex præhabitis claret, quantam sollicitudinem habuit sanctus Job pro filiis suis, ne Deum offenderent : quem parentes imitari tenentur, filios ac filias instruendo, a malis retrahendo, ad bona inducendo. Parentes quippe (ut etiam Philosophus loquitur) filiis tenentur educationem, instructionem et disciplinam seu correctionem. Unde ad Ephesios dicit Apostolus : Patres, educate C filios vestros in disciplina et correptione Domini. Insuper patet ex dictis, quod licet Job filiis suis convivia ista admisit, ipse tamen in suo rigore, parsimonia et gravitate permansit, vitans convivia. Juniori enim ætati aliqua rationabiliter permittuntur, quæ seniores non decent. Et forte filios suos ac filias maluit pariter convivari, quam aliorum comessationibus commisceri, sciens suorum probitatem, et ne aliorum vitiis inficerentur.

Parentes in quibus obligentur filiis.

Ephes. vi, 4.

Consequenter processus tentationis atque adversitas Job recitantur. D *Quadam autem die, quum venissent filii Dei ut adsisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* Quamvis absolute loquendo, omnes angeli sancti Deo ministrent laude continua, atque adsistant contemplatione perpetua, quum dicat Apostolus, Omnes sunt administratorii spiritus; et Psalmista, Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus ; itemque Salvator, Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei : per ap-

Hebr. i, 14.

Ps. cii, 21.

Matth. xviii, 10.

Digitized by Google

propriationem tamen ministrare dicuntur, qui ad explenda foris ministeria divinitus emittuntur; adsistere vero, qui sic intima Dei visione fruuntur, quod foris nequaquam mittuntur. Sicque in Daniele legitur : *Dan.* vii, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Sed iste modus adsistendi Deo propriissimus appellatur, non nisi superioribus angelorum ordinibus competens. Alio igitur modo adsistere Deo extensius sumitur, ut sit idem quod vultui gloriæ ejus intendere, totaque mente ad omne beneplacitum ejus promptum consistere : et sic universis angelorum competit choris. Unde tertio Regum ait *III Reg.* xxii, 19. Michæas propheta : Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris. Tertio autem adsistere Deo communissime sumitur, ut sit idem quod divinæ præsentiæ cognitum esse, sicut Apostolus ait, *Hebr.* iv, 13. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus : sicque omnibus competit creaturis.

Præterea advertendum, quod angeli sancti deputantur custodiæ hominum, sicut et dæmones ad tentandum et exercitandum hominibus deputantur. Itaque angeli sancti sæpe de cœlis destinantur ad viatores ad succursum eorum, rursusque redeunt ad superna : et hoc fit certis temporibus, quamvis motus et operatio angelorum non mensurentur tempore, quod ponitur species quantitatis. Sic ergo nunc dicitur : *Quadam die, quum venissent filii Dei,* id est angeli sancti animarum custodes, de ipsis hominibus circa quos operati fuerunt, quibus et realiter adfuerunt. Sunt namque angeli in loco definitive, et ubi operantur, ibi esse dicuntur; expletoque ministerio, propter quod descenderunt, mox ad cœlestia revertuntur. Hinc namque Daniel ait : *Dan.* ix, 21-23. Adhuc me loquente in oratione mea, ecce Gabriel cito volans tetigit me et docuit me. Dixitque Gabriel : Nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres. Ego autem veni ut indicarem tibi. Sic et in Judicum libro habetur : *Judic.* ii, 1. Angelus Domini ascendit de Galgala ad locum Flentium. Itemque : *Judic.* xiii, 20. Quum ascenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma ascendit. Insuper, Tobiæ Raphael angelus ait : *Tob.* xii, 20. Tempus est ut revertar ad eum qui me misit. Et Zacharias propheta attestatur : *Zach.* ii, 3, 4. Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit : Curre, et loquere ad puerum istum. Ex quibus omnibus multisque aliis Scripturæ locis patescit, quod angeli sancti moventur de loco ad locum, veniuntque de cœlo ad homines, et revertuntur ad cœlos horis atque temporibus a Deo præordinatis.

Ut adsisterent coram Domino. Si angeli indesinenter Deo adsistunt, utpote quem incessabiliter contemplantur, et a quo ipsi indeficienter cernuntur, quomodo quadam die venerunt ut coram Deo adsisterent? Et respondendum, quod semper adsistunt, quoad hoc quod jugiter cernunt atque cernuntur; nec hoc modo venerunt ut adsisterent. Sed angeli qui mittuntur, non solum dicuntur adsistere modo prædicto, verum etiam quoniam specialem aliquem actum de novo exhibent coram Deo. Propter quod dicit Albertus : Adsistunt, quum intima contemplatione vultui Dei præsentes sunt, et profectum ministerii sui ostendunt, et quid acturi sunt, per illuminationem a Deo accipiunt. Et illud, Quum venissent filii Dei, quidam exponunt sic : Ad præsentandum Deo merita hominum, prout in Tobiæ historia scribitur, quod preces Saræ et Tobiæ uno tempore in conspectu Dei sunt recitatæ. *Tob.* iii, 25. Et rursus ibidem Raphael fatetur Tobiæ : *Ibid.* xii, 12. Quum orabas cum lacrimis et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Angeli equidem orationes et causas sibi commissorum ad divinum referunt judicium, suffragiumque impendunt. (Angeli causas nostras referunt divino judicio.) Unde Gabriel loquitur Danieli : *Dan.* x, 20, 13. Nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum. Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum. Sic ergo venerunt ut adsisterent coram Domino, per modum recentem ac specialem, ad peragendum actum præfatum.

Digitized by Google

Angeli a Deo exeunt, et redeunt ut ei adsistant.

Præterea alius modus est, secundum A quem angeli dicuntur a Deo exire, et ad ipsum venire atque redire ut ei adsistant: non quod a Deo ubique præsente usquam elongentur, avertantur, aut ejus beatifica visione priventur, quem non corporaliter extra se, sed spiritualiter intra se inavertibiliter contuentur; sed quia egrediuntur de loco, et regrediuntur ad locum illum, in quo Deus incircumscriptibilis et immensus specialiter esse habitareque dicitur : qui locus est cœlum empyreum, in quo Deus clarius se ostendit, et magnifi- B centius agit. Sicque Raphael dixit : Tempus est ut revertar ad eum qui me misit. Et nihilo minus quando hoc dixit, etiam ait : Ego sum Raphael, unus de septem qui adstamus ante Deum. Ergo et tunc quando loquebatur Tobiæ in domo ejus, adstitit coram Deo. Habendo enim comparationem ad Deum secundum se, ubique ei præsentes sunt, nec redeunt ut adsistant ; sed loquendo de Deo per comparationem ejus ad cœlum empyreum, in quo ipse specialiter esse et habitare asseritur, revertuntur ad C ipsum, ut ei illic adsistant. Hinc dicit Gregorius : Et mittuntur igitur, et adsistunt : quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt; et per hoc quod intus præsentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt : quia et ad nos spirituali præsentia foras exeunt, et tamen unde recesserant, ibi se per internam contemplationem servant. Dicatur ergo, Venerunt filii Dei ut adsisterent coram Domino : quia illuc spiritus conversione redeunt, unde nulla D mentis aversione discedunt.

Tob. XII, 20, 15.

Angelorum adsistere et mitti, quomodo intelligatur.

Filii Dei dicuntur angeli ob excellentem similitudinem, etc.

Postremo, angeli sancti dicuntur filii Dei ob eminentem similitudinem, qua per dona naturæ et gratiæ ei præclarius assimilantur. Dicit quoque Gregorius : Quia beati Job tentatio ad victoriam venit, a die cœpta perhibetur. Albertus quoque : Ideo, inquit, scriptum est, Quadam die, etc., quia in tantis doloribus et adversis a rationis et gratiæ luce non cecidit, et a tenebris ad lucem rediturus fuit, juxta illud Michææ : Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam ; quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

Mich. VII, 8.

Adfuit inter eos etiam Satan, id est diabolus : non quod cœlum empyreum cum angelis sanctis ingrediatur, et ibi Deo adsistat ; sed inter angelos adfuisse describitur multiplici ratione. Primo, quoniam angelis sanctis hominum merita Deo offerentibus, opemque quærentibus ac impendentibus, diabolus demerita hominum allegare, accusare, et salutem eorum impedire conatur, sicut super Danielem scribit Hieronymus : sicque inter eos est, intromittendo se de factis eorum. Secundo, propter communionem naturæ. Propter quod ait Gregorius : Recte inter eos fuisse describitur, quia etsi beatitudinem perdidit, naturam cum eis similem non amisit ; etsi meritis prægravatur, conditione tamen naturæ subtilis attollitur. Tertio, quoniam sicut angelorum, ita et dæmonum natura ac operatio divino patent conspectui, ejusque adducuntur examini. Ideo dicit Albertus : Adfuit, quia divino lumini abscondere se nequivit. Quarto, secundum Thomam, dicitur adfuisse, ad insinuandum quod mala non sunt ex principali intentione, sed subveniunt bonis quasi per accidens. Quinto, quia eidem Domino cui angeli adstiterunt, præsens fuit et ipse.

Satan inter angelos fuisse probatur.

Insuper Thomas dicit : Angeli venisse dicuntur, quia proprio motu et intentione omnia quæ agunt, divino subdunt judicio, referuntque in Deum. Mali vero angeli non intendunt quæ agunt referre in Deum, sed nolentibus eis hoc accidit, ut quidquid agant, divino subdatur judicio. Ideo non dicitur de Satan, quod venit ut adsisteret coram Domino, sed solum quod adfuit inter eos. Cui concordans Albertus, disseruit : Non dicit Scriptura quod venit vel vocatus fuit, sed adfuit, quasi coactus. Quibus obviare videtur, quod dæmones expetunt homines ad tentandum a Deo, et ex proposito sistunt se Deo ad accusandum ; reos quoque quos ad supplicia trahere nequeunt, nisi prævio judicio Dei, sponte

Apoc. XII, 10.

Digitized by Google

sequuntur vel ducunt ad judicem Christum, secundum modum Deo cognitum quo id fit. Hinc doctores præfati loqui videntur, quoad hoc quod dæmones quæ agunt, in Deum non referunt sicut ad finem, nec agunt quid ex proposito ad gloriam ejus directe; ea quoque quæ agunt, eis invitis, subduntur Dei judicio, in quantum hoc redundat in augmentum pœnæ eorum.

Rursus ait Albertus : Dicit Scriptura quod Satan inter eos fuit, et non cum eis, vel ante eos, vel post eos. Cum eis non fuit, quia voluntati eorum non concordavit; ante eos non fuit, quia profectus eorum in bonis hominibus impedire non potuit; post eos non fuit, quoniam confirmatis insidiari non potuit; sed inter eos fuit, quum inter bona eorum mala seminavit, juxta illud Matthæi :
Matth. XIII, 25. Quum dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici. Id etiam advertendum, quod angeli sancti cum hominibus in terra consistendo, preces eorum ac merita Deo possunt offerre ac opem impendere, atque ibidem se sistere Domino secundum modum prætactum; sicque venire ad ipsum, convertendo se de actu circa hominem exhibito, ad actum circa Deum versantem, qui est præsentare merita hominum Deo, non quasi Deus ea ignoret, sed ut optatum ab ipso sortiantur gratiæ donum : sicque inter eos Satan adesset.

Cui dixit Dominus, allocutione non exteriore, corporali, sensibili, sed interiore ac intelligibili, quum ipsemet Deus sit supersimplicissimus spiritus, dæmon quoque spiritualis substantia est : *Unde venis?* Quærendum cur angelis bonis Deus non ait, Unde venitis? sed Satanæ, Unde venis? Ad quod respondet Gregorius : Requirimus quæ nescimus; nescire autem Dei, est reprobare : unde quibusdam dicturum
Ibid. XXV, 12; Luc. XIII, 25. se perhibet, Nescio vos unde sitis. Sic verax homo dicitur nescire mentiri, quia fari mendacium dedignatur. Quoniam ergo Dominus Satanæ vias reprobat, ait ad eum : Unde venis? Et est quæstio non ignorantis, sed arguentis : tanquam dicat, Vide de

A quantis obscenitatibus atque malitiis venias. Similiter dicitur Adæ : Adam, ubi es? id est, vide in quanta miseria es. Locutio quoque ista perficitur, dum Satanæ sua malitia divino lumine demonstratur, ut dicit Albertus. Gen. III, 9.

Thomas autem hanc quæstionem solvit, dicendo : Angeli boni nil faciunt, nisi ad quod divina voluntate moventur : a qua angeli mali discordant; unde quæ agunt, a Deo aliena exsistunt, quantum ad intentionem eorum semper perversam. Non au-
B tem solemus interrogare de his quæ ipsi nos facimus, sed de his quæ absque nobis fiunt : ideo non dicitur quod Dominus interrogavit ab angelis bonis, sed solum a Satan. Potest insuper responderi, quod ideo, quoniam angeli boni bene sibi conscii, ad hoc coram Deo adstiterunt, ut ei sua opera faterentur ac præsentarent per modum prædictum : ideo non inquiruntur. Satan vero male sibi conscius, ita non habuit se; imo quantum in se est, suam mallet occultare nequitiam, in quantum
C est sua : hinc interrogatur. Quem etiam Dominus idcirco non quasi ignorans interrogat, ut ejus responsione convenienter procedat ad quod intendebat, scilicet ad sancti Job commendationem.

Insuper, juxta Thomam, Dominus non ait ad Satan, Quid facis? aut, Ubi es? sed, Unde venis? Quoniam facta quæ per dæmones procurantur, interdum ex divina voluntate procedunt, dum per eos vel mali puniuntur, vel boni exercentur; sed dæmonis intentio semper est mala, atque a Domino
D aliena. Iterum, secundum eumdem Doctorem, dicere, dupliciter accipitur : quandoque enim refertur ad cordis conceptum, quandoque ad significationem, qua talis conceptus exprimitur alteri. Itaque secundum primum modum, dicere Dei æternum est, nihilque aliud quam generare Filium, qui est Verbum ipsius. Secundo modo dicit specialiter aliqua Deus, diversimode tamen diversis, secundum quod congruit naturæ eorum. Hominibus quippe corporeos sensus habentibus quandoque locutus

Dæmonum facta procurantur interdum a Deo.

Digitized by Google

est sono sensibili, formato in aliqua creatura subjecta, sicut vox sonuit in baptismo transfigurationeque Christi, Hic est Filius meus dilectus. (Matth. III, 17; XVII, 5.) Aliquando per visionem imaginariam, ut Prophetis. Aliquando autem intelligibili expressione : sicque intelligendum est, Deum ad Satan dixisse, in quantum Deus fecit ipsum Satan intelligere, quod ea quæ agit, conspiciuntur a Deo. Sicut autem dicere Dei ad Satan, est notitiam ei præbere ; sic Satan Deo respondere, est non alicujus rei notitiam Deo tradere, sed considerare omnia Dei conspectui aperta esse. (Hebr. IV, 13.)

Verumtamen de hoc plenius tractat Gregorius, dicens : Quatuor modis loquitur Deus diabolo. Primo, vias ejus injustas arguendo, sicut dum ait : Unde venis? Secundo, electorum justitiam contra eum proponendo, ut quum dicit : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram? Tertio, tentandam electorum innocentiam dæmoni permittendo, quemadmodum ait : Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt. Quarto, diabolum ab electorum tentatione aliquando prohibendo, sicut subjungit : Tantum in eum ne extendas manum tuam. Quæ omnia loquendi genera fiunt per intelligibilem ostensionem. Tribus quoque modis diabolus loquitur Domino. Primo, vias suas ei denuntiando, ut quum ait : Circuivi terram, etc. Secundo, electos mendaciter accusando, sicut quum dicit : Numquid frustra Job timet Deum? Tertio, tentandam eorum innocentiam postulando, ut quum ait : Extende manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, etc.

Adhuc secundum Albertum, isti modi locutionum fiunt per demonstrationes illuminationum, id est ostensivas illuminationes, quantum videlicet ad superiores. Demonstrationem autem illuminationum appellat, quando ex voluntate intellectualis substantia in lumine intelligentiæ suæ conceptus suos atque affectus alteri substantiæ intellectuali demonstrat. Et hoc dicit Basilius in libro de Fide divinitatis, sic : Sermonis usum nobis Deus inclusit, ut corporei exsistentes, affectus nostros invicem panderemus. Si autem intecta et nuda anima uteremur, sermone non indigeremus, sed mutuo in nobis invicem videremus nostros affectus. Hinc quoque Gregorius ait : Alienis oculis intra mentis nostræ secretum, quasi post parietem corporis stamus ; sed quum manifestare nos ipsos cupimus, quasi per linguæ januam egredimur.

Qui respondens ait. Jam dictum est, quid sit, et quomodo fiat responsio Satan ad Deum : fatetur equidem Deo quod ei abscondere nequit, imo quod ille invariabiliter præscit. *Circuivi terram,* id est habitatores terræ, *et perambulavi eam,* id est, diligenter pertransivi. Omnium enim mores, proprietates, inclinationes, consuetudines, actus, vitamque observat, ventilat, discutit atque rimatur, ut sciat qualiter quemque facilius vincat, astutius tentet, secretius circumveniat, damnabiliusque prosternat. Unde per circuitum ejus calliditas designatur, curvitas sive perversitas, sicut per rectitudinem simplicitas atque justitia. Callidorum namque est aliud foris prætendere, aliud intus intendere, et sic opus quod faciunt ac ostendunt, exit ab extremis, dum neque voluntati concordat, nec ultimo fini. Rursus, dæmon et homines vitiosi mente semper instabiles sunt et undique divagantur, quia in Deo summo et incommutabili bono mentis non figunt radicem. Ideo scriptum est : In circuitu impii ambulant. (Ps. XI, 9.) Et in prima Petri : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. (I Petr. V, 8.)

Dæmonum astutia varia tentandi homines.

Dicit autem Albertus : Perambulat, qui ubique vestigium pedis relinquit ; vestigium vero pedis diaboli, peccatum est. Sed sic non perambulat, nisi quos aliquo modo vincit atque contaminat. Virtuosi autem eum expellunt, implentes illud Apostoli, Nolite locum dare diabolo ; (Ephes. IV, 27.) imo de ejus impugnatione triumphando, puriores redduntur. In justis vero perambulat Deus,

sanctitatis et veritatis suæ vestigia in eis relinquens, quemadmodum ad Corinthios (II Cor. vi, 16.) dicit Apostolus : Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, Quoniam habitabo in eis et inambulabo, et ero illorum Deus. Præterea Thomas ait : Quum compositus sit homo ex natura spirituali et carne terrena, malum hominis in hoc consistit, quod relictis spiritualibus bonis, ad quæ secundum rationalem mentem ordinatur, terrenis bonis inhæret, quæ sibi competunt secundum carnem terrenam : ideo mali, in quantum naturam terrenam (scilicet carnem) sequuntur, recte dicuntur terra. Hujusmodi ergo terram non solum circuit, sed et perambulat Satan, quia in eis malitiæ suæ effectum consequitur.

Dixitque Dominus ad eum : Numquid considerasti servum meum Job: servum utique servitute amoris, cui dicitur in Evangelio, (Matth. xxv, 21, 23.) Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui ; non servitute timoris, de quo ait Christus, (Joann. viii, 35.) Servus non manet in domo in æternum ; *quod non sit ei similis in terra ?* Hoc tripliciter accipi potest. Primo, quod nullus homo viator tempore sancti Job, fuit ei similis in perfectione virtutum, sed ipse quolibet tunc in terra vivente perfectior fuit : quod non videretur cautum asserere, si tempore Moysis fuit, præsertim quum Moyses populum Israel rexit. Secundo intelligi potest, prout in quolibet homine perfecto et sancto est aliqua præeminentia cujusdam virtutis, quoad specialem aliquem usum, seu quædam specialis prærogativa virtutis: propter quod de quolibet canitur confessore, (Eccli. xliv, 20.) Non est inventus similis illi ; et Apostolus asserit, (I Cor. vii, 7.) Unusquisque proprium donum habet a Deo. Tertio, quod in terra, id est rebus hominibusque terrenis, ei non fuerit similis. Verumtamen quia mox subditur, *homo simplex et rectus, et timens Deum, ac recedens a malo,* videtur textus prætendere, quod in istis virtutibus non fuit ei tunc similis. Quod et satis probabile apparebit, si pensemus quæ ipsemet Job infra de se ipso testatur, inter cetera loquens, (Job xxvii, 6.) Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea ; et, Semper quasi tumentes super me fluctus (Job xxxi, 23.) timui Deum. In hoc ergo Job a terra atque terrenis hominibus fuit segregatus, quod exstitit Dei servus. Homo etenim quasi medius constitutus est inter Deum et res terrenas : nam mente conjungitur Deo, carne terrenis. Medium vero, quo amplius ab uno extremo recedit, eo plus alteri appropinquat. Unde quo homo plus Deo inhæret, eo remotior est a terra. Hoc autem est servum Dei esse, quod mente Deo inhærere : quoniam servus est, qui non sui causa est, id est non propter se ipsum, sed ordinatur ad Dominum. Porro qui Deo mente inhæret, in Deum se ordinat, quasi servus amoris.

Cui respondit Satan : Numquid frustra timet Job Deum ? id est, non mirum quod timet te, quia tot ei beneficia præstitisti, et in omnibus prosperatur : ideo servit tibi et timet te, non propter te aut ex tuo puro amore, sed propter bona sibi collata, et ex amore privato ac servili timore, metuens si peccaret, temporali prosperitate privari. Frustra autem fieri dicitur, quod fit sine spe mercedis seu utilitatis, aut compleri aut obtineri non valet. Quoniam ergo Job tot temporalia Deo donante possedit, dixit eum diabolus non frustra Deum timere, quasi propter sola terrena coleret eum. Porro dum justi laudantur, invidi et perversi acrius contra eos desæviunt ; et dum opera quæ cernuntur, reprehendere nequeunt, intentionem condemnant, asserentes malo fieri animo quæ recta intentione geruntur. Deus vero vitam justorum vult non solum eis esse salubrem, sed et aliis exemplarem : quia et ideo tantam quibusdam gratiam elargitur, ut eorum intuitu et exemplo alii proficiant, ædificentur seu convertantur. Benevoli quoque eorum imitatione proficiunt, malevoli deteriorantur, invidia eos torquente. Ideo bona interpretantur in malum, et sub specie boni multa mala proponunt ac faciunt. Hinc in secunda ad Corinthios ait Apostolus : Christi bonus odor sumus Deo ; aliis quidem odor mortis (II Cor. ii, 15, 16.)

in mortem, aliis vero odor vitæ in vitam. A Unde diabolus audito a Deo sancti Job præconio, acrius cœpit furere ac sævire. *Nonne tu vallasti,* id est, tua protectione circumdedisti, *eum ac domum,* id est sobolem ac familiam *ejus, universamque substantiam per circuitum?* id est, undique eum circummunisti, ut nulla ex parte adversitas ei occurrat. *Operibus manuum ejus,* id est rebus ac opibus quæ laboribus conquiruntur, *benedixisti.* Benedictio Dei, est collatio beneficiorum suorum, multiplicatio eorumdem, secundum Gregorium. Tho- B mas quoque affirmat: Quum Deus dicendo omnia faciat, benedicere Dei, est bonitatem rebus donare. Inanimatis autem Deus benedicere dicitur, quando possessoribus suis eas adauget. *Et possessio ejus crevit in terra,* opibus ejus multiplicatis.

Sed extende paululum manum tuam, id est, potestatem tuam parumper circa eum exerce ac monstra effective seu permissive; *et tange cuncta quæ possidet,* id est, omnes facultates ac sobolem ejus totam permitte a me sibi auferri ac dissipari; *ni-* C *si in facie,* id est manifeste, *benedixerit,* id est maledixerit, *tibi,* supple, Mendax inveniar et puniar, seu male mihi contingat. Per hoc Satan nitebatur probare, quod propter temporalia Job Deum timeret, quoniam illis ablatis, in apertam murmurationem prorumperet. Et ait, Extende paululum, quia quidquid diabolus damni intulerit homini, quamdiu animam ejus non læserit atque deceperit, parum se egisse arbitratur. Voluit quoque Satan probare, quod Job nullo modo justus exsisteret ve- D re, sed simulatorie tantum, per hoc quod ait, Extende paululum. Nam ex modica adversitate seu exteriorum ablatione turbari, est ficte justorum: perfecti enim vereque justi, nec propter proprii corporis læsionem ad impatientiam prolabuntur. Potest præterea secundum Thomam exponi, ut benedicere, proprie accipiatur: eritque sensus, Tange quæ possidet, nisi in facie benedixerit tibi, id est, male accidat mihi, nisi pateat quod tempore prosperitatis benedixit tibi non vere in corde, sed in facie, id est secundum apparentiam et coram oculis hominum.

Sed quum diabolus certissime sciat Deum esse veracem, nec posse mentiri, quomodo contradicere potuit verbis ipsius? Et respondendum, quod non putavit verba Dei esse mendosa, sed stimulante ipsum sua invidia, non timuit proferre mendacium, quum ab initio sit mendax, et pater ejus. Possunt etiam præinducta ita intelligi, quod diabolus scivit ex propria consideratione et magis ex verbis Dei sanctum Job esse veraciter timoratum, et quod temporalium affluentia esset ei occasio magis timendi Deum; nec tamen putavit eum tam justum, quin ex temporalium sublatione tentationi succumberet et peccaret. Denique Satan non prius a Domino expetiit ipsum Job ad tentandum, ut ait Gregorius; sed quum Dominus in despectum Satanæ laudasset Job, tunc irritatus diabolus petiit tentandi licentiam. Quum equidem superbissimus sit, metuit a viris virtutum devinci: et in hoc consideranda dispensatio pietatis ac sapientiæ Dei, præbentis diabolo occasionem impugnandi justos, quos Deus prænoscit victuros, et ex prælio cum Satana amplius coronandos.

Joann. VIII, 44.

Dixit ergo Dominus ad Satan, id est adversarium salutis humanæ: *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt,* id est, potestati tibi a me collatæ tangenda dissipandaque trado sive permitto. Voluntatem autem nocendi habes, o Satan, a te: sed potestas omnis a me est; abusio autem potestatis, ex tua est perversitate. Hinc dicit Gregorius: Satanæ voluntas semper iniqua est, sed potestas ejus nunquam injusta: quia a semetipso voluntatem habet (id est impiam ultionem *, non volitivam potentiam), sed a Domino potestatem. *Tantum in eum ne extendas manum tuam,* id est, ipsum in propria persona non tangas nec lædas. Quo liquet, tantum et non amplius posse diabolum in nos, quantum a Deo permittitur. Propter quod ait Apostolus: Fidelis Dominus, qui non patietur vos ten-

* volitionem

I Cor. X, 13.

Digitized by Google

tari supra id quod potestis. Imo nec in ea A quæ attinent homini seu possidentur ab eo, plus potest quam Deus permittit; unde
Matth. VIII, 31; *Luc.* VIII, 32. legio dæmonum dixit ad Christum : Si ejicis nos, permitte nos intrare in porcos. Deus ergo refrenat tyrannidem dæmonis, et potestatem ipsius coarctat, prout condecens novit, et homines ferre posse conspectat.

Circa prædicta scribit Albertus : Ea quæ dicta sunt, Judæi et nostri judaizantes hæretici, aliter exponunt, dicentes, quod in die, id est in luce, divinæ providentiæ, angeli seu filii Dei, id est bonæ creaturæ B et secundum rectum intellectum agentes, Deo adsistunt ; malæ autem creaturæ, quæ significantur per Satan, ut sensualitas inclinans ad malum, etiam adsunt : et hoc esse quod dicitur omnis homo habere bonum
Ps. XC, 11. angelum a dextris, et malum a sinistris. Et ideo, quoniam malum est infinitum, quærere Dominum per verbum infinitum : Unde venis ? et Satan, id est materiam cum privatione, dicere : Circuivi terram, undique spargendo malum privationis : in cœlo enim non habet locum, quia ibi non est ge- C neratio neque corruptio. Quod autem Dominus ait, Numquid considerasti, etc. ? et dæmon, Extende, etc., est quædam etiam incorruptibilia ad corruptionem et perversitatem appetere, ut quod in fabula Phaethontis dicit Ovidius, quod Phaeton male dirigens cursum solis, combussit cœlum et terram, intelligens hoc de exorbitatione planetarum, per comparationem ad medium quod est terra, vel etiam de perversitate recti hominis per malitiam privationis, vel de malitia periodi declinantis ad D domum infaustam : cui datur licentia, quando infaustis fausti prævalent. Et hoc colli-
R. Moyses Ægyptius. gitur in tertia Collatione Rabbi Moysis in libro qui dicitur, Dux neutrorum, capitulo vicesimo quarto. Quam opinionem sequuntur Abraham, Isaac et Moyses Ægyptius, Judæorum philosophi, eo quod dicant angelos intelligentias esse, quæ sint ubique et semper, et nusquam mittantur ; angelos autem qui mittuntur, effectus eorum esse in inferioribus, vel homines qui corde præsago ista prænuntiant, sive ad bonum sive ad malum. Prima autem expositio secundum catholicam veritatem est, et alterius opinionis sive erroris fabulam non curamus. Hucusque Albertus.

Præterea Deus perfectionem justorum vult omnibus esse notam, ideo voluit etiam intentionem sancti Job, omnibus justam ostendere per patientiam suam in adversis : propter quod permisit sibi sua auferri ut ejus perfectio omnibus fieret nota ad ædificationem ipsorum, quemadmodum scriptum est in Tobia : Hanc autem tenta- *Tob.* II, 12.
tionem ideo permisit Dominus evenire illi, id est Tobiæ, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. De quo pulchre scribit Gregorius : Scriptura sacra oculis mentis quasi speculum quoddam opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus quantum proficimus; ibi videmus a profectu quam longe distamus. Narrat gesta fortium, et ad imitationem corda provocat infirmorum ; dumque illorum victoriosa facta commemorat, contra vitiorum prælia nostram debilitatem confirmat, fitque verbis illius, ut eo minus mens inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam etiam quorumdam casus insinuat, ut David, qua- II *Reg.* XI.
tenus timere prudenter discamus.

Egressusque est Satan a facie Domini. Quo potuit Satan exire a facie ejus qui ubique est ? qui ait per Jeremiam, Cœlum et *Jer.* XXIII, 24.
terram ego impleo. Ad quem David psalmista : Quo ibo a spiritu tuo ? et quo a fa- *Ps.* CXXXVIII, 7, 8.
cie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades. Et respondendum, quod sicut ad Deum non acceditur passibus pedum spatiisque locorum, sed intentione sancta, affectione justisque actibus ; ita ab eo receditur non corporis gressu, sed perverso affectu impioque effectu : non quod per hæc desinat intellectualis creatura esse in Dei præsentia, sed quia desinit esse coram eo, quomodo ante fuit, vel quomodo esse deberet. Egressus

Digitized by Google

est itaque Satan a facie Domini, id est, per impietatis exsecutionem ab ejus supersancta voluntate per discordiam abiit: quia quod Deus bona intentione fieri licentiavit, ille perverso exsecutus est fine. Unde Albertus hic ait : Facies Domini hoc loco vocatur præsentia divinæ potestatis, iniquam diaboli voluntatem prementis, id est, ab optatæ malitiæ actu impedientis. Sicque egressus est Satan ab obligatione seu coarctatione potestatis illius, ut non impeditus posset exercere suæ malitiam voluntatis. Juxta quem sensum intelligi potest illud Jeremiæ : Ejice illos a facie mea, et egrediantur, videlicet a defensione meæ potestatis ad licentiam seu permissionem impiæ voluntatis.

Jer. xv, 1.

Hinc ait Gregorius : Quo exitur ab eo, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? Sed quamdiu Satan pressus majestatis præsentia, appetitum suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit; a facie Domini exiit, quia relaxatus divinitus ab internæ coarctationis angustia, ad sui effectum desiderii venit. Insuper Thomas signanter inquit : Dicitur, Egressus est a facie Domini. Satan enim secundum quod potestas nocendi ei permittitur, coram facie Domini est, quia ex rationabili voluntate hoc accidit; sed dum permissam sibi potestatem exsequitur, a facie Domini exit, quoniam ab intentione permittentis recessit. Circa hunc locum divinus et sanctus Gregorius de infinitate Dei sublimis et benedicti scribit pulcherrime, dicens : Deus manet inter omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia : et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem ; et exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem : sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, atque ex alia parte exterior, et ex alia manet interior; sed unus idemque totus, ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde superius præsidens, inde inferius sustinens, et unde exterius ambiens, inde interius replens ; sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens ; interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans ; inferior atque superior sine loco, amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione.

Quum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent, et biberent vinum : quod additur, ad innuendum quod hilariter simul edebant, ut ex hoc sequens mœror appareat gravior, quia opposita juxta se posita, clarius patent, et vicissim gravius torquent. Unde in Ecclesiastico habetur : Vinum in jucunditate creatum est, non in ebrietate. *In domo fratris sui primogeniti,* ubi fortasse solennior convivatio fuit (et quod ait, *sui,* non refertur ad *ejus,* puta ad Job, sed ad id quod prædixit, Filii et filiæ ejus) : id est in domo fratris eorum qui fuit sancti Job primogenitus, ubi forte edebant statim post egressum Satan a facie Dei. Satan enim invidiosissimus, non diu distulit implere pravum conceptum, præsertim quum secundum divinum Dionysium, in dæmonibus sit phantasia proterva, amens furor, et irrationabilis concupiscentia : amens autem furor non differt.

Eccli. xxxi, 35.

Nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos; et irruerunt Sabæi : qui nominantur in Joele, quo habetur, Venundabunt eos Sabæis genti longinquæ. *Tuleruntque omnia* pecora, ut nec victui nec agriculturæ necessaria remanerent ex illis ; *et pueros,* id est pecorum custodes et servos Job, *percusserunt,* id est occiderunt, *gladio.* Ex quo sequitur, quod non solum sobolem, sed et familiam Job Deus tradiderit manui Satanæ, quantum ad corporalem tribulationem. *Et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi,* improvise ac subito ad majorem tui afflictionem, quia jacula prævisa minus feriunt. Ideoque Satan unum abire permisit ac fugere, ut per importunam ac turbu-

Joel III, 8.

Digitized by Google

lentam ejus denuntiationem, Job amplius moveretur et turbaretur : qui etiam tanquam vir justus magis de puerorum occisione, quam pecorum ablatione dolebat. Istud in die convivii accidit, quia secundum Gregorium, prænuntia tribulationis est lætitia satietatis. Unde et scriptum est : (*Prov.* xiv, 13.) Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Sed et frequenter rota fortunæ quem ad summa elevat prius, ad ima declinat, et vice versa.

Quumque adhuc ille loqueretur, venit alter, unus scilicet puerorum oves custodientium, ut videtur, *et dixit : Ignis Dei,* id est divinitus permissus, vel secundum æstimationem loquentis, a Deo pro plaga inductus et supernaturaliter procuratus, *cecidit de cœlo* aereo, *et tactas oves puerosque consumpsit,* id est, repente dum tetigit oves tuas et earum pastores, simul cuncta consumpsit : cum tanto impetu furoreque venit. *Et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Ideo Satan practicavit, quod unus ita effugeret ac subito ad Job veniret, altero adhuc loquente, quatenus adversitas adversitati adjuncta, et sine intervallo percepta, mentem sancti Job magis obrueret, dum se per temporis interpolationem ad patientiam non armaret. Denique, quod dicitur, Ignis Dei, quidam exponunt, Ignis Dei, id est missus a Deo : quod non videtur congrue dictum, quoniam ignem istum Satan produxit in aere, fecitque descendere. Deus autem nec per se ipsum, nec per angelum bonum, sed per Satan afflixit Job, ita quod dæmon ignem hunc procuravit : quod naturali industria et virtute faciliter potuit, activa atque passiva materialia invicem applicando. Unde et in Apocalypsi legitur : Bestia, id est Antichristus seu ejus (*Apoc.* xiii, 13.) caterva, fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum : quod (secundum expositores ibidem) fiet operatione diaboli. Aliqui etiam dicunt, quod ignis iste cecidit de cœlo per coruscationem et fulgur. Sed magis opinor, quod directe ex aere irruit, nec per terræ gyrum, sed per locum dumtaxat ubi oves et pastores fuerant, fundebatur et extendebatur. Dicitur tamen ignis Dei, quia permissus a Deo, vel ob aliam causam prætactam. Hinc dicit Gregorius : Intuendum quam callide dicitur, Ignis Dei, ac si diceretur, Illius iram sustines, cui quotidie sic servisti totque hostias obtulisti, ut Job de exhibito Deo obsequio tristaretur, seque ei frustra servisse conquereretur.

Sed et illo adhuc loquente, venit alius puer custosque pecorum, *et dixit : Chaldæi :* de quorum maxima crudelitate in Jeremia, Joele et Habacuc multa dicuntur : (*Jer.* xxxii, 6-9 ; *Joel* i, 6, 7 ; ii, 3, 5, 6 ; *Habac.* i, 6-11.) *fecerunt tres turmas,* cingentes quæ tua fuerunt, ne quidquam tuorum evaderet ; *et invaserunt camelos, et tulerunt eos, et pueros percusserunt gladio ; et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi,* addendo dolorem dolori. Pensandum, quod quatuor tribulationes denuntiantur beato Job : quas Satan sic ordinavit, quod duæ ab hominibus inferrentur, duæ divinitus crederentur illatæ ; et prima ab hominibus illata ipsi Job nuntiata, nuntiaretur secunda desuper facta, deinde tertia ab hominibus inflicta, et ultimo quarta desuper lapsa : quod hostis antiquus callidissime ad doloris procuravit augmentum. Mens nempe justorum, ab hominibus sumpta injuria, consolationem in Deo requirit : quem si mox viderit sibi adversa exaggerare et plagas augere, magis affligitur.

Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit : Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus : quæ corruens, oppressit liberos tuos : nec dubium quin et filias, quæ ad fugiendum fuerant tardiores ; *et mortui sunt, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Unde videtur quod omnes qui erant in domo, oppressi sint, isto excepto, qui forte vento irruente fuit in janua aut extra domum : estque verisimile, quod multi cum filiis et filiabus Job fuerunt in domo, præsertim de ministrantibus ad mensam filiis ac filiabus tam inclyti

Digitized by Google

principis; et forte si filii Job vel saltem primogenitus ejus habuit sobolem, simul exstincta est. Hæc autem adversitas præcedentibus tanto molestior fuit, quo filii plus diliguntur quam servi et facultates; et quia omnes filii et filiæ simul exstincti sunt, ita quod spes posteritatis non mansit; et rursus, quia in tali opere in quo periculosum est mori, fuerunt consumpti, videlicet in convivio, in quo peccata deesse non solent; quod item tam improvise ac subito, ita quod se ad mortem per pœnitentiam disponere aut non, aut vix valebant. Ex quibus omnibus generabatur timorato patri sollicitudo et timor de aliquo forte periculo animarum eorum, præsertim quoad venialia non minima : nam et ante, tempore convivii, misit ad eos, sanctificavitque ipsos, timens quod Deum offenderint. Præterea innuendum, quam hostiliter et astute dæmon invasit Job. Primo enim induxit nocumenta minora, deinde majora, ut unumquodque per se gravius atque distinctius sentiretur : nam nocumenta ac damna minora post majora statim illata, parum aut nil sentiuntur. Quemadmodum enim parvum lumen cum magno non percipitur, sed fuscatur, sic minus tristabile, non sentitur immediate post majus.

Circa hæc scribit Thomas : Quum omnis adversitas prædicta sit per Satan inducta, necesse est confiteri, quod Deo permittente dæmones possint aeris perturbationes inducere, ventos concitare, ignem e cœlo dejicere. Quamvis enim natura corporalis non obediat angelis bonis nec malis, quantum ad substantialium susceptionem formarum, sed soli Deo, obedit tamen eis quoad motum localem : cujus signum est, quod in homine ex solo voluntatis imperio membra ad opus moventur. Quæcumque ergo solo motu locali fieri possunt, hæc per naturalem virtutem angeli boni ac mali facere possunt, nisi divinitus prohibeantur. Venti autem et pluviæ et aliæ hujusmodi aeris perturbationes solo motu vaporum resolutorum ex terra et aqua fieri possunt. Nec
Jer. xiv, 22. obviat illud Jeremiæ : Numquid sunt in

A sculptilibus gentium qui pluant? Aliud enim est naturali cursu pluere, quod solius est Dei, qui causas naturales ad hoc ordinavit; aliud, causis naturalibus a Deo ad pluendum ordinatis aliquando artificialiter uti, ad pluviam vel ventum interdum quasi extraordinarie producendum.

Insuper ait Gregorius : Notandum, quam callide tot malorum pondera, et divisa et subita nuntiantur, ut et repente et particulatim crescens in audientis corde, sese dolor ipse non caperet; et tanto ardentius in
B blasphemiam accenderet, quanto subitis ac multiplicibus nuntiis in se angustius æstuaret. Postremo Gregorius sentit filios et filias sancti Job virtuose vixisse, sobrie refecisse, salubriterque obiisse : Absit, inquiens, ne tanti viri filios per conviviorum studia ingurgitando ventri suspicemur vacasse.

Tunc, videlicet morte totius sobolis suæ audita, *surrexit Job*, non pusillanimitate dejectus, sed in Deum mente erectus, *et scidit vestimenta sua, et tonso capite, cor-*
C *ruens in terram, adoravit.* Apud antiquos signum tristitiæ fuit utrumque istorum, videlicet scindere vestes, atque abradere crines. Nec mirum si Job tot filiis ac filiabus amissis hæc fecerit, quum in Genesi scriptum sit, quemadmodum patriarcha Jacob putans Joseph a bestia devoratum, scissis Gen. xxxvii,
vestibus, indutus sit cilicio, lugens filium 33, 34.
tempore multo. Denique ex hoc quod Job primo surrexit, deinde vestes scidit, et caput totondit, atque deinceps in terram corruit, Deumque adoravit, ostenditur quod
D non ex mentis immoderato mœrore, sed ex vera devotione solo tenus se prostravit.

Sed quum Salomon dicat, Non contrista- Prov. xii,
bit justum quidquid ei acciderit, quomodo 21.
Job signifer æquitatis, in adversis tristatus est, præsertim quum perfectæ patientiæ sit, etiam cum delectatione sustinere adversa? Et respondendum, quod verbum Salomonis de inordinata, sæculari et irrefrenata tristitia accipi debet, quæ animum obruit, rationem excæcat, et juxta Aposto- II Cor. vii,
lum, efficit mortem : de qua in Ecclesiasti- 10.

Eccli. xxx, 22. co dicitur, Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas te ipsum in consilio tuo. Moderata vero tristitia non est abjicienda : de qua in Ecclesiaste fertur, Cor sapientium ubi tristitia ; cor stultorum ubi lætitia. Sed et de Christo Evangelista testatur quod dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem. Imo quod Salomon ait, Non contristabit justum quidquid ei acciderit, de malo culpæ intelligi nequit, nisi quoad immoderantiam quamdam tristitiæ, præsertim quum de Christo in Marco scriptum sit : Contristatus est super cæcitate cordis eorum.

Eccle. vii, 5.

Matth. xxvi, 38.

Marc. iii, 5.

Porro quomodo timor et tristitia ac ceteræ passiones cadant in virum constantem, seu virtuoso sint assumendæ, B. Augustinus in libris de Civitate Dei prolixe pertractat, recitans diversas de hoc philosophorum opiniones. Stoici enim dicebant, quod nullo modo cadunt in virum constantem et sapientem. Peripatetici vero dicebant, quod passiones de se non sunt virtuosæ aut vitiosæ, sed naturales quædam affectiones et motus : ideo secundum rationis dictamen possunt sine culpa inesse atque assumi cum moderamine, ita quod rationem non obruant : hancque sententiam fassus est Augustinus sacræ Scripturæ consonantiorem esse ac veram. Idem quoque hoc loco affirmat Gregorius. Augustinus insuper, super illud Apostoli ad Thessalonicenses, Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent, dicit in quodam sermone : Non prohibet Apostolus de morte carorum ac propinquorum tristari ; sed prohibet sic tristari sicut infideles tristantur, spe resurrectionis carentes, sicque dolentes quasi defuncti omnino esse desierint. Et iterum ait : Non possumus caris ac propinquis defunctis penitus non tristari. Præterea Stoici asserebant, bona exteriora nullo modo esse hominis bona, ideo de eorum amissione nullo modo esse dolendum : cujus opinionis fuit et Craton philosophus, antequam a Joanne apostolo converteretur, prout in beatissimi Joannis continetur Legenda. Peripatetici vero dicebant bona exteriora esse hominis bona minus principalia ac instrumentalia ad virtutes, sicut et corpus ordinatur ad animam : ideo de eorum amissione moderanter posse tristari, quando videlicet homo sic eis privatur, quod juxta sui exigentiam status non retinet competentiam.

1 Thess. iv, 12.

Sicque Job in contristando se habuit : quem etiam arbitror Deum adorando orasse pro suis defunctis, et ne laberetur ipse in aliquam culpam. Et quoniam, sicut paulo post subditur, gratias egit Deo, constat quod secundum rationis suæ supremum, aliquo modo gavisus sit in præfatis adversis, considerando ea ut secundum Dei beneplacitum sibi inflicta, et ut materia magni meriti exstiterunt. Gaudium nempe est diffusio animi in conceptu boni.

Et dixit : Nudus egressus sum de utero matris meæ : quod de propriæ genitricis utero accipi posset, nisi mox adderet, *et nudus revertar illuc.* Itaque, per uterum matris suæ, intellexit uterum terræ, quæ omnium mortalium communis est mater : cujus uterus est aliquod receptaculum ejus, in quod redit homo per sepulturam ac corporis resolutionem, juxta quod dictum est Adæ : In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Sed quum defunctorum corpora soleant aliquo operimento tecta sepeliri, quomodo Job rediit nudus in terram, quem constat cum maxima solennitate et forte pretiosis opertum in monumento locatum ? Et respondendum, quod per nuditatem signatur carentia opum ac rerum, quantum ad possessionem ; certum est autem, quod corpus exanime nihil possideat. Porro, quod terra mater hominum appelletur, patet ex Ecclesiastico in quo habetur : Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Præhabito quoque Job verbo consonat illud Apostoli ad Timotheum : Nihil intulimus in hunc mundum ; haud dubium quia nec auferre quid possumus. Verumtamen vide-

Gen. iii, 19.

Eccli. xl, 1.

1 Tim. vi, 7.

tur verbum inductum, de ventre matris carnalis posse exponi : et quod ait, Nudus revertar illuc, intelligendum erit non de ventre hujusmodi matris, sed de aliquo ei proportionabili aut simili, puta de monumento, in quo corpus post egressum de mundo latet atque quiescit, sicut ante ingressum in mundum in utero matris latuit et quievit. Quibus verbis sanctus Job ex consideratione conditionis suæ mortalis naturæ rationabiliter demonstravit, quod de rerum amissione non debuit tristitia absorberi, vinci aut dejici, quum rerum possessio accidentalis, non substantialis sit homini. Itaque magna in rerum amissione est consolatio, sapienter pensare quod aliquando nihil earum habuimus, et tandem nihil de eis habebimus. Consequenter idem demonstrat ex parte Dei, qui omnia dedit, et cujus beneplacito homo conformare se debet.

Dominus dedit, qui omnium est bonorum origo, creator, collator, qui (ut Jacobus ait) dat omnibus affluenter, et non improperat. Joannes quoque Baptista protestatur : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Per hoc autem quod ait, Dominus dedit, fassus est Job, prosperitatem mundanam opulentiamque terrenam non casualiter, neque ex fato, nec ex solo humano studio, sed ex dispensatione divina hominibus provenire. Similiter adversitates vitæ præsentis insinuans ex divinæ providentiæ fonte contingere, subdit : *Dominus abstulit,* id est, auferri permisit. Quamvis autem Job audivit sibi opes ablatas a Sabæis atque Chaldæis hominibus pravis, id tamen Deo adscripsit, sine cujus permissu et ordinatione scivit nec ista nec aliqua fieri. Rursus, quoniam res a Deo concessas nullus tenet, nisi conservante eo qui dedit, ablatio rerum quamvis sit a maligno directe et effective, Deo tamen adscribitur, juxta Scripturarum consuetudinem, quæ hominum indurationem, errorem, aversionem Deo attribuit, eo quod nemo nisi per misericordiam Dei ad pœnitentiam salubriter emolliatur, juste con-

Jacob. I, 5.

Joann. III, 27.

A versetur, ad Dominum convertatur. Hinc in Exodo Dominus ait frequenter : Indurabo cor Pharaonis. Et Psalmista ad Deum, Declinasti, inquit, semitas nostras a via tua. Et Isaias : Quare nos errare fecisti de viis tuis, indurasti corda nostra ne timeremus te? Itaque, quoniam Deus temporalia gratis dedit, potest ea ad placitum irreprehensibiliter tollere : ejus enim sunt omnia. Propter quod de earum perditione nec murmurare, nec conqueri, nec immoderanter debet homo tristari.

Exod. IV, 21; VII, 3; IX, 12; X, 1, 20, 27; XI, 10; XIV, 4, 17. Ps. XLIII, 19. Is. LXIII, 17.

B *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Ideo debeo contentari, et ejus voluntati me conformare. Amicorum namque est eadem velle et nolle : idcirco diligens Deum, de ejus dispositione secundum rationem contentus est. Sed quomodo injusta spoliatio opum, atque crudelis occisio filiorum Job, placuit Deo, cui nil impium placet? Et respondendum, quod ista Deo placuerunt eo modo et fine, quo ipse ea permisit, videlicet in quantum erant ad profectum Job, atque ob utilitatem multiplicem, non in C quantum processerunt ex impia voluntate dæmonis et hominum quos induxit ad vitia. Dicit autem Gregorius : Dum quæ nolumus patimur, necesse est ut ad Deum qui injustum nil vult, nostram voluntatem vertamus. Magna quippe est consolatio in eo quod displicet, quod Deo ordinante circa nos agitur, cui non nisi justum placet.

Sit nomen Domini nominatum *benedictum,* id est, ipse omnium Dominus, nomine nominante designatus, ab omnibus bene- D dicatur, et in se ipso sanctus, bonus, omnique bona dictione et appellatione condignus esse noscatur. Sic ergo finaliter sanctus Job verba sua in Dei laude et gratiarum actione finivit, in adversis lætatus secundum quasdam sapientiales considerationes, videlicet ut erant ex beneplacito Dei, et pro gratiæ incremento, quamvis in se ipsis contristabilia essent : quemadmodum æger de pœnali medicina secundum rationem gaudet, ut est effectiva sanitatis, et longæ pœnalitatis ablativa, quamvis sen-

Digitized by Google

sus ex objecto sibi improportionato tristetur et affligatur. Quemadmodum Gregorius scribit : Sanctus Job acriora valde vulnera ipsi Satan inflixit, quam ab eo sustinuit : quot enim voces patientiæ in laude Dei percussus reddidit, quasi tot jacula in adversarii pectus intorsit. Nos quoque contra tentatorem jacula mittimus, si tribulationibus confossi, humilia respondemus.

In omnibus his, ejus tribulationibus et adversis, *non peccavit Job labiis suis,* inordinate, impatienter, murmurose loquendo: in quo patet ejus perfectio, quia, ut dicit A Jacobus, Si quis in verbo non offendit, hic (*Jacob.* III, 2.) perfectus est vir. *Neque stultum quid contra Deum locutus est,* id est, nihil quod veræ sapientiæ, quæ est cognitio divinorum, contrariatur, expressit, sicut aliqui imperfecti et passionati, qui dum aliquid vident aut sustinent quod eis multum irrationabile et injustum videtur, de providentia Dei incipiunt dubitare ac indecentia verba effari. Non autem ignoravit beatus Job Deum esse tam bonum ac sapientem, quod nequaquam sineret fieri mala, nisi sciret, vellet et posset ex eis elicere bona.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO ALLEGORICA EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

EXPOSITORES, quos legi, parum aut nihil de mystica, id est allegorica et tropologica, expositione libri hujus scripserunt, forte quia B. Gregorius mysteria ejus diserte ac luculenter exposuit. Verum, quia Gregorius tractando diffusus atque prolixus est, nec omnibus est facultas ejus præelegantissima scripta ad manum habere, nec sic mysticum prosecutus est sensum, quin superbenignissimo ac supermunificentissimo Spiritu Sancto præstante, queant et alia dici ac aliqua addi, dicta quoque ab eo clarius exprimi; aliqua de spirituali ac mystico hujus voluminis intellectu, quantum paracletus Spiritus veritatis donaverit, scribere opto. Itaque a principio inchoandum videtur.

Vir erat in terra Hus, nomine Job. Allegoria quid credendum sit, docet : tuncque potissime intellectus allegoricus est, dum quod litteraliter de antiquis dictum est patribus Christum præfigurantibus, de Christo exponitur. Porro, ut tactum est, Job verbis, tribulationibus, virtutibus, persona et nominis interpretatione Christum præfiguravit, sicut et Jeremias ac alii multi. B Job quippe interpretatur dolens ; Hus, sapientia.

Itaque *Vir,* id est Christus, Deus et homo in una persona : qui ab instanti suæ incarnationis vir fuit, non corporis quantitate, sed virtutum perfectione, gratiarumque plenitudine ; de quo per respectum ad ejus infantiam scriptum est in Jeremia, Novum creavit Dominus super terram, mu- (*Jer.* XXXI, 22.) lier circumdabit virum ; de quo ut provectæ ætatis, in Actibus loquitur Petrus, Je- (*Act.* II, 22, 24.) sum Nazarenum, virum approbatum a Deo C signis et virtutibus et prodigiis, Deus suscitavit. *Erat in terra Hus,* id est Judææ, in qua sapientia, id est unius veri Dei cognitio cultusque, viguit, juxta quod scriptum est : Notus in Judæa Deus. (*Ps.* LXXV, 2.) Ibi enim Christus nasci et conversari ac mori elegit. *Nomine Job :* quod interpretatur dolens, id est Christus, cujus tota in hoc mundo vita doloribus plena fuit, quamvis anima ejus quoad suum supremum, in beatificæ fruitionis gaudio fuerit indesinenter ab incarnationis exordio. Hoc etenim non obstante, D ab eodem exordio cœpit humano generi compati, de ejus peccatis tristari, corporis

Digitized by Google

quoque pœnalitatibus aliquando affici; natus vero, cœpit mox multis modis affligi, persecutioneque appeti, et tandem amarissimam passus est mortem. Propter quod
Is. LIII, 2, 3. Isaias de ipso conscribit : Vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Qui ait
Ps. LXVIII, 27, 30. in Psalmo : Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Itemque : Ego sum pauper et dolens. Denique anima Christi, quantum ad vires suas supremas, ad increatum objectum comparatas, et ipsæ vires sic comparatæ, fuerunt in perfecta felicitate et gaudio fruitionis beatæ, ut dictum est, incessanter ab incarnationis momento; sed anima ejus ut corporis forma, et vires ejus supremæ ad ipsam animam, cujus erant potentiæ, et ad creata objecta relatæ, fuerunt passibiles et in doloribus multis. De corporis autem et inferiorum virium animæ Christi passibilitate ac pœnis pro tempore ejus in hoc sæculo incolatus, minor est difficultas, nullumque dubium. Ex quibus patescit, quomodo Christus in vita præsenti mortali fuit simul viator et comprehensor. Hus insuper interpretatur consiliator. Job ergo in terra Hus fuit, id est, Christus in cordibus populi consilia recta sequentis quiescit, quemadmodum in Proverbiis Christus increata Dei Patris Sapientia, conte-
Prov. VIII, 12. statur : Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.

Et erat vir ille, demonstrabilis, omni reverentia superdignissimus, *simplex et rectus :* quia secundum divinitatem, qua æqualis est Patri, est per essentiam supersimplicissima unitas, purusque actus et ipsa rectitudo seu æquitas, totius justitiæ ac virtutis regula et mensura. Porro, secundum naturam assumptam fuit simplificatus in Deo, ita quod omnes suæ animæ affectiones erant impeccabiliter ordinatæ, reductæ, confirmatæ in eo. At vero (secundum Gregorium) per rectitudinem justitia, per simplicitatem mansuetudo accipitur. Nos autem plerumque quum rectitudinem justitiæ exsequimur, mansuetudinem relinquimus ; quum mansuetudinem servare

A cupimus, a justitiæ rectitudine declinamus. Christus vero utrumque istorum in omnibus simul servavit ac optime temperavit. *Ac timens Deum,* filiali timore, ut homo, præsertim prout timor est donum, ejusque actus est Deum revereri; non autem timuit culpam incidere, sciens se confirmatum
in bono. Timor autem, qui est donum, Ps. XVIII, 10.
quoad actum qui est Deum revereri, manet in patria : unde de Christo prædictum est
in Isaia, Replebit eum spiritus timoris Do- Is. XI, 3.
mini. *Et recedens a malo* culpæ, cui nun-
B quam consensit, nec ipsum incurrit, ut
Petrus princeps Apostolorum et Isaias flos I Petr. II, 22; Act. III, 14; Is. LIII, 9.
Prophetarum testantur. Non autem recessit a malo pœnæ, id est malis pœnalibus : de
quibus fatetur, Quia repleta est malis ani- Ps. LXXXVII, 4.
ma mea. Iste recessus Christi a malo culpæ fuit perversis Judæis occasio invidiæ contra eum, quemadmodum in libro Sa-
pientiæ habetur : Dixerunt impii : Circum- Sap. II, 1, 12, 13, 16.
veniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei ha-
C bere, et filium Dei se nominat. Tanquam nugaces æstimati sumus ab eo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et gloriatur se Deum patrem habere.

Natique sunt ei, spirituali generatione per fidelium multiplicationem in susceptione Baptismatis seu infusione superni charismatis, *septem filii,* id est universitas Christianorum. Septenario enim perfectio universitasque signantur : sic namque
in Apocalypsi per septem spiritus, et in Apoc. I, 4;
Tobia per septem coram Deo adstantes, Tob. XII, 15.
D universitas angelorum exprimitur. *Et tres filiæ :* per quas specialiter designantur congregationes religiosæ, Deo in fide superbeatissimæ Trinitatis devotissime servientes. Vel, septem filii sunt catalogus Apostolorum virtutibus perfectorum ; tres filiæ, inferiorum status fidelium, ut pastorum, et continentium, ac conjugatorum. De hac Christi generatione in Isaia scriptum
est : Si posuerit animam suam pro pecca- Is. LIII, 10.
to, videbit semen longævum. Et ipsemet
Christus : Nisi quis renatus fuerit ex aqua Joann. III, 5.

Digitized by Google

et Spiritu Sancto, non potest introire in A regnum Dei.

Et fuit possessio ejus septem millia ovium. Quamvis omnia sint Christi secundum suam divinitatem jure creationis, omnia quoque ejus humanitati subjecta sint potissime ob hypostaticam ejus cum Verbo unionem, quidam tamen homines specialiter Christi esse dicuntur per prædestinationem
Joann. vi, 37. et gratiam. De quibus fatetur : Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Apostolus
Ephes. i, 4, 5. quoque ad Ephesios : Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Et ite- B rum : Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundum propositum voluntatis suæ. Hi autem secundum diversas suas proprietates atque virtutes, diversis animalium nominibus designantur, etiam interdum ad litteram, ut in Isaia,
Is. xi, 6. quo habetur : Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; vitulus, ovis et leo simul morabuntur. Itaque per oves hoc loco, innocentes et mites notantur : qui septem millia referuntur, quia septenario designatur perfectio in septemplici C dono Spiritus Sancti, quo isti ad numerum quemdam perfectum assurgunt, quem Mille insinuat. *Et tria millia camelorum.* Per camelos, gentiles vitiis torti instar cameli expressi sunt : qui per tres virtutes theologicas fidemque supergloriosæ Trinitatis ad virtutum æqualitatem venerunt ; et Christi possessio facti sunt, qui olim idolis servientes, a dæmonibus possidebantur. *Quingenta quoque juga boum.* Per boves terram arantes, intelliguntur prædicatores, audientium corda ad pœnitentiæ dolorem D divinique seminis susceptionem scindentes : quod et Paulus insinuat, illud legis
I Cor. ix, 9; Deut. xxv, 4. allegando præceptum, Non obturabis os bovi trituranti. Isti ad millenarium perducuntur : quingenta enim juga, quingenta sunt paria, scilicet mille ; quoniam vitæ perfectio per mille signata, ad aliorum doctores, pastores et prædicatores præcipue pertinet. *Et quingentæ asinæ.* Per asinas onerum ac hominum portatrices, rudes plebes audientium ac obedientium exprimuntur : quæ quingentæ feruntur, quia si mediam prædicatorum sanctorum ac magistrorum suorum perfectionem attingant, magnum est eis. *Ac familia multa nimis,* id est reliqua fidelium turba horum animalium proprietatibus non expresssa : tot namque sunt gradus, status et ordines, virtutes ac proprietates credentium, quod paucis nominibus nequeunt explicari.

Eratque vir ille magnus inter omnes orientales, id est præ cunctis electis, in splendore lucis æternæ degentibus, et fervore Solis justitiæ inflammatis. Denique ipse Christus a Zacharia Oriens appellatur, Domino prædicente : Ecce ego adducam servum meum Orientem. De quo le- Zach. iii, 8.
gitur et in Luca : Visitavit nos Oriens ex Luc. i, 78.
alto. Christus autem ut Deus, magnitudinis, id est perfectionis, est simpliciter infinitæ ; secundum assumptam quoque naturam, major, dignior sive perfectior est omnibus creaturis simul acceptis.

Et ibant filii ejus et filiæ, *et faciebant convivia,* id est, spirituales epulas cœlestis prædicationis præbebant, *per domos,* id est in diversis hominum locis, terris ac mansionibus, *unusquisque in die suo,* id est tempore sibi divinitus præordinato ; vel, In die suo, id est in mentis suæ illustratione desuper sibi facta. Sicut enim ignorantia nox cordis vocatur, ita illuminatio dies est ejus, dicente Apostolo : Nos qui diei sumus, I Thess. v, 8.
sobrii simus. Christus vero, ut in Evangelio patet, Apostolos misit ad prædicandum Matth. x, 5, 6; Act. xiii, 46, 47.
solis Judæis ante passionem ; postea misit eos ad omnes gentes, dicens : Euntes in Matth. xxviii, 19; Marc. xvi, 15.
mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Præterea in Actis docemur, quemadmodum filii Christi in primitiva Ecclesia erant simul omnia habentes Act. ii, 44-47; iv, 32, v, 1-6.
communia. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem. Septem autem diaconis ad mensas providentibus, Apostoli ministerio verbi, id est prædicationi, instabant, quilibet

Digitized by Google

utique die et hora competenti, quamvis sæpe plures die eodem. De hoc Psalmista Ps. lxvii, 4. prædixit : Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei. De spirituali quoque convivio, quod in refectione veritatis consistit, loquitur Plato in primo Timæi : Ergone, inquiens, magnifice invitatus sum hodie ?

Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis, id est, inferiores fidelium status, seu congregationes devotas, ad refectionem et consolationem invitabant internam, implentes quod ait Matth. x, 8. Salvator : Gratis accepistis, gratis date. Secundum Gregorium bene dicitur, Ut comederent et biberent cum eis : quia Scriptura aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus, in obscurioribus locis, quia quasi exponendo frangitur, spiritualiterque glutitur ; potus, in locis apertioribus, quia ita sorbetur ut invenitur.

Quumque in orbem transissent dies convivii, id est, prædicationes in locis diversis hinc inde peragerentur. Scribitur quippe Luc. x, 1. in Luca, Designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos discipulos, et misit illos binos et binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo ipse erat venturus. Quibus et prædicare præcepit ; specialiter autem direxit ad prædicandum Apostolos. *Mittebat ad eos Job :* id est, Christus Spiritus Sancti instinctum ac gratias cordibus illorum infudit, suos ubique custodiens et gubernans. *Et sanctificabat illos,* id est, a venialibus quæ quotidie incurrebant, præsertim ante Domini passionem, eos purgavit, virtutibusque ornavit. *Consurgensque diluculo.* Certum est, Christum somno diuturno non indulsisse. Consurrexit quoque diluculo, id est, mentem erexit, vel potius erectam incessabiliter tenuit ad Patrem, exsistens in lumine creato gratiæ sibi infusæ, quod ad lumen gloriæ comparatur sicut aurora ad diem seu lucem meridianam ; vel in lumine gloriæ sibi infuso, quod ad increatum Deitatis lumen se habet ut diluculum ad lucem clarissimam, atque ut imperfectum ad perfectum. *Offerebat holocausta per singulos,* id est fervidæ orationis sacrificia pro cunctis, ut decuit. Unde et scriptum est : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Ps. cxl, 2. Et in Luca inducitur : Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Luc. vi, 12. *Dicebat enim : Ne forte.* Sobrie loquitur, ad insinuandum arbitrii libertatem, sicut in Evangelio ait pater : Forsitan verebuntur filium meum. Ibid. xx, 13. *Peccaverint filii mei* spirituales, quos non ignoravit esse infirmos et fragiles ante suam passionem ; *et benedixerint Deo,* per sensum (ut dictum est) contrarium, *in cordibus suis,* id est, inhonoraverint Deum de donis sibi divinitus datis, laudem appetendo humanam, vel cogitando illicite. *Sic faciebat Job cunctis diebus.* Non dubium quin Christus quotidie oravit pro suis, quum et de ipso jam in cœlis regnante dicat Apostolus : Qui etiam interpellat pro nobis. Rom. viii, 34. Et Joannes in prima sua Canonica : Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. I Joann. ii, 1, 2.

Quadam autem die, quum venissent filii Dei ut adsisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Juxta sensum præcedenti articulo positum, istud, sicut sequentia, applicatur ad Christum. Hic tamen per quamdam diem, intelligitur tempus dominicæ incarnationis seu primi adventus Christi, quo cœpit evangelica lex proponi ac prædicari : quod quum sit tempus gratiæ, merito dies vocatur. De quo ait Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Rom. xiii, 12. Et Isaias : In die illa erit germen Is. iv, 2. Domini, scilicet Filius Dei, in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, videlicet Christus proles virginei ventris Mariæ. Unde prædixit Psalmista : Terra nostra dabit fructum suum. Ps. lxxxiv, 13. Hoc autem tempore cœperunt angeli sancti de hominum insolita conversione præcipue gratulari, atque eorum profectus Domino majestatis offerre : quo viso, Satan acerrime cœpit furere ac sævire.

Cui dixit Dominus, per Christi adventum nequitias ejus refrenans, eumque in-

crepans : *Unde venis? Ait : Circuivi terram, et perambulavi eam.* Constat totum pene mundum idololatriæ fuisse deditum, dempta Judæa, usque ad Christi et Apostolorum prædicationem : imo Christus gentilibus paucis et raro legitur prædicasse. Apostolis autem post Spiritus Sancti missionem ad gentes pergentibus, prædicantibusque eisdem, innumerabiles convertebantur gentiles. Itaque Satan usque ad Christi et Apostolorum prædicationem pene ubique ad libitum circuivit, ambulavit et conculcavit.

Dixitque Dominus ad eum : Numquid considerasti servum meum Job, id est Christum : qui secundum naturam assumptam servus Dei Patris, sed et totius superadorandæ Trinitatis, imo et sui ipsius, secundum quod Deus est, appellatur. Exinanivit enim semetipsum, formam servi accipiens, juxta Apostolum. (Philipp. II, 7.) De quo per Isaiam loquitur Deus Pater : (Is. XLII, 1.) Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Quomodo autem Deus interroget Satan, an electos suos in terra degentes consideravit, præcedenti articulo patuit. Gregorius quoque hic dicit : Dei ad Satan dicere, Numquid considerasti servum meum, hunc Job, scilicet Christum, est unigenitum Filium contra Satan in forma servi admirabilem demonstrare : eo enim quo illum tantæ virtutis in carne ostendit, superbienti adversario, quid dolens consideraret, indicavit. *Quod non sit ei similis in terra,* similitudine æqualitatis. Christus enim Deus et homo, in quantum Deus, infinite cunctis est altior; sed ut homo, habuit gratiam, virtutes et dona, secundum plenitudinem tantam, quantum capere potest natura mentis creatæ, ita quod tota capacitas fuit in eo impleta. *Homo simplex,* etc., sicut expositum est.

Cui respondit Satan : Numquid frustra timet Job, id est Christus ut homo, *Deum?* id est, timet te non propter te ex puro tui amore, sed propter dona a te sibi donata, et ne illis privetur. Satan, qui Christum tentavit, interdum suspicabatur quod Dei Filius esset homo ille, quem tantæ sanctitatis perpendit : unde tentando dicebat, Si Filius Dei es. (Matth. IV, 3, 6.) Postea aliter sensit; timere tamen et colere Deum, illum non denegavit. *Nonne tu vallasti eum,* ita quod nec Herodes potuit eum infantem occidere, nec tentator unquam ad culpam inflectere, nec Judæi ante tempus præfixum perimere; *ac domum ejus,* id est conscientiæ suæ consistorium, quam tentatio penetrare nequivit; *universamque substantiam* ejus? id est totum corpus et animam, vel spirituales ipsius opes, gratias et virtutes, quas ei nullus tollere valuit. *Operibus manuum ejus,* id est actionibus suarum virtutum ac virium activarum, *benedixisti,* ita quod in omnibus prospere et sine difficultate agit promptissime cuncta quæ cupit; *et possessio ejus,* id est spiritualium bonorum exuberantia, *crevit in terra,* ita quod prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis copiosæ. (Ps. XX, 4.) Præterea substantia Christi intelligi potest electorum collectio, quam, Deo vallante, Satan non potest dejicere, prout loquitur Christus : Oves meæ vocem meam audiunt, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere de manu Patris mei. (Joan. X, 27-29.) *Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet,* id est populos pertinentes ad ipsum, qui animalium nominibus exprimuntur, ut dictum est; *nisi in facie benedixerit tibi.* Dum Jesum Satan putavit non esse Filium Dei, seu Christum in lege promissum, sola Dei custoditum gratia æstimavit, et posse peccare putavit: ideo petiit licentiam hunc tentandi. Ac si aperte pronuntiet : Pulsatus afflictionibus, homo et peccator agnoscetur, qui in miraculis Dei Filius creditur.

Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, id est, tentationis tuæ exercitio conceduntur. Universa ista quæ habuit Christus, agmina fuerunt populi olim electi, videlicet Judæorum, præsertim adhærentium Christo : quos tamen Satan tentavit, plurimosque eorum a Christo avertit, ut Evangelistæ te-

Digitized by Google

stantur. *Tantum in eum ne extendas manum tuam.* Refrenavit quippe Dominus malignitatem Satan ac Judæorum rebellium a Christi occisione, quousque ipsemet Christus sciens tempus divinitus præstitutum adesse, sponte obtulit se ad mortem,
Joann. x, 18. quemadmodum fassus est : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam.

Quum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent, et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti : id est, quum Apostoli Christi, et ceteræ inferiorum sibi adhærentium congregationes, adhuc ante Christi passionem spiritualiter reficerentur prædicando soli populo Judæorum, di-
Matth. x, 5. cente ad eos Christo, In viam gentium ne abieritis : qui Judaicus populus respectu populi gentilis postea conversi, quasi prior, major ac primogenitus fuit; *nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos.* Per boves (ut dictum est) doctores et prædicatores signantur. Habuerunt autem Judæi, doctores, Scribas et Pharisæos, corda audientium seu simplices, qui per asinas intelliguntur, verbis legis ac Prophetarum serentes, juxta quos simpliciores quique verbo Dei utcumque reficiebantur. *Et irruerunt Sabæi,* id est dæmones tentatores. Sabæi enim, captivantes interpretantur; dæmones vero, animarum captores
II Tim. ii, 26. sunt, dicente ad Timotheum Apostolo : Resipiscant, scilicet homines mali, a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. *Tuleruntque omnia,* id est, prædictorum Judæorum animas tenebris infidelitatis ceperunt et involverunt, ita quod Christum negabant; *et pueros percusserunt gladio,* eos videlicet qui juveniles affectiones, mores et sensus per sapientiam et virtutes non transcenderunt. Unde ad Ti-
Ibid. 22. motheum dicit Apostolus : Juvenilia desideria fuge, sectare autem justitiam, caritatem et pacem. Per gladium vero acuta signatur tentatio, seu fraudulenta persua-
Ps. LVIII, 8. sio : de cujusmodi gladio scribitur, Gladius in labiis eorum. *Et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi :* quia non absolute omnes Scri-

A bæ et Pharisæi ac auditores eorum a Christo se averterunt, sed quidam eorum, quamvis pauci, sibi hæserunt. Hi per unum evadentem, ob paucitatem, notantur. Hinc per Jeremiam Deus prædixit, Salvabo vos Jer. iii, 14.
unum de civitate, et duos de populo : insinuans paucitatem Judæorum credentium Christo, comparatione eorum qui credere contempserunt. Nuntiabatur autem quid Christo, non quasi ignoranti : nam et de Joannis Baptistæ discipulis scriptum est, quod decollato Joanne venerunt et nuntia- Matth. xiv, 12.
B verunt Jesu. Gregorius autem per unum evadentem, intelligit sermonem propheticum, qui pereuntibus Judæis, sicut prædixit, ostenditur verax.

Quumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit : Ignis Dei cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit. Ignis iste de cœlo ruens, est flamma invidiæ, indignationis et iræ, de superiori parte populi Judæorum, puta de sacerdotum principibus ac magistratibus, qui cœlesti dignitate atque officio videbantur fulgere, ad
C simplices innocentesque cadens, qui per superiores præfatos decepti atque succensi sunt contra Christum. Quidam tamen pauci illorum fallacias evaserunt, qui per unum evadentem signantur. Vel ignis iste est ignis tentationis aeriarum potestatum, quæ Judæos contra Christum concitaverunt.

Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit : Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos. Chaldæi interpretantur feroces seu dirigentes : quibus signantur atrocissimi atque fictissimi illi
D persecutionis Christi auctores, ejusque tentatores, qui aliorum directores in bono videri volebant, quum fuerint directores ad malum. Isti fecerunt tres turmas, dum Pharisæi et Sadducæi ac Herodiani inter se divisi, Christum tentare aggressi sunt. Et camelos, id est non solum Judæos vitiis tortos, sed et multos gentilium, qui ad Joann. xii, 20, 21.
diem festum confluxerant, Christumque videre cupiebant, atque ad fidei susceptionem se disponebant, prout in Joanne plenius fertur, averterunt a Christo, et tra-

Digitized by Google

xerunt eosdem post se, præsertim in die Parasceves, omnibus persuadentes quod Jesus esset seductor : quanquam nonnulli illorum divinitus præservati, evaserint, qui per unum qui evasit, sunt figurati. Nec dubium quin more humano quidam adhærentium Christo, sæpe venerunt ad eum, nuntiantes sibi quæ perceperunt aut conspexerunt de concernentibus ipsum.

Adhuc loquebatur, et alius dixit : Filiis tuis et filiabus, id est Apostolis et collectionibus credentium eis subjectis, *vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,* id est in habitatione Judaicæ plebis, sanctæ prædicationis deliciis amorose utentibus, *repente ventus vehemens,* id est grandis et impetuosa tentatio, *irruit a regione deserti,* id est, de infidelium cordibus, seu dæmonum a Deo relictorum suggestionibus prodiit contra fideles, *et concussit quatuor angulos domus,* id est, Synagogam ad infidelitatem commovit : quæ Synagoga seu domus quatuor angulis stabat, id est, in sacerdotibus et Scribis, Pharisæis quoque et senioribus populi seu judicibus ordinariis sustentabatur ; *quæ corruens, oppressit liberos tuos, et mortui sunt :* quia Judæis taliter victis et prostratis a dæmonum tentamentis, ipsi Apostoli, quum Christus a Judæis comprehenderetur, carnali timore fugerunt, vitamque fidei perdiderunt. Unus tamen animus de numero credentium stetit invictus, quoniam Virgo beata nunquam in fide nutavit.

Matth. XXVI, 3, 57; XXVII, 62.

Ibid. XXVI, 56.

Tunc surrexit Job : id est, his factis et cognitis, Christus justo judicio utens, contra reprobos mentem erexit. Hic dicit Gregorius : Surgit, dum contra reprobos judicium justitiæ exserit. *Et scidit vestimenta sua,* id est, populos Judæorum, qui Deo quasi vestis aliquando adhæserunt, in duo divisit, discernens reprobos ab electis, et præscitos usque in finem relinquens, electos vero ex Synagoga gratiosius sibi nectens. Unde per Jeremiam Dominus protestatur : Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel. Et sicut nunc Ecclesia vestis est Christi, ita tunc vestis Dei fuerat Synagoga, sicut per Isaiam prædictum est : His omnibus quasi vestimento ornaberis. *Et tonso capite, corruens in terram, adoravit.* Per pilos capitis, cogitationes affectionesque cordis solent signari. Quoniam ergo Salvator relictis juste reprobis illis Judæis, pro illorum salvatione cogitationes et affectiones assumptas abjecit (aliquo enim modo ante pro eis oravit, juxta illud in Psalmo, Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam), quasi caput totondit, corruitque in terram : quia et pereuntibus naturali condolebat affectu, et usque ad infima se humiliavit. Patrem quoque adoravit, secundum quod homo, et pro gentilitate rogavit, atque pro electis Judæis, apud Joannem loquens, Non pro his, puta Apostolis et electis Judæis, rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes sint unum.

Jer. XIII, 11.

Is. XLIX, 18.

Ps. CVIII, 4.

Joann. XVII, 20, 21.

Et dixit : Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Compassionis dolorem, quo de pereuntibus Judæis Christus naturali amore affligebatur, ipse sapientissime temperavit, conformans dispositioni æternæ naturalem humanitatis affectum, et pensans quod ipse secundum quod homo, nihil habuit ex se ipso, et nisi ea quæ Deus sibi dedit ex tempore, ita quod corpore natus est nudus, pauperque rebus vixit in sæculo : ideo de illorum salvatione debuit contentari quos Deus prædestinavit salvandos per ipsum, nec de * reprobatione, ablationeve immoderanter affligi. Ideo subdit : *Dominus* Pater seu Trinitas, *dedit* eos qui salvarentur, scilicet prædestinatos : de quibus ait Christus, Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Hos enim sua pietate et merito Christi gratiose convertit ad ipsum, quemadmodum ait : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. *Dominus abstulit,* id est, reprobos juste relinquit, et ab electis discernit. *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Omnia enim quæcumque voluit Dominus,

* de aliorum

Ibid. VI, 37.

Ibid. 44.

Ps. CXXXIV, 6.

Digitized by Google

fecit in cœlo et in terra. De quo ad Ephesios ait Apostolus : Omnia operatur secundum propositum voluntatis suæ. [*Ephes.* I, 11.] Dei quippe voluntas, est prima entium causa, quæ nec irrationabilis esse potest, neque injusta, quum essentialiter sit ipsa divinæ mentis sapientia atque justitia. Sic et in Matthæo loquitur Christus : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quia sic placitum fuit ante te. [*Matth.* XI, 25, 26.] *Sit nomen Domini benedictum.* Christus secundum naturam assumptam gratias egit Deo de omni dono ejus ac dispensatione mysteriorum ipsius. Propter quod ait : Ego non quæro gloriam meam ; et : Claritatem ab hominibus non accipio. [*Joann.* VIII, 50; V, 41.] Rursusque scriptum est : Jesus elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. [*Ibid.* XI, 41.]

In omnibus his non peccavit Job, etc. A Christus namque ut Deus, impeccabilitatem habuit per naturam, sed secundum humanitatem assumptam habuit eam per gratiam consummatam et plenam : quia ab incarnationis instanti fuit confirmatus in bono sublimius quam Beati in patria, præsertim quum fuerit comprehensor, quantum ad vires suæ animæ superiores. Unde et per beatificam divinitatis fruitionem fuit immobilitatus in Deo. Ideo dixit Judæis : Quis ex vobis arguet me de peccato? [*Joann.* VIII, 46.] Et Isaias ait : Iniquitatem non fecit, nec B inventus est dolus in ore ejus. [*Is.* LIII, 9.] Porro dolus in ore quanto apud homines prudentius callet, tanto apud Deum stultius desipit. *Neque stultum quid contra Deum locutus est,* quamvis dixerint infideles Judæi, Blasphemavit. [*Matth.* XXVI, 65; *Joann.* X, 36.] Quum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, secundum Apostolum ad Philippenses. [*Philipp.* II, 6.]

ARTICULUS VI

EXPOSITIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

MORALITAS seu tropologia instruit C quid agendum, estque tropologicus sacræ sensus Scripturæ, dum ea quæ de Christo aut Sanctis scribuntur, ad nostram informationem moralem aptantur, trahuntur seu exponuntur. Porro, ut dictum est, Job interpretatur dolens ; Hus, consiliator vel sapientia. Itaque, *Vir erat in terra Hus, nomine Job.* Per quem virum moraliter designatur quicumque fidelis, salubriter dolens, sua vel proximorum peccata deplangens, cœlestis desiderio patriæ incolatum hujus exsilii deflens, pro gratia proficiendi cum lacrimis orans, Christo propter se passo cordialiter condolens : et quod omnibus majus est istis, ex pura et fervida ad Deum affectione et complacentia ejus et ex congratulatione suæ beatitudinis prorsus immensæ, pias lacrimas fundit, ac intime dolet quod Deus a suis creaturis sic inhonoratur. Qui talis est, homo consilii est, et in terra sapientiæ, id est Ecclesia militante, veraciter habitat tanquam vividum Christi membrum. Sed, ut ait Gregorius, sunt quidam qui vitam suam negligunt ; dumque transitoria appetunt, et æterna vel non intelligunt, vel intellecta parvipendunt, salubrem dolorem non sentiunt, nec sanum habere consilium curant, et esse se in bonis miseri putant. *Simplex* D *et rectus.* Quicumque enim in statu salutis est, caritatem scilicet et gratiam gratum facientem habens, simplex est intentione, et rectus in opere. *Ac timens Deum,* filiali vel saltem initiali timore. Qui timores realiter idem dicuntur, si timor habitum

Digitized by Google

nominet : non enim differunt, nisi secundum majus et minus perfectum. Qui autem solum servilem habet timorem, non est in caritate et gratia.

Natique sunt ei septem filii, id est septem dona Spiritus Sancti, secundum Gregorium, *et tres filiæ,* id est tres virtutes theologicæ, secundum eumdem. Sed quum dona et virtutes theologicæ non habeantur nisi per creationem et infusionem a Spiritu Sancto, non videntur convenienter dici filii et filiæ hominis virtuosi : filii namque et filiæ oriuntur ab eo, cujus sunt filii ac filiæ. Ad quod dicendum videtur, quod virtutes et dona frequenter sumuntur ut nominant actum ; actus autem eorum a nobis causantur, qui spiritualiter filii et filiæ appellantur. Rursus, virtutes et dona ut nominant habitum, aliquo modo filii vocantur et filiæ, in quantum homo dispositive cooperatur ad infusionem eorum.

Et fuit possessio ejus septem millia ovium. Per oves intelliguntur cogitationes et affectiones piæ, innocentes et simplices, quibus anima locupletatur super aurum et topazion. Qui enim sic cogitat atque afficitur, Deum habet se alloquentem, juxta
Prov. III, 32. illud Proverbiorum : Cum simplicibus sermocinatio ejus. *Et tria millia camelorum.* Per camelos dantur intelligi cogitationes et affectiones compassivæ, quibus nos invicem caritative supportamus, implentes
Galat. VI, 2. illud Apostoli : Alter alterius onera portate. Iterum per camelos intelligi possunt cogitationes rudes atque distortæ, quas possidemus quum per rationis censuram eas ad spiritualem subtilitatem in meditando, et ad justitiæ æqualitatem in appetendo ac operando convertimus. *Quingenta quoque juga boum.* Per boves exprimuntur considerationes judiciales ac sapientiales, quibus per rationem regimus nosmetipsos, cordisque duritiam confringentes, cordis agrum sanctis operibus fecundamus : quod totum quia agendum est per caritatis imperium et rationis judicium, boves per paria explicantur. *Et quingentæ asinæ.* Per quas curæ et occupationes circa corporis

A necessitudines denotantur, quæ ceteris viliores ac tardiores exsistunt. Cur autem oves septem millia, cameli tria millia, boves mille et asinæ quingentæ esse dicantur, ex præcedenti est trahendum articulo, ubi de horum mysterio numerorum prætactum est. *Ac familia multa nimis :* id est, cogitationes affectionesque nostræ sine numero multiplicantur, quas dum per rationem sub divinæ legis obedientia coarctamus, multam valde familiam possidemus. Qui item prædictis bonis ditatus est,
B magnus est plane *inter omnes orientales,* hoc est inter omnes qui divinæ gratiæ perfunduntur splendore, ac radio sapientiæ illustrantur.

Et ibant filii ejus et filiæ, *et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo.* Filii et filiæ eunt, dum dona et virtutes præfatæ in actus suos procedunt ; faciuntque convivia in cubilibus mentis, dum bona operatione mentem delectant, reficiunt et confortant : operatio equidem virtuosa, cibus est animæ, et delectatio
C operationi bonæ annexa refectiva est potio. Quælibet autem virtus et quodlibet donum propriam habet delectationem actui suo conjunctam : et quoniam virtutes se invicem fulciunt, juvant et roborant, imo et sibi invicem cedunt, quia nunc hujus, nunc illius virtutis insistendum est actui, prout causa, locus, tempus seu alia exigunt; una virtus et donum unum aliis facit convivium, et quælibet die suo. Denique secundum Gregorium, donum sapientiæ in die suo convivium facit, quoniam
D mentem de æternorum spe et certitudine reficit. Intellectus in die suo convivium parat, quia audita et credita penetrando cor reficit, et tenebras ejus illustrat. Consilium die suo convivium exhibet, quia dum esse præcipitem prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in suo, quia dum adversa non trepidat, trepidanti menti confidentiæ cibos apponit. Scientia in suo, quia in ventre mentis ignorantiæ jejunium superat. Pietas in suo, quoniam cordis viscera misericordiæ operibus implet. Timor

Digitized by Google

in suo, quia dum premit mentem ne de præsentibus superbiat, de futuris eam spei cibo confortat. De hoc autem septem donorum spirituali convivio, plenius dixi in tractatu de donis Spiritus Sancti, ubi et verba hæc clarius fuerunt exposita.

Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis. Septem dona theologicas tres virtutes ad epulandum secum invitant, quia eisdem connexa sunt, nec sine eis operari aliquid meritorie possunt. Quum enim sit caritas animæ vita spiritualis, certum est, nullam actionem sine caritate coram Deo vivam aut meritoriam esse : ideo omnis operatio meritoria ex caritate procedit imperative. Oportet autem in actibus meritoriis debitum ac ultimum finem intendi : quem fides menti ostendit. Ideo scriptum est, Justus ex fide vivit; et, Sine fide impossibile est placere Deo. Insuper, in cunctis quæ meritorie agimus, æternæ felicitatis exspectationem vel spem habere docemur; æternamque beatitudinem, ad quam fides nostram dirigit intentionem, spes facit esse præstolabilem ac reputari nobis possibilem. Quemadmodum autem theologicæ istæ virtutes dona actuant, dirigunt atque perficiunt, sic et perficiuntur ab eis : dona quippe ad agendum expeditas reddunt ipsas virtutes et perficiunt eas, sicut virtutes perficiunt animæ vires ad operandum.

Hebr. x, 38; xi, 6.

Quumque in orbem transissent dies convivii, id est, quum virtutes et dona multas operationes laudabiles, delectationesque mundas et confortationes produxissent in thalamo cordis, *mittebat ad eos Job :* id est, vir virtuosus salubriter dolens, rationis intuitum destinavit ad considerandum actus præfatos, an essent vere virtuosi, non solum ex genere et quoad substantiam actus, sed et proprie, et quantum ad circumstantias ad actus veraciter virtuosos exactas. Non enim sufficit facere bonum, nisi fiat et bene. Propter quod dicit Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. Et Christus : Habete, inquit, in vobis sal, id est discretionem, in omnibus. *Et sanctificabat illos,* id est, a defectuositatibus et culpis annexis purgavit, separando pretiosum a vili, verum a falso, bonum a malo. Nempe ob imperfectiones, defectuositates et culpas, quæ bonis actibus nostris jugiter admiscentur, loquitur Isaias : Facti sumus ut immundi omnes nos; quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Quidquid enim boni est, Deo cum gratiarum actione attribuamus; quidquid imperfectionis et culpæ miscetur, nostrum noscamus, et pœnitendo purgemus.

Rom. xii, 1. Marc. ix, 49. Is. lxiv, 6.

Consurgensque diluculo, id est mane alacriter luce compunctionis perfusus, et spiritualem diem mentis a pœnitentia inchoans. Justorum enim semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Diluculo quippe præteritæ noctis debemus culpas abluere, atque ad fructuose deducendum diem instantem, nosmetipsos spiritualibus armis accingere, sicut de sero elapsæ diei debemus peccata corrigere, et ad noctem virtuose expendendam cor nostrum disponere. Somnolentis autem et acediosis Salomon clamat : Usquequo, piger, dormies? quando consurges de somno tuo? *Offerebat holocausta,* id est orationes ferventes, *per singulos,* id est pro remissione culparum, cujuslibet virtutis ac doni actibus commixtarum. Itaque super custodiam nostram stemus, nec de bonis quæ agimus, inaniter gloriemur, aut stultissime tumescamus, neque vana securitate laxemur aut ignaviter torpeamus. Sed de eo quod bonum est, Deo humiliter regratiemur; de eo autem quod nostra fragilitate ac cæcitate mali admixtum est, cordialiter doleamus; timoratique simus, ne Deo reddamur ingrati, atque quotidie digne proficere ac coram Deo sollicitius ambulare nitamur.

Prov. iv, 18. Ibid. vi, 9. Habac. ii, 1. Mich. vi, 8.

Dicebat enim in corde suo, æquitatis zelator ac suæ salutis sollicitus operator : *Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint,* id est maledixerint, *Deo,* etc. Secundum Augustinum, virtus est bonus habitus animi, quo bene vivitur, quo nullus male utitur : quomodo igitur timet vir justus,

ne virtutes et dona egerint mala? Et respondendum, quod donis et virtutibus nullus male utitur directe ac immediate, sed indirecte et occasionaliter. Actus namque a virtute elicitus, semper est virtuosus; sed virtus et donum fieri possunt occasio delinquendi, non ex se, sed ex rationis et voluntatis imperfectione, utpote ratione erronee subsumente, et eo quod bonum est occasionaliter male utente, quemadmodum aliqui dicuntur se ex caritatis fervore ac nimia devotione destruere : quod non vere directe et elicitive venit ex caritatis fervore et devotione, sed rationis indiscretione atque errore. Itaque metuendum est justo, ne virtutes et dona sibi concessa peccaverint occasionaliter, id est, mala habeant sibi adjuncta, et vel magis vel minus quam debuit factum sit. Maledicunt insuper Deo, dum erigunt hominem in spiritualem superbiam, vanitatem, jactantiam, dumque operans suis viribus tribuit aut meritis, quod ex Dei pura pietate sortitus est. Præterea hostis antiquus bona nostra tribus modis insequitur. Interdum enim in principio maculat intentionem; interdum quum illam polluere nequit, inficit actionem per admixtionem passionum et negligentiarum nostrarum; quod quum facere nequit, insidiatur operi jam completo, ut inde aliquid proprii commodi, favoris aut laudis insipienter quæramus.

Sic faciebat Job cunctis diebus. Ideo monet Apostolus (*Galat.* VI, 9) : Benefacientes nolite deficere; tempore enim suo metemus non deficientes. Sola nempe perseverantia dicitur (*Matth.* X, 22) coronari, quia videlicet sine ea nulla virtus feliciter præmiatur. Itaque non solum in bono perseveremus, sed et opus Dei quotidie diligentius, perfectius atque ardentius exsequi studeamus, et quo illud exstat frequentius, eo purius vigilantiusque solvatur : alioqui torpore et damno mentis multiplici percutiemur.

Quadam autem die, quum venissent filii Dei ut adsisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Certum omnino est, singulorum justorum in hoc mundo recte dolentium per Job significatorum, angelos singulos certis vicibus de cœlo ad terras descendere, hincque illuc redire, vota, preces et merita sibi commissorum Deo offerre, opem impendere. Dæmones quoque non cessant pariter in contrarium niti, culpas objicere, ad accusandum adstare, tentandi licentiam postulare : et si Deus quemquam electorum suorum ipsi Satan laudaverit, adversarius ille non metuit bona ipsius interpretari ad malum, atque præsumere quod si a Deo permittatur laudatum tentare, cito dejiciet eum adversis, qui Deum in prosperis colere videbatur. Deus autem vallat electos in sæculo isto variis bonis, donis naturæ et gratiæ ac fortunæ, generalibus ac specialibus beneficiis multis ac meritis copiosis : quæ dæmon molitur auferre, ac per hoc tentatum ad impatientiam murmurationemque contra Deum succendere. Deus insuper electos suos permittit variis modis tentari, paulatimque gravius infestari; nunquam tamen permittit eos finaliter vinci aut prorsus perire. Itaque juxta hunc modum, perfacile est textum sequentem ad quemcumque justum per sanctum Job designatum tropologice, applicare proportionabiliter secundum expositiones præhabitas. Quæ ergo ex præinductis clarissime patent, transilio, ne nimia prolixitas tædium gignat.

Quum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent, et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti : id est, quum actus donorum atque virtutum in thalamo sapientiæ, quæ in apice intellectus consistit, ipso usu ac delectatione sapientiæ roborarentur, ac perfunderentur luce contemplationis ipsius : sapientia quippe est primum atque dignissimum septem donorum ordine perfectionis; *nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant :* id est, considerationes judiciales atque sapientiales quibus ratio regit hominem, cordisque duritiam ad pœnitentiam frangendo emollit, mentem ad condignos pœnitentiæ fructus parabant; *et asinæ,* id est occupationes et

Matth. XIII, 22. curæ circa necessitudines corporales, *pascebantur juxta eos,* id est, per rationem ordinabantur secundum exigentiam spiritualis profectus, ita quod superfluæ non fuerunt, sed implebatur illud Apostoli :
I Tim. VI, 8. Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus; *et irruerunt Sabæi,* id est dæmones animarum latrocinatores, *tuleruntque omnia,* id est, suis tentationibus animam præfatis bonis cogitationibus spoliaverunt, vel eis vana ac frivola miscuerunt, quemadmodum ait Salvator in Evan-
Luc. VIII, 11, 5, 12. gelio : Semen est verbum Dei, et volucres cœli, id est dæmones, auferunt illud ; *et pueros percusserunt gladio :* imperfectas enim boni conceptiones et affectiones gladio suæ suggestionis de facili perimunt ; pueros quoque, id est circumspectores et quasi custodes cogitationum bonarum, multoties obruunt. *Et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Iste qui solus evadit, et homini damnum quod passus est indicat, est considerativus rationis discursus, qui naturalis est rationi : quem nec peccata, nec tentatio totaliter auferunt ; per quem homo tentatus et victus pristina devotione ac opibus animæ se deprehendit privatum.

Ignis Dei cecidit de cœlo, id est, tentatio æstus carnalis, iræ, indignationis seu impatientiæ a Deo permissa, ab aeriis potestatibus est immissa : de quibus ait Apo-
Ephes. VI, 12. stolus, quod colluctatio nobis est contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus ; *et tactas oves,* id est cogitationes affectionesque pias, innocentes ac simplices, *puerosque,* id est circumspectores illarum custodes, *consumpsit.* Unum enim contrariorum, aliud corrumpit ac tollit. *Et effugi ego solus :* quia per considerativum rationis discursum istud homini innotescit.

Illo adhuc loquente. Frequenter enim, procurante diabolo, tentatio super tentationem advenit homini, ut dum deliberationis non intervenit mora, subitis ac inundantibus frangatur adversis. *Venit alius et dixit : Chaldæi,* id est dæmones ferocissimi, ad omne vitium dirigentes, *fecerunt tres turmas :* quia per se ipsos, per mundum et carnem impugnant electos. Sed et quidam illorum inducunt ad diversa peccata ; et quidam eorum occulte impugnant, quidam apertius tentant, quidam apertissime, etiam sensibiliter apparendo, interdum usque ad verbera seu terrores prosiliunt. *Et invaserunt camelos,* id est, cogitatus atque affectus compassionis ac motus olim rudes ac tortos, nunc reformatos, suis tentationibus abstulerunt.

Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti : quod modo expositum est ; *ventus vehemens,* id est impetuosa et grandis tentatio, *irruit a regione deserti,* id est a dæmonum divinitus derelictorum collegio; *et concussit quatuor angulos domus,* id est virtutes cardinales, quæ quatuor sunt, quibus interior fabrica animi virtuosi stabilitur ac sustentatur. *Quæ corruens, oppressit liberos tuos, et mortui sunt,* id est, dona Spiritus Sancti exstinxit. Virtutes namque et dona connexa sunt, potissime quantum ad esse formatum, et quocumque peccato mortali tolluntur. Istud autem percipit victus discursu rationis sibi id nuntiante, et facit quod subditur.

Tunc surrexit Job, id est, justus sic tentatione dejectus, casum suum intelligens, de ruina peccati, qua fuit jacuitque prostratus, caducis, vanis ac infimis inhærendo, per pœnitentiam consurrexit, contra hostes suæ salutis mentem erexit, ad recuperandum deperdita se armavit ; *et scidit vestimenta sua,* id est, carnes suas seu corporis membra, quibus quasi vestitur ac tegitur anima, flagellis attrivit et graviter castigavit. Debemus nempe Dei injuriam in nobismetipsis ulcisci, corpusque jejuniis, disciplinis atque laboribus virtuosis usque ad lassitudinem rationabiliter exercere. Per vestimenta quoque possunt intelligi opera, juxta quod in Apocalypsi loquitur Christus : Qui non inquinaverunt vestimenta Apoc. III, 4.
sua, ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Vestimenta hæc pœnitens scindit, quia opera quibus deliquit, destruit et abhorret. *Et tonso capite,* id est, cogita-

Digitized by Google

tionibus cordis, quibus inaniter gloriabatur, seque ornari putabat, avulsis, sentire incipit humiliter de se ipso. Ideo subditur, *corruens in terram*, Deo humillime se pro- Gen. III, 19. sternens, pulverem quoque et cinerem se Ps. XLIII, 25. esse cognoscens, juxta id Psalmi: Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster; *adoravit*, Deum pro venia flagitans, majestatem Dei et vilitatem sui perpendens. Multis enim ad recognoscendum ac revolvendum indesinenter propriam insufficientiam, defectuositatem et vilitatem atque ad omne vitium pronitatem, aliquando occasionaliter expedit tentationibus vinci, ut cautiores resurgant, ac de cetero custoditius vivant. Ideo dicit Gregorius: Mira nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpæ nonnunquam pulsatione feriatur: nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen ostenditur; et unde se timet enormiter cadere, inde accipit stare.

Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Ad vitandum absorbentem superfluumque mœrorem sive de exterioribus, sive de interioribus damnis, atque ad refocillandam spem, potest et debet quicumque fidelis per Job significatus graviterque tentatus, et damna vel temporalium rerum vel spiritualium passus bonorum, verba hæc dicere, secundum sensum quo ad litteram exposita sunt de Job, articulo tertio. Spiritualius autem loquendo, per matrem intelligitur Ecclesia; per uterum matris, Baptismus, in quo Joann. III, 5. intus renascimur, et de quo nudi egredimur, non quantum ad habitus gratiæ et virtutum atque donorum, quippe quum hæc in Baptismate infundantur, sed quantum ad actus eorum ac propria merita. Unde infantes baptizati ante discretionem decedentes, non suo, sed merito Christi salvantur. Denique propriam infirmitatem pensantes, fatemur quod nudi revertemur

A illuc, id est, sine propriis meritis decedemus, vel quia propriis viribus non habebimus ea, vel quia si habuerimus, non nobis ea, sed divinæ adscribemus clementiæ. *Dominus dedit* quidquid boni in nobis exstiterit, quum et merita nostra ejus sint dona, dicente Apostolo: Quid habes quod non ac- I Cor. IV, 7. cepisti? Et Jacobus: Omne, inquit, donum Jacob. I, 17. optimum et omne datum perfectum, desursum est descendens. *Dominus abstulit.* Dona gratiæ et virtutum Deus non aufert nisi ob nostra demerita, utpote permissive; ex- B teriora vero quandoque aufert et effective. *Sicut Domino placuit, ita factum est:* non quod nostra ruina, et tentationi succumbere directe placeat Deo; sed quod tentamur, ejus venit licentia ac permissu. Itemque in quantum electis vicissim expedit cadere, aliquo modo placet Deo eorum ruina, non ut est culpa, sed ut est ad majorem cautelam, humiliationem ac fervorem proficua. *Sit nomen Domini benedictum.* Quidquid enim mali acciderit nobis, Deo gratias referre debemus, non de ipso malo culpæ C secundum se, sed de justo Dei judicio, quo sic relinqui ac labi meruimus: maxime quoque de hoc, quod post culpam nos ex sua infinita misericordia ad pœnitentiam illustravit; quod peccantes nos non statim occidit, ad inferosque projecit, sed pro malo reddidit bonum.

In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Quia vir bonus quidquid ei contingat, qualitercumque tentetur ac superetur, Deo nequaquam debet culpam imponere, nec causam suæ ruinæ in ipsum impie retorque- D re, sicut de impiis scribitur: Quoniam de- Ps. XX, 12. clinaverunt in te mala. *Neque stultum quid contra Deum locutus est*, sed totam suæ perversæ voluntati culpam sapienter imposuit.

Postremo, quæ de donis gratiæ gratum facientis exposita sunt quoad viros fideles per Job designatos, possunt exponi et de donis gratiæ gratis datæ, ut sunt sermo sa- I Cor. XII, 8-10. pientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, linguarum ac prophetiæ, etc., quæ hominibus quandoque dispensative utiliterque tolluntur, sive ad tempus, sive jugiter:

Digitized by Google

sed et de exterioribus bonis, quoad aliquos opulentos. Quidam enim in evangelica lege tentati sunt et perpessi singulariter simi- A liter sancto Job, præsertim B. Eustachius, secundum quod Christus ei in sua conversione prædixit, ut in ejus Legenda habetur.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : FACTUM EST AUTEM QUUM QUADAM DIE VENISSENT FILII DEI, ET STARENT CORAM DOMINO.

PAULATIM ad declarandum patientiam atque constantiam sancti Job, tentatio ejus succrescit et gravior fit. Contingit nempe sæpe, virum constantem temporalium opum ablationem æquanimiter ferre, tamen prolis suæ orbationem dolorosius quam oportet deflere. Alium autem constantiorem contingit utrumque istorum patienter perferre, qui nihilo minus propter proprii corporis amarissimam afflictionem ad impatientiam concitatur. Ut ergo beatus Job perfecte constans ac patiens comprobetur, inducitur præsens capitulum, recitans quomodo propriæ personæ tribulationem dirissimam tulerit patienter. Unde et Stoici asserebant, quod in sapientem non cadit perturbatio mentis, ut propter quodcumque perturbans in eventu rerum vel filiorum aut propriæ personæ, quidpiam indecens meditetur, dicat aut faciat. Hinc decuit Job probari in periculis propriæ personæ suæque famæ atque honoris : nam et fama præponenda est opibus, diffamiaque vitanda, in quantum est aliorum scandalizativa et Dei inhonorativa.

Factum est autem quum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venissetque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan. Verba hæc præcedenti capitulo scripta sunt, tribusque præinductis articulis diffuse exposita ; nec facilibus et præexpositis arbitror immorandum. *Unde venis?* Per hoc quod Dominus ait nunc ad Satan, Unde venis? implicite superbiam ejus præ- B sumptionemque percutit, secundum Gregorium. Quasi Dominus dicat, Ecce nunc ab uno mortali homine vinceris, qui te contra Creatorem tuum erigere niteris. *Qui respondens, ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?* Totum ut supra, usque ibi. *Et adhuc retinens innocentiam,* id est cordis a culpa immunitatem, ita quod peccan- C do nec sibi nec alteri intulit nocumentum sive injuriam, etiam inter tot flagella, et post tantam tribulationem. Nam et aliqui adversa, dum inferuntur, æquanimiter tolerant ; sed eis finitis, ex sola eorum recordatione ad impatientiam inflammantur : quod ex superbia solet accidere. Talis autem non fuit Job. Unde nunc ultra præfatas ejus virtutes de innocentia quoque constanti commendatur, quam utique in prosperis gloriose servavit, gloriosius autem in adversis.

D *Tu autem commovisti me adversus eum.* Æternus et invariabilis Deus, æternaliter uno modo se habens, in quo idem sunt, esse, posse et agere, seu essentia, potentia, actio, nihil de novo concipit aut vult, nec per quemquam ad aliquid agendum provocatur, accenditur aut movetur ; sed ipse ex sua pietate loquitur in Scripturis more humano, nostræ condescendens capacitati, ut melius capiamus divina. Sicut ergo fertur irasci aut pœnitere, dum per modum

Digitized by Google

irati aut pœnitentis se habet, ita nunc dicitur commoveri, quoniam instar commoti se habuit, dum ad instantiam Satanæ virum justum tradidit impio tribulandum. Unde secundum Albertum, quum dicitur, Commovisti me, anthropospathos est: ut sit sensus, Movisti, ut tuæ eum tentationi exponerem. Homines quippe ab aliquo commoveri dicuntur, dum propter illum quidpiam agunt. Invariabilitatem autem suam Deus
Malach. III, 6. fatetur, dicens : Ego Dominus, et non mutor.

Ut affligerem, id est, a te affligi permitterem, *eum frustra*. Secundum Albertum et Thomam, quod ait, Frustra, non ad Dei, sed Satanæ intentionem refertur. Nam et Philosophus dicit : Deus et natura nil faciunt frustra. Deus etenim permisit Job tentari ad suæ patientiæ demonstrationem, gratiæ incrementum, meriti cumulum, atque ad nostram ædificationem : quod totum sic accidit, sicut Deus intendit. Satan vero tentavit, ut virum sanctum ad murmurationem blasphemiamque induceret : quod sortitus non est, imo oppositum accidit. Ideo ejus intentio est frustrata, id est fine intento privata : quia, ut dicitur secundo Physicorum, Frustra fit, quod finem intentum non obtinet, quemadmodum medicina ad quam non sequitur sanitas. Et in hoc differt a vano, quoniam vanum nec est ad finem, nec finem consequitur, ut motus digiti, quando propter nihil sine advertentia movetur. Porro opera hominis propter aliquid fiunt quinque modis, ut dicit Rabbi Moyses in tertia Collatione Ducis neutrorum. Aut enim fiunt propter bonum honestum, aut propter bonum delectabile, aut propter utile, aut propter ludum, et tunc consequuntur finem. Aut fiunt propter aliquid, et non consequuntur illud, et tunc fiunt frustra, ut quis vadit ad forum ut sumat pecuniam, quam si non acceperit, frustra ivit. Vana vero sunt, in quibus nihil intendit. In operibus autem Dei est honestum et delectabile ac utile, lusivum nihil : quia lusivus est mollis, ut dicitur septimo Ethicorum. Frustra non est, quia omnia refert ad se ipsum; nihilque vanum,

A quia in omnibus intendit se ipsum. Verba hæc sunt partim intricata et resolutionis egentia, quum et in Proverbiis increata Sapientia Unigenitus Patris dicat : Delectabar Prov. VIII,
per singulos dies, ludens coram eo omni 30, 31.
tempore, ludens in orbe terrarum. Verumtamen Gregorius tangit, quomodo quod dicitur, Frustra, possit referri ad Deum, ut dicatur afflixisse sanctum Job frustra, quia sine ejus demerito, scilicet sine culpa, quæ solet esse communis causa percussionis humanæ.

B *Cui respondit Satan, et ait.* Improbus et impudens calumniator semel repulsus ac victus, non cessat insidiari, volens adhuc probare quod Job patientiam non servavit ex Dei amore, sed amore privato, timens sibimetipsi, ne scilicet si murmuraret contra Deum, contingeret sibi sicut contigit filiis suis; sicque non propter Dei honorem, sed ob corporis sui vitam ac sanitatem servandam, fecit quæ bona apparuerunt, ita quod intentio ejus fuit semper obliqua et ad commodum corporale. Ideo C Satan ait : *Pellem pro pelle*, id est, pellem seu corporis partem duriorem, exponit homo periculo pro pelle seu corporis sui parte teneriori ac cariori, ut manum pro oculi defensione. Vel sic : Pellem pro pelle, id est, corpus alterius permittet homo æquanimiter percuti, ut proprium corpus possit a cæde eruere : per hoc insinuans, quod Job filiorum suorum mortem patienter tulit, ne propria sua caro divinitus plagaretur. *Et cuncta quæ habet homo*, omnes videlicet opes, *dabit pro anima sua*, id est D pro vita sua tuenda et conservanda. Libentius etenim exteriora amittit, quam propriam vitam, quum illa ordinentur ad corporalis vitæ sustentationem; quamvis quidam ex pertinacia malint occidi, quam sua alicui dare, dum per violentiam impetuntur, et sciunt se non posse resistere : quod (secundum Thomam) est vitiosum, quoniam minus bonum pro conservatione majoris boni est exponendum.

Alioqui, id est, si ut dico, non est, nec creditur mihi, *mitte manum tuam*, id est,

Digitized by Google

potestatem exerce, *et tange,* id est, a me A tangi desine, *os ejus et carnem,* id est, non solum circa superficiem corporis sui, sed usque ad interiora corporis distemperetur et torqueatur, *et tunc videbis,* in ipso effectu, quod nunc vides in te ipso. Deus enim quamvis a rebus notitiam nusquam accipiat, sed omnia in suæ æternæ sapientiæ conspiciat luce, sic tamen cognoscit res in se ipso, ut nihilo minus cognoscat eas in suis naturis atque effectibus, id est, in se ipso cognoscit, quando et quomodo res sunt in propriis exsistentiis ac natu- B ris, et quando ita non sunt. Vel, Videbis, id est, alios scire videreque facies : juxta illud Dei ad Abraham, Nunc cognovi quod timeas Deum, et non peperceris filio tuo. (*Gen.* xxii, 12.) *Quod in faciem benedicat tibi,* id est, palam maledicet. De istis, quia jam ante prolixe exposita sunt, transeo. Quod autem in Scripturis benedictio Dei hoc modo pro suo accipiatur contrario, constat ex eo quod tertio Regum Jezabel impiissima scripsit civibus Naboth, ut producerent contra eum testes, dicentes : Benedixit Naboth C Deo et regi. (III *Reg.* xxi, 8, 10.)

Dixit ergo Dominus ad Satan, ut ejus falsitatem ostenderet, et sancti Job declararet virtutes, præmiumque augeret : *Ecce in manu tua est,* id est, potestati tuæ eum trado tentandum et affligendum in corpore infra mortem. Non enim servos suos Dominus omnino tradit Satanæ voluntati ac potestati tentandos, sed secundum mensuram decentem ac complacentem sibi. *Verumtamen animam illius serva,* id est, animalem seu corporalem ipsius vitam non præsumas D exstinguere : quod utique, visa patientia Job, Satan fecisset, si permissus fuisset. Rabbi Moyses autem, quod dicitur, Animam illius serva, exponit de eo quod manet post mortem. Sed quia id immortificabile est, prior expositio aptior judicatur : nisi forte intelligatur de morte peccati, ut sit sensus, Animam illius serva, id est, ad peccatum eam non induces. Unde Gregorius ait : Servare Satan dicitur, irrumpere non audere. Sicut enim Deus inducere nos in tentationem dicitur, si nos induci ab adversario patiatur ; sic Satan servare animam dicitur, quum hanc tentando superare prohibetur. Itaque, sicut Deus asseritur reprobos indurare et excæcare, non quod indurationis directe sit causa, sed quia non removet eam, faciendo ejus oppositum ; (*Joann.* xii, 40 ; II *Cor.* iv, 4.) sic Satan animam a morte peccati servare nunc fertur, non quod conservationem in bono efficiat, sed quia ejus oppositum inferre nequibit. Sicque expositio Rabbi Moysis erit subtilis, intelligendo per animam usum rationis, ut scilicet Dominus innuat afflictionem non esse tantam debere, quod rationis tolleret usum. Sic quoque, ut recitat Lyra, Rabbi Salomon interpretatur.

Egressus igitur Satan a facie Domini : quod supra expositum est ; *percussit Job ulcere pessimo,* id est pœnalissimo et (ut quidam dicunt) incurabili : quod non apparet, si paulo ante per animam vita corporalis ac animalis intelligatur. Sic enim hoc ulcus mortem naturaliter intulisset, quod Dominus prohibuit Satan : nisi quis dicat, quod Dominus prohibuit ne eum subito vel in brevi necaret. Aliqui enim incurabiles morbi satis diu stant simul cum vita. *A planta pedis usque ad verticem ejus,* scilicet capitis, ita quod toto fuit corpore ulcerosus. Potuit dici de Job illud Isaiæ : A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas ; vulnus, et livor, et plaga tumens. (*Is.* i, 6.) Unde hoc loco singulare ponitur pro plurali, scilicet ulcus pro innumerabilibus pene ulceribus, sicut in Psalmo, Dixit, et venit locusta ; in Exodo quoque scribitur, Venit musca gravissima. (*Ps.* civ, 34. *Exod.* viii, 24.) Dicit autem Albertus : Ulcus calido interiori et humido putrescente, in fontes membrorum ebulliens, lepra est, ut dicit Galenus : quod pessimum dicitur, quia ex corruptione omnium generatur humorum. Puto tamen, inquit, quod fuit herpestiomenus. Ille namque corrodit carnem et ossa, secundum Galenum. Gregorius quoque ait : Duobus modis flagella pensanda sunt, scilicet qualia sint et quanta, id est quam multa et quam gravia. Sæ-

Digitized by Google

pe enim si multa sunt, levigantur, si non sint gravia; et rursus levigantur, si quum sint gravia, non sint multa. Ad insinuandum ergo acerbissimam sancti Job afflictionem, dicitur percussus ulcere pessimo, quoad qualitatem; et a calcaneo usque ad verticem, quoad quantitatem, ita quod flagella ejus fuerunt multitudine et magnitudine præacerba.

Qui testa, id est fragmento fictilis vasis, *saniem radebat,* id est, scatentes ex vulneribus humores dure deposuit, ita quod magis abrasit quam tersit; *sedens in sterquilinio.* Solent ægrotantibus remedia lenitiva exterius adhiberi, molliaque stramenta supponi, et loca amœna ac suaves odores his provideri : quorum nullo, sed eorum contrariis usus est Job, scilicet testa et fœtido loco. Quod secundum Thomam et alios, dupliciter contingere potuit. Vel quia Job fuit omnino depauperatus, cunctis suis exterioribus bonis ei ablatis. Illa enim Dominus dedit Satanæ potestati. Vel quia Job sponte auxit sibi dolorem, seque ultra necessitatem humiliavit ad patientiæ demonstrationem, et ut misericordiam Dei citius impetraret : sicut et David fugiens Absalonem, nudis pedibus flens incessit, et maledictiones atque injurias Semei patientissime tulit, ut secundo Regum libro legitur. Et apparet quibusdam, quod primum istorum sit satis probabile. Potius autem reor secundum verius esse, tum quoniam scriptum non est quod utensilia domus Job fuerunt ablata, aut domus ejus combusta; nec potuit tanta ei esse paupertas, quin alium locum faciliter invenisset quam sterquiliniosum, aptius quoque instrumentum mundandi quam testam; nec verisimile, quod vir tantæ bonitatis fuerit a suis cognatis ac vicinis, in quorum medio habitavit, ita contemptus, quin ei in mutuatione lecti et similium necessariorum libenter succurrissent. Ex maxima ergo sui ipsius humiliatione, contemptu, patientia, devotione hæc fecit. Et secundum Albertum, manum percutientis adjuvit, ne mollibus utens, levius ferret, et sub manu A disciplinantis sedit immobilis in loco fœtido et immundo.

II *Reg.* xv, 30; xvi, 5-13.

Hinc dicit Gregorius : Hoc facto patenter ostenditur, corpus suum quomodo sibi sanum Job subdidit, quod et percussum sic despiciens curavit; quam ille mollitiem suæ sanæ carni concessit, qui non vestem, non digitos, sed testam etiam vulneribus admovit. Iterum ait : Intueri libet quid est quod omnipotens Deus, quos sibi tam caros in æternum conspicit, tam vehementer quasi despiciens affligit. Ecce dum beati B Job vulnera cruciatusque considero, repente mentis oculos ad Joannem Baptistam reduco; et non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille in utero matris Spiritu Sancto impletus, sponsi amicus, quo inter natos mulierum major nemo surrexit, propheta et plus quam propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, et pro puellæ saltatu capite truncatur, ac tantæ virtutis vir pro risu turpium moritur, et pro temulenti verbis in præmium saltationis occiditur. Quid est quod omnipotens Deus C sic vehementer in hoc sæculo despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit, nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis, et foras usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit? Quid ergo illic passuri sunt quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat?

Luc. I, 15, 41; *Joann.* III, 29; *Matth.* XI, 11; *Luc.* VII, 26; *Marc.* VI, 17, 21-28.

Dixit autem illi uxor sua : quam Satan vivam reliquit, ut per eam sanctum virum tentaret, sciens quomodo viri soleant uxo- D ribus decipi : non enim videtur quin licentiam habuit auferendi uxorem, quemadmodum filios. *Adhuc permanes in simplicitate tua?* quasi dicat : Mirum est quod tot adversitatibus pressus, nondum intelligis quod simplicitas tua fuit inanis, et quod infructuosum fuit tibi simpliciter vivere. Mulier ista fuit de numero hominum imperfectorum, qui quum cernunt bonis in sæculo isto evenire adversa, malisque prospera, scandalizantur et putant inutile esse servire Deo, quasi in præsenti vita esset retribu-

Digitized by Google

tio ultimata. Contra quos Dominus ait per Malachiam : Invaluerunt super me verba vestra; et dixistis, Vanus est qui servit Domino. Et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt. *Benedic Deo, et morere.* Non consulendo, sed deridendo hoc dicit. Quasi pronuntiet: Si amplius benedixeris et gratias egeris Deo post istam adversitatem, sicut jam ante benedixisti ei post filiorum tuorum mortem, nil restat nisi ut tua augeatur afflictio, et discedas : quasi diceret, Si per oppositum malediceres Deo, viveres, et bene tibi succederet, sicut et aliis fraudulentis. Vel ex impatientia dicit hoc, ut sit sensus : Quia benedicente te Deo, tot tibi contigerunt adversa, maledic ei, et morere, quia in tanta miseria melior tibi est mors quam vita. Sicque ad desperationem ac blasphemiam provocavit.

Malach. III, 13-15.

Qui ait ad illam, instructive, quoniam vir tenetur uxori correctionem et instructionem : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es,* quia contra veram sapientiam sunt quæ dicis : et, Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. Nec ait absolute, Quasi una de mulieribus, ne vitium sexui imputetur. Nec etiam dicit, Quasi una de malis mulieribus, sed, Quasi una de stultis, ut iniquitas ejus per stultitiam quodammodo allevietur : nam et mulier hæc ex subita tentatione, animi instabilitate, feminea commotione ac rationis debilitate magis quam ex malitia videtur peccasse. Et quoniam uxor hæc non tam viro, quam divinæ providentiæ derogavit, sanctus Job Dei injuriam dissimulare non quivit, nec debuit : quoniam teste Chrysostomo, quamvis pium sit propriam injuriam æquanimiter ferre, tamen Dei injuriam impium est sustinere. Deinde contra stultitiam instruit eam. *Si,* pro Quia, *bona suscepimus de manu Domini,* id est opulentiam rerum, prolis fecunditatem, corporis sanitatem, et quidquid habemus ac sumus, et præsertim dona gratiæ in exhibitione, donaque gloriæ in promissione; *mala* pœnalia, id est adversa, *quare non sustineamus?* id est, cur ea patienter ferre non debemus? tanquam dicat : Imo debemus ea cum patientia tolerare, eo quod omnia nostra bona sint Dei dona, qui sicut sponte ac misericorditer dedit, sic libere ac juste tollere sua potest; nec nostrum est murmurare, sed in omnibus regia via incedere, ut nec prosperis inaniter erigamur, neque adversis enerviter deprimamur: quemadmodum ad Philippenses scribit Apostolus, Scio humiliari, scio et abundare. Philipp. IV, 12.
Propter quod dicit Gregorius : Magna consolatio tribulationis est, si quum adversa patimur, Dei dona ad memoriam revocemus. Hinc namque in Ecclesiastico scriptum est : In die bonorum ne immemor Eccli. XI, 27.
sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.

In omnibus his non peccavit Job labiis suis : quia nec loquenda tacuit, nec tacenda expressit. Nos autem duobus modis labiis nostris peccamus, videlicet vel injusta dicendo, aut justa tacendo.

Patet itaque ex inductis, quod undique tribulatio Job augetur. Nam ægris atque afflictis solent verba consolatoria pro relevamine dici : pro quo ipsi Job verba derisoria, invectiva et increpatoria sunt prolata, non solum a conjuge, sed a tribus quoque præcipuis suis amicis, et deinceps a quarto : per quos Satan tentat eum per derogationem honoris. Imponebant etenim sancto Job multiplicem culpam, sicut patebit.

Igitur audientes tres amici Job omne malum pœnæ, *quod accidisset ei :* tanta namque tanti viri adversitas, tam inaudita atque insolita, velociter undique vulgabatur; *venerunt singuli de loco suo.* Multos autem habuit Job amicos, sed isti ampliori, imo et specialissima amicitia fuerant ei conjuncti, sicut ex facto ostensum est. *Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites.* Isti tres viri, reges vocantur in libro Tobiæ, quo legitur : Sicut beato Job insultabant reges, ita Tobiæ Tob. II, 15.

Digitized by Google

parentes et cognati ejus. Ambrosius quoque in libro de Officiis, nominat eos reges. Illis quippe temporibus reges quidem non erant tot urbibus, locis seu villis præsidentes, ut modo communiter, prout ex libro Josue constat. Siquidem filii Israel in terra Chanaan occiderunt triginta unum reges. Unde et viri hi tres a suis urbibus seu terris cognomina sortiuntur.

Josue XII, 9-24.

Condixerant enim sibi, *ut pariter venientes, visitarent eum et consolarentur.* Et puto, quod non sine magna et condecenti familia advenerunt. In hoc autem condictu et visitatione hac ostenderunt se veros amicos, quia amicum suum in necessitate, afflictione, inopia non reliquerunt : unde et simul venerunt, ut gravissime afflictum abundantius pariter consolarentur. Hinc in Ecclesiastico habetur : Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei te ipsum : est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis. Et alibi : In tristitia viri amicus agnitus est. Denique amici præsentia et adspectus consolatorii sunt, et amicorum compassio consolativa est : quia per hanc adversitas, quæ est velut onus grave, levius fertur. Et quoniam delectabilissimum est sumere experimentum de amicitia alicujus, quod potissime accipitur ex compassione in adversis ; idcirco compassio in quantum de consolatione adducit, tantum de afflictione dirimit : tristitia namque ex admixtione delectationis alleviatur. Propter quod Ecclesiasticus ait : Amicus fidelis, protectio fortis ; qui invenit illum, invenit thesaurum. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis.

Eccli. VI, 7, 8.

Ibid. XII, 9.

Ibid. VI, 14, 16.

Quumque elevassent oculos procul, id est a tanta distantia, qua homo potest determinate per visum cognosci, *non cognoverunt eum,* per visum, propter maximam sui corporis ac vestitus et pristinæ dispositionis immutationem. Verumtamen aliunde, scilicet ex relatu, sciverunt quod ipse esset qui ita sedebat : aliter non fecissent quod subditur. *Et exclamantes,* præ

A compassionis vehementia, *ploraverunt, scissisque vestibus,* ad mœroris indicium, et ut nudato congruerent, *sparserunt pulverem super caput suum in cœlum,* id est, pulverem in aerem projiciebant, et capitibus superposuerunt, a Deo cœli consolationem poscentes, et suum affectum atque effectum affectui effectuique amici afflicti fideliter conformantes, cum humiliato et dejecto se humiliantes ac dejicientes, et malum ipsius quasi proprium æstimantes, ut amicitia vera requirit, quia et hoc præ-

B sertim lenit afflicti dolorem, dicente Gregorio : Ordo consolationis est, ut quum volumus quempiam afflictum a mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem namque non potest consolari, qui non concordat dolori : quià eo ipso quo a mœrentis dolore discrepat, minus ab illo recipitur, a quo mentis qualitate separatur. Neque enim ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur.

Et sederunt cum eo in terra : quod ma-

C gnæ exstitit humilitatis ; *septem diebus et septem noctibus :* quod magnæ fuit longanimitatis. Porro Gregorius relinquit sub dubio, an toto tempore hoc continue manserint secum, an frequenter visitaverint eum infra hos dies. Thomas vero aliique communiter dicunt, quod non continue ibi secum fuerunt, sed congruentibus horis. Verumtamen considerata magnitudine dilectionis eorum ad Job, et quomodo in aliis conformaverunt se ei, potius arbitror cum Gregorio dubitandum, quam incaute quid

D proferendum. *Et nemo ex illis loquebatur,* infra hoc tempus, *verbum* quodcumque : quum tamen amicis aspera passis soleant ab amicis eorum blanda et consolatoria dici pro relevamine pœnæ suæ. *Videbant enim dolorem esse vehementem :* unde putabant quod Job tristitia victus esset, et adversitatibus sic dejectus quod eorum consolationem non attenderet nec curaret. Vehementes equidem passiones rationem absorbere consueverunt. Unde quidam de morte suorum sic contristantur, quod con-

Digitized by Google

xxxvii. solationem nullam admittunt, sicut de Jacob in Genesi scribitur. Idcirco dixit Poeta:

> Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
> Flere vetat?

Verumtamen in Job ita non fuit, cujus perfectionem amici præfati non plene noverunt. Itaque viri isti manserunt sancto Job in principio veri amici. Hocque (ut tactum est) unum exstat remedium desolationis et pœnæ afflictorum, dum vident sibi mansisse amicos fideles : qui inter exteriora hominis bona computantur majora, juxta illud Ecclesiastici, Non est digna ponderatio auri vel argenti contra bonitatem fidei amici fidelis. *Eccli.* vi, 15.

ARTICULUS VIII

DE SPIRITUALI SEU MYSTICO EJUSDEM CAPITULI SECUNDI INTELLECTU.

MYSTICUS seu spiritualis sacræ sensus Scripturæ, triplex consistit, videlicet allegoricus, tropologicus, anagogicus. Allegorice autem interpretando præsens capitulum, hoc est de Christo, expositio ex præcedentis capituli allegorica expositione, pro maxima parte dependet ac patet. Quemadmodum enim Satan non tentavit Job sine Dei licentia ac permissu, ita nec Christum in carne mortali. Et sicut expetiit Job tentandum in propria persona, quum aliarum rerum sublationem patienter tulisset; ita quum Christum nec in tentatione in deserto incepta, nec postea vincere potuisset, nec eum esse Dei Filium ac Messiam pro certo novisset, tandem sanctissimam ac fructuosissimam ejus in hoc sæculo conversationem non ferens, expetiit ut eum in proprio corpore suo per iniquos homines vulnerare ac persequi sineretur : quod et concessum est. Nam Evangelista ait, quod diabolus misit in cor Judæ Iscariotis, ut traderet eum. Christus quoque passione instante, Venit, inquit, ad me princeps mundi, et in me non habet quidquam. Sed et iterum ait Judæis : Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere me occidendo. Rursusque trina Christi tentatione descripta, in deserto inchoata, Lucas adjecit : Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus : quo innuit quod postea rediit, non utique sine licentia permissioneque Dei. Ex his magna ex parte patescit, quomodo præsens capitulum competat Christo. Aliqua tamen difficiliora tangenda sunt.

(Sensus allegoricus. — *Matth.* iv, passim. — Joan. xiii. — *Id.* xiv. — *Id.* viii. — Luc. iv, 13.)

Ait itaque Deus ad Satan : *Commovisti me adversus eum.* Secundum Gregorium, per hoc Satan commovit Patrem adversus Christum, quod Satan in paradiso induxit primum hominem ad peccatum, pro cujus expiatione Deus Pater Christum Filium suum tentari atque occidi permisit. Verumtamen sicut præcedenti capitulo istud expositum est de Job, ita de Christo potest exponi, ut Pater loquens more humano dicat se a Satan commotum ad affligendum Christum, in quantum hoc ex rationabili causa permisit ad expetitionem Satan; et quod ait, Adversus eum, non denotat discordiam aliquam inter Patrem et Filium, sicut nec inter Deum et Job, sed quod permissio ista fuit afflictiva ipsius Christi, in quantum per eam diabolus incitavit Judæos ad Christi persecutionem. *Ut affligerem*, id est, a Judæis membris atque satellitibus tuis, o Satan, affligi permitterem, *eum frustra*, id est sine ipsius culpa, quia peccatum non fecit; vel, frustra, quoad tuam intentionem, quia persequendo in eo nil profecisti, sed potius defecisti, sicut expositum *I Petr.* ii, 22.

Digitized by Google

est plenius præcedenti articulo. Ad istud A allegat Gregorius, quod in libro Sapientiæ *Sap.* XII, 15. dicitur Deo : Quum sis justus, juste omnia disponis ; eum quoque qui non debet puniri, condemnas. Christus enim puniri pro se ipso non debuit. Pater ergo quum sit justus, omnia juste disponit : quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est, pro peccatoribus morti tradidit.

Respondit Satan : Pellem pro pelle, etc. His verbis, juxta interpretationem præhabitam, Satan vult dicere, quod licet Christus de aliorum dejectione atque periculo B per impatientiam victus non sit, vinceretur tamen per eam, si in proprio corpore usque ad ossa percuteretur, æstimans quod purus fuisset homo et Propheta dumtaxat, non etiam Dominus Prophetarum omniumque Salvator. *Alioqui mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem,* id est, flagellari eum permitte usque ad interiora. Hæc Satan quum per se fieri petiit, desiderans * dixit ; per membra sua hæc, id est, per Judæos incredulos, verbis ac desideriis intulit : sicque permissionem persequendi C Christum usque ad crucis patibulum postulavit. *Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce in manu tua est,* id est, permitto ut tua suggestione per tua membra eum af-*Rom.* VIII, 32. fligas, flagelles, occidas. Proprio enim Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ut dicit Apostolus. *Is.* LIII, 8. Ideo in Isaia ait : Propter scelus populi mei percussi eum. *Verumtamen animam illius serva,* id est, animæ ejus nequaquam nocebis, nec per passionis acerbitatem rationis in ea judicium obrues : juxta illud D *Ps.* LXXXVIII, 23. in Psalmo, Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Unde quod ait, Animam illius serva, intelligendum est potius prænuntiative quam prohibitive : quia etsi Pater tunc non prohibuisset, non tamen Satan Christi animam ad culpam unquam inducere valuisset.

* desideriis

Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, id est, Chri-*Joann.* XIX, 1. stum gravissime vulnerari ac percuti procuravit in die Parasceves per totum corpus ipsius sanctissimum, ita ut dicat percussus : O vos omnes qui transitis per viam, *Thren.* I, 1[2] attendite, et videte si est dolor similis sicut dolor meus. Dixerunt enim iniqui : Morte turpissima condemnemus eum. *Sap.* II, 2[0] *Qui testa saniem radebat :* quoniam tempore passionis sæpe proprio digito igne passionis instar testæ intus siccato atque durato, sputa et sanguinem defluentem ex oculis suis detersit. Porro, secundum Gregorium, testa saniem radebat, id est, peccatum generis humani carne sua delevit : quæ caro in passione velut testa induruit. *Ps.* XXI, 1[6] *Sedens in sterquilinio,* id est in loco Calvariæ sordido, antequam cruci affigeretur.

Dixit autem illi uxor sua, id est Synagoga, aliquando Dei sponsa, sed tunc facta adultera, diabolo consentiens et commixta : *Adhuc permanes in simplicitate,* id est stoliditate *tua ?* prout simplicitas perspicacitati intellectus opponitur. Putabat equidem perfida Synagoga, quod Jesus ex insipientia fateretur se Christum Deique Filium. *Benedic Deo,* negando te Filium ejus. Quasi dicat : Injuriam Deo fecisti, te ejus Filium perhibendo ; nunc ergo da gloriam ei, et abnega quod dixisti. *Et morere,* ne alios deinceps decipias, id est, penitus pereas. *Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Sic Christus increpavit Synagogam, dicendo : Si di- *Joann.* VIII, 55. xero quia non novi Deum, ero vobis similis, mendax. Et item quum caperetur : Tanquam ad latronem existis cum gladiis *Matth.* XXVI, 55 ; *Luc.* XXII, 52, 53. et fustibus comprehendere me ; quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus ?* Hoc Christus loquitur ex parte naturæ assumptæ, quam Deus omni creaturæ præfecit, quemadmodum in Joanne scriptum est : Sciens Jesus quia omnia de- *Joann.* XIII, 3 ; *Matth.* XI, 27 ; *Luc.* X, 22. dit ei Pater in manus. Et alibi : Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Vult itaque dicere : Quum Pater mihi omnia subjecerit, meamque humanitatem Verbo æterno unierit, cur pro hominibus mori non

Digitized by Google

debeam, pro quorum salute recuperanda, Pater tot bona mihi secundum assumptam humanitatem donavit? Non ergo propter pœnarum acerbitatem a bona simplicitate mea recedere debeo, ut Christum Deique Filium esse me negem, o insipiens Synagoga.

Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei. Quidam per istos Job sancti amicos intelligendos putant hæreticos : quod licet in sequentibus stet, tamen hoc loco non multum apparet, præsertim quum hæretici non sint Christi amici, nec ei vere condoleant, neque se passioni ipsius vere conforment. Aptius itaque reor, per istos amicos hoc loco, in quo bona egisse scribuntur, intelligi Christianos, qui ex evangelica historia seu prædicatione Ecclesiæ audientes universa quæ pro ipsis Christus pertulerit, pariter statuunt et condicunt, ut ad loca sacra ubi dominicæ passionis commemoratio agitur, veniant, et Christi passionem, quasi præsentialiter fiat, oculis suæ mentis proponant; consolenturque Christum, confitendo ejus innocentiam et suas malitias, quod item non pro suis, sed pro eorum ista patiatur peccatis; eique gratias agant, et compassionem exhibeant cordialem. A longe quoque videntes imaginem ejus in cruce erectam, quasi ipsum in cruce videant elevatum, vestimenta sua mox scindant, id est, pristina opera vitiosa, quibus se impie operuerunt, prorsus abjiciant, pœnitendoque destruant, et præ compassione exclament ac plorent. Sed et super capita sua pulverem spargant, id est, cogitationes, affectiones, et actus humilitatis ac pœnitentiæ cruciformisque conversationis, suis superjaciant cordibus. Insuper sedeant secum, de se ipsis humilia sentiendo, a mundi inquietudinibus recedendo, meditationibus insistendo, *septem diebus et septem noctibus,* id est per omne tempus vitæ suæ in sæculo isto, omni videlicet die et nocte et congruentibus horis : septenario nempe universitas designatur. Nemo quoque loquitur ei verbum de non patiendo seu passione

A et morte vitanda, ne audiat quod Christus Petro passionis vitationem persuadenti locutus est : Vade retro me, Satana; non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. (*Matth.* XVI, 23; *Marc.* VIII, 33.)

(Sensus tropologicus.) Præterea quæ de tropologico hujus capituli intellectu dici possent, videntur mihi ex dictis patere; congruitque brevitati studere. Cuilibet equidem justo quem Deus aliquando permisit tentari, nec desiit suffragari, sed vincere fecit, possunt prædicta secundum sensum de Job positum applicari. Videns etenim Satan aliquem divitia-B rum suarum ac omnium ad se pertinentium ablationem forti patientia ferre, atque in Dei reverentia permanere, petit a Domino ut permittat talem in propria persona infirmitatibus ac doloribus intime affici, præsumens quod talia sine impatientia et murmuratione non patietur; conceditque Dominus sic fieri. Porro vir justus et timoratus sciens Deum dixisse, Ego quos amo, arguo et castigo (*Apoc.* III, 19), et quod multa graviora pati meruerit uno peccato mortali, quam sint cuncta mundi hujus supplicia, C patientiam grata mente conservat, manumque juvat cædentis, et pro viribus, actibus pœnitentiæ se exercet, simul et illud Apostoli pensans : Quia si compatimur, et conregnabimus (II *Tim.* II, 12), et quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam patientibus dandam (*Rom.* VIII, 17, 18). Itaque *testa saniem* radit, id est, pœnitentiali rigore ac justa districtione vitiorum suorum putredinem delet; *sedens in sterquilinio,* id est, in propriæ vilitatis vel immundæ vitæ prioris carnalis profunda consideratione D quiescens, non in alto elationis ac vanitatis se ponens, sed cogitans, Quid superbit terra et cinis? (*Eccli.* X, 9.) Cur contra Deum insanit peccator? Cur vermis tam fragilis sibi quidquam nisi defectuositatem omnem adscribit?

Cui frequenter loquitur uxor sua, id est carnalis cognatio, aut sæcularis prudentia, seu passio appetitivæ potentiæ sensitivæ : *Adhuc permanes in simplicitate tua?* Carnales namque et sæculares passionatique animi motus, non intelligentes quæ Dei

Digitized by Google

sunt, dum justo ac pœnitenti vident aut sentiunt adversa contingere, putant supervacuum esse virtutibus insudare, et concupiscentiis eligunt consentire, vanitatibusque vacare. Hanc sensualitatem carnalemque sensum et falsam prudentiam ratio increpet atque erudiat, dicens : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Stulti quippe non nisi præsentia ac apparentia solent attendere; sapientium vero est, oculos cordis ad futura dirigere, ad interiora convertere, æternis infigere. *Si bona suscepimus de manu,* id est liberalitate omnipotentiæ, *Domini, mala quare non sustineamus?*

Postremo, tres amici istius afflicti, qui audientes quæ passus sit, condicunt sibi ut pariter venientes consolentur et visitent eum, intelligi possunt triplex hominum status, vel triplex sapientia, utpote intellectus seu actualis intellectio legis tripartitæ, videlicet legis naturalis et scriptæ ac evangelicæ : quarum quælibet proponit remedia adversitatum consolativa, potissime intellectus evangelicæ legis, in qua quisque tanto prædicatur beatior, quanto propter Deum patienter afflictior. Isti amici exclamant, plorant, vestesque scindunt, et pulverem capiti superponunt, quoniam vires animæ sic agere faciunt juxta sensus prætactos. Postremo, isti amici intelligi queunt intellectus, affectus, memoria. Intellectus consolatur per sapien-

A tiam, futurique præmii considerationem, et intuendo quantus in æquanimi adversitatum tolerantia consistat profectus. Affectus seu ipse intellectivus appetitus, qui voluntas vocatur, consolatur per caritatem, jubens omnia patientissime ferri ex puro Dei amore, quoniam ei sic placet, et quoniam sæpe offendimus eum, atque ut Christo aliqualiter conformemur, in gratia quoque nunc et tandem in gloria concrescamus. Memoria seu vigor memorativus consolatur, ad mentem reducens quanta

B passus sit Christus, et omnes electi, qui frequenter quo suo Creatori cariores fuerunt, eo duriora perpessi sunt. Isti sunt interiores nostri amici, in quos dolor animæ nostræ redundat, residentque constanter cum ea, vestes suas scindentes, id est actiones sibi ante delectabiles penitus abhorrentes ac abjectantes : sed et pulverem sibi protinus superponunt, quia recordationibus, cogitatibus, affectibusque ad humilia et abjecta spectantibus simul intendunt; qui consolationem quoque interdum

C ad tempus suspendunt, horam congruam præstolantes, quousque consolationis mens fiat capacior.

Hæc de mysticis intellectibus tetigisse potius quam determinasse sufficiat. Gregorius autem mysteria spiritualis intelligentiæ prosequitur copiose, alios ponens sensus quam istos quos tetigi.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : POST HÆC APERUIT JOB OS SUUM, ET MALEDIXIT DIEI SUO.

ELUCIDANDUM modo capitulum, difficultatibus plenum est. Circa cujus expositionem doctores sancti et magni atque catholici satis diversimode scripsisse atque sensisse monstrantur : quorum in primis positiones compendiosius quo potero, referre intendo. Beatus ergo Grego-

D rius, qui librum istum asserit ante se indiscussum fuisse, eumque præclare exponit litteraliter, quantum fieri posse existimat, allegorice quoque et tropologice, protestatur multa in libro hoc contineri, præsertim in isto capitulo, quæ ad litteram exponi nequeunt. Porro S. Thomas et quidam eum

Digitized by Google

sequentes, exponi posse hæc dicunt ad litteram, litteraliterque exponunt. Alberti autem Magni expositio videtur hinc inde obscura, sicut patebit. Videtur demum sentire litteraliter posse ista exponi, quamvis expositionem hujusmodi non admodum lucide prosequatur.

Primo igitur ponenda sunt motiva Gregorii, ejusque interpretatio inducenda. Itaque ait in prologo primi voluminis super Job : Aliquando, ne intelligi juxta litteram debeant, ipsa se litteræ verba impugnant. Ait namque, Pereat dies in qua natus sum, etc., qui dies jam evolutus, stare non poterat : quomodo ergo hunc perire et involvi caligine optat? In exordio autem quarti libri Moralium, ubi verba hæc exponere incepit, ait : Ecce quod beatus Job diei suo maledixisse describitur. Si superficie tenus attenditur, quid his verbis reprehensibilius invenitur? Hinc refert, quod istud nullo modo de die sensibili dicitur, quia et multa secundum litteram impossibilia subsequuntur, ut quod ait, Dies illa vertatur in tenebras, et involvatur amaritudine. Sit nox illa solitaria. Exspectet lucem, etc. Multa quoque secundum Gregorium, impossibilitatem litteraliter continent et irrationabiliter sonant, imo videntur verba hominis non solum impatientis, sed insuper desperantis, sicut quum ait : Quare non in vulva mortuus sum? etc. Hinc infert Gregorius : Quia igitur verba hæc in superficie a ratione discordant, ipsa jam littera indicat, quod in eis sanctus vir juxta litteram nihil dicat. Ponenda ergo nunc est expositio S. Gregorii.

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et dixit : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo. Solerter intuendum est quod dicitur, Post hæc, ut virtus rei quæ agitur, veraciter ex tempore sentiatur. Prius namque rerum ablatio, filiorum exstinctio, corporis læsio, persuasio conjugis, amicorum adventus, et quid egerunt, atque quod ibidem septem diebus sederunt, describitur ; deinde subjungitur, Post hæc aperuit Job os suum, etc., ut ipso narrationis ordine perpendatur, quod maledictum nequaquam per impatientiam protulit. Si enim ira motus malediceret, auditis et illatis prædictis incommodis maledixisset ; in quibus tamen gratias egit, conjugem increpavit, atque ad patientiam erudivit. Mente ergo quieta hæc dixit, qui tot Dei laudes etiam percussus pronuntiavit. Sciendum vero, quod secundum Scripturam maledictio duobus fit modis, scilicet bene, quando profertur zelo seu judicio justitiæ ; et male, quando profertur livore vindictæ. Primo modo Dominus ait in Genesi : Maledicta terra in opere tuo. Et Dominus loquitur Abrahæ : Maledicam maledicentibus tibi. Hac specie maledicendi viri sancti utuntur, ut quum Petrus ait Simoni mago : Pecunia tua tecum sit in perditionem. Atque Elias quarto Regum quinquagenariis dixit : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et consumat vos. Talis est etiam maledictio sancti Job ; nec est ira commoti, sed doctrina tranquilli. Vidit quippe amicos flere, et cetera quæ scripta sunt, facere, et inspexit quod hi qui temporalia exquirebant, ex comparatione suæ mentis se temporali adversitate fractum crediderant. Perspexit, quod se transitoria afflictione percussum desperate non flerent, nisi mentem a spe incolumitatis internæ subtraherent : sicque dum erumpit [foras] in vocem doloris, [vulneratis intus] ostendit virtutem medicaminis, dicens :

(Gen. III, 17. — Ibid. XII, 3. — Act. VIII, 20. — IV Reg. I, 10, 12.)

Pereat dies in qua natus sum. Quid enim per diem nativitatis, nisi omne hoc tempus nostræ mortalitatis exprimitur? quod quamdiu nos in hac mortalitate tenet, æternitatis nobis incommutabilitas non apparet : quam qui desiderat, ægre diem suæ mortalitatis sustinet. Quid ergo est diei nativitatis maledicere, nisi aperte dicere, Dies mutabilitatis pereat, et lumen æternitatis erumpat? Sed quia perire dupliciter dicitur, primo, ut quod perit, omnino non sit, secundo, ut male sit ; hoc, quod de die hoc subditur, Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine, clare ostenditur quod

Digitized by Google

dies perire optatur, non ut non sit, sed ut male sit: involvi enim amaritudine nequit, quod omnino non est. Tempus autem tandem omnino non erit, sicque peribit, ut prorsus non sit, sicut in Apocalypsi angelus ait: Quia tempus ultra non erit. Quem ergo vir sanctus nomine diei exprimere voluit, nisi apostatam spiritum, qui in vitali essentia etiam moriendo morte damnationis et culpæ subsistit? Qui optatur ut pereat, quatenus dignis retrusus suppliciis, etiam tentandi licentiam perdat. Qui antiquus hostis, dies est per naturam bene conditus, et prospera promittendo, atque in angelum lucis se transfigurando; sed nox est per demerita ad tenebras lapsus, et ad adversa perducendo ac animas obscurando. Job ergo in dolore proprio causam totius humani generis deflens, et nil speciale in speciali suo vulnere cogitans, reducat ad animum culpam originalem, et dicat: Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo. Ac si aperte dicat: Pereat spes ab apostata angelo illata, qua dixit, Eritis sicut dii: qui ex promissione divinitatis diem se simulans, noctem se exhibuit, lucem nobis nostræ immortalitatis obscurans. Quasi dicat: Pereat antiquus hostis, qui falsam lucem promissionis ostendit, et peccati tenebras contulit.

Apoc. x, 6. — II Cor. xi, 14. — Gen. iii, 5.

*Dies illa** *vertatur in tenebras,* id est, ab eis qui eam vere diem putabant aut putant, qualis sit, utpote tenebrosa et impia, cognoscatur. Quum enim dæmonem se in angelum lucis transfigurantem, angelum æstimamus, et ea quæ sub specie boni proponit, bona putamus, Satan et ejus tentatio quasi dies est nobis; quum vero cœlitus illustrati recte discernimus, et prava ac ficta qualia sint intuemur, dies in tenebras vertitur. *Non requirat eum Deus desuper,* id est, apostatam spiritum ad pœnitentiam ac salutem non revocet nec reducat. Quum enim Deus omnipotens duas ad cognoscendum se creaturas fecisset, angelicam et humanam, et utraque per superbiam corruisset, redemit humanam: quoniam carnem habens, in perpetratione culpæ aliquid de carnis habuit infirmitate, et quia non sua sed aliena malitia, scilicet dæmonis machinatione, peccavit: quorum nullum in apostata angelo fuit. Ideo Deus eum ad salutem non requisivit. *Et non illustretur lumine* gratiæ gratum facientis aut gloriæ; nec unquam lumen pristini status recipiat, quia hoc etiam non suasus amisit. *Obscurent eum tenebræ* cæcitatis et obstinationis, *et umbra mortis,* id est, æternæ oblivioni tradatur. Per umbram enim mortis designatur oblivio, quoniam sicut mors interimit vitam, ita oblivio exstinguit memoriam. *Occupet eum caligo* erroris, *et involvatur amaritudine* supplicii gehennalis.

* alias *ille*

Noctem illam, id est apostatam hunc vere teterrimum, *tenebrosus turbo possideat,* id est, ignis conflagrationis et tempestas, quæ in die judicii erit, pertrahant ad infernum. Scriptum est enim: Ignis in conspectu ejus, scilicet Christi judicis, exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. *Non computetur in diebus anni,* id est inter mentes quibus supernæ gratiæ prædicatio exhibetur, intelligendo per diem, mentem cui lux gratiæ communicatur; per annum, supernæ gratiæ prædicationem, sicut per Isaiam loquitur Christus: Spiritus Domini super me, ut prædicarem annum placabilem Domino. *Nec numeretur in mensibus,* id est inter particulares electorum Ecclesias, quæ catholicam unam constituunt. Sicut enim ex diebus fit mensis, sic ex pluribus Christi fidelibus resultat Ecclesia. *Sit nox illa solitaria,* id est, societate hominis, quem tentavit, atque angelico privetur consortio; *nec laude digna:* imo omni vituperio digna consistit, quæ quum ceciderit, non adjicit ut resurgat, et inconvertibiliter a Deo aversa est. *Maledicant ei,* id est zelo justitiæ, seu rationis judicio, *qui maledicunt diei,* id est angeli sancti, qui dæmoni diem se simulanti maledixerunt, quando in cœlo peccavit, et cecidit, nuncque maledicunt eidem; *qui parati sunt suscitare Leviathan.* Leviathan interpretatur, additamentum

Ps. xlix. — Is. lxi, 1. — Ps. xl.

eorum. Quo nomine Satanas designatur, A qui hominibus culpis prioribus alias augere non cessat : quem angeli nunc frenant ac comprimunt ; circa diem autem judicii hunc relaxabunt, sicque eum suscitare dicuntur.

Obscurentur stellæ caligine ejus. Quandoque per stellas virtuosi, æquitate vera splendentes, interdum hypocritæ, qui ante hominum oculos velut magnis operibus lucent, notantur. Hi ergo hypocritæ caligine Satanæ obscurantur, dum in suis erroribus confunduntur, et tales foras homi- B nibus innotescunt, quales intus coram Deo consistunt, videlicet ficti et vani. *Exspectet lucem, et non videat.* Hoc ad mysticum diaboli corpus refertur, eos videlicet, qui fide, non opere Christiani sunt; et Christum, qui ait, Ego sum lux mundi, exspectant, quem in die judicii hilariter non videbunt, neque secundum divinitatem ipsius. *Nec ortum surgentis auroræ,* id est splendorem Ecclesiæ electorum, quem in die judicii sortietur, per quem consurget ad lucem æternam beatifice intuendam. C Aurora quippe est Ecclesia, quæ pristinæ pravitatis tenebras deserit, seque in novi luminis fulgorem vertit : cujus claritatis exordium et gloriam reprobi non videbunt, quum cœperint in infernum demergi. *Quia non conclusit,* id est, quia aperuit nec clausa reliquit, *ostia ventris qui portavit me,* id est januam paradisi, ex quo humanum prodiit genus, ubi et conceptio nostra coaluit, hominumque origo, scilicet primus homo, habitavit. Hanc januam diabolus aperuit, dum hominem primum induxit D ad culpam, propter quod fuit ejectus. *Nec abstulit,* id est, auferri mihi non permisit, sed irrogavit, *mala* culpæ, et ex consequenti mala pœnæ, *oculis meis* interioribus, seu mihimetipsi. Invidia namque diaboli mors intravit in orbem terrarum.

Joann. VIII, 12.

Sap. II, 24.

Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Absit nos credere, quod beatus Job tanta scientia præditus, abortivum se optet interisse; sed intus pensanda sunt pondera suæ locutionis. Quatuor etenim modis peccatum perpetratur in corde, et quatuor modis in opere. In corde videlicet suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia. Fit namque suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Quatuor etiam modis peccatum in opere consummatur. Primo enim peccatur latenter, deinde aperte sine rubore, tertio per consuetudinem, quarto dum culpa vel nimia præsumptione de divina clementia vel desperatione nutritur. Job ergo humani generis lapsus adspiciat, et quibus præcipitiis mersum sit in foveam iniquitatis perpendat, dicens : Quare non in vulva mortuus sum? id est, cur non solum peccavi primo modo peccandi, sive in corde, sive in opere, ita quod aliis vitiorum modis spiritualiter non obiissem, sicque in vulva, id est in prima suggestione tantummodo, mortuus essem? Egressus ex utero non statim perii? id est, cur ad secundum genus peccati perductus sum? vel cur in illo non potius dumtaxat spiritualiter perii, quam ad tertium malum deveni? Cur exceptus genibus, id est pravis consuetudinibus in vitiis sustentatus, seu tertio modo peccandi adjunctus? Cur lactatus uberibus, id est, audacia defendendi peccatum, seu præsumptione immoderata de misericordia Dei aut desperatione nutrivi me in peccatis, atque ad quartum modum peccandi delapsus sum? Hæc in persona generis humani dicuntur, sicut quod subditur.

Nunc enim dormiens, dormitione quietis beatæ, *silerem* ab inquietudinibus vitæ præsentis, eis carendo, *et somno meo,* qui est felix obdormitio mentis in Deo, *requiescerem cum regibus et consulibus terræ,* id est cum angelis sanctis, per quos Ecclesia militans regitur, optimisque consiliis per internos instinctus docetur et admonetur. Si enim homo præfata non incidisset peccata, non sustineret mala pœnalia, quæ in illorum ultione constat inflicta : siquidem

Digitized by Google

originale peccatum, totius nostræ afflictionis fuit origo. *Qui ædificant sibi solitudines,* (Luc. x, 42.) id est, in illo uno quod solum necessarium est, mentis mansiones defigunt, nec quidquam distrahentiæ patiuntur : quia etsi circa plura versantur, cuncta tamen ad unum sine evagatione animi ordinant ; sicque in solitudinibus mentis sunt, id est in liberrimis abstractionibus ab omni impedimento pluralitatis, contemplationem beatificam impedientis. Omnes autem qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde premuntur. At contra sancti viri, quoniam nihil hujus sæculi appetunt, nullis in corde tumultibus comprimuntur : omnes quippe inordinatos desideriorum motus, a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt ; et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes insolentias cogitationum non patiuntur : solam namque æternam patriam appetunt ; et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate fruuntur. *Aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento.* Principes isti sunt efficaces rectores Ecclesiæ, qui domos conscientiarum suarum per aurum, id est sapientiam, ditant, easque argento, id est sacris Scripturarum implent eloquiis. Quod enim per aurum sapientia denotetur, Salomon testatur, dicendo : (Prov. xxi, 20.) Thesaurus desiderabilis in ore sapientis. Joannes quoque in Apocalypsi : (Apoc. iii, 18.) Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum : quod per obedientiam emitur, prout in Ecclesiastico scriptum est, (Eccli. i, 33.) Fili, concupiscens sapientiam, serva mandata, et Deus præbebit illam tibi. Quod vero sacra eloquia per argentum signentur, Psalmista docet, concinens : (Ps. xi, 7.) Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne probatum.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem. Per abortivum intelligit electos qui a principio mundi ante Christi adventum fuerunt, et tamen scriptam legem non habentes, per legem naturalem Deum timere, et mundo ac voluptatibus se mortuos exhibere curaverunt : qui et absconditi referuntur, quia quum multi valde exstiterunt, paucorum ad nos devenit notitia. Cum his, si non intervenisset transgressio, quievisset vir sanctus, nec in vitæ hujus substitisset tantis miseriis. *Vel qui concepti non viderunt lucem.* Per quos intelligit patres veteris Testamenti, qui per legem scriptam spiritualiter Deo concepti, sive ad Christum dispositi, lucem tamen quæ est Christus, in carne assumpta corporaliter non viderunt. De quibus ipsemet in Evangelio ait discipulis : (Matth. xiii, 17.) Multi justi et Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt.

Ibi, videlicet in luce seu Christo, *impii,* id est gentiles per apostolicam prædicationem conversi, *cessaverunt a tumultu* vitiorum pristinæ gentilitatis. De quibus in libro Sapientiæ legitur : (Sap. xiv, 24, 26.) Neque vitam neque nuptias mundas custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat ; et omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, perjurium, tumultus, bonorum Domini immemoratio, animarum inquinatio. *Et ibi requieverunt,* id est, in onere Christi levi et jugo ejus suavi, (Matth. xi, 30.) *fessi robore,* id est a propria fortitudine deficientes, et in solo Dei auxilio confidentes. Quibus clamat Christus lux vera : (Ibid. 28, 29.) Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; et invenietis requiem animabus vestris. Hi ergo divinis obediendo præceptis, in virtutum actibus, in exspectatione et contemplatione cœlestium, in supernæ visitationis consolatione et gratia dulciter conquiescunt, a se ipsis deficientes, atque in Deo convalescentes. *Et quondam vincti,* id est, qui aliquando vitiorum vinculis stringebantur, Salomone dicente : (Prov. v, 22.) Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur ; *pariter,* ibi requieverunt, *sine molestia :* quod fit, dum carne mortali quæ aggravat animam, et deprimit sensum multa cogitantem, (Sap. ix, 15.) relicta, ad lucem beatificæ visionis pertingunt, ubi jam nulla esse po-

Digitized by Google

test molestia. *Non exaudierunt vocem exactoris,* id est, suggestioni non consenserunt dæmonis tentatoris, qui humano generi in paradiso semel scilicet nummum deceptionis contulit, et ab hoc quotidie expetere mortis debitum non desistit.

Magnus et parvus ibi sunt : quia in requie Beatorum luceque Christi superiores et inferiores, perfectiores et minus perfecti consistunt, qui ibi differunt gradibus præmiorum, sicut hic differebant gradibus meritorum. Propter quod ait Salvator : Joann. xiv, 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Et servus liber a domino suo :* id est, qui in hac vita quandoque servivit peccato, et subditus fuit iniquo, conversusque pœnitentiam egit condignam, ibi liber est ab hoc infelici dominio : nihilo minus manet in eo memoria culpæ aliquando habitæ et commissæ. Si enim nulla ibi homo peccati sui memoria tangitur, unde ereptum se lætatur ? aut quomodo gratias agit Deo de venia sibi concessa ? Sed sciendum, quia sicut nunc sæpe tristium læti reminiscimur, videlicet pristinæ infirmitatis tempore sanitatis, ita tunc transactæ nequitiæ sine læsione beatitudinis recordabimur.

Quare data est misero, id est homini qui se in sæculo isto miserum exsulemque perpendit, et ad patriam sitit ac properat, *lux,* id est temporalis prosperitas honorisve claritas; *et vita,* id est, sæculo et hominibus vivere, dominari, præesse, gloriamque humanam habere, *his qui in amaritudine animæ sunt ?* id est, qui bonis doloribus se ipsos afficiunt, peccata lugendo, suum exsilium et patriæ carentiam deplorando : talibus enim molestissimum est vivere mundo, præesse ac honorari, in quantum per hoc a contemplationis quiete præpediuntur, ac diversimode distrahuntur. Electis quoque Deum et superna promissa toto corde quærentibus, suspecta et gravis est temporalis prosperitas, magisque metuunt prospera quam adversa. Quum enim valde occulta sint Dei judicia, dum in hac vita quandoque bonis male est, et malis bene, tunc tamen sunt occultiora, quum et bonis

A bene est, et malis male. Quum enim bonis male est, hoc contingit ut hic a peccatis suis purgentur, vel gratia ampliori ditentur ; aut simili ratione et malis hic bene est, ut pro bonis quæ forte egerunt, nunc remunerentur. At quum bonis hic bene est, et malis male, incertum valde fit, utrum boni idcirco bona accipiant, ut provocati ad aliquid melius crescant, an justo latentique judicio hic suorum operum remunerationem accipiant, ut a sequentis vitæ præmiis inanescant ; et utrum malos B idcirco adversa feriant, ut ab æternis suppliciis corrigentia eos defendant, an hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda, eos ad ultima gehennæ tormenta perducat. Quia igitur inter divina judicia gravi incertitudinis suæ caligine humana mens premitur, sancti viri quum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur.

Qui exspectant mortem, id est, quotidie huic sæculo cupiunt funditus mortificari, omnique temporali gloriæ mori, *et non venit :* C quia interdum occulto Dei judicio præesse vel in cunctis occupari honoribus compelluntur : quod tamen ex Dei timore tolerant et inviti ; *quasi effodientes thesaurum :* id est, cum magno fervore mortificationem hanc cupiunt, tantoque fortius, quanto vident suo se fini plus propinquare, quemadmodum effodientes thesaurum, quo profundius foderint, eo ad laborem instantius exardescunt. *Gaudentque vehementer quum invenerint sepulcrum,* id est contemplationis absconditum et quietis D secretum, quo anima absconditur mundo, sicut corpus sepulcro. De talibus scribit Apostolus : Mortui enim estis, et vita vestra Coloss. III, 3. abscondita est cum Christo in Deo. Et Psalmista : Abscondes eos in abscondito vultus Ps. xxx, 21. tui a conturbatione hominum.

Itaque, cur data est misero lux ? utpote *viro cujus abscondita est via,* id est, qui nescit qualiter vitam suam, quæ via est qua itur ad aliud sæculum, terminabit ; qui etiam nescit qualis cras erit ; qui etiam nescit an quæ recte agere credit, coram

Deo sint vere recta ac placita. Sæpius enim opus nostrum causa est nostræ damnationis, quod putamus esse provectum virtutis; sæpeque Deus ad iram instigatur, unde placari speratur, Salomone dicente: [Prov. xiv, 12.] Est via quæ videtur homini bona, et novissima ejus ducunt ad mortem. *Et circumdedit eum Deus tenebris* prædictæ ignorantiæ et incertitudinis: qui et licet cœlesti desiderio ferveat, quid tamen de eo apud Deum dispositum sit, ignorat. Itaque, cur tali homini lux temporalis prosperitatis arridet, qui sub qua æstimatione sit judicis, nescit?

Antequam comedam, suspiro. Comedere namque animæ, est supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat: quia prius gemitu tribulationis afficitur, et postmodum contemplationis refectione satiatur. Nisi enim suspiret, non comedit: quia qui se in hoc exsilio per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat; et a veritatis pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. *Et quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus:* id est, vox doloris et lamentationis meæ, quam ex interiori mœrore emisi, magna et vehemens est, quemadmodum aquæ inundantes cum impetu veniunt et tumescunt. Electi quippe, dum mentis suæ oculis judicia divina proponunt, et de occulta super se summi Judicis sententia trepidant; dum se ad Deum pervenire posse confidunt, et tamen ne non perveniant metuunt; dum peccata sua præterita recolunt quæ deplorant, et quæ sibi adhuc futura sunt nesciunt: quasi quædam volumina, id est abundantiæ cogitationum, curarum et affectionum instar aquarum nascuntur, quæ in mœroris rugitus quasi in subjectiora littora defluunt. *Quia timor quem timebam,* id est formidatus effectus, *evenit mihi; et quod verebar, accidit* mihi. Justus nil amplius quam displicere Deo aut relinqui ab eo formidat. Unde in ipsis flagellis justi timore turbantur, ne forte malum quod patiuntur, non pia disciplinæ correctio sit, sed animadversio justa vindictæ. Ideo dicit Psalmista: [Ps. lxxxix, 11.] Quis novit potestatem iræ tuæ, etc.? Qualis vero sanctus Job fuit in potestate, subjungitur. *Nonne dissimulavi?* id est, per potestatem et auctoritatem me ipsum non extuli, nec iracundiæ locum dedi, sed dissimulavi injuriam, patiens fui. *Nonne silui* a verbis inordinatis, superbis, irrefrenatis, in quæ præsidentes labi consueverunt? *Nonne quievi* ab opere malo? Quamvis autem ubique peccemus cogitando, loquendo, agendo, magis tamen quum mundi prosperitate levamur. Nam quum se alios præire potestate animus conspicit, alta de se elate cogitans sentit; et quum auctoritati vocis a nullo resistitur, lingua licentius per abrupta ac impia defrenatur; quumque quod libet facere licet, juste sibi omnia licere quæ libent, existimat. Talis vero Job non fuisse describitur. Nihilo minus subdit, *et venit super me indignatio,* id est dira hæc flagellatio.

Hæc ex verbis B. Gregorii breviter sumpta sunt: de cujus expositione quid judicare, parvitatis meæ non est. Præterea quædam hujus capituli verba moraliter interpretatur, dicendo:

[Sensus moralis.] *Pereat dies,* id est mundana prosperitas, seu peccati delectatio, *in qua natus sum,* non Deo, sed mundo ac dæmoni, inficiendo esse naturæ per mala culpæ, per quæ carni, mundo ac dæmoni vivitur; *et nox in qua dictum est, Conceptus est homo.* Nox ista est cæcitas mentis, ex qua culpa originatur. Idcirco in nocte dicitur homo conceptus, et natus in die, quia nequaquam ad peccati delectationem raperetur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmaretur. Denique sacra Scriptura de homine tripliciter loquitur. Primo, quantum ad id quod est per naturam, sicut quum dicitur: [Gen. i, 26.] Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Secundo, quoad id quod est per culpam, ut quum loquitur Paulus: [1 Cor. iii, 3.] Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Tertio, quantum ad id quod est per infirmitatem, ut

Digitized by Google

Jer. xvii, 5. quum ait Propheta : Maledictus qui spem A suam ponit in homine, id est in infirmitate.

Dies illa vertatur in tenebras, id est, quæ dies false putatur, vitiosa noscatur ; et quod delectatione mala patratum est, dolore pœnitentiæ emendetur. *Non requirat eum Deus desuper,* ad vindicandum, id est, det nobis gratiam pœnitendi et satisfaciendi pro eo. Tunc enim Deus eum non vindica- *I Cor.* xi, 31. bit, dicente Apostolo : Si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique dijudicaremur. *Et non illustretur lumine,* id est, Deus lumine B suæ justitiæ eum non manifestet in hora judicii, sed interim ignoscendo tegat et *Ps.* xxxi, 1. deleat eum. Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. *Obscurent eum tenebræ,* id est pœnitentiæ lamenta, ne amplius pateat, *et umbra mortis,* id est, oblivione Deus eum quasi non recordando abjiciat ; *occupet eum caligo,* id est dolor pœnitentialis interior, qui bene contristat, confundit et *Eccli.* iv, 25. turbat : est enim confusio adducens gratiam et gloriam ; *et involvatur amaritudi-* C *ne,* ut quo major fuit delectatio in peccando, eo major sit afflictio in satisfaciendo.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat, id est mœror mentem virtuose obnubilans, ut instar tempestatis tota concutiatur vehementi horrore, quoniam Deum offendit ; *non computetur in diebus anni,* id est inter virtutes anni gratiæ seu gloriæ, per quas scilicet anima clarificatur, et ad durationem gloriosam patriæ Beatorum perducitur. Virtus enim est quasi spiritualis animæ dies. *Nec numeretur in mensi-* D *bus.* Menses sunt multiplicata facta virtutum. *Sit nox illa solitaria,* id est, cæcitati impietatique nostræ non aliam adjiciamus, gloriando in malis, vel excusando, aut defendendo peccata ; *nec laude digna :* imo confiteamur quod omni exprobratione, confusione et pœna digna sit nostra culpa. *Maledicant ei qui maledicunt diei,* id est prosperitati mundanæ inani, quæ lux et dies ab impiis æstimatur. Qui enim illam despiciunt, merito nocti peccati maledicere possunt, quia veraciter eam abhorrent atque vituperant. *Qui parati sunt suscitare Leviathan,* id est contra se provocare diabolum. Nempe per hoc, quod ea quæ mundi ac dæmonis sunt, aspernantur, atque in Deo inflammantur, diabolum ad sui impugnationem mox concitant : qui contra electos tanto plus furit, quanto ad Deum se fortius erigunt.

Obscurentur stellæ caligine ejus. Non optando, sed prænuntiando id dicitur, quoniam stellæ, id est sublimiter virtuosi, gratia, vita, exemplo, fama lucentes, aliquid culpæ incurrunt, quo eorum puritas obscuratur seu minus clara efficitur. *Exspectet lucem, et non videat :* id est, cæcitas nostræ mentis, quantumlibet lumen gloriæ præstoletur, seu Deum qui æterna lux est, hanc tamen in præsenti clare et sicuti est, videre non poterit. *Nec ortum surgentis auroræ,* id est resuscitationem Ecclesiæ in die judicii, quando et corpore glorificabuntur electi, quorum gloria tanta erit, quod nunc comprehendi non valet. *Quia non conclusit,* sed aperuit, *ostia ventris qui portavit me,* id est carnalia desideria, quæ ostia sunt quibus itur ad mortem culpæ exterioris atque gehennæ : istaque ostia aperit intima mentis infectio. Venter autem est obliqua seu infecta nostra voluntas, in qua ad peccandum concipimur, dum ruinæ nostræ origo efficimur. *Nec abstulit,* sed irrogavit seu intulit, *mala* pœnæ et culpæ, *oculis meis,* ita quod ea experior, per experientiamque intueor.

Ista ex Gregorio sumpta sunt, secundum propriam mentem nil asserendo, sed ejus expositionem fideliter ac breviter recitando, ut scripturæ hujus capituli difficillimi veritas, ex his atque sequentibus evidentius elucescat ; et lector, quod rationabilius sibi visum fuerit, eligat.

Digitized by Google

ARTICULUS X

DE VERBIS ALBERTI MAGNI CIRCA EXPOSITIONEM PRÆSENTIS CAPITULI.

DISPUTATIO hujus libri, quæ est inter quinque, videlicet inter Job et tres ejus amicos et Eliu, secundum Albertum, tota est de providentia seu cura, qua Creator res regit humanas : et omnes conveniunt in hoc, quod apud Deum creatorem et gubernatorem, perfecta notitia est omnium humanorum ; item, quod in cura et gubernatione rerum a Deo nulla est iniquitas ; rursus in hoc, quod actus humanos magis intus inspicit Deus, quam homo qui agit, et ideo defectum in eis aliquando deprehendit, qui etiam ipsum hominem latet. Differunt autem in hoc, quod Job primo conqueritur, quod actus sui secundum seu ad humanam rationem et providentiam, id est secundum processum vel modum seu ordinem humanæ justitiæ, non judicantur. Unde dicit infra (*Job* XIII, 18.) : Si judicatus fuero, justus inveniar ; et illud (*Ibid.* VI, 2.) : Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera, etc. Propter quod sermones suos ostendendo et prosequendo, in omnibus justitias suas conclusit : et sequitur, quod tres viri (*Ibid.* XXXII, 1.) disputationes suas omiserunt, eo quod sibi justus videretur. Quod enim præfato modo, scilicet secundum ordinem humanæ justitiæ, gubernari et judicari deberet, videtur : quia justitia gubernationis humanæ, exemplata et derivata est ab ordine justitiæ divinæ, ex quo videtur, quod cum illa concordari deberet, et quod nihil esset in una, puta in ista exemplata, quod non esset in alia, scilicet justitia exemplari divina. — Sed quoniam postea ex determinatione Dei cognovit Job, quod ordo justitiæ divinæ penitus dissimilis est justitiæ humanæ (homo enim ex luto factus, vilior est, quam quod Deus respiciat eum secundum ordinem humanæ justitiæ) ; ideo ad verum rediens intellectum, dicit in fine (*Job* XLII, 5) : Auditu auris audivi te, quasi prædicatum ex humana justitia, quod scilicet secundum illam procederes in judicando. Nunc autem oculus meus videt te (*Ibidem.*). Quasi dicat : Ex tua determinatione rediens ad intellectum, cognovi gubernationem tuam dissimilem esse humanæ : idcirco ipse me (*Ibid.* 6.) reprehendo, et ago pœnitentiam. Et de quo agat pœnitentiam, aperit dicens, Unum (*Ibid.* XXXIII, 35; IX, 22.) locutus sum, quod utinam non dixissem : Innocentem et impium ipse condemnat. Quod injustum esset, si sua gubernatio ordine justitiæ humanæ procederet. Itaque in hoc capitulo, ut materiam det disputationi, ipse Job querelam proponit de die quæ principium vitæ est, quam Satan in suam accepit potestatem convertendi in tristitiam, in facultatibus, prole, persona, conjuge et amicis.

His præmissis, Albertus textum hoc modo exponit. *Post hæc aperuit Job os suum,* ut locum daret disputationi, et aperte loqueretur. Ideo dicit, Aperuit os suum : in hoc enim notatur, quod patens fuit locutio, et quod de rebus magnis fuerat locuturus. *Maledixit diei suo,* judicio justitiæ, non livore vindictæ : et hoc secundum omnem expositionem tam litteralem quam mysticam. *Et dixit : Pereat dies in qua natus sum.* Dies naturaliter est principium vitæ nascentis ex utero ad lucem ; et hæc dies secundum totam periodum, in quam Satan accepit potestatem, ut malitiam suæ voluntatis in ea exerceat, in rebus et liberis, persona atque amicis, quos adversarios vertit, non potest optari, nisi ut pereat. Si enim peribit, tristitias et infelicitates non ingeret ; si autem procedet de

Digitized by Google

mane in meridiem, et de meridie in vesperam, multis afflictionibus vitam consumet : et ideo optandum non est, nisi ut pereat. Nec maledicitur dies, in quantum est singularis, sed in quantum principium est totius vitæ decursus in afflictionibus Satan. *Et nox in qua dictum est, Conceptus est homo.* Sicut dies exterior, ut est principium exterioris vitæ, in luce hac optatur perire ; ita nox quæ per conceptum principium est conceptionis talis hominis, in quem potestatem accepit Satan atque in omnia ejus secundum totam vitæ periodum, non potest optari, nisi ut pereat : non enim aliud facit, nisi quod vitam in amaritudinem vertit. Et dicit, Dies nativitatis, et nox conceptus : quia nox frigiditate subrepente, poros corporis claudit, ut spiritu et calore ad interius redundantibus, semina concepta intrinsecus magis coalescant ; redeunte autem luce diei, calore perfusa corpora laxantur in poris et spongiositate corporis, et disponuntur ad emittendum quod conceptum est. Ideo dies partui, nox conceptui debetur, secundum congruentiam.

His verbis jungit Albertus : Expositio Gregorii ab hac non differt, nisi quod ille processum dicit in peccatis, nos autem in afflictionibus Satanæ.

Insuper ait : *Dies illa,* data in potestatem Satanæ in hac vita, *vertatur in tenebras,* ut effectus Satanæ nusquam videatur, nusquam appareat. Hæc est enim de
Ps. LV, 4. qua dicitur, Ab altitudine diei timebo : quia quo altius ascenderit, plures calamitates ingeret : a quibus homo absconditur, si coram hominibus infausta, id est infelix, dies non oriatur. Faustus, secundum Britonem, est idem quod felix : inde infaustus, id est infelix, et cui fortuna non favet. *Non requirat eum Deus desuper.* Deus per sublimia inferiora gubernans, mensuras et terminos ponit vitæ humanæ, numerumque dierum ; et si deest dies, a Deo ordinatore vitæ requiritur. Petit ergo, quod dies potestatis Satanæ non requiratur ad numerum dierum suorum. *Et non sit in recordatione* viventis. Si enim non est in recordatione, tunc nunquam fuit in præterita vita. Recordatio enim mali, male et ad tristitiam afficit animam, juxta illud in Isaia : Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Nec illustretur lumine,* ad hoc scilicet ut abundantiori lumine infausta, id est infortunata seu infelicia vitæ, monstrentur, quum magis sit utile talia occumbere, quam illustrari. Is. XXXVIII, 15.

Obscurent eum tenebræ. Tenebræ ab inferioribus oriuntur, et significant dispositiones quibus privatur lumen infaustum tam in corpore quam in anima : et talia privantia lumen infaustum, dicuntur tenebræ per effectum. *Et umbra mortis.* Umbra mortis dicitur recordatio mentis, vel aversiones lucis infaustæ hanc perimentes. *Occupet eum caligo,* id est fortissima et inspissata ad contrarium dispositio. Caligo enim, est caliginoso vapore inspissata tenebra, lucem impediens : et significat spissam dispositionem sapientis, vel meritum boni contra lucem Satanæ. Dispositio autem sapientis, ut dicit Philo, vel pœnitentis, ut dicit Gregorius, non dicitur caligo, ita quod omnem lucem privet, sed tantum propter hoc, quia obstat illi infaustæ, scilicet luci Satanæ : sicut in Exodo legitur Moyses ingressus in caliginem, ut Exod. XX, 21 ; XXIV, 18. scilicet omnia quæ lux mundi hujus illustrat, ei occumberent, et ipse solus in lumine Dei mirabilis esset. *Et involvatur amaritudine* dispositionis contrariæ vel in corpore, vel in anima, vel pariter in utroque. Sic involvatur lux ista infausta, ut se diffundere per vitam non possit.

Et subdit de nocte conceptus, quæ initium fuit formationis vitæ quæ data est in potestatem Satanæ. *Noctem illam,* in qua semina formandi infaustam vitam coaluerunt, *tenebrosus turbo possideat.* Turbo ventus est, involutum habens flatum : et significat dispositiones cordis et corporis ex multis compositas, effectum Satanæ corrumpentes et reprimentes. *Nec computetur in diebus anni,* id est circuli vitæ, ita quod in tota vita desit ad computum,

Digitized by Google

quia vitæ mala inducit; *nec numeretur in mensibus.* Luna propter vicinitatem in humanis majorem habet potestatem; et singulis mensibus facit ver, æstatem, autumnum et hiemem: quod in anno facit sol. Petit ergo quod effectus Satanæ in particularibus immutationibus se non possit diffundere. *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Quia enim laude digna non est, petendum est ut sit solitaria, ne se multiplicando per vitam diffundat.

Et quod divisim dixit de die et nocte, dicit conjunctim: *Maledicant ei,* scilicet tali diei et nocti, *qui maledicunt diei,* id est, maledicere sciunt et consueverunt tali diei, quæ infecta est nequitiis Satanæ; *qui parati sunt suscitare Leviathan.* Secundum Abraham Judæum philosophum et Rabbi Moysen, diabolus, secundum quod a principio diei vitæ, per omnes dies, menses et annos venenum diffundens, malum malo addit, et totam rotam nativitatis nostræ sic inficit, Leviathan est: sic enim ut serpens serpit, et ut vectis rigide nobis obsistit. Unde de lingua hujus serpentis sic venenum immittentis, dicit Jacobus:
Jacob. III, 6. Lingua maculat et inflammat totam rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. Qui autem in contrarium nituntur, serpenti obsistunt, et ideo suscitant eum, ut omnes vires suas examinet, sicut et Do-
Gen. III, 15. minus dixit in Genesi: Inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Stellas vocat, novas ad infausta scintillationes, quas petit obscurari caligine dispositionis contrariæ. *Exspectet* ipse Satan *lucem,* id est infaustæ suæ lucis ortum, *et non videat* eam, quam peto in ortu suo occumbere, ne diem humanæ nativitatis illustret; *nec ortum surgentis auroræ,* supple, videat. Aurora est, quando radii solis immiscent se tenebris noctis; et sic aurora infaustæ lucis est, quando primum immiscet se diebus vitæ humanæ: quam postulat non oriri. Et subdit causam tantæ maledictionis. *Quia non conclusit ostia ventris*

A *qui portavit me,* ut scilicet clausis ostiis, intra ventrem mortuus essem, ne ad hanc infaustam lucem peperisset me mater mea, juxta illud, Beatæ steriles quæ non pepe- Luc. XX
rerunt; *nec abstulit mala ab oculis meis,* id 29.
est a sensu experientiæ: quæ mala Satan in totam rotam nativitatis infudit. Idem in Jeremia: Maledictus qui me non interfecit Jer. XX, 1
ab utero, etc. 17.

Quare non in vulva mortuus sum? ut mala Satanæ nec vidissem, nec sensissem, sed in principio ortus, subtractus fuissem
B venenis ejus: secundum illud in Matthæo, Melius illi erat si natus non fuisset; *egres-* Matth.
sus ex utero, non statim perii? id est, XXVI, 24.
quare non statim tunc perii? quia etsi tunc Satanæ mala sensissem, tamen per rationem non discrevissem. *Cur exceptus genibus,* id est a matris genibus ab obstetrice, et ploratu prodidi mala Satanæ? *Cur lactatus uberibus?* id est, cur me aluit [mater] ad mala Satanæ experienda? Sic enim nutrire parvulum, crudele est. *Nunc enim,* id est, in diem infaustæ lucis non
C progressus, *dormiens,* per mortem ligatus sensibus, *silerem,* id est, querulas voces de malo Satanæ non emitterem, *cum regibus.* Reges vocat, qui secundum perfectionem justitiæ homines regebant. *Et consulibus terræ.* Consules vocantur, qui prudentia agendorum suo consilio in dubiis valent dirigere. *Qui ædificant sibi solitudines.* Ad litteram, in solitudine ædificant, ut studio sapientiæ veritatisque dediti, inquietudini Satanæ quam in mundo concitat, se subducant: sicut libro de
D Contemplatione dicit Philo, quod fecerunt Bragmani philosophi et primi monachi in Ægypto, facile præsentia contemnentes, ne inquietudinibus Satanæ rotarentur. *Aut cum principibus,* principalibus scilicet inter illos, *qui possident aurum,* id est, multum aurum habuerunt et contempserunt, ne inquietudine Satanæ bona perderent animæ. In idem redit quod sequitur, *et replent domos suas argento* (nisi quod aurum, thesaurum contentum in pretiosissimis significat; argentum, in mi-

Digitized by Google

nus pretiosis), ut bona animæ adipiscerentur. Sicut Plato dicitur projecisse aurum de sinu, dicens, Melius est perdere aurum quam animum. Et vult dicere : Quæcumque lucra sapientes contempserunt, ne molestiis Satanæ rotarentur, vellem me non habuisse, quia tunc me rota Satanæ non calcaret.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem. Sensus est : Aut non subsisterem sicut abortivum non subsistit, quod bona et mala hujus sæculi non gustavit. Abortivum est, quod a primo ortu et conceptu seminum, corruptum est antequam formaretur in partum per animæ adeptionem et vitæ. *Vel qui concepti,* formati in partum, morte præventi, *non viderunt lucem* infaustam vitæ præsentis. Antequam enim oculos aperirent ad eam, mortui sunt: quibus melius erat sic non esse, quam malis Satanæ rotari. *Ibi impii,* inquiete viventes, se et alios inquietantes, *cessaverunt a tumultu,* quo se et alios inquietaverunt. Mortuus enim nec tumultum facit, nec sentit ut prius. *Et ibi requieverunt fessi robore.* Robore dicitur, propter hoc quod viribus suis confidentes, alios oppresserunt : a quo robore mortui, fessi cessaverunt. *Et quondam vincti,* id est capti et afflicti a robustis et tumultuosis, *pariter,* cum illis requieverunt, *sine molestia,* ita quod molestiam ultra non senserunt. In hoc ergo mors utilis est, quod liberat a sensu malo-
Ps. CXIX, 5. rum : et in hoc affectu dixit David, Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus
Marc. IX, 18. est ; et Dominus, O generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu vos patiar ? Quare autem vincti sint, subdit, et suppletur : *quia non exaudierunt vocem exactoris,* id est tyranni opprimentis. Et differentias sic quiescentium subdit. *Parvus et magnus ibi sunt,* supple, æquales et pariter quiescentes ; *et servus, et liber a domino suo,* id est, qui dominum non habet. Et ideo mors desiderabilis est, quia a tantis malis liberat.

Quare. Ostendit hic lucem vitæ datam in potestatem Satanæ, inutilem esse misero. *Quare,* id est qua utilitate, *misero,* infelicitatibus Satanæ subjecto, *data est lux?* Ex luce enim nihil habet, nisi quod videt miseriam suam et plus dolet : ideo lux sibi nocet. *Et vita,* in exteriori luce quare data est, *his qui in amaritudine animæ sunt,* id est in amaritudine pertingente usque ad animam et animæ subversionem ? *Qui exspectant mortem,* quæ sit finis miseriæ, *et non venit,* ut amplius miseri sint ; *quasi effodientes thesaurum,* quoniam mortem thesaurum et lucrum reputant, in quantum est finis miseriæ. In Ecclesiastico enim
dicitur : O mors, bonum est judicium tuum Eccli. XLI, 3, 4.
homini indigenti, et qui minoratur viribus, defecto ætate, et cui cura est de omnibus. Sic et Tobias dixit ad Dominum :
Fac mecum misericordiam, et præcipe in Tob. III, 6.
pace recipi spiritum meum ; expedit enim mihi mori magis quam vivere. Sic Elias petivit animæ suæ ut moreretur, et ait :
Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. III Reg. XIX, 4.
Et hoc exaggerans, subdit, *viro cujus abscondita est via.* Nescit enim homo utrum
bonum vel malum exitum habeat. Sunt ju- Eccle. IX, 1.
sti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt ; et tamen nescit homo, utrum amore dignus sit vel odio. *Et circumdedit eum Deus tenebris,* quod scilicet ignorat finem suum, et finis qualitatem et tempus.

Deinde ostendit hoc taliter evenisse in se. *Antequam comedam,* non ad delicias, sed ad refectionem, *suspiro,* ad pondus miseriæ prementis. In hoc multi reprehenduntur, qui ante suspirium cibum accipiunt. *Et quasi inundantis aquæ,* quæ sonat, *sic rugitus meus* in planctum : se-
cundum illud Isaiæ, Rugiemus quasi ursi Is. LIX, 11.
omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. *Quia timor,* id est causa timoris, *quem timebam, evenit mihi,* in bonis et liberis ac persona ; *et quod verebar,* in amicis et uxore, *accidit.* Et subdit de innocentia : *Nonne dissimulavi* mala mihi illata, patientia volens vincere ? juxta illud
ad Romanos, Noli vinci a malo, sed vin- Rom. XII, 21.
ce in bono malum. *Nonne quievi,* nulli inquietudinem faciens ? *Nonne silui* in

Digitized by Google

tumultu et contradictione peccatorum ? secundum illud in Psalmo, Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis. [Ps. xxxviii, 3.] *Et,* supple, tamen, *venit super me indignatio,* id est plaga ex indignatione, prout dicitur in Threnis : Effudit quasi ignem indignationem suam ; factus est Dominus velut inimicus. [Thren. ii, 4, 5.] Hæc dixit Job, ut materiam daret disputantibus.

Hucusque verba Alberti. Circa quæ multa occurrunt, quæ dubitationem et difficultatem inducunt : videntur enim pro magna parte stare non posse ut sonant. Unde quæ menti vel circa vel contra ea occurrunt, breviter tangam, non ut tanto doctori in aliquo irreverentialiter contradicam, sed ut per inquisitionem scholasticam veritas sacræ Scripturæ clarius innotescat.

ARTICULUS XI

INTRODUCTIO DUBIORUM ET DIFFICULTATUM CIRCA PRÆSCRIPTA VERBA.

PRIMO præterea oritur difficultas circa verbum Alberti, quo ait, quod Job conqueritur de hoc, quod actus sui non judicantur a Deo secundum formam, modum seu ordinem humanæ justitiæ. Querimonia enim videtur impatientiæ esse. Job autem de patientia specialissime commendatur, nec ab ea cecidisse asseritur, sicut jam patuit. [Job iii, 26.] Verum aliquis dicere potest, quod etiam sit quædam pia querela ex caritate et humilitate procedens, ut quum quis fratrem peccantem, de ejus excessibus conquerendo spirituali patri, caritative accusat, vel humilis de humili conqueritur, quod omnia ad humilitatem spectantia opera sibi præripiat, nec se aliquid talium agere sinat. Sed propter pœnas a Deo directe vel permissive inflictas, conqueri, reprehensibile esse videtur, et potissime de divino judicio conqueri.

Insuper oritur difficultas circa verbum Alberti, quo ait, quod Job postea, scilicet sanitate adepta vel circiter, rediens ad verum intellectum, Deo docente cognovit, quod ordo divinæ justitiæ penitus dissimilis est ordini justitiæ humanæ ; et ideo homo non debeat judicari a Deo secundum humanæ æquitatis processum : cujus oppositum in principio suæ plagationis putavit Job, ut ex verbis inductis Alberti consequitur. Istud non videtur firmiter dictum, quod scilicet vir tantæ perfectionis ac sapientiæ antequam præfato modo affligeretur, nescierit ordinem, processum et modum divinæ justitiæ dissimilem esse modo et ordini justitiæ humanæ, atque humanam justitiam in infinitum deficere a divina. Præterea, processus et ordo humanæ justitiæ est, ut nulli infligatur pœna nisi pro culpa. Si ergo Job primo putavit se judicari debere a Deo secundum humanam justitiam, fuisset ejusdem opinionis, imo erroris, cujus et sui amici id æstimantes, secundum Thomam, vel saltem cujus et Eliphaz, id æstimans, secundum Albertum hunc ipsum. Hoc enim vel omnes tres, vel Eliphaz sensit, quod homines judicarentur a Deo secundum processum humanæ justitiæ, ita videlicet, quod Deus nulli infligeret pœnam nisi pro culpa : quod erroneum fuit ; nec Job illius fuit erroris, sicut patet ex his quæ in expositione primi capituli dicta sunt circa verba Job. [Job i, 21.]

Amplius oritur difficultas circa verbum Alberti, dicentis, quod in fine se ipsum reprehendit atque pœnituit, eo quod taliter sensit, et quoniam dixit : Innocentem et impium ipse, scilicet Deus, condemnat. [Ibid. ix, 22.] Ex quo sequi videtur, quod Job loquendo quæ isto scribuntur libro, peccavit : cujus op-

Digitized by Google

positum S. Gregorius in principio primi libri Moralium multipliciter probat et asserit, inter cetera dicens : Quædam verba responsionum ipsius Job, imperitis lectoribus aspera resonant, quia Sanctorum dicta pie intelligere, sicut dicuntur, ignorant. Et quoniam animum dolentis et justi in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris verba bene interpretari non possunt. Credunt ergo beatum Job in suis sermonibus deliquisse, minus intuentes, quia si beati Job responsa redarguunt, falsam de eo et Dei sententiam fuisse testantur. Diabolo namque a Domino dicitur : Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram, etc.? Cui mox a diabolo respondetur : Numquid Job gratis timet Deum? mitte manum tuam, etc. Hostis itaque in beato Job vires suas exercuit, sed certamen contra Deum assumpsit. Inter Deum itaque et diabolum, Job in medio, materia certaminis fuit. Quisquis ergo sanctum virum inter flagella positum, dictis suis peccasse asserit, quid aliud quam Deum quæ pro illo proposuerat, perdidisse reprehendit? Idem probat Gregorius per hoc, quod in fine tentationis omnia ipsi Job in duplo sunt restituta; et quod per intercessionem ipsius, Deus amicis ejus ignovit. Verumtamen istam difficultatem specialiter differo, et infra congruis locis tangendam solvendamque confido.

Job. I, 8-11.

Ibid. XLII, 8-10, 12.

Rursus oritur difficultas, quum ait Albertus, sanctum Job verba hujus dixisse capituli, ut amicis suis disputandi præberet materiam. Quum enim fuerit in tot ac tantis afflictionibus constitutus, videtur quod occasionem disputandi non exquisierit, nec disputare optaverit, quum talis actus debilibus et infirmis in maximis doloribus positis sit onerosus : nisi forte quis dicat, quod voluit sibi tribulationem augere. Et tamen infra reprehendit amicos, quod disputando ipsum afflixerint : Consolatores, inquiens, onerosi vos omnes. Et iterum : En decies confunditis me, et non erubescitis me affligentes sermonibus.

Ibid. XVI, 2; XIX, 2, 3.

A

Adhuc autem oritur difficultas, quum ait Albertus : Dies naturaliter est principium vitæ nascentis ex utero ad lucem; et hæc dies secundum totam periodum, in quam Satan accepit potestatem, ut malitiam suæ voluntatis in ea exerceat, in rebus et liberis, persona atque amicis, non potest optari nisi ut pereat. Si enim peribit, tristitias et infelicitates non ingeret; si autem procedet de mane in meridiem, et de meridie in vesperam, multis afflictionibus vitam consumet : et ideo optandum non est, nisi ut pereat.

B

Ex quibus Alberti verbis sequi videtur, quod tempus et vita hæc temporalis quæ sine illo esse non potest in sæculo isto corporeque mortali, sint optanda non esse propter mala pœnalia quæ occurrunt : quod stare non posse censetur, quia hoc impatientiæ, non patientiæ atque constantiæ seu fortitudinis animi, esset. Patientia quippe, perfecta præsertim, omnem adversitatem, pœnam et persecutionem fortiter sustinet; nec ob talia succumbit, cupiens mortem

C

secundum se, vel solum ut est finis adversitatis, sed bene ut est janua felicitatis. Itaque dies cujuscumque tribulationis potest optari, non ut pereat, sed ut maneat, in quantum in ipso die maxime per patientiam promeremur, aliis exemplum patientiæ ædificationemque impendimus, Christo propter nos passo conformamur, in gratia atque virtutibus crescimus, futura tormenta præsentibus pœnis brevioribus minoribusque redimimus. Sic quoque martyres sancti fecerunt. Denique, teste Apostolo,

D

pro Christo pati, donum est Dei. Et Christus testatur : Beati eritis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint. Gaudete in illa hora, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Sic et Jacobus : Omne (inquit) gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Absolute ergo et secundum rectam rationem loquendo, dies non est optanda perire, nec vita optanda statim finiri seu nunquam fuisse, propter mala pœnalia : imo quo illa sunt graviora, patientiusque ex Dei

Philipp. I, 29.

Matth. V, 11, 12; *Luc.* VI, 22, 23.

Jacob. I, 2.

amore feruntur, eo dies hujusmodi beatior perhibetur.

Iterum ex verbis his sequitur, quod Albertus ista exponit de die exteriori vere temporali, consueto, sensibili. Talis autem dies dudum præteriit, quando Job verba hæc protulit : sicque impossibile fuit, diem illam repeti, esse, perire, obscurari, et cetera pati seu suscipere, quæ ei in isto capitulo imprecatur. Unde Gregorius satis probat, quod de illo die ista exponi non queant, secundum quod verba jacent et sonant. Unde et Thomas, qui de hujusmodi die ista exponit, aliter mutat ac ordinat verba, et aliqua interponit ac addit : quod non facit Albertus. Ex quibus id quoque elicitur, quod expositio inducta Alberti, non solum differat ab expositione Gregorii, in hoc quod Gregorius processum dicit in peccatis, Albertus, in pœnis seu afflictionibus Satanæ (quamvis Albertus quo nescio sensu hoc dicat) : imo in aliis valde multis ab invicem differunt, quemadmodum intuenti amborum præscriptas expositiones patescit. Imo et expositio Gregorii in hoc puncto rationabilior rite ostenditur, quoniam tempus et vita præsens magis optanda essent non esse nec fuisse ac perire, propter mala culpæ, quam propter mala pœnæ. Et tamen Gregorius non exponit hæc de exteriori, sensibili, temporali ac solito die, nec de persona beati Job. Sed nec propter mala culpæ quæ fecimus, debemus penitus velle nunquam fuisse aut esse : quia ad veniam licet venire, et in culparum remissione divina misericordia declaratur, Deusque præclare laudatur. Sed et malum culpæ non totaliter perimit bonum naturæ.

Juxta hunc modum possent et multa similia objici verbis Alberti, sicut quum ait : Dies Satanæ, in quo scilicet Satan afflixit Job, non requiratur ad numerum dierum beati Job : ita quod Job orat pro hoc. Certum est autem, quod dies illa præterita non potuit non pertinere ad dies vitæ Job. Rursus, quum ait : Recordatio mali, male et ad tristitiam afficit animam. Certum est autem, quod recordatio tam mali pœnalis, quam mali culpabilis, frequenter bene ac delectabiliter afficit animam, ut quum aliquis gaudet se propter Deum pertulisse adversa, vel de pristinæ infirmitatis curatione lætatur, vel pœnitens de suis peccatis salubriter per pœnitentiam recordatur, vel quod Deus sibi pepercit, atque ad emendationem pervenit. Hinc nempe ait Psalmista : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti ; annis quibus vidimus mala. *Ps.* LXXX 15. Iterum, quando ait, Utilius est talia infausta, id est infortunata, infelicia seu adversa occumbere, quam illustrari, et non apparere quam manifestari. Certum est autem, quod frequenter utilius est, talia manifestari ad Dei honorem et fidei confirmationem, hominumque ædificationem, ut patet de Sanctorum martyriis : imo et ipsum Job voluit seu permisit Deus sic flagellari, ut per hoc ejus perfectio ac patientia nobis ad nostram instructionem pateret, ut ex verbis Gregorii patuit. Item, quum ait et subdit Job causam tantæ maledictionis : *Quia non conclusit* dies hæc *ostia ventris qui portavit me,* ut scilicet clausis ostiis, intra ventrem mortuus essem, ne ad hanc infaustam lucem peperisset me mater mea. Ex isto sequi videtur, quod propter pœnalia sua mala Job optavit se natum non fuisse, aut in matris ventre obisse : quod, sicut ex præhabitis claret, irrationabile exstitisset, prout etiam tangit Gregorius. Simili argumento sequentium verborum Job, expositio hujus doctoris impugnaretur.

Denique subdit, *Nunc enim dormiens silerem cum regibus terræ,* qui secundum perfectionem justitiæ homines regebant. Sed, ut tangit Gregorius, si intra matris alvum obisset, nullum habuisset remedium contra originale peccatum : idcirco in silentio et quiete justorum non fuisset cum hujusmodi regibus justis, qui ante Christi passionem in sinu Abrahæ quieverunt, in ascensione vero ad cœlos deducti noscuntur. Postea addit Albertus : In hoc ergo mors utilis est, quod liberat a sensu malorum : et in hoc affectu dixit David, Heu *Ps.* CXIX, 5.

Digitized by Google

mihi! quia incolatus meus prolongatus est; *Marc.* IX, 18. et Christus, O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? Contra istud objicitur, quoniam licet mors in hoc utilis asseratur, quod liberat a sensu malorum, id est pœnali perceptione seu sensatione pœnarum, in quantum sunt quædam mala, non tamen in quantum sunt materia patientiæ, et magni profectus beatitudinisque occasio. Ideo propter mala pœnalia, absolute loquendo, mors non est simpliciter appetenda, in quantum est mors, seu terminus vitæ seu etiam pœnæ præsentis. Nec in tali affectu dixit Psalmista, Heu mihi! sed desiderio vitæ beatæ seu melioris quietis ex caritate, secundum Augustinum aliosque expositores concorditer, sicut et Paulus profatur : *Rom.* VII, 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Christus quoque inducta protulit verba potius propter mala culpæ, utpote incredulitatem quorumdam, *Marc.* IX, 18; *Matth.* XVII, 16. ut patet in Marco et Matthæo, quam tædio malorum pœnalium; itemque desiderio redeundi ad Patrem, et glorificationis suæ in corpore.

Deinde subdit Albertus : *Quare misero data est lux?* Ex luce enim nihil habet, nisi quod videt miseriam suam : et ita lux nocet ei. Istud rursus instantiam patitur. Afflictus enim, luce sensibili ad multa commoda adjuvatur, ut si pergat ad consolatorem, et ad Christi imaginem et crucem adspiciat, ac qua adspecta, memor sit passionis dominicæ, discat atque proficiat.

Porro super illud quod subditur, *Exspectant mortem quasi effodientes thesaurum,* dicit, Quoniam mortem thesaurum et lucrum reputant, in quantum est finis miseriæ, *Eccli.* XLI, 3. juxta illud Ecclesiastici : O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, etc., sicut est allegatum; sicut Tobias *Tob.* III, 6. dixit ad Dominum : Fac mecum misericordiam, et præcipe in pace recipi spiritum *III Reg.* XIX, 4. meum; atque Elias : Tolle animam meam.

A Ex his potissime expositio Alberti fulciri videtur, quod scilicet propter vitæ adversitates pœnales optanda sit mors, et ut pereat dies. Ad quod respondendum, quod auctoritas illa Ecclesiastici nil amplius obtinet, nisi quod mors tolerabilior est egenis, infirmis, senibus atque sollicitis, in quantum pœnalibus sunt pleniores defectibus, et in quantum mors illis finem imponens, est janua ad vitam meliorem sequentem. Sicque excæcatus Tobias, et persecutionem ferens Elias, locuti sunt verba B præallegata, quamvis nonnulli dicant Tobiam in verbis illis, præsertim quum dixit, Expedit mihi mori magis quam vivere, ex *Tob.* III, 6. humana infirmitate locutum, venialiterque peccasse. Vel forsitan dixit hoc, timens ex abundantia adversitatum sibi occurrentium ad culpam corruere, sicut et Moyses in libro Numerorum ait ad Dominum : Ob- *Num.* XI, 15. secro ut interficias me, ne tantis malis afficiar. Unde omnes hi sancti, videlicet Moyses, Elias, Tobias, verba hæc locuti creduntur magis ad vitandum mala culpæ, et C ne cernerent talia, quæ videre eis gravissimum fuit, ex amore Dei et zelo justitiæ, itemque desiderio quietis sequentis, quam ad vitanda mala pœnæ simpliciter. Afflictio tamen pœnosa, potest absque culpa esse alicui occasio cupiendi mortem, secundum quod mors est quidam ingressus ad vitam meliorem sequentem, in qua non peccatur ut hic, et præsupposita divina circa hoc voluntate.

Hæc autem desiderio veritatis melioris-que informationis, salvo per omnia honore D Magni Alberti, sint inquisitive, non reprobative aut pertinaciter, dicta. Forte enim verba Alberti possunt salvari, quamvis pro magna parte eorum non videam quomodo faciliter possint salvari. Cui itaque placet tam studiosum doctorem defendere, verba ipsius elucidet ac resolvat, et quæ objecta sunt solvat.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

DE EXPOSITIONE S. THOMÆ CIRCA IDEM CAPITULUM.

QUONIAM expositio S. Gregorii in isto capitulo videtur ad spiritualitatem non modice tendere, Thomas conatus est præsens capitulum litteraliter explanare : cujus expositio in hac parte planior est et resolutior quam Alberti. Itaque ait : Sicut dictum est, circa passiones animæ duplex fuit antiquorum opinio. Stoici enim dixerunt tristitiam in sapientem non cadere. Peripatetici vero dixerunt sapientem tristari moderate secundum rationem : quod veritati concordat. Ratio enim conditionem naturæ auferre non potest. Est autem rationale sensitivæ naturæ, convenientibus delectari, et de nocivis dolere atque tristari : quod ratio nequit auferre; sed moderatur ita, quod ratio per tristitias a sua rectitudine non divertat. Concordatque hæc opinio sacræ Scripturæ, quæ tristitiam ponit in Christo, in quo est omnis virtutis ac sapientiæ plenitudo. Sic ergo Job ex prænarratis adversitatibus tristitiam sensit: alias patientia in eo locum non habuisset; sed propter tristitiam ratio ejus a rectitudine non recessit. Ad quod ostendendum, dicitur : *Post hæc,* id est post septem dies taciturnitatis præfatæ. Unde constat, quod ex ratione, non ex turbante tristitia sit locutus : alias ante protulisset hæc verba, quando tristitia vehementior fuit. Tristitia namque temporis longitudine mitigatur, et in principio magis sentitur. Ideo tam diu tacuisse videtur, ne ex perturbata mente loqui judicaretur. Solent autem sapientes ex ratione exprimere motus passionum quos sentiunt, moderate, sicut et Christus dixit : Tristis est anima mea usque ad mortem. (*Matth.* xxvi, 38.) Et Boetius primo de Consolatione, tristitiam suam aperuit, ut ostenderet quomodo eam ratione mitigaret.

Et maledixit diei suo. Maledicere, multipliciter sumitur. Quum enim maledicere nihil aliud sit quam mala dicere, tot modis maledicitur, quot modis malum dicitur. Itaque tripliciter maledicitur. Primo, maledictione causante malum, quemadmodum dicere Dei, est causa eorum quæ dicit; et sententia judicis, causa est pœnæ ejus quem damnat : sicque in Genesi dicitur, Maledictus Chanaan. (*Gen.* ix, 25.) Et Josue maledixit Achan. (*Josue* vii, 25.) Secundo fit istud, imprecando vel optando malum alicui : et sic Apostolus prohibet maledicere, dicens ad Romanos, Benedicite, et nolite maledicere; (*Rom.* xii, 14.) non autem primo modo. Tertio fit hoc, malum simpliciter enuntiando per modum præsentis, præteriti vel futuri. Sic Job maledixit diei suo, eum malum esse dicendo secundum morem Scripturæ, quo tempus dicitur bonum seu malum propter ea quæ fiunt in tempore.

Denique, licet esse et vivere sit secundum se appetibile; tamen esse et vivere in miseria est fugiendum, secundum quod hujusmodi : quamvis interdum esse in miseria, aliqui libenter ferant ob aliquem finem. Hinc misera vita quæ non ordinatur ad aliquem finem bonum, nullo modo est eligenda, prout Christus ait de Juda : Melius ei erat si natus non esset. (*Matth.* xxvi, 24.) Bonum autem quod ex miseria exspectatur, non apprehendit vis sensitiva, sed ratio tantum, sicut amaritudinem medicinæ percipit gustus, solaque ratio in fine sanitatis delectatur. Si quis ergo secundum passionem sui gustus judicaret de medicina amara, diceret eam malam; ratio tamen diceret bonam propter finem intentum. Similiter miseria quam Job patiebatur, rationi utilis videbatur, sed inferior pars animæ eam repudia-

Digitized by Google

bat. Unde et vivere sub tali miseria, secundum quod tale, fuerat odiosum, et etiam ea per quæ deveniebatur ad illud. Ideo Job secundum inferiorem animæ partem, cujus passionem et dispositionem exprimere intendebat, odio habuit nativitatem suam et diem suæ nativitatis, conceptionem quoque et noctem qua fuit conceptus. Et hoc est quod dicit : *Pereat dies in qua natus sum :* ac si diceret, Utinam nunquam natus fuissem ; *et nox in qua dictum est,* id est, vere dici potuit, *Conceptus est homo :* id est, utinam nunquam conceptus fuissem. Congrue autem nativitatem adscribit diei, et conceptionem nocti : quia secundum astrologos, nativitas diurna est melior, principali sidere, scilicet sole, exsistente super terram ; conceptio autem nocturna frequentior.

Deinde Job ad maledicendum diei suæ ea inducit, per quæ dies fit odiosa. Dignitas vero diei, est claritas, qua a nocte discernitur : quam excludit, dicens : *Dies illa vertatur in tenebras.* Ac si dicat : Dies nativitatis meæ debuisset esse tenebrosus, ut congrueret tenebris miseriarum quas patior. Quædam enim per modum optandi dicuntur, ad exprimendum judicium quod de aliqua re habetur : et nisi sic intelligeretur verbum istud atque sequentia, frivola viderentur, quoniam dies et nox, de quibus loquebatur, præterierunt, nec poterant immutari.

Præterea dies multipliciter clarus est. Primo, ex sanctificatione Dei, qui eum celebrem fecit : quam claritatem removens, subdit : *Non requirat eum Deus desuper,* id est, non exigat ut ab hominibus celebretur. Dies quippe aliqui exigebantur a Deo per homines celebrari, propter aliqua insignia beneficia in eis collata hominibus, sicut sabbatum in veteri lege propter beneficium creationis. Vult ergo Job insinuare, quod sua nativitas non sit computanda inter insignia beneficia Dei, quum ad miseriam magis quam ad lætitiam natus videatur. Secundo, dies est clarus ex hominum recordatione, secundum quod homines A dies aliquos celebres ducunt, in quibus eis aliqua magna et læta acciderunt : quemadmodum Pharao et Herodes diem sui celebrabant natalis. *Gen. XL, 20; Marc. VI, 21.* Hanc claritatem removet, dicens : *Non sit in recordatione* hominum. Tertio, dies est clarus ex lumine corporali : quæ claritas quandoque aufertur per subtractionem radiorum solis. Ideo subditur : *Non illustretur lumine.* Quandoque autem aufertur per interpositionem nubium seu aliorum occultantium radios solis : et quantum ad hoc, dicit : *Obscurent* B *eum tenebræ.* Quandoque ex defectu visus, ut dum quis moritur vel excæcatur, tunc claritas diei, quantum ad eum, aufertur : et quoad hoc, ait, *et umbra mortis. Occupet eum caligo.* Tunc dies caligine occupatur, dum ei primo splendenti, subito atque ex insperato tenebræ inducuntur, sicut beato Job inductæ sunt tenebræ adversitatis. *Et involvatur amaritudine* tristitiæ. Per quæ omnia aliud nihil intendit, quam quod dies suæ nativitatis non debeat judicari dies gaudii, sed mœroris.

C Consequenter maledicit nocti suæ conceptionis : primo, ei attribuens unde nox horribilior redditur. Quum enim sit nox horribilis propter tenebras, quo fuerit tenebrosior, eo fit horribilior. Quod fit magna tempestate oriente in nocte : et quoad hoc, subdit : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Quasi dicat : Congruisset noctem illam tenebroso turbine possideri, ut vitæ meæ congrueret, quæ tanto turbine adversitatis involvitur. *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* D Tanquam diceret : Nox illa non est memoria digna, quum nihil insigne, quoad me, in ea acciderit, sed potius aliquid dolorosum. Porro inter noctes quædam sunt celebres, quibus homines ad festa agenda concurrunt : quod ab ea removet, dicens : *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Nox namque laude fit digna, propter aliquod magnum factum in ea contingens : quod in ista non accidit. *Maledicant ei qui maledicunt diei :* et qui illi sint, subdit, *qui parati sunt suscitare Leviathan,* id est

Digitized by Google

piscatores grandem piscem, qui secundum unam acceptionem vocatur Leviathan, in noctis tenebris moventes ac capere cupientes : qui apparente die tristantur, maledicuntque ei, in quantum per lucem diei opus eorum impeditur. Vel, Qui parati sunt suscitare Leviathan, id est homines vitiosi, qui diabolum, dictum Leviathan, suscitant, ejus voluntatem implendo : per hoc enim suscitant eum ad dominandum eis, et ad puniendum eos in posterum. Tales maledicunt diei, dum in eo peccare vetantur.
Joann. III, 20. Ideo dicitur apud Joannem : Omnis qui male agit, odit lucem. Diabolus autem vocatur
Is. XXVII, 1. Leviathan in Isaia, quo scribitur : Visitabit Dominus super Leviathan serpentem tortuosum, etc.

Deinde excludit a nocte hac pertinentia ad bonum ejus. Quorum unum est, quod decoratur adspectu et luce stellarum : unde subdit : *Obscurentur stellæ caligine ejus,* ut scilicet non appareant. Aliud est, quod nox decoratur spe diei : quod removens, addit : *Exspectet lucem, et non videat. Nec ortum surgentis auroræ,* quatenus tenebræ ejus nec finiantur per diem, nec minuantur per auroram : quod intelligendum est, sicut de die prædictum est. *Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me,* id est, quia in ea non sunt ostia ista conclusa : quod dicit, ad innuendum quod desideraverit suum conceptum non venisse ad partum, neque ad pueritiam, quæ intelligitur per auroram, neque ad juventutem, quæ per plenam lucem signatur. *Nec abstulit malum ab oculis meis.* Quasi dicat : Ipsam vitam non propter se ipsam abhorreo, sed ob mala pœnalia quibus affligor. Unde omnia quæ supra figurative locutus est, hac clausula exposuisse videtur.

Quare non in vulva mortuus sum? Hoc dicit quantum ad statum vitæ, quo concepti primo vivunt in utero. Quantum vero ad statum vitæ, quo vivunt post nativitatem ex utero, subdit, *egressus ex utero non statim perii?* Et quia quum aliquis dicit, Quare hoc factum est? dat intelligere, saltem aliquando, quod inutiliter factum sit,

A hinc ostendit inutile, imo et nocivum sibi esse, quod conservatus est in vita. *Nunc enim dormiens silerem.* Mortem nominat somnum, propter spem resurrectionis. Per silentium vero intelligit quietem ab adversitatibus quas patiebatur. Quasi diceret : Si statim post ortum mortuus fuissem, his adversis non inquietarer. *Et somno meo,* id est morte, *requiescerem,* ab inquietationibus vitæ istius, *cum regibus et consulibus terræ :* qui vel deliciis vel divitiis vacant. Ideo subditur : *Qui ædificant sibi solitudi-*
B *nem,* causa venationis et aliarum voluptatum, solitarii esse volentes. *Aut cum principibus qui possident aurum.* Quasi dicat : Si statim mortuus essem, nihil nunc minus haberem quam habent illi, qui hic in multis prosperabantur. Ex his verbis dat intelligere, hominem secundum animam post mortem subsistere. Porro si objiciatur, quod hujusmodi reges et principes non quiescunt, sed in inferno torquentur, et quod utile fuit beato Job conservari in vita ob meritum acquirendum : dicendum, quod
C loquitur ista ex parte sensualis partis, exprimens ejus affectum, quæ non respicit nisi ad corporalia atque præsentia bona vel mala.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem. Hoc dicit, quoad eos qui moriuntur ante infusionem animæ rationalis : a fetibus quippe abortivis ante rationalis animæ infusionem morientibus, nil manet perpetuum. *Aut qui concepti non viderunt lucem :* qui moriuntur in utero post animæ rationalis infusionem. *Ibi,* scilicet in statu
D quem habent qui concepti non viderunt lucem, *impii cessaverunt a tumultu,* quem aliis inferebant, quos afflixerunt : quod in statu illo nondum facere potuerunt, nec in simili facere possunt ; *et ibi,* videlicet in statu mortuorum, *requieverunt fessi robore,* id est, qui pugnando aut laborando sunt fatigati : non autem loquitur nisi de quiete a malis vitæ præsentis. *Et* illi qui fuerunt *quondam pariter vincti,* erunt ibi *sine molestia,* id est priori angustia, cum eis qui vinctos eos tenebant ; et ibi homi-

Digitized by Google

nes oppressi angariis, *non exaudierunt vocem exactoris :* secundum illud Isaiæ, Is. xiv, 4. Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? *Parvus et magnus ibi est :* id est, qui hic differebant per inæqualitatem prosperitatis terrenæ, sunt pariter ibi ; nec parvitas et magnitudo, quoad terrena, pensata, facit ibi distantiam. Verumtamen differentia magnitudinis et parvitatis, secundum spiritualia bona, remanet ibi ; sed de his modo non loquor. *Et* ibi *servus* erit *liber a domino suo :* ideo non habebit ibi locum exactio aut aliquid tale.

Postquam detestatus est Job propriam vitam, nunc detestatur totius generis humani vitam, tam quoad eos qui prosperantur, quam quoad eos qui adversitatibus exercentur : a quibus jam incipit. *Quare,* id est qua utilitate, *data est misero,* id est pœnis subjecto, *lux* cognitionis, quum per eam consideret mala quibus affligitur, *et vita his qui in amaritudine animæ sunt?* quia per amaritudinem vitæ admixtam, ipsum vivere tædiosum efficitur. *Qui exspectant mortem, et non venit,* tam cito ut cupiunt, *quasi effodientes thesaurum,* nempe qui cum grandi desiderio quæritur. Et quoniam desiderium dum completur, gaudium parit, subjungit, *gaudentque vehementer quum invenerint sepulcrum,* id est, quum viderint supervenire mortem, per quam inveniant monumentum. Et quoniam dici possit, quod vita detur utiliter his qui prosperantur, hoc removens, dicit : *Viro cujus abscondita est via,* id est, cur tali data est vita et lux? Dicitur autem via viri abscondita, quia nescitur quo præsentis prosperitatis status perveniat, juxta Prov. xiv, 13. illud Proverbiorum : Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Et Jer. x, 23. in Jeremia : Non est in homine via ejus. Eccle. vi, 1. In Ecclesiaste etiam : Quid necesse est homini majora se quærere, quum ignoret quid conducat ei in vita sua? Quomodo autem via abscondita sit, subdit, *et circumdedit eum Deus tenebris* ignorantiæ, quia

A rerum omnium cognitionem ei non tribuit.

Deinde ista adversa sibi adaptat. *Antequam comedam, suspiro.* Suspirium, est signum moderatæ tristitiæ ; rugitus vero, signum est tristitiæ vehementis : ideo subdit, *et quasi inundantis aquæ sic rugitus meus.* Aqua enim de facili movetur, et murmuris efficit sonum. Sic homo in magna positus afflictione, ex levi suæ calamitatis memoria ad rugitum mox provocatur. Additque, Inundantis aquæ, ut amaritudinis suæ continuitatem ostendat. Aqua B namque inundans movetur continue et sonum producit. Porro miseria hominis ad amaritudinem provocans, in duobus consistit, videlicet, in damnis rerum vel personæ, et in dehonoratione. Quantum ad primum, ait, *quia timor quem timebam, evenit mihi,* id est, quæ timebam, mihi jam acciderunt. Quo enim persona exstat prudentior, tanto tempore prosperitatis magis præcogitat, quæ tempore adversitatis sibi accidere queunt, juxta illud Ecclesiastici : In die bonorum ne immemor sis ma- Eccli. xi, 27. C lorum. Quoad secundum, subjungit, *et quod verebar, accidit :* est enim verecundia (secundum Philosophum) timor inhonorationis. Per quod ostendit, quod post gloriam magnam opprobria et dehonorationes sustinuit. Et quod hoc non meruit, subdit : *Nonne dissimulavi* injuriam mihi illatam? Denique pœnam mereri quis potest dupliciter. Primo, dum ex illatis injuriis ultra modum provocatur ad ultionem : quod removet, dicens, Nonne dissimulavi? Alio modo, dum primitus alium ipse offendit, D aut verbis : quod removet, dicens, *nonne silui,* a verbis contumeliosis et impiis? aut factis : quod a se removens, subdit, *nonne quievi,* ab opere malo? Quod mali non implent, quum in Isaia scriptum sit : Cor Is. lvii, 20. impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Et* quamvis innocens fui, tamen *venit super me indignatio,* id est pœna a Deo, in quo ira non ponitur commotio animi, sed punitio.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

QUID DE INTELLECTU HUJUS CAPITULI RATIONABILIUS DICTUM VIDEATUR.

QUANTUM capere queo, inter Gregorium asserentem præsens capitulum non posse ad litteram exponi, et Thomam asserentem ac facientem oppositum, non est tanta dissonantia in re, sicut in verbis apparet. Gregorius namque intendit probare, quod capitulum hoc non possit litteraliter exponi, secundum quod verba jacent et sonant, et ut sumantur dicta a sancto Job secundum rationem deliberatam : sic nempe (ut arguit) impossibilitatem et irrationabilitatem, maximamque impatientiam continerent. Nec Thomas sic capitulum istud exponit, quemadmodum consideranti verba ejus, præcedenti articulo introducta, evidentissime constat. Expositio quoque Alberti satis faciliter videtur posse ad expositionem Thomæ reduci, et concordari cum ea, paucis hinc inde verbis subintellectis, quæ subintelligit Thomas, et præmisso notabili, quod Thomas præmittit.

Porro Lyra, quamvis expositionem Thomæ dicat subtilem et gratiosam, objicit tamen sobrie contra eam, quoad secundum dictum Thomæ, quo asserit beatum Job loqui verba hujus capituli ad insinuandum dispositionem ac passionem sensitivæ partis suæ, miserias quas patiebatur abhorrentis, quamvis ipse secundum rationem per patientiam eas acceptaret intuitu Dei ac præmii ejus. Itaque contra istud sic arguit : Amici Job quum fuerint sapientes ac litterati, non contradixissent ipsi Job hoc modo loquenti, scientes passiones esse tristabiles secundum sensitivam animæ partem. Et ideo secundum hoc dictum, tota disputatio eorum contra Job procederet æquivoce, quum nitantur ostendere, sanctum Job ex impatientia factum maledicum A ac blasphemum, tanquam ex erronea ratione loquentem : quæ tamen disputatio protrahitur usque tricesimum secundum capitulum. Nec videtur quod Job tam diu tenuisset eos in verbis æquivocis, ad propositum non spectantibus, quin aperuisset eis intentionem suam. Ob hanc rationem videtur huic expositori aliter esse dicendum, videlicet quod disputans contra aliquem, frequenter dicit vel arguit procedendo ex concessis ab eo, ad concludendum aliquid contra eum, quemadmodum B Apostolus ad Corinthios, ex errore negantium resurrectionem sic arguit : Si resurrectio I Cor. xv. 13, 14. mortuorum non est, ergo nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Amici autem Job, licet convenirent cum eo in hoc, quod actus humani reguntur divina providentia, tamen dissentiebant ab eo in hoc, quod punitionem peccatorum et remunerationem bonorum in futura vita negabant. Ad quod dictum eorum sequitur, quod vita hominis in magna C miseria exsistentis, a qua non apparet liberatio via humana possibilis, sit ei onerosa atque odibilis, si scilicet nulla est remuneratio in futuro seu alia vita ; et per consequens, ea per quæ venit ad tantam miseriam, scilicet conceptio, nativitas, educatio, sint ei odiosa. In tali autem statu erat Job, et ideo ex sententia amicorum suorum erronea, quam agnovit, conclusit vitam suam sibi odibilem, et ea per quæ venit ad eam, ducendo eos ad inconveniens, quia istud pro inconvenienti D habebant. Et secundum hunc modum Job non potest de impatientia vel blasphemia reprehendi. Nam ea quæ in isto capitulo et similia quæ in sequentibus ait, non pro-

Digitized by Google

fert ex sua sententia, sed magis tanquam ex errore amicorum deducta.

Præterea, quantum intelligo, si textus hujus capituli litteraliter debeat explanari, videtur expositio S. Thomæ conveniens, nec tacta objectio quidquam concludit. Concedendum est equidem, quod amici Job prima facie putaverunt eum verba hujus capituli ex impatientia et turbata atque erronea ratione locutum, quemadmodum ex verbis Baldad clarissime liquet. Et hoc ipsum, secundum quod tangit Gregorius, fuit in eis culpabile : quia ex pristina conversatione beati Job, quam noverunt, debuerunt advertere quod non ex impatientia loqueretur, sed mystica ratione talia promeret. Deinde addendum, quod disputatio inter Job et ejus amicos, in æquivocis non laborat ; nec Job in æquivocis eos tenet, quoniam statim in prima responsione, qua respondet primæ objectioni de Eliphaz, quæ responsio incipit sexto capitulo, orsus est insinuare ac demonstrare, quod non impatienter aut vitiose hæc protulit, sed ad exprimendum gravissimum corporalis naturæ sensitivæque partis dolorem, quem pertulit ; et quod quantum ad hujuscemodi afflictionem, vita sua esset sibi odibilis ac molesta, secundum inferiorem animæ partem, non autem quod ratio passioni succumberet vel vinceretur dolore. Hinc nempe infra ait : Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod justum est judicate, et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Statimque sequenti capitulo subdit, Militia est vita hominis super terram : quo verbo ostendit, quod homini habendum sit bellum continuum contra passiones et vitia. Quod vero præfata verba atque similia secundum sensualitatis afflictionem protulerit, pandit, dicendo : Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descenderit in infernum, non ascendet nec revertetur. Quapropter et ego non parcam ori meo ; loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

Job VIII. — *Ibid.* VI, 29, 30. — *Ibid.* VII, 1. — *Ibid.* 9-11.

A Insuper adjiciendum, quod tota disputatio amicorum Job contra eum, non est ad ostendendum eum factum maledicum et blasphemum propter hæc verba : imo de hoc diu non disputant. Sed principale intentum eorum est, disputare de providentia Dei, qualiter scilicet res humanæ gubernentur a Deo, secundum Albertum et Thomam concorditer. Et quia timebant* hominem non puniri, nisi pro prævia ejus culpa, consequenter conati sunt demonstrare quod Job pro suis peccatis punitus sit, B quodque occulte injustus atque hypocrita fuit, non quidem ob verba hæc, ante quorum prolationem fuit plagatus, sed aliunde. Contra quos Job zelo justitiæ veritatem tuetur, suamque in omnibus æquitatem concludit, quemadmodum in processu lucebit.

* tenebant

Præterea apparentiam habere non reor, quod omnia verba hujus capituli atque similia dixerit, non quasi ex sua sententia, sed tanquam ex errore amicorum deducta. Non enim consuevit quis taliter disputare C aut fari, videlicet ex errore aliorum inconveniens deducendo, nisi de tali errore mentio aliqua ipsam disputationem statim præcesserit, quemadmodum præallegato loco quo Apostolus sic arguit, errorem eorum, contra quos argumentatur, commemorat, moxque impugnat. Constat autem, quod ante verba hæc sancti Job, nulla præcesserit mentio de errore amicorum ejus prætacto.

I *Cor.* XV, 13, 14.

Postremo, quod amici Job illius fuerint opinionis atque erroris, imo perfidiæ, quod nulla sit remuneratio actuum humanorum D post vitam hanc, utpote quod anima rationalis sit mortalis, pereatque cum corpore, nequaquam videtur, neque probabile arbitror, quanquam etiam S. Thomas hoc dicat : imo ex verbis amicorum Job ostendetur, quod posuerunt animam hominis immortalem. Nam et Eliphaz statim inter cetera de impiis loquitur : De mane usque ad vesperam succidentur ; et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Infra quoque Sophar testatur : Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur ; juxta mul-

Job IV, 20. — *Ibid.* XX, 18, 27, 29.

Digitized by Google

titudinem adinventionum suarum sic et A sustinebit. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget. Hæc est pars hominis impii a Deo. Multa quoque similia infra, Spiritu veritatis præstante, tangentur. Denique, qui noverunt casum angelorum, communiter cognoverunt illorum ruinam per homines instaurandam, sicque senserunt animam rationalem non esse mortalem, sed ad angelicam et cœlestem beatitudinem perducendam. Unde Sadducæi dicentes animam hominis es-
Act. xxiii, 8. se mortalem, dixerunt angelos non esse, B nec spiritum, ut legitur in Actis. Amici autem Job noverunt quosdam ex angelis
Job iv, 18. corruisse. Eliphaz enim dicit : Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.

At vero, quum viri isti fuerint beato Job tam familiares atque carissimi diu ante hanc disputationem, probabile non apparet, quod tanto tempore reliquisset eos in tanta incredulitate atque insania, et non nisi in hac disputatione probasset eis animæ immortalitatem. Sed contra hoc ali- C quis dicere posset, quod pari ratione debuit eos jamdudum instruxisse de modo providentiæ Dei, ne circa illum errarent. Et respondendum, quod ille eorum error, quo putabant nullum a Deo puniri, nisi pro culpa, non fuit sic periculosus ac perfidus aut impeditivus salutis, ut ista perfidia de animæ mortalitate. Gregorius etiam et Albertus ita exponunt verba amicorum Job, quod posuerunt vitam post hanc vitam, et animam immortalem. Nec sequitur, si dixerunt, hominem non puniri a Deo, D nisi pro sua culpa, justisque contingere prospera, quod senserunt animam esse mortalem. Nam illis temporibus communiter ita fiebat, quod virtuosis hominibus etiam temporalis evenit prosperitas, quemadmodum in veteri Testamento Deus ipsis quoque Judæis temporalium prosperitatem spopondit, si divinis obtemperarent præceptis.

Præterea, quid B. Hieronymus circa hæc sentiat, mihi non constat, nisi quantum ex ejus expositione super Jeremiam elicio.
Exponens etenim illud Jeremiæ, Maledicta *Jer.* xx, 14, 15, 17.
dies in qua natus sum. Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus. Maledictus vir qui non interfecit me a vulva, etc. ; circa hæc scribit Hieronymus : Verba Job huic Jeremiæ testimonio coaptamus, quod scilicet sit melius non esse quam vivere in suppliciis,
juxta illud quod scriptum est : Quare data *Job* iii, 20.
est misero lux ? Et in Evangelio : Melius *Matth.* xxvi, 24.
illi fuerat, si natus non esset homo ille. Unde et Jacob, eo quod vixerat in labore,
dies suos parvos et malos asseruit. Quo- *Gen.* xlvii, 9.
modo autem intelligenda sint verba Jeremiæ, ibidem plenius scripsi; utque ibidem sensi, sentio adhuc, quod scilicet tam verba Job quam Jeremiæ, intelligi possunt per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid sine mendacio dicitur per excessum : non quod loquens sic asserat vel intendat, sicut verba ejus prima facie sonant, sed quoniam magnitudinem rei vel suæ affectionis, aliter nequit tam convenienter exprimere. Tales quippe locutiones in Scriptura sacra frequentes sunt, sicut in Genesi Pharao loquitur Joseph :
Absque tui oris imperio nullus in universa *Ibid.* xli, 44.
terra Ægypti movebit manum aut pedem. Et in libro Judicum filii Benjamin dicun-
tur sic ad certum jecisse lapidem funda, ut *Judic.* xx, 16.
capillum tangere possent. Joannes quoque
ait : Multa alia fecit Jesus, quæ si scriban- *Joann.* xxi, 25.
tur per singula, nec ipsum mundum arbitror capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Præterea circa præhabita potest moveri, quomodo Gregorius dicat istud capitulum non posse exponi ad litteram, quum in omni loco Scripturæ ille dicatur sensus litteralis, qui primo principaliterque intentus est ab auctore Scripturæ. Et respondendum, quod doctores circa hoc duplicem habuerunt modum loquendi. Aliquando enim dicunt, quod ille sit sensus litteralis, qui primo per verba litteræ significatur : et ita multa sunt loca Scripturæ, quæ ad litteram capi non possunt, potissime in

Digitized by Google

Prophetis. Sicque Apostolus protestatur : A
II Cor. III, 6. Littera occidit, spiritus autem vivificat. Interdum vero affirmant, quod ille sit sensus litteralis, qui primo ac principaliter est intentus ab auctore Scripturæ. Sicque omnis locus sacræ Scripturæ dicitur sensum litteralem habere, qui tamen non est semper ille qui per verba litteræ primo significatur, sed sæpe qui designatur per res significatas ipsis litteræ verbis : ut quum in libro Judicum scribitur, Ierunt Judic. IX, 8.
ligna ut ungerent super se regem ; et quarto Regum, Carduus Libani misit ad ce- IV Reg. XIV, 9.
drum quæ est in Libano : sensus litteralis non est in istis de arboribus, sed de hominibus per arbores istis nominibus designatas significatis. Hæc de hujus capituli difficultatibus dicta sint.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT.

Job II, 13. AMICI Job, qui infra septem dies quibus cum ipso in terra sederunt, nec eum affati sunt, propter vehementiam suæ afflictionis, auditis verbis beati Job, sumpserunt loquendi fiduciam : imo ad loquendum provocati sunt valde, moti non parum et admirati propter verba Job, quæ videbantur eis divino derogare honori, et desperationem, præsumptionem impatientiamque sonare. Hinc zelo Dei ad loquendum moti videntur; sed non secundum scientiam, quoniam indiscrete : et qui ad consolandum venerunt, ad redargutionem, increpationem, atque acerrimam disputationem conversi sunt. Sed quia prudentes fuerunt, sibi invicem deferebant, ordinate loquendo, et principaliori inter eos loqui exordiente. Venit autem et Eliu cum eis,
Ibid. XXXII. ut infra insinuatur ; sed quoniam junior fuit, tacuit, quousque hi tres disputationes suas cum Job terminaverunt.

Itaque dicitur : *Respondens autem Eliphaz.* Quum Job fuerit proponens atque respondens, et alii fuerint objicientes, quomodo Eliphaz nunc respondens asseritur, præsertim quum Job nihil ab eo quæsierit, nec ad ipsum direxerit verbum? Et respondendum, quod in Scripturis respondere, dicitur, non solum ad interrogata seu proposita loqui, et vicem solutionemve B reddere, sed et proportionabiliter seu congrue verbum proferre ad dictum vel factum alterius. Unde (secundum Albertum) responsio vocatur hic, in contrarium disputatio. *Themanites,* quia de Theman fuit : fuitque Theman (ut dicitur) terra juxta Idumæam. Viguit quoque studium litterarum ac sapientiæ in Theman, juxta id Baruch, Sapientia non est inventa in ter- Baruch III, 22.
ra Chanaan, neque visa in Theman : quod de vera et spirituali sapientia dicitur. Quo verbo innuitur in Theman quædam C sapientia viguisse. *Dixit : Si cœperimus loqui tibi, forte moleste feres* * : vel propter acerbitatem tui doloris (graviter namque afflictis molestum est, multa audire et loqui : hinc quippe tot diebus conticuerunt), vel propter impatientiam tuam, quam nunc in tuis verbis perpendimus. Impatientis autem et irati consuetudo est, non posse audire loquentem usque ad congruum finem ; sed mox in ipso verborum exordio provocatus, interrumpit verba loquentis. Quod quam vituperabile sit, in D Proverbiis ostenditur, quo habetur : Qui Prov. XVIII, 13.
prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. Vel propter inordinatum proprii sensus amorem. Nempe qui talis est, suæ impugnationem sententiæ ægre fert. Nam et

* accipies

Digitized by Google

Aristoteles in Ethicis ait, quod etiam poetæ sua poemata amant ut proprios filios, et de illorum impugnatione gravantur. Denique, Forte, ne de interioribus alterius videatur temerarie judicare, et ut sobrie loqui cernatur.

Sed conceptum sermonem, id est intus ad proferendum dispositum per verba mentalia, *tenere,* id est, frenare et a prolatione vocali reprimere, *quis poterit?* quasi dicat : Nemo, aut pauci. Quod si generaliter intelligatur, sonat in vitium. Passionati etenim cordis est levisque animi, esse in verbis præcipitem, non restringere linguam, non compescere inclinationem atque propositum non salubre, juxta illud in Ecclesiastico : *Eccli.* XIX, 12. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti. Eliphaz vero videtur hæc dicere de his, qui zelo æquitatis et veritatis amore ad loquendum interius instigantur, quos hujusmodi amor et zelus, et potissime fervida Dei dilectio, ad fandum quasi compellunt, atque ad veritatis defensionem impellunt, etiamsi alter quamvis amicus inde gravetur, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : *Ibid.* IV, 33, 27, 28. Pro justitia agonizare, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te. Itemque : Ne reverearis proximum in casu suo, nec contineas verbum in tempore salutis. Denique, teste Philosopho primo Ethicorum, duobus exsistentibus amicis, sanctum est præhonorare veritatem. Chrysostomus quoque dicit, quod licet sit pium propriam æquanimiter ferre injuriam, impium tamen est dissimulare injuriam Dei. Verba autem Job præinducta, videbantur amicis Job ad divinam pertinere injuriam. Hinc ait et Thomas : Justi interdum ex zelo divino ea quæ ad Dei honorem dicenda concipiunt, tacere non possunt, secundum illud Jeremiæ : *Jer.* XX, 9. Dixi, non recordabor ejus, puta sermonis Dei, neque loquar ultra in nomine illius. Et factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens.

Porro, secundum Gregorium, triplex est A genus hominum. Quidam enim mala loqui concipiunt, et nulla silentii gravitate frenantur. Alii quamvis ita concipiant, fortiter tamen se vincunt, et magno silentii se vigore restringunt. Alii tantæ perfectionis celsitudinem sunt adepti, quod nec ad loquendum perversa concipiunt. Boni itaque viri freno consilii retinent præcipitationem verbi; et caute considerant, ne loquendo incaute, audientium mentem lædant. Contra primos dicit Ecclesiasticus : Audisti verbum adversus proximum tuum? *Eccli.* XIX, 10. B commoriatur in te, sciens quod te non disrumpet.

Deinde Eliphaz nititur demonstrare sanctum Job esse turpiter impatientem. Quum enim Salomon dicat, *Prov.* XIX, 11. Doctrina viri per patientiam noscitur, turpe est doctori patientiæ, ad impatientiam labi; inhonestumque est, quemquam alios edocere quod ipse non facit, imo cujus contrarium agit. Ideo subditur : *Ecce :* quod hic ponitur pro signo confusionis; *docuisti plurimos* ipsas virtutes, et quomodo in adversis patien- C tiam conservarent; *et manus lassas roborasti,* id est, homines, quorum vis operativa fuit in bonis operibus fatigata atque deficiens, tua ad bene agendum confirmasti doctrina : sicut Apostolus fecit, dicendo : *Galat.* VI, 9. Fratres, bene facientes nolite deficere; tempore enim suo metemus non deficientes. *Vacillantes,* id est homines in bono nutantes et in rationis judicio debiles, vel de divina providentia hæsitantes, *confirmaverunt sermones tui,* quibus induxisti eos ad animi firmitatem, ad veritatis certitudi- D nem, ad boni constantiam : quemadmodum Paulus ad Corinthios, *I Cor.* XV, 58. Stabiles, inquiens, estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino; *et genua trementia,* id est eos qui in via justitiæ claudicabant, aut tribulationum magnitudine premebantur, quasi grave onus portantes, atque sub illo deficientes, quemadmodum homini magnum pondus ferenti genua tremunt, *confortasti,* hortando ad patientiam inconcussam. In geniculorum autem tre-

Digitized by Google

more ac dissolutione primo apparet debilitas. Docuit ergo Job sub lege naturæ, quod postea docuit Isaias sub lege scripta, et Paulus sub lege evangelica. Scriptum est *Is. xxxv, 4.* enim in Isaia : Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Pusillanimes, confortamini, et nolite timere. Et ad *Hebr. xii, 12, 13.* Hebræos dicitur : Remissas manus et genua debilia erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris. Præterea, secundum Gregorium, dum Eliphaz sanctum Job vituperare intendit, ipsum non parum commendat. Pensemus, ait Gregorius, cujus celsitudinis iste vir fuit, qui inter curam domus, inter multiplicium rerum custodiam, inter affectus pignorum, inter studia tot laborum, erudiendis se ceteris ita impendit.

Consequenter Eliphaz innuit, quod Job propria dogmata non implevit. *Nunc autem venit super te plaga,* id est percussio ista et filiorum ac opum ablatio, *et defecisti,* a fortitudine ac patientia animi virtuosi ; *tetigit te* plaga hæc usque ad intima, *et conturbatus es,* id est mente confusus, inquietatus, et inordinatus, a medio virtutis ruendo, quum tamen virtuosi ac sapientis sit, a mentis tranquillitate in adversis non labi.

Porro perversi duobus modis bonorum impetunt vitam, quia aut prava eos dicere asserunt, aut non servare recta quæ docent : quorum utrumque amici Job ei imponunt. Hinc verbis sequentibus Eliphaz innuit Job non fuisse veraciter virtuosum, nec egisse quæ docuit. Quum enim virtuosi profectus indicium, patientia vere dicatur, juxta quod scriptum est in Ecclesia- *Eccli. vii, 6.* stico, Vasa figuli probat fornax, et homines *Ibid. ii, 5.* justos tentatio tribulationis ; itemque, In igne probatur argentum et aurum, homines vero receptibiles, in camino tribulationis : ideo non videtur vere fuisse virtuosus in prosperis, qui confestim aut graviter per impatientiam labitur in adversis. Unde ad ostendendum quod Job sit virtutibus vacuatus, exprobratorie Eliphaz subdit : *Ubi est timor tuus,* id est timor quo te ante Deum vereri monstrasti, vel potius simulasti ? quasi dicat : Nunc apparet, quod Deum non timeas, nec ante sincere timueris, quum tam repente atque enormiter pecces per verba maledictoria, quæ dixisti. Scriptum est namque : Timor Domini *Eccli. i, 27.* expellit peccatum. Hinc et infra ait hic Eliphaz : Quantum in te est, evacuasti ti- *Job xv, 4.* morem. Quemadmodum autem timor servilis expellit peccatum formidine pœnæ, sic timor filialis amore justitiæ, seu detestatione offensæ majestatis paternæ. *Fortitudo tua,* id est, ubi nunc est in te fortitudo illa virtus moralis, qua quis in præcipuis adversitatibus atque periculis constanter se habet, et ardua vigorose aggreditur ? Potest quoque exponi de fortitudine ut est donum, quo fit mens bene prompteque mobilis a Spiritu Sancto, ad suscipiendum et prosequendum ejus instinctum in sustinendis adversis, quæ pro fidei et veritatis seu æquitatis defensionibus inferuntur. Et ubi est *patientia tua,* quam præcipue videbaris habere, *et perfectio viarum tuarum,* id est eminentia virtutum seu actuum virtuosorum, quam secundum communem famam putabaris habere ? Virtutes autem et opera virtuosa, viæ justorum dicuntur : quia per eas ad ultimum suum finem, qui est beatitudo æterna seu Deus gloriosus et sanctus, pertingunt. Quasi dicat : Nunc prorsus imperfectus fuisse et esse per effectum ostenderis.

Et recte ordinat Eliphaz quatuor ista, quoniam per primum eorum venitur ad secundum, per secundum ad tertium, per tertium ad quartum. Timor enim, quum sit fuga mali, retrahit a peccatis, quibus depulsis, fit mens secura et fortis in Deo ; per fortitudinem quoque patientia roboratur, patientia autem opus perfectum *Jacob. i, 4.* habet.

Insuper, quoniam in fine præcedentis capituli Job fassus est esse se innocentem, nec adversa hæc meruisse, Eliphaz nititur hæc improbare, æstimans quod nemo flagelletur a Deo nisi pro suo peccato. *Recordare,* præteritarum rerum historias me-

Digitized by Google

moriter revolvendo, *obsecro, quis unquam innocens periit,* per præsentis vitæ supplicia et adversa sibi aliunde illata? quasi dicat : Allegare non poteris, quod unquam id accidit, quod tibi asseris accidisse, quod scilicet quis sine suo demerito sit Deo agente aut permittente percussus seu interfectus. *Aut quando recti deleti sunt?* id est, dic, si potes, quando justi de hac vita per violentam sublati sunt mortem. His verbis Eliphaz sui ipsius errorem ignorantiamque
Gen. IV, 8. demonstrat, quia et Abel justus a Cain
Is. LVII, 1. occisus est, et in Isaia scribitur : Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo ; et viri misericordiæ tolluntur, et non est qui intelligat. Per Ezechielem quoque Do-
Ezech. XXI, 3. minus ad Jerusalem ait : Educam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. Denique in diluvio
Gen. VII, 21-23. certum est multos infantes et innocentes perisse. Sed rursus videtur verbum Eliphaz confirmari, eo quod Abraham in Ge-
Ibid. XVIII, 25. nesi loquitur Deo : Absit a te qui judicas omnem terram, ut facias hanc rem, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Sed et iterum in Genesi dici-
Ibid. XX, 4. tur Deo : Num gentem justam et innocentem interficies? Et respondendum, quod sæpe tempore legis naturæ ac scriptæ, justi in temporalibus prosperabantur, non
Jer. XXXVII, 14-20 ; XXXVIII, 6. autem omnes, nec semper : quia et Jeremias ceterique Prophetæ dura valde per-
II *Mach.* VII. pessi sunt a perversis, sicut et fratres septem cum matre sua ab Antiocho rege. Inductæ autem auctoritates ex Genesi atque consimiles, intelliguntur pro tempore illo secundum cursum communem, et quod justi in hac vita non paterentur adversa seu occisionem a Deo inferente aut permittente, nisi pro beatitudine sua majori : quod Eliphaz non perpendit. Sed Salomon hoc
Eccle. VIII, 14. pensavit, in Ecclesiaste affirmans : Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum.

Quin potius vidi, oculis mentis et corporis, experimentoque didici, *eos qui operantur iniquitatem,* peccando manifeste mortaliter : et aptius ait, Qui operantur, quam si diceret, Operati sunt, ut innuat se loqui de his qui permanent in peccatis, non de pœnitentibus ; *et seminant dolores,* id est ea per quæ alii dolorem et afflictionem incurrunt : quod faciunt susurrationibus, detractionibus, dolis, insidiosis machinationibus impiisque consiliis. Quibus per Ezechielem Dominus loquitur :
Ezech. XIII, 22. Mœrere fecistis cor justi, quem ego non contristavi. *Et metunt eos,* id est, lucrum seu commodum temporale de eorum affectu acquirunt, sicut qui nata frumenta ex jactis in terram seminibus metunt atque in horreum congregant. In quo peccato, secundum Albertum, sunt judices, qui ex industria in commissione causarum cavillosas dant litteras, ut causa cum messione seu lucro ad eos denuo revertatur. *Flante,* id est, judicium cum velocitate ac impetu faciente *Deo, perisse, et spiritu,* id est voluntate vel vento seu impetu, *iræ,* id est justæ vindictæ, *ejus esse consumptos,* ita quod in vita hac pro suis excessibus sunt plagati divinitus et perempti. Servat autem inchoatam de seminatione et messione parabolam, divinum judicium ad vindictam procedens, flatum venti appellans, ipsamque vindictam nominans spiritum, seu ventum, iræ judicis Dei. Segetes quippe vento urente siccari solent atque consumi : propter quod per Malachiam Dominus
Malach. III, 11. promittit Judæis : Increpabo pro vobis ventum devorantem et corrumpentem fructum terræ vestræ. Itaque humana similitudine loquitur. Nos enim quum flamus, aerem intra nos trahimus, impetuque pulmonis ac diaphragmatis eum expellimus. Pariformiter Eliphaz innuit, quod Deus facta hominum intra se pensando considerat, et quasi efflando quod intus decrevit, sententiam profert. Juxta quem modum etiam in
Is. XL, 7 ; XXX, 33. Isaia legitur : Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Rursusque : Spiritus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam. Præterea, quum homo irascitur, ex accensione cordis et evaporatione, spiritus animalis multiplicatur, ad faciemque dirigitur. Idcirco in

Digitized by Google

irascentibus vultus turget ac rubet, labia dilatantur, nares aperiuntur, et tunc proferunt ultionem.

Denique, sicut Gregorius tangit, verbum istud secundum intentionem Eliphaz universaliter stare non potest, quamvis bene intelligi et sic universaliter valeat verificari. Constat enim, quod impii sæpe in sæculo isto usque ad ultimam senectutem subsistunt, et magis quam justi in temporalibus prosperantur. Verumtamen, quia quantum ad animam pereunt in æternum, universaliter verum est, quod impii Deo flante dispereant, sicut et Isaias fatetur, dicendo : Et quidem neque satus, nec radicatus in terra truncus eorum ; repente flavit in eos, et perierunt. Et Psalmista : Tanquam fœnum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident. Itemque : Dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem ? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Quantumlibet etenim diu vivant ac prosperentur in sæculo isto, tamen comparatione sequentis durationis atque futuræ æternæ damnationis, velut momentanee defluunt, ac subito pereunt. Unde in libro Sapientiæ sero pœnitentes fatentur : Transierunt omnia illa tanquam umbra præteriens. Circa prædicta ait Gregorius : Quoniam scriptum est, Dominus patiens redditor est, sæpe diu tolerat quos in æternum damnabit. Aliquando omnipotens Deus diu prævalere iniquos patitur, ut justorum mundius vita purgetur. Aliquando vero injustos celeriter perimit, eorumque interitu innocentium corda confirmat, pusillanimes roborat, humana se curare ostendit, et quod peccata ulciscatur, demonstrat.

Is. xl, 24. — Ps. xxxvi, 2; lxxii, 18, 19. — Sap. v, 9. — Eccli. v, 4.

Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. Certum est, homines nominibus bestiarum illarum signari, quarum proprietates et actus amplius imitantur. Itaque verbis his innuit Eliphaz, cur Job cum pertinentibus ad se sit plagatus, per leonem designans Job ob crudelitatem, quam ei imponit : æquitatem enim, quam vicissim exhibuit sanctus Job, iste nunc crudelitatem fuisse interpretatur. Itaque ait : Rugitus leonis, id est animosa et sæva locutio Job, instar leonis feraliter præsidentis, juxta illud Proverbiorum, Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem ; et vox leænæ, id est sæva locutio conjugis Job, quæ viro suo in atrocitate consensit, ut Eliphaz asserit ; et dentes catulorum leonum, id est filii Job epulantes, contriti sunt, id est repressi vel omnino exstincti, ita quod tyrannides* Job ejusque conjugis, humiliata est juste, eorumque filii sunt occisi.

Prov. xxviii, 15. — * tyrannis

Tigris periit, eo quod non haberet prædam. Secundum Gregorium et Albertum, ipsum Job quem vocavit leonem, appellat nunc tigridem, propter velocitatem suam ad mala : tigris namque est animal sævum et velox ad prædam. Estque varietatem aliquam habens. Sic quoque Eliphaz notat Job de simulatione hypocrisis : quem dicit perisse, id est animo destitutum, eo quod non habeat prædam, id est, quoniam aliorum bona rapere magis non valet, nec laudes humanas acquirere, quoniam ejus hypocrisis cunctis jam patet. *Et catuli leonum dissipati sunt :* per quos filios Job, ut dictum est, exprimit ; vel ministros atque domesticos ejus officiatos ad prædam tollendam. Porro (ut ait Gregorius) in translatione Septuaginta interpretum non dicitur Tigris, sed Myrmicoleon. Myrmicoleon quippe parvum valde est animal, formicis insidians, quod sub pulvere se abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit. Myrmicoleon autem Latine dicitur, formicarum leo, vel certe expressius, formica et leo, quoniam aliis animalibus ob suam parvitatem formica est, formicis autem est leo : eas namque devorat, atque ab aliis devoratur. Itaque, secundum hanc translationem, Eliphaz reprehendit Job de audacia et timore, ita quod contra majores fuerit pavidus, contra subditos audax.

Quoniam ergo probare intendit sanctum Job cum sobole sua pro eorum peccatis es-

Digitized by Google

se plagatos : quod prima facie apparentiam non habebat in Job, qui vita et fama celebris fuit ; idcirco ex divina revelatione sibi (ut asserit) facta, format ac elicit argumentum. Ratio quippe humana in spiritualibus et divinis, in occultisque hominum actibus et variabilissimæ dispositionis eorum discussione, debilis esse solet atque incerta ; et quo aliqua fuerint altiora, eo sunt humano sensu imperceptibiliora : auctoritas vero divina non fallitur. Ideo subdit : *Porro ad me dictum est verbum absconditum,* id est sermo aliis non auditus aut cognitus, et altæ sententiæ contentivus. Et in eo quod ait, Dictum est, notat quod per oraculum ista accepit : quæ revelatio certior est, quam quæ fit in somno, ut adstruit Martialis super somnium Scipionis.

Et quasi furtive, id est per modum furti, seu raptim et secrete, *suscepit auris mea venas susurrii ejus.* Secundum Thomam, revelatio ista facta insinuatur in plena vigilia, apertis videlicet exterioribus sensibus, ut statim tangetur. Sicque per aurem, exteriores aures possent intelligi : exterioribus etenim oculis vidit vultum sibi incognitum, ut Thomas exponit. Albertus tamen de interioribus auribus oculisque exponit, allegans Basilium super primum Proverbiorum dicentem : Intellectus per signum accipiens, dicitur auris, quemadmodum ipse intellectus per speciem accipiens, dicitur visus ; et intellectus immediate contingens, dicitur tactus ; intellectus autem interiora intelligibilis per exteriora accipiens, quasi per quemdam vaporem, dicitur olfactus ; intellectus vero interiora intelligibilis immediate suscipiens, dicitur gustus. Porro, susurrium dicitur, quia secrete de ore in aurem percipitur ; et animo audiente, alii qui adsunt, illud non audiunt. Venas quoque susurrii nominat vias ac modos revelationum, secundum Gregorium et Albertum, qui advehunt seu deducunt veritatem ad intellectus refectionem, sicut venæ corporeæ advehunt sanguinem ad nutrimentum membrorum. Unde in libro Proverbiorum legitur : Vena Prov. x, 11.

A vitæ, os justi. Itaque, in eo quod ait, Suscepit auris mea venas susurrii ejus, insinuat, quod modum, viam seu medium hujus secretæ allocutionis et revelationis, simul cum ipsa allocutione secreta, quam susurrium vocat, percepit ac intellexit : ipsaque oris apertio, prolati verbi ad aures deductio, loquendi maneries, venæ quædam sunt revelationis, instructionis seu allocutionis. Eliphaz itaque innuit se ista audisse, non per modum claræ seu altisonæ vocis, sed per modum susurrii. Forte B equidem et alii quidam tunc secum fuerunt, vel cum conjuge fuit in lecto, solusque ipse ista audivit.

Insuper, verbum divina revelatione perceptum, vocatur absconditum, quoniam communitati hominum, sensum et imaginationem sequentium, est occultum : quod quasi furtive auditur, dum veritas ejus clara mente adspicitur. Sicque, juxta Albertum, furtum appellatur, puri ac simplicis intellectus abstractio a strepitu sensuum et ludificationibus phantasiæ : quod C bonum est furtum. Præterea, secundum Thomam, triplex modus occultationis in revelationibus solet contingere. Primo, quum veritas intelligibilis per visionem imaginariam demonstratur. Secundo, quum in imaginaria visione seu alia figurativæ locutiones proferuntur, ut in Isaia : Egredietur virga de radice Jesse, etc. Tertio, quum Is. xi, 1 quis revelationem divinam habet non frequentem ac diuturnam, sed subitam et transitoriam.

Spiritualiter demum, juxta Gregorium, D verbum absconditum, allocutio intimæ adspirationis potest intelligi, de qua ait Joannes : Unctio ejus docet vos de omnibus. I Joann. ii, 27. Venas autem superni susurrii auris cordis suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ mens desuper afflata et raptim et occulte cognoscit. Nisi enim ab exteriorum desideriis se abscondat, interna non penetrat. Venæ vero susurrii dicuntur causarum origines, quibus divina adspiratio ad mentem deducitur : quas nobis aperit Deus, dum latenter insinuat quibus modis ad

Digitized by Google

nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, interdum terrore compungit. Iterum, qui susurrat, occulte loquitur, et vocem aperte non exprimit. Nos autem quousque carne corruptibili premimur, nullo modo claritatem majestatis divinæ, sicut in se ipsa incommutabilis manet, videmus : quoniam acies infirmitatis nostræ non sustinet hoc, quod de ejus æternitatis radio super nos intolerabiliter fulget. Quum ergo nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis se indicat, nequaquam nobis loquitur, sed susurrat : quia etsi se plene non intimat, aliquid tamen de se menti humanæ ostendit. Tunc autem nequaquam susurrat, sed loquitur, quum ejus nobis certa species revelatur. Hinc in Evangelio Veritas dicit : Palam de Patre annuntiabo vobis. Et Joannes : Videbimus eum sicuti est. Hæc Gregorius. xvi. I Joann. 2.

Consequenter de tempore revelationis subjungit : *In horrore visionis nocturnæ,* id est in visione horribili, quæ tempore noctis monstratur. Vel, In horrore, id est tempore noctis tenebroso, quo homines citius timent, et revelationes frequentius fieri solent. Tempus namque nocturnum ob suam quietem, ad percipiendum revelationes magis est congruum, quando et exteriores sensus a suis occupationibus cessant, ipsaque vis imaginativa exstat quietior, atque ob id ad informationem desuper suscipiendam habilior : ideoque intellectus ad contemplationem est tunc magis dispositus. Itaque, in eo quod ait, In horrore, insinuat magnitudinem revelationis : horror etenim est de aliquo magno ac admirando, quod aut vix, aut non suffert natura humana. In eo autem quod ait, Visionis, innuit certitudinem veritatis : quoniam quod videmus, certum habemus. Addens vero, Nocturnæ, designat exterioris atque sensibilis luminis occultationem, dum strepitus sensuum non impedit intellectum.

Quando sopor solet occupare homines, id est, quando solent dormire, sicut in hymno ait Ambrosius : Deus creator, vestiens diem A decoro lumine, noctem soporis gratia. Quibus verbis, secundum Thomam, Eliphaz innuit se tunc non dormisse. Dicitque hoc loco Albertus : Sopor est profundus somnus, ligans sensus et imaginationes, sed ad intellectum non perveniens, quia intellectus non est virtus in corpore : propter quod in sopore magis operatur, quia nec operatione sensuum, nec imaginatione evocatur vel impeditur. Somnus autem commune est ligamentum sensuum, non phantasiæ nec imaginationis. Unde dicit Aristoteles B primo de Somno et vigilia, quod phantasia in vigilia movetur, et magis in somno. Hujus signum est, quod dicitur in Genesi, quia quum Dominus vellet revelare intellectuali revelatione, qualiter de latere Christi fabricanda esset Ecclesia, immisit soporem in Adam, ut scilicet, non impedito intellectu, limpide perciperet revelationem. Hinc scriptum est in Canticis : Ego dormio, et cor meum vigilat. In Numerorum quoque libro, ubi commendatur visio Balaam, et dicitur quod visiones Omni- C potentis intuitus est, præmittitur : Dixit homo cujus obturatus est oculus, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. Et intendit, quod quanto obturatus est oculus exterior, tanto limpidius videt interior, et quanto cadit exterior profundiori destitutus sopore, tanto apertiores habet oculos interiores ad veritatis contemplationem. *Gen.* II, 21. *Cant.* V, 2. *Num.* XXIV, 4, 3.

Hæc verba Alberti difficilia sunt, nec admodum resoluta. Nec asserendo, sed referendo ea commemoro : quorum discussio et explanatio multis indiget verbis, præ- D sertim quum soleat dici, quod per somnum seu sensuum ligamentum, usus rationis ac liberi arbitrii impediatur. Propter quod quædam quæ fiunt in somno, excusantur a culpa, quæ alias essent prorsus illicita. Verba quoque Balaam ad litteram, aliam habent interpretationem convenientiorem ; nec ipse Balaam sopore aut somno fuit oppressus, quando visiones illas duas accepit, propter quas allegata protulit verba, quemadmodum intuentibus textum libri Numerorum reor patere. Itaque propter

Digitized by Google

prolixitatem vitandam pertranseo : nec enim verba expositorum, sed textus, exponenda suscepi.

Circa hunc passum ait Gregorius : Horror nocturnæ visionis, est pavor internæ contemplationis. Humana etenim mens quo altius elevata, quæ sunt æterna considerat, eo de factis suis temporalibus gravius tremefacta formidat : quia tanto se ream verius cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse, quod super se intermicat, conspicit. Sed quando ad infirmos mentis nostræ oculos illud incommutabile lumen, sicut est, non erumpit, adhuc Deum quasi in nocturna visione adspicimus : in cujus magnitudinis comtemplatione mens horrescit, quoniam ipsis contemplationis ejus vestigiis se imparem sentit ; atque ad se relapsa, eum arctius diligit, cujus miram dulcedinem ferre non valens, vix hanc sub incompleta visione gustavit. Denique, quisquis internam quærens quietem, mundi strepitum fugit, quasi obdormit. Somnus autem in Scripturis tripliciter sumitur. Primo, pro morte carnis, dicente Apostolo : Nolumus vos ignorare de dormientibus. (I Thess. iv, 12.) Secundo, pro torpore negligentiæ, juxta illud : Tempus est nos de somno surgere. (Rom. xiii, 11.) Tertio, pro quiete vitæ æternæ, ut voce Sponsæ in Canticis dicitur : Ego dormio, et cor meum vigilat. (Cant. v, 2.)

Pavor tenuit me et tremor, id est, formido animæ et corporis trepidatio invaserunt et occupaverunt me. Ex hujuscemodi namque supernis atque insolitis auditis et visis, præsertim tempore noctis, naturale est homini, magno apprehendi timore. Unde quum homini fiunt revelationes insolitæ, in principio timore concutitur, patiturque tremorem. Porro, secundum Albertum, pavor motus est cordis secundum systolen ; tremor est trepidatio corporis, estque magno aliquo apparente, fuga cordis intra se ipsum. Dum enim intra se fugiens, intra se claudit spiritum, calorem et sanguinem, exteriora membra his tribus destituta, mox tremunt. Virtus namque membro affixa et debilis, movet ad unum

A situm ; destitutio autem caloris et spiritus, faciunt decidere ad situm oppositum : sicque causatur tremor inter duos situs oppositos.

Et omnia ossa mea perterrita sunt, id est tremore concussa seu alterata, ita quod timor cordis tam ingens ac vehemens fuit, quod in totum corpus intime atque fortissime redundavit. Sic et Isaias de se ipso testatur : Corrui, quum audirem ; conturbatus sum, quum viderem ; emarcuit cor meum. (Is. xxi, 3. 4.) Similiter Daniel ait in libro visionum suarum : Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. Sed et halitus meus intercluditur. (Dan. x, 16. 17.) Spiritualiter, secundum Gregorium, ossa sunt opera virtuosa ac fortia : quæ qui agunt, alicujus aliquando momenti ea existimant, quia quam sit subtile judicium divinæ districtionis, ignorant. Sed quum per contemplationem rapti superna conspiciunt, a suæ securitatis præsumptione liquefiunt ; et tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine quem conspiciunt, pensant.

Et quum spiritus me præsente transiret, id est, me accederet, seque mihi adveniens præsentaret, intelligendo per spiritum, angelum in forma visibili apparentem, ut Thomas innuit, et Lyra apertius dicit. Albertus tamen, per spiritum, intelligit superiorem animæ portionem, in qua ponitur intellectus : qui transivit, id est, in transitu raptim intellectum visionis accepit. Coram me, inquit, id est ante meum conspectum. Sed expositio prior est aptior. *Inhorruerunt,* id est, horripilationem passi sunt, seu præ horrore in altum surrexerunt, *pili carnis meæ.* Calore namque et spiritu ad interiora retractis, frigus obrepit in pelle, qua contracta, eriguntur capilli : quod horripilatio nuncupatur. Nec mirum, si ad præsentiam angelicæ ac cœlestis præpotentis virtutis, virtus humana inferior fragilis, taliter alteretur ac varietur, præsertim in nocte, quando res apparens seu audita, visu discerni non

Digitized by Google

valet : propter quod parva commotio tunc turbationem formidinemque inducit, opinantibus majus quid esse quam est. Mystice, juxta Gregorium, nobis præsentibus spiritus transit, quando invisibilia noscimus, et tamen hæc non solide, sed raptim videmus. Neque enim in dulcedine contemplationis intimæ diu mens figitur : quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata, revocatur ; et quum ire super se nititur, confestim ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur. Pili vero carnis, designant vitæ veteris cogitationes, quæ transeunte spiritu pertimescunt, quoniam vi compunctionis et divinæ illustrationis gratia fugiunt.

Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, id est spiritus angelicus in specie vultus humani, cujus determinatam notitiam non habebam : sicut nec Gedeon, nec Manue, clara die angelos intuentes, primo noverunt qui essent. (Judic. VI, 22; XIII, 16.) Et forte Eliphaz antea similem visionem non habuit, forsitanque in principio dubitavit an esset spiritus fallax. Dicendo autem, Stetit quidam, stabilitatem visionis ostendit, secundum Thomam, qui tamen paulo ante disseruit revelationem istam subitam transitoriamque fuisse : quod forte sic concordatur, quia comparatione visionum quas habuit Moyses, de quo ibi loquitur Thomas, subita et transitoria fuit, quamvis absolute loquendo satis fixa exstiterit. *Imago coram oculis meis.* Circa quod ait Albertus : Ne putetur fuisse sensualis visio, dicitur Imago, quasi dicat : Non veritas alicujus fuit, sed imaginaria visione * imago repræsentata coram oculis meis imaginariæ visionis. Thomas vero aliter sentit, et dicit : Quia in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somniis consuetis ac frivolis ; ideo ut ostendat hanc revelationem non dormienti, sed vigilanti factam, subjungit, Imago coram oculis meis : per quod significat se vidisse oculis per vigiliam apertis. Quem Lyra sequens, exponit : Imago, etc., quasi dicat, Angelus fuit in specie visibili mihi vigilanti apparens : quæ visio excellentior

* visio, id est

A est, quam quæ in somniis habetur. Verumtamen Albertus non negat eam in vigilia factam, imo hoc innuit : siquidem aliqui vigilantes rapiuntur in mentis excessum, et alienantur a sensibus ; res quoque quæ foris præsentari apparet, non nisi per similitudinem intus imaginarie demonstratam videtur. Denique, qui Thomam assequitur, quod ait, Imago, ita exponat, ut angelus vere apparuisse oculis exterioribus referatur : qui nihilo minus imago vocatur, quia in humana apparebat effigie.

B Sicque quod oculis objiciebatur, imago (id est similitudo) fuit hominis, non res seu veritas personæ humanæ.

Et vocem quasi auræ lenis audivi, id est, gratiose, molliter atque suaviter locutus est mihi, quemadmodum lenis aura dulciter molliterque diffunditur. Aura enim lenis, sibilo tenui et murmure levi movet aures sine tumultu : sic spiritus bonus aures eorum, in quibus nec mundus tumultuat, nec caro inundat, nec dæmon inquietudinem parit. Hinc tertio Regum de

C apparitione facta Eliæ habetur : Post ignem sibilus auræ tenuis ; ibi Dominus. (III Reg. XIX, 12.) Sibilus namque designat susurrium spiritus cum Deo, vel Dei seu angeli cum homine. Præterea, juxta Thomam, apparitiones aliquando fiunt a spiritu bono, aliquando a spiritu malo : et utrobique timorem patitur homo in principio propter visionem insolitam. Sed bono spiritu apparente, timor in consolationem finitur, ut patet in angelo confortante Danielem, et Gabriele confortante Zachariam Virginemque beatam. (Dan. X, 12, 18; Luc. I, 13, 30.) Spiritus

D autem malignus hominem perturbatum relinquit. Unde et nunc, per Vocem quasi auræ lenis, consolatio præcedentem sedans pavorem notatur, et visio a bono spiritu fuisse monstratur. Nihilo minus, in visionibus a spiritu bono exhibitis, aliquando voces horribiles et magnæ fiunt commotiones, quemadmodum in Exodo factum fertur in legis datione, in Ezechiele quoque et Apocalypsi. (Exod. XIX, 16, 18; Ezech. I, 4, 24; Apoc. I, 10.) Quod fiebat ad incutiendam hominibus reverentiam majestatis divinæ, vel ad declarationem potentiæ

Digitized by Google

ejus aut angeli, vel ob comminationes quæ præfigurabantur. Postremo, secundum Gregorium, per Vocem auræ lenis, cognitio Sancti Spiritus designatur, qui tenuiter nostræ menti infunditur.

Deinde ponit Eliphaz quod sibi in visione prolatum est. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur?* quasi dicat, Non utique : quia quantumlibet magna sit hominis justitia, a divinæ tamen perfectione justitiæ deficit infinite : ideo comparatione illius, est nullius momenti, et injustitia potius quam justitia, sicut comparatione *Marc. x, 18.* Dei nemo bonus aut sapiens. Propter quod *Is. LXIV, 6.* loquitur Isaias : Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ. Et Psalmista : *Ps. CXLII, 2.* Non justificabitur in conspectu tuo omnis *Eccli. VII, 5.* vivens. Ecclesiasticus quoque : Non te justifices ante Deum. *Aut factore suo purior erit vir?* id est, impossibile prorsus est, ut homo quicumque creatore suo sit mundior, sanctior sive præstantior : imo immense distat a puritate, simplicitate et sanctitate mentis divinæ ; et quidquid puritatis aut bonitatis sortitur, a suo adeptus *Is. LXIV, 6, 8.* est creatore. Hinc Isaias asserit : Facti sumus ut immundi omnes nos. Et nunc, Domine, pater noster es, nos vero lutum.

Ex quibus Eliphaz probare intendit, quod Job non sine sua culpa a Deo punitus sit : alioqui Deus esset injustus, quum opus justitiæ sit reddere unicuique quod meretur. Pœnam autem nemo meretur sine prævia culpa. Aliqui quoque homines tantæ sunt æquitatis, quod nullum volunt plagare, nisi pro sua iniquitate. Si ergo Deus quem punit absque suo demerito, sequitur, virum aliquem Deo consistere puriorem seu æquiorem. Hæc autem argumentatio contra Job non concludit, quoniam apud Deum opus justitiæ non solum est, reddere pœnam pro culpa, seu præmium pro merito, sed etiam electos innocentes adversis exponere, ut gloriosius coronentur, amplius mereantur, tentamentis pro- *Eccli. XXXIV, 9, 11.* bentur, (qui enim non est tentatus, quid scit?) aliis quoque in exemplum proponantur, aut suis afflictionibus opem aliis A præbeant, sicut et Christus sua passione mundum redemit. Alius demum est processus divinæ justitiæ, quam humanæ, ut patuit. Vel ideo dicit Eliphaz verba hæc, ut demonstret, quod licet Job secundum se humano modo justus fuisset, comparatus tamen ad Deum, defectu non caruit culpæ, quam Deus in eo poterat juste punire ; et si se dicit sine culpa punitum, Deum affirmat injustum. Ac si Eliphaz dicat : Quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accu- B sat? Puriorem ergo vir factore suo se æstimat, si contra flagellum querelam parat ; eumque sibi postponit, cujus judicium de sua afflictione redarguit.

Consequenter ostendit hominem sine peccato non esse, comparatione naturæ angelicæ. *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles,* id est, cives superni, qui incessabiliter Creatori laudibus puris deserviunt, non sunt penitus immutabiles et impeccabiles per naturam, sed vertibiles atque peccabiles, quando sibi ipsis relinquuntur, gratia C destituti. Propter quod adstruit Damascenus, quod omne creatum sit vertibile. Et juxta divinum Dionysium, omnis creatura incessanter conservatur a Deo, a quo si penitus relinqueretur, in nihilum laberetur. Verumtamen angeli sancti per gratiam in Deo sunt confirmati, et ab omni culpa præservati. Idcirco ex his non sequitur error Origenis, dicentis in cœlo esse ruinam. *Et in angelis suis* quibusdam *reperit pravitatem* superbiæ, antequam confirmarentur in bono, fruerenturve Deo : quem qui D semel in patria per speciem beatifice viderit, nunquam ab eo averti aut ruere potest. De casu autem primi angeli scriptum est in Isaia, et Ezechiele, ubi Dominus ait : *Is. XIV, 11-15 ; Ezech. XXVIII, 14, 16, 17.* Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei. Repleta sunt interiora tua iniquitate ; et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te. Elevatum est cor tuum in decore tuo. Christus insuper ait : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo *Luc. X, 18.* cadentem. Et Petrus in secunda sua Canonica : Deus angelis peccantibus non pepercit. *II Petr. II, 4.*

Digitized by Google

Quanto magis hi qui habitant domos luteas, id est homines, quorum terrena sunt Gen. II, 7. corpora, juxta illud Genesis : Formavit Deus hominem de limo terræ. Et Isaias dicit Deo : Is. LXIV, 8. Fictor noster es tu ; nos vero lutum. *Qui terrenum habent fundamentum*, id est carnem mortalem animæ rationali substratam : quæ caro in generatione hominis prima est, quemadmodum fundamentum in constitutione domus. Anima autem, in quantum est forma corporis, habet se ad illud sicut fundatum ad fundamentum : in eo namque fundatur ad consistendum, et illud subjicitur ei. In quantum vero est corporis motor, habet se ad illud, ut habitator ad domum, et nauta ad navem, juxta quem II Cor. IV, 7; V, 1. modum ait Apostolus : Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Et item : Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, in cœlis. Dicitur quoque homo habitare in hujusmodi lutea domo, ratione partis suæ principalioris, videlicet animæ corpus inhabitantis. *Consumentur velut a tinea*. Quod licet de corporali morte accipi possit, qua homo consumitur sicut vestis a tinea, tamen intentio Eliphaz est de consumptione spirituali per culpam, ut constat ex dictis. Ideo sensus est : Consumentur, id est, spiritualem vitam caritatis et gratiæ peccando amittent, velut a tinea consumitur tunica. Nam sicut ex tunica oritur, eamque corrodit, ita ex carne est fomes peccati, et sensualitas ipsa infecta, ratio cæca, voluntas ad vitia prona : sicque homo ex his quæ in ipso sunt, et oriuntur ex ipso, per culpam consumitur. Habet enim ex se inclinationem et pronitatem ad mala : quod angeli non habebant. Ideo scri- Sap. IX, 15. ptum est in libro Sapientiæ : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. In Genesi quoque : Sensus et cogita- Gen. VIII, 21. tio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua.

De mane usque ad vesperam succidentur, id est, per totum diei processum fre- A quenter peccando, a spirituali vita virtutum tollentur. Quod item de continua consumptione seu abbreviatione naturalis vitæ accipi potest. Indeficienter enim quid deperit de vita nostra qualibet hora, secundum illud in Isaia : De mane usque ad vesperam finies me. Is. XXXVIII, 13. *Et quia nullus intelligit*, nullus videlicet comparative, id est perpauci, quid sint et quam fragiles, et quot vitiis subditi, juxta quod scriptum est : Delicta quis intelligit? In Osee quoque : Po- Ps. XVIII, 13. pulus non intelligens vapulabit. Et Apo- Osee IV, 14. B stolus ait : Qui ignorat, ignorabitur. I Cor. XIV, 38. *In æternum peribunt*, qui ista non pensant, quum sint mortaliter vitiosi, quibus pœna debetur æterna. Ex quo certum est, quod Eliphaz ex revelatione hac, novit animæ immortalitatem infernaliumque pœnarum perpetuitatem.

Qui autem reliqui fuerint, id est, qui præter illos non intelligentes jam dictos exstiterint, scilicet boni atque electi, quæ Dei sunt intelligentes, *auferentur ex eis*, id est, de illorum reproborum consortio C secernentur, nec peribunt cum eis. *Morientur*, morte naturali et corporali, quæ bonis et malis communis est, *et non in sapientia*, id est, quantum ad sapientiam quam habent a Deo, non morientur, ita quod sapientia per mortem non tolletur ab eis. Vel sic : Qui autem reliqui fuerint, id est posteri pereuntium vitia parentum sequentes, seu alii a Deo non statim damnati, sed propter pœnitentiam agendam dilati, nec tamen pœnitentiam operati, auferentur de vita hac post patrum discessum. Porro, D quod additur, Ex eis, secundum Lyram non est in Hebræo neque de textu. Morientur, et non in sapientia vera ac spirituali, id est, sine ea decedent, quia nec eam habuerunt ; sed in stultitia propria, seu carnali et sæculari prudentia perierunt, juxta illud Baruch : Quia non habuerunt sapien- Baruch III, 28. tiam, interierunt propter suam insipientiam. Itaque Eliphaz per omnia ista intendit tam fragilem atque immundam esse naturam humanam, quod sine peccato esse non possit ; et quod dicens se purum, quum

Digitized by Google

puniatur a Deo, dicit Deum esse impurum sive injustum, et præfert se ei : sicque credendum sit, quod Job et filii ejus ob sua peccata percussi sint.

Quæritur, an Eliphaz habuit revelationem præscriptam a Deo, vel eam confinxerit. Hoc Thomas relinquit sub dubio. Lyræ autem videtur, quod finxit hæc, quia in
Job XLII, 7. fine libri Dominus ait ad Eliphaz : Non estis locuti rectum coram me. Rursus, quia inducit et applicat eam ad falsum intellectum. Potius tamen reor, quod eam non finxit : quod et Gregorius sentire videtur. Nec Job ita sensit de Eliphaz, ut apparet, quod finxerit ista : non enim aliquid imponit sibi de hoc. Nec argumenta conclu-
A dunt. Non enim dubium est, quin Eliphaz in processu disputationis suæ multa vera protulerit : nihilo minus ipse et ejus amici dicuntur non recta locuti, quia ad falsam conclusionem seu finem perversum hæc retulerunt, videlicet ad probandum Job pro suis excessibus esse plagatum, atque ad confirmandum positiones suas erroneas circa modum providentiæ Dei, ut dictum est supra. Præterea revelatio jam præscripta, in se vera atque sublimis est, sicque a Deo manavit. Eliphaz tamen ab-
B usus est ea, male applicans eam ad Job, sicut frequenter ratio sub veris principiis male subsumit : quod passio maxime facit.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : VOCA ERGO, SI EST QUI TIBI RESPONDEAT.

Recitata revelatione sibi desuper facta, Eliphaz irrisorie ac invective loquitur contra Job. *Voca ergo :* id est, quoniam mihi hæc revelata sunt, tu quoque qui te tam innocentem ac justum præsumis, in-
Joann. IX, 31. voca Deum, qui justos magis quam peccatores exaudit ; *si est qui tibi respondeat,* id est, precibus tuis effectum impendat, et tibi quæ dixi revelet ; *et ad aliquem Sanctorum convertere,* orando aliquem civem regni cœlestis, ut oret pro te, si de tuis meritis non confidis. Istud fuit et est sanum consilium, si recta intentione et ex caritate fuisset propositum : quia et nos in dubiis et ignotis Deum pro illuminatione invocare
Jacob. I, 5, 6. debemus, juxta id Jacobi : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.
Ps. XXXIII, 6. Et Psalmista : Accedite ad eum, et illuminamini. Denique, considerantes imperfectum nostrum, peccata et scelera nostra, propter quæ indigni sumus per nos ipsos immediate accedere ad thronum gratiæ
C Dei, ad aliquem vel aliquos Sanctorum nos convertamus, ad quos specialem affectionem fiduciamque habemus, præsertim ad Virginem gloriosam, ut intercedat pro nobis.

Consequenter insinuat sanctum Job iracundum invidumque fuisse, quamvis in generali loquatur. Cujus etiam verba in generali sunt exponenda : sic nempe profunda sunt, vera atque subtilia. *Virum stultum,* qui vera ac spirituali sapientia caret : stultitia quippe dono sapientiæ dire-
D cte opponitur. Stultus quoque vocatur, qui discretionem non habet eligendorum ac vitandorum. Talem *interficit iracundia,* formaliter, quoniam ira quum sit peccatum mortale ex genere, animæ mors est : sicque spiritualiter interimit hominem. Interficit etiam eum, quoniam morte damnationis æternæ, et interdum etiam morte corporali, eum efficit dignum. Imo quicumque peccat mortaliter, meretur divina conservatione in esse privari, protinusque

Digitized by Google

a Deo corporaliter quoque occidi. Nec mirum, quum mereatur et mortem gehennæ æternam. Quoniam vero sapientia facit hominem in omnibus ordinatum, et prudentia reddit discretum, qui sapientia atque prudentia caret, confestim superatur ab ira; ipsaque ira facit hominem stulto consimilem, rationis lumen vehementer obtenebrando, ita quod homo instar canis impetum sequitur passionis. Ideo dicit Ja- *Jacob.* I, 20. cobus : Ira viri, justitiam Dei non operatur. *Eccle.* VII, 10. Ecclesiastes quoque : Ne sis velox ad irascendum ; ira enim in sinu stulti requi- *Sap.* XII, 18. escit. Præterea, quum scriptum sit, Tu dominator, Domine, cum tranquillitate judicas, ira facit hominem in judicando specialiter Deo difformem, dum homo cum turbulentia judicat : quod maxime indecens est. Unde ad iram specialissime devitandam admonet *Matth.* XI, 29. Christus : Discite a me, quia mitis sum et humilis. Per iram etiam socialis vita confunditur, concordia dissipatur, societas ag- *Prov.* XVIII, 14; XXVII, 4; XXII, 24, 25. gravatur, juxta illud Proverbiorum : Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ? Et : Impetum spiritus concitati quis sustinebit ? Itemque : Noli assiduus esse cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.

Denique, secundum Thomam, non est aliqua conditio hominum, cui non adsit aliqua pronitas ad peccatum. Sunt autem duæ hominum conditiones. Quidam sunt magni elatique animi, qui facile provocantur ad iram, quoniam ira est appetitus vindictæ ex præcedenti offensa proveniens : quanto autem quis fuerit animi magis elati, tanto ex leviori causa se putat offensum. Talem vero nominat stultum, quia per superbiam homo præcipue metas rationis excedit, et humilitas viam sapientiæ parat. Stultitia quoque iracundiæ competit, quoniam in ultione modum rationis transgreditur. Quidam autem sunt pusillanimes, et hi ad invidiam proni sunt : de quibus statim dicetur. Postremo advertenda sunt, quæ hic scribit Gregorius de ira per zelum. Solerter, inquit, sciendum est, quod alia

A est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format : illa ex vitio, hæc virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum *Num.* XXV, 7, 8, 11-13. Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra *I Reg.* III, 13, 14. se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Sed quum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne ira quæ pro instrumento virtutis assumitur, menti dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis B tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, quum subdita rationi famulatur.

Et parvulum, eum videlicet, qui se ex prosperitate et bonis aliorum reputat minorari, *occidit invidia :* quæ est tristitia de bono alterius, in quantum apprehenditur ut proprii boni minorativum. Sicque invidens, per suam sibi invidiam testis est quod parvulus sit, quia ex aliorum magnificatione se æstimat parvificari. Ideo dicit Gregorius : Invidere non possumus, nisi C eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur : quoniam ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit cujus torquetur invidia. Porro, quum caritas sit directe spiritualis vita animæ, princeps et forma virtutum, invidia quæ ei directe opponitur, est pessimum vitium, occisio mentis, et corporali quoque vitæ multum nociva, Salomone dicente : Vita carnium, sanitas cordis ; pu- *Prov.* XIV, 30. tredo ossium, invidia. Invidi insuper specialiter imitantur diabolum, juxta quod D Sapiens asserit : Invidia diaboli mors in- *Sap.* II, 24, 25. troivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum, qui sunt ex parte ejus.

Quum itaque unusquisque nostrum ex naturali dispositione seu assuefactione ad aliquod speciale vitium inclinetur et pronus sit, debet contra illud specialissimam pugnam assumere, Deum jugiter pro triumphandi gratia implorando, aptiora remedia inquirendo, seque ad virtutem oppositam cordialissime applicando. Unde qui singulariter ad superbiam seu iram proclivis

Digitized by Google

est, contra vitia hæc specialissime prælietur, et ad humilitatem mansuetudinemque se disponat et det tanto exuberantius, quod oppositis vitiis magis tabescit.

Ego vidi stultum, id est vitiosum, superbum, et temporalia spiritualibus præferentem : quod summæ insaniæ est; *firma radice,* id est in terrenis prosperitatibus firmiter radicatum, instar arboris firmam in terra radicem habentis, ita quod forti fundamento tanquam radici videbatur inniti ac stabiliri, in temporalibus abundando. *Et maledixi,* id est, mala prænuntiavi ventura, atque a Deo maledicendum prædixi, *pulchritudini ejus,* id est terrenæ prosperitati, floritioni, ornatuique ipsius. Sapientes enim perpendunt impiorum prosperitatem celeriter finiendam, et ad miseriam deducendam: imo, quod tanto sunt infeliciores, quanto plus prosperantur in sæculo isto. Ideo de viro justo ait Psalmista : Ad nihilum deductus est in conspectu
Ps. XIV, 4.
Sap. IV, 3. ejus malignus. Et Sapiens : Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt. Sic quoque in Ecclesiastico scriptum est : Omnis
Eccli. X, 11, 12.
potentatus brevis vita. Sic rex hodie est, et cras morietur. Taliter venerabilis Mathathias maledixit pulchritudini impii, præsertim Antiochi : A verbis peccatoris ne
I Mach. II, 62, 63.
timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis; hodie extollitur, et cras non invenietur. Hujusmodi autem maledictio oritur ex affectu justitiæ; vel est prænuntiatio futuri magis quam imprecatio mali. Adjecit autem Eliphaz, *statim,* ad insinuandum quod ex zelo æquitatis non distulit, vel quia impiorum prosperitas mox cessabit. Talem ergo pulchritudinem vanam ac prosperitatem fallacem despicit virtuosus, qui metuendum Dei pensat judicium, prævidetque infernale supplicium. Quod agens Psalmista edocuit : Noli æmulari in mali-
Ps. XXXVI, 1, 2.
gnantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem : quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quasi olera herbarum cito decident.

Longe fient filii ejus a salute : id est, qui non solum secundum carnis propaginem, sed per impietatis quoque sequelam, filii ejus sunt, vera beatitudine privabuntur; et vicissim in sæculo isto pericula incidunt, puniuntur et pereunt. Juxta quem modum scriptum est : Ex iniquis omnes *Sap.* IV, 6
qui nascuntur filii, testes sunt nequitiæ adversus parentes suos in interrogatione sua. *Et conterentur in porta,* id est, per publicam justitiam in loco judicii morti adjicientur. Olim enim judices sedebant in urbium portis, ubi et impii accusati atque convicti, condemnabantur ad mortes. Unde in Deuteronomio scribitur : Judices et *Deut.* XVI, 18.
magistratus constitues in omnibus portis tuis. *Et non erit qui eruat* eos de morte. Propter enormitatem enim suorum excessuum, aliquando liberari non queunt. Vel, quia pravitatibus suis facti sunt omnibus odiosi seu detestandi, non est qui velit eos eruere. Nullus quoque de potestate divini judicii eos eripiet. Hinc et in Exodo habetur : Maleficos non patieris vivere. *Exod.* XXII, 18.

Cujus messem, id est blada et opes, *famelicus comedet,* id est, prædo depopulator, seu depauperatus, vel pauper necessitate compulsus, avide devorabit; *et ipsum rapiet armatus,* id est, a viro bellicoso armato ducetur captivus, aut spoliationem sustinebit rerum suarum; *et bibent sitientes divitias ejus,* id est, potando consument. Ista frequenter ad litteram ita fiunt; sed quod non semper, certissimum est, quum cernamus impiissimos parentes ac filios usque decrepitam senectutem impune peccare, mirabiliter prosperari, a nemine molestari. Interdum vero vitiosi parentes eorumque filii pravi, hæc patiuntur in vita præsenti, sicut et filiis Israel multoties contigisse in libris Regum ac Judicum legitur. Unde, quoniam multa eorum quæ amici Job dicunt generaliter, non implentur eo modo quo dicunt verbaque sonant, B. Gregorius non immerito talia spiritualiter interpretatur. Sed quia amici Job erronearum opinionum fuerunt, et ea quæ dicunt, ad suorum confirmationem errorum inducunt, non mirum si aliquando

Digitized by Google

universaliter vera non sint quæ proponunt. A Ideo talia caute ac sapienter sunt exponenda et capienda. Nec enim verba eorum in omnibus verba sunt Spiritus Sancti, quemadmodum verba Job : imo multa dicunt non vera, ut in processu patebit.

Nihil in terra sine causa fit. Hoc secundum unum intellectum clarissimum atque certissimum est. Si enim fit, sequitur quod sit effectus seu quid causatum : quo dato, sequitur quod habeat causam, eo quod causa et effectus correlative se habeant. Itaque ad minus habet causam efficientem, B determinatam vel indeterminatam, per se vel per accidens. Sic et Plato loquitur in Timæo : Nihil fit, cujus ortum causa legitima non præcessit. Nam et Philosophus ait : Causa est, ad cujus esse sequitur aliud, haud dubium quin effectus. Nec obstat, quod sunt quidam effectus casuales atque fortuiti. Nam et hi habent causam per accidens : et quamvis sint tales per comparationem ad causas secundas et proximas, tamen respectu primæ causæ seu providentiæ Dei, nihil casuale fortuitumque C consistit, sed certus est ordo causarum.

Porro, si verbum inductum intelligatur de causa determinata et propria, et de causa per se, veritatem non habet, ut in casualibus patet effectibus. Rursus, si accipiatur secundum Eliphaz intentionem, veritate carebit. Nempe Eliphaz verbo hoc voluit dicta Job falsificare, quibus se dixit sine suo demerito ita plagatum. Quasi Eliphaz diceret : Sicut in naturalibus nihil fit sine determinata et legitima causa, ita in rebus humanis nil fit sine causa meritoria D præcedenti. Tua ergo, o Job, adversitas, non nisi propter præcedentia tua demerita seu peccata, inflicta est tibi a Deo. Istud argumentum non valet, tum quia in naturalibus non semper effectum præcedit causa determinata per se, tum quoniam in humanis causa pœnæ inflictæ non solum est prævia culpa, sed et aliquæ causæ diversæ, ut dictum est et dicetur. Deus quippe ex sua sapientia, pietate et potestate flagellat aliquando et justum, non ob præviam culpam, sed ob ampliorem ejus profectum, aliorumque ædificationem, ac diaboli confusionem ; vel ob divinæ omnipotentiæ declarationem, beatitudinisque futuræ augmentum. Deus etiam in hominibus nihil facit, nec fieri sinit, nisi ob causam quamdam finalem, ut vel sua justitia in reprobis manifestetur, vel sua clementia in electis reluceat.

Et de humo non egredietur dolor. Hoc, secundum Thomam, metaphorica exstat locutio. Quædam etenim herbæ sine jacto in terram semine producuntur, quæ de terra sponte nasci dicuntur. Sicque metaphorice quidquid sine causa propria fit, diceretur de humo sine semine nasci. Itaque, De humo non orietur dolor, id est, adversitas sine propria causa, scilicet prævia culpa, nulli continget, desuperque præstabitur. Quæ argumentatio, ut tactum est, non est fortis. Non enim culpa est dumtaxat causa pœnæ inflictæ. At vero, secundum Albertum, de humo, id est terra humida et commixta in naturam corporis humani, puta de carne mortali, non egredietur dolor, id est causa doloris, videlicet secundum quod caro est, et quoad id quod habet a Creatore. Sic enim non est origo peccati, quod, secundum Eliphaz, est causa doloris seu pœnæ. Imo, secundum Dionysium et Augustinum, voluntas, ut ex nihilo facta atque ex se ipsa defectuosa ac labilis, est radix peccandi, et per eam infecta est caro. Unde Albertus allegat illud Fulgentii : Deus non est ultor cujus est actor.

Porro, quod nihil fiat sine causa in terra, quasi exemplificando in rationali irrationalique creatura, subjungit : *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum :* id est, Deus creator nec hominem nec avem frustra, sed rationabili causa instituit, ut homo per laborem sibi de necessariis victui, habitationi, vestituique provideat ; et avis per volatum, quæ suæ conveniunt naturæ exerceat, nidificando, victum quærendo, pericula fugiendo. Unde et avibus pro vestimentis et armis natura contulit

Digitized by Google

plumas et rostra ac ungues ; hominem vero nudum nasci instituit, ut laborando, vestimentum habitaculumque, si desint, conquirat. Vult itaque dicere, quod res nascatur ut actus suos exerceat, non ut Deus eam sine causa affligat. Nam et naturalia esse dicuntur propter suas operationes, propter quod in necessariis natura non deficit. Omnia namque habent dispositionem operationi propriæ congruam : quo constat, quod naturales rerum dispositiones non sunt sine causa, sed propter determinatum et congruum finem. Præterea verba hæc altius queunt exponi, sicut, præstante Deo, sequenti tangetur articulo.

Omnia hæc Eliphaz ponit, ad concludendum, quod omnia providentiæ divinæ subjaceant, eo quod singula ad proprios actus ac fines sint ordinata. Quod (secundum Albertum) inducit ad confutandum errorem philosophorum quorumdam, dicentium, quod gubernatio hominis esset ex infaustis vel faustis scintillationibus periodi : quoniam quamvis creator Deus res faciat, factas tamen mutabiles gubernandas committit periodo, et casuali mutabilitati naturæ mortalis : quam opinionem dicit Rabbi Moyses Ægyptius, in tertia collatione Ducis neutrorum, fuisse Aristotelis et quorumdam Peripateticorum. Verumtamen ista non fuit omnium philosophorum opinio, quia nonnulli eorum ex prætacta Eliphaz consideratione testati sunt, providentiam Dei excelsi et gloriosi usque ad inferiora et ima pertingere, secundum quod decimo de Civitate Dei Augustinus ostendit, dicendo : Plotinus Platonicus de Providentia disputans, eam a summo Deo (cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo) usque ad hæc terrena et ima pertingere, flosculorum ac foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis et incommutabilis simul exemplariter habens omnia, perseverat. Hoc et Dominus Jesus ostendit in Evangelio : Considerate, inquiens, lilia agri quomodo crescunt. Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex illis. [*Matth.* 28, 29.]

Quum ergo divinæ providentiæ omnia subsunt, Eliphaz subdit : *Quamobrem ego deprecabor Dominum,* ut te convertat et me dirigat : quem orare esset inane, nisi rerum cognitionem providentiamque haberet : quam quia habet, exorandus est semper ; *et ad Deum ponam,* id est dirigam, *eloquium meum,* ipsum orando atque laudando, et secundum voluntatem ipsius loquendo. Scriptum est enim in libro Sapientiæ : Auris zeli audit omnia. [*Sap.* I, 10] Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere. *Qui facit magna,* in operibus naturæ, *et inscrutabilia,* in mysteriis gratiæ, *et mirabilia,* in supernaturalibus donis gloriæ, *absque numero* nobis noto, quamvis non absque numero absolute, quum scriptum sit : Omnia in mensura, et numero, et pondere constituisti. [*Ibid.* XI, 21] Denique, quod ait, Absque numero, referendum est ad tria prædicta. Quamvis etiam tria præfata per quamdam coaptationem ad opera naturæ et gratiæ ac gloriæ sint relata, nihilo minus, tam in operibus naturæ quam gratiæ et gloriæ, efficit Deus magna, quantitate et virtute ; et inscrutabilia, quantum ad omnia quæ in rebus creatis consistunt, quorum omnes ac singulas rationes, proprietates, vires et actus, nemo nostrum potest discutere, scrutari et invenire ; et mirabilia, quæ considerantium mentes in admirationem convertunt ob eminentiam suam, qualia maxime sunt supernaturalia opera Dei, et quæ proprie miracula appellantur. De quibus fert Psalmista : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. [*Ps.* LXXI, 18] Hinc rursus cantat Psalmista : Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. [*Ps.* LXXXV, 8] Quemadmodum enim incomparabilis sapientiæ atque potentiæ actor est Deus, sic decet opera ejus præclarissima esse. Cujus incomparabile opus est totus hic mundus, de quo in libro

Digitized by Google

de Civitate Dei asserit Augustinus : Omni A miraculo quod exhiberi potest in mundo, majus miraculum est ipse mundus. Prædicta igitur facit Omnipotens absque numero, secundum modum expositum. Item, quum sit potestatis penitus infinitæ, non potest in tot et tanta per effectum procedere, quin possit in plura atque majora infinities utique.

Præterea, in minimis rebus, sicut in arboris folio atque similibus, excellentiam Dei satis mirari non possumus, neque in particulari assignare omnes rationes for- B mationis, dispositionis ac virtutis hujusmodi rerum. Hinc quinto de Civitate, loquitur Augustinus : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum convenientia partium et quadam veluti pace reliquit. Unde et Hugo in libro de Tribus diebus, ait : Est verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus sibi simile procreat, et in tam multis similitudo una propagata, primæ originis formam non variat. C Unumquodque suam speciem habet, et unumquodque generis sui similitudinem servat. Vide folium quomodo serratis dentibus per gyrum distinguitur ; quomodo intrinsecus productis costulis huc illucque intexitur. Numera unum, numera aliud ; omne quod unius est generis, unius invenies similitudinis.

Qui dat pluviam super faciem, id est superficiem, *terræ*. Divina etenim ordinatione per solis calorem vapores elevantur in aere, et condensantur ibi in nubes, ac D resolvuntur in aquas pluviales, guttatim seu rivulatim in terram ruentes, ut eam fecundent, atque concepta in ea germina
Is. LV, 10. nutriant, juxta illud Isaiæ : Descendit imber de cœlo, inebriat terram, et germinare eam facit. Quod quia Deo est proprium,
Jer. XIV, 22. loquitur Jeremias : Numquid sunt in diis
Ps. CXLVI, 8. gentium qui pluant ? Et Psalmista : Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Quod et Christus docet in Evangelio,
Matth. V, 45. loquens de Patre, dicensque : Qui pluit super bonos et malos. Hinc legitur in Amos :
Qui vocat aquas, et effundit eas super *Amos* V, 8.
faciem terræ ; Dominus nomen ejus. *Et irrigat aquis universa* terræ nascentia, seu loca terrarum quibus aqua est necessaria : quod facit tempore sibi placente atque præfixo ; sæpe autem ob hominum vitia subtrahit beneficium istud. Ait autem Thomas hoc loco : Res naturales contemperatæ esse videntur ad vitam hominum aliorumque animalium conservandam. Unde licet naturalis ordo elementorum aliud requirere videatur (si quis enim in elementis gravitatem et levitatem consideret, manifestum est naturaliter terram in elementis aquæ subjacere, et aeri aquam, aerem vero igni), invenitur tamen aliqua pars terræ discooperta ab aquis, immediate aeri subjacere. Aliter namque animalia respirantia vivere in terra non possent.

Consequenter Eliphaz actum divinæ providentiæ monstrat in dispositionibus hominum. *Qui ponit humiles in sublime :* quod Deus multipliciter facit, et aliquo modo non facit. Contingit quippe interdum, ut dejectos, humiliatos, contemptos a suis eripiat adversitatibus in præsenti, et ad dignitates, potestates vel prosperitates promoveat, juxta illud Ecclesiastici :
Sedes ducum superborum destruxit Deus, *Eccli.* X, 17.
et sedere fecit mites pro eis. Et Virgo
beata : Deposuit, inquit, potentes de sede, *Luc.* I, 52.
et exaltavit humiles. Frequenter quoque contingit oppositum, ita quod quidam electi vel etiam reprobi usque ad ultimum vitæ opprimantur ab impiis, ut patet in multis martyribus. Unde Jacobus ait in sua
epistola primitivæ Ecclesiæ filiis : Nonne *Jacob.* II, 6.
divites per potentiam opprimunt vos ? Porro veraciter humiles, Deo in sancta humilitate subjectos, erigit Deus semper in vita præsenti ad altitudinem gratiæ, in futuro quoque ad sublimitatem gloriæ, dummodo in virtutibus perseverent. Interdumque ponit tales in sublimitate præsidentiæ spiritualis aut sæcularis, dando fidelibus principes aut prælatos idoneos et condignos.

Digitized by Google

Et mœrentes erigit sospitate, id est, eos qui bono ac virtuoso afficiuntur dolore, sua vel proximorum peccata deflendo, Christi passionibus condolendo, Dei injuriam, Ecclesiæ ruinam, cœlestis beatitudinis dilationem ex caritatis fervore plangendo : tales Deus a sua mœstitia transfert ad consolationem, ad animi sanitatem, ad mentis vigorem, sicut et Christus promittit : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (*Matth.* v, 5.) Ideo ad Corinthios ait Apostolus : Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et rursus : Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. (II *Cor.* i, 3-5.) Itemque Psalmista : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. (*Ps.* xciii, 19.) Itaque, tempore adversitatis et afflictionis simus constantes, Dei misericordiam fiducialiter implorantes, ac longanimiter præstolantes, illud Tobiæ intuentes : Non delectaris, Domine, in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis. (*Tob.* iii, 22.)

Qui dissipat, id est, ab opere ac fine intento multoties impedit, *cogitationes malignorum,* quibus contra justos insidiose cogitaverunt, *ne possint implere manus eorum,* id est potentiæ operativæ, vel etiam corporales manus, quæ sunt instrumenta intellectus practici, sicut lingua instrumentum est intellectus speculativi, *quæ cœperant,* vel per cordis affectum, vel per operis inchoationem. Deus quippe suorum defensor est, et insidias impiorum frequenter convertit in caput eorum, quemadmodum in libris Regum, Paralipomenon ac Judicum, per multa exempla describitur, pugnante Deo pro Israel. Prout etiam in Esdra habetur : Dissipavit Deus consilia eorum, videlicet Samaritanorum. (II *Esdr.* iv, 15.) Ideo cantat Psalmista : Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum. (*Ps.* xxxii, 10.) Et in Isaia impiis dicitur : Inite consilium, et dissipabitur; accingite vos, et vincimini. (*Is.* viii, 10, 9.)

Qui apprehendit, id est, concludit, capit, vincit et impedit, *sapientes,* secundum carnem et sæculum, id est astutos et callidos, *in astutia eorum,* convertendo fraudulentam eorum versutiam in nocumentum et damnationem ipsorum ; innocentes quoque, justos et simplices eruendo ab illis, quemadmodum in Absalone, Achitophel, et Aman legitur factum. (II *Reg.* xvii, 9; xviii, 2; *Esther* vii, 9. 10.) Ideo dicit Psalmista de fraudulento : Lacum aperuit et effodit ; et incidit in foveam quam fecit. (*Ps.* vii, 16.) In Isaia quoque legitur : Sapientia tua et scientia decepit te. Veniet super te malum, et nescies ortum ejus. (*Is.* xlvii, 10, 11.) Hinc in Proverbiis ait Scriptura : Abominatio est Domino omnis illusor, et illusores ipse deludet. Cum simplicibus autem sermocinatio ejus. (*Prov.* iii, 32, 34.) Sincero ergo, vero ac simplici corde coram Domino ambulemus, omnem simulationem, duplicitatem, dolositatem vitantes. Quum enim similitudo sit causa amoris, ipseque Deus gloriosus ac adorandus, sit superserenissima, simplicissima atque rectissima mens, constat quod astutos et fraudulentos vehementer abhorreat, sinceros vero, rectos et simplices præcipue amet.

Denique, ut in Proverbiis habetur : Non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum. (*Ibid.* xxi, 30.) Hinc frequenter contingit, quod quanto quidam astuti atque dolosi acutius contra justitiam cogitant, et quæ recta sunt Deoque placita, callidius impedire conantur, eo plus oppositum accidit : quemadmodum tyranni quo graviora martyribus intulerunt supplicia, ut christianam fidem penitus abolerent, eo amplius per beatissimorum martyrum constantiam, merita atque miracula, crevit Religio christiana. Propter quod fertur in Psalmo : Narraverunt ut absconderent laqueos. Dixerunt : Quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinia. (*Ps.* lxiii, 6, 7.) Unde mox subditur, *et consilia pravorum dissipat :* contraria consiliatis inducendo, vel saltem vana consilia ab effectu impediendo, juxta illud Ecclesiastici : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniat illusio. (*Eccli.* xxvii, 30, 31.) Sic legitur Deus

II Reg. xvii, 14; xv, 31. dissipasse consilia Achitophel, sicut et David oravit : Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. Hinc in Isaia fertur de Is. xl, 23. Deo : Dat scrutatores secretorum quasi non sint. Præterea contemplandum, quod Deus sublimis et benedictus frequenter justo atque occulto judicio permittit filios hujus sæculi, reprobos, dolosos et ambitiosos, cogitationes suas astutas et iniqua consilia ad effectum perducere concupitum, et mirabiliter prosperari in adinventionibus suis, ad graviorem eorum damnationem. Finaliter tamen apprehendet eos I Cor. iv, 5. in suis astutiis, quando revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Tunc enim juxta exigentiam impietatis ac fraudulentiæ suæ, confusiones sortientur et pœnas, juxta quod in Prov. i, 31. Proverbiis prædicitur : Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

Per diem, id est, dum prosperari et luce sapientiæ suæ non veræ uti videntur, *incurrent tenebras* adversitatis et ignorantiæ, ita quod in consiliando circumspecti non erunt, *et quasi in nocte sic palpabunt in meridie,* id est, eatenus excæcabuntur in mente, quod in his quæ tam clare vera ac justa sunt sicut meridies, nutabunt, dubitabunt, errabunt, sicut in his quæ magnæ sunt difficultatis et obscuritatis. Rursus, dum in maxima videntur suæ prosperitatis ac sæcularis prudentiæ claritate consistere, gravius obtenebrantur in corIs. lix, 10. de. Quibus consonat illud Isaiæ : Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis contrectavimus; impegimus meridie quasi in tenebris. Ad quod spirituali-Jer. xv, 9. ter pertinet illud : Occidit ei sol quum adhuc esset meridies. Denique in omnibus his videtur Eliphaz sanctum Job tangere, quasi ipse occulte vitiosus astutusque fuerit, atque per plagam sibi inflictam impeditus sit implere quæ male concepit ; et quando maxime florere apparuit, subito est dejectus. Est enim consuetudo quibusdam, ut quum aliquem pungere velint, disputent in generali contra peccata, qui-

A bus eum implicatum sciri insinuareque cupiunt.

Porro salvum faciet egenum de gladio oris eorum, id est de verbis eorum detractoriis, maledictoriis, pungitivis : quæ gladio comparantur, quoniam penetrant viscera mentis. Unde in Psalmo : Gladius in Ps. lviii, 8. labiis eorum ; et : Lingua eorum gladius Ps. lvi, 5. acutus. In Proverbiis quoque : Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, et Prov. xxx, 14. commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.

B *Et de manu violenti, pauperem.* Quandoque hæc Deus facit in vita hac ; interdum vero permittit innocentes, justos et inopes usque ad mortem ab impiis molestari. Hinc ait Psalmista ad Dominum : Tibi de- Ps. ix, 14. relictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Et in Jeremia scriptum est : Laudate Jer. xx, 13. Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. *Et erit egeno spes* evadendi. Ex hoc enim quod experitur auxilium Dei et providentiam ejus circa regimen hominum, spem suam ponit in Deo.

C Ipseque Deus est spes ejus, id est objectum suæ fiduciæ, tanto amplius, quanto minus ab hominibus videt se adjuvandum. Sic et nos semper in Domino confidamus, obtemperando ejus mandatis, juxta illud : Spera in Deo tuo semper. *Iniquitas autem* Osee xii, 6. *contrahet os suum,* id est, iniqui divina potestate repressi, a solitis pravitatis suæ sermonibus refrenabuntur. Hoc et Psalmista fatetur : Adjuvit, inquit, pauperem de Ps. cvi, 41, 42. inopia ; et omnis iniquitas oppilabit os suum. Et iterum : Obstructum est os lo- Ps. lxii, 12.

D quentium iniqua. Per Isaiam quoque impio loquitur Deus : Ponam circulum in Is. xxxvii, 29. naribus tuis, et frenum maxillis tuis.

Beatus homo qui corripitur a Domino, id est, qui in præsenti castigatur et emendatur a Deo per suæ paternæ pietatis flagella aut increpatoria verba. Hoc enim est signum paternæ dilectionis, curæ atque clementiæ Dei ad hominem, quum peccata sint animæ vulnera, quæ per adversa tanquam emplastra optimaque remedia jam curantur. Propter quod Dominus protesta-

Digitized by Google

Apoc. iii, 19. tur : Ego quos amo, arguo et castigo. Et II Mach. vi, 13. alibi inducitur : Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Hinc Jeremias sapienter rogavit : Jer. x, 24. Corripe me, Domine; verumtamen in judicio, et non in furore tuo. Porro non castigari ita a Deo, sed in propriis voluntatibus derelinqui, et cum securitate peccare atque ad libitum prosperari, horribilissimum est, indiciumque maximæ iræ ac odii Dei, et metuendissima ultio ejus, secundum quod ipse de reprobis fatetur in Psalmo : Ps. lxxx, 13. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis. Et per Ezechielem indurato populo ait : Ezech. xvi, 42. Zelus meus recessit a te; non irascar tibi amplius. Cupiamus ergo nunc visitari a Deo; patientiamque postulemus ab eo, qua omnem vitæ hujus adversitatem æquanimiter toleremus, tanquam purgamentum vitiorum nostrorum, et tanquam præparamentum gratiæ amplioris, pensantes illud Apostoli : I Cor. xi, 32. Quum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Et illud : Hebr. xii, 7, 8. Quis filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis.

Ex his Eliphaz convertit se ad exhortationem ipsius Job, quem putavit ex impatientia, desperatione et tædio vitæ, verba capituli tertii protulisse etiam secundum rationem passione devictam, videlicet, Pereat dies in qua natus sum. *Increpationem ergo Domini,* id est hanc tuam tribulationem et quamcumque adversitatem tibi ex judicio divinæ providentiæ accidentem, *ne reprobes,* murmurando et maledicendo ; *quia ipse vulnerat,* peccatorem in corpore plagando, *et medetur,* inflictam plagam tollendo, et consolationem præstando, a vitiisque purgando : imo vulnerando medetur, ita quod ejus vulneratio est peccati medela. Pœnæ etenim vitæ præsentis sunt remedia vitiorum. Sic et medicus vulnerando medetur, dum incidendo expellit materiam morbum causantem. *Percutit*

A pœna, *et manus ejus sanabunt* a culpa, itemque crebro a pœna inflicta, quemadmodum in Deuteronomio testatur : Deut. xx[xii], 39. Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo. Salomon quoque huic alludit doctrinæ, dicens : Prov. iii, 1[1], 12. Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi. Et Apostolus ad Hebræos : Hebr. x[ii], 11. Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea B autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Postremo, ad patientem ac humilem disciplinæ, sive in verbis, sive in pœnis susceptionem, potissime monent nos libri Sapientiales; laudantque eos, qui eam gratanter recipiunt, eam vero spernentes dire vituperant. Hinc nempe scriptum est : Prov. xi[ii], 18; xv, 32. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Alibi quoque : Qui projicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit in C crepationibus, possessor est cordis. Similiter in Ecclesiastico legitur : Eccli xx, 4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! Sic enim effugies peccatum.

Consequenter Eliphaz specificat, a quibus adversitatibus eruendus fuerit Job, si pœnitentiam veram egisset, atque illata flagella de manu Dei æquanimiter suscepisset. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Hæc autem liberatio dupliciter potest intelligi. Primo, per anticipationem, ita quod nulla D earum eveniet justo, seu peccatori per pœnitentiam et flagella sufficienter purgato et emendato. Secundo, per sublationem, ita quod quum aliqua earum cuique evenerit, auferetur, si ille pœnitentiam fecerit. Quumque per sex fuerit emendatus, in septima adversum nil patietur.

Deinde nominat tribulationes. *In fame eruet te de morte,* id est, tempore caristiæ aliis fame labentibus, necessaria vitæ habebis. Vel, In fame, id est, si famem ex naturalium defectu pertuleris, providebi-

Digitized by Google

tur tibi a Deo ne pereas fame. *Et in bello, de manu gladii,* id est, si in bellum descenderis, non permittet te Deus occidi. Hæc est tribulatio secunda. De tertia subditur : *A flagello linguæ absconderis,* id est, persecutionem verborum ab aliis non patieris, videlicet detractionem, convitia, diffamiam. Justus enim, vereque pœnitens, digni sunt laudibus, exemplaresque aliis. Ideo eis non debent verborum inferre molestiam. Unde Ecclesiasticus dicit :
Eccli. LI, 3. A laqueo linguæ iniquæ liberasti me. Hæc tria Eliphaz commemoravit, quoniam fames causata est sancto Job ex ablatione substantiæ ; bellum, quia Chaldæi contra sua tres turmas fecerunt ; flagellum linguæ, ex improperio conjugis. *Et non timebis calamitatem,* id est cladem pestilentialem sive hostilem, *quum venerit* aliis, certus de protectione divina. Hæc est tribulatio quarta. Alias duas tangens, subjungit : *In vastitate,* id est fructuum devastatione vel hominum oppressione, *et fame* inde procedente, *ridebis,* id est, lætus eris, quia nullum istorum tunc patieris. Sed quum superius posuerit famem pro prima tribulatione, cur nunc eam resumit et ponit pro sexta? Et respondendum, quod ibi sumitur fames pro ea, quæ generatur ex terræ sterilitate; hic pro ea, quæ concomitatur vastitatem terræ ab hostibus. Hæc tria Eliphaz dixit, quoniam filii et filiæ Job erant sibi repente ablati, sicut in pestilentia ; et quoniam bona ejus erant a Chaldæis et Sabæis vastata, ex qua re etiam penuria sibi exorta est. *Et bestias terræ non formidabis,* quia securus eris, quod nec tibi, nec soboli aut familiæ, seu gregibus tuis nocebunt.

Denique, verba hæc Eliphaz ad litteram generaliter stare non possunt. Quamvis interdum contingat justos, seu per pœnitentiam emendatos, ab his erui malis, non autem semper sic fit : imo sæpe virtuosi hæc patiuntur, vitiosi vero ab eis immunes
I Cor. IV, sunt. Nam et Apostolus ait : Esurimus et sitimus. Multique martyrum ac justorum afflicti aut etiam perempti sunt fame. In præliis quoque interdum cadunt qui ju-

A stam causam habebant, et sceleratissimi prævalent, sicut et filii Benjamin bis præ- Judic. XX, 16-25.
valuerunt contra filios Israel. Sed et justi detractionibus invidorum quotidie corroduntur, et ceteris adversitatibus jam præfatis electi a reprobis exercentur, juxta quod scriptum est in eorum persona : Quo- Ps. XLIII, 22.
niam propter te mortificamur tota die.

Deinde Eliphaz spondet beato Job abundantiam bonorum post sublationem malorum. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum,* id est, terræ saxosæ erunt tibi fru-
B ctiferæ, quasi fœdus amicitiæ tecum inierint. Ita exponit Thomas. Quodque subjungitur, *et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi,* exponit de brutis, quod ei nocumentum non inferent. Albertus vero, per lapides terræ, intelligit viros constantes, ob animi soliditatem sic dictos, cum quibus erit ei pactum socialis atque pacificæ conversationis ; per bestias autem, intelligit crudeles sive tyrannos. *Et scies,* per experientiam, *quod pacem habeat tabernaculum tuum,* id est, domus tua erit quieta, et
C bene disposita in personis, rebus et fabricis ; *et visitans speciem tuam,* id est proximum tuum seu conjugem ejusdem tecum speciei exsistentem, *non peccabis,* inordinate te ad eos habendo, sed moderate. Vel, Visitans speciem tuam, id est divitiarum et rerum decorem, non peccabis per superfluum affectum ad talia. *Et scies quoniam multiplex erit semen tuum,* id est, filii tui multi erunt et plurimos generabunt, *et progenies tua* erit virens, fecunda et pulchra, *sicut* * *herba terræ. Ingredieris* * quasi
D *in abundantia sepulcrum,* id est, plenus divitiis morieris ac sepelieris, *sicut infertur acervus tritici in tempore suo,* id est tempore maturitatis seu messis, ita quod ante decrepitam senectutem non morieris. Circa quod scribit Albertus : Acervus ex multis colligitur, et triticum pretiosius granum est. Et vult dicere, quod merita cumulabit, et in æterna erit refectione pretiosissimorum bonorum. Unde Albertus, quantum ad hoc, subtilius considerasse censetur mentem amicorum Job, quod as-

Digitized by Google

serit eos posuisse vitam post hanc vitam, seu animam immortalem, quam alii quidam asserentes oppositum.

Postremo, quoniam Eliphaz rhetorice disputavit, in fine sermonem suum de duobus commendat, videlicet, quod probatus exsistat et verus. *Ecce hoc,* totum quod nunc introduxi in istis duobus capitulis contra te, *ut investigavimus,* per diligentem considerationem et orationem ad Deum pro sua illuminatione fusam, *ita est,* id A est, verum est. *Quod auditum* a me, *mente pertracta,* id est, mentaliter pensa, ut revertaris ad cor et corrigaris. Et in hoc, secundum Gregorium, Eliphaz animositatem suam ostendit. Sed (ut ante tactum est, et Thomas fatetur), quædam verborum Eliphaz secundum ejus intentionem universaliter vera non sunt, quamvis aliquando impleantur : imo promissio ista prosperitatis jam tacta, in ipso Job postea effectum sortita est.

ARTICULUS XVI

MYSTICA EJUSDEM CAPITULI EXPLANATIO.

QUALITER exordium præelucidati hujus capituli unicuique fideli queat aptari, ex principio præcedentis claret articuli. Porro quod dicitur, *Ego vidi stultum firma radice,* B. Gregorius de perfido populo Judæorum exponit : qui populus firma radice convaluit, multis Dei beneficiis in spiritualibus ac corporalibus radicatus; et tandem collata sibi potestate abutens, Christum et primitivam ejus Ecclesiam persecutus est, atque exstinxit saltem pro parte, videlicet multos credentium. Cui stulto populo Eliphaz maledixit, id est, quicumque Christi amicus periturum prædixit. *Longe fient filii ejus a salute.* Omnes namque posteri perfidæ plebis illius, qui infidelitatem patrum suorum sequuntur, vera beatitudine sunt privati. De quibus populus ille clamavit : Sanguis ejus, scilicet Christi, super nos et super filios nostros. De quibus ait Apostolus : Pervenit super eos ira Dei usque in finem. *Et conterentur in porta.* Ad litteram, in portis Jerusalem urbiumque Judææ a Romanis occisi sunt. Contriti sunt quoque in porta, id est in Christo, qui ait, Ego sum ostium ovium : quia in ejus præsentia increduli facti sunt, quem crediderunt ven- B turum. Unde Simeon ait de Christo : Positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel. Et ipsemet Christus : In judicium, inquit, ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. Juxta hunc modum dicitur Christus factus lapis offensionis et petra scandali incredulis.

Matth. xxvii, 25. — *I Thess. ii, 16.* — *Joann. x, 7.* — *Luc. ii, 34.* — *Joann. ix, 39.* — *I Petr. ii, 8.*

Cujus messem famelicus comedet. Messis Judæorum, fuit sacra veteris Testamenti Scriptura animæ refectiva, qua Judæi refecti non sunt, dum eam carnaliter acceperunt, C nec spiritualiter intellexerunt. Alienus vero, id est plebs gentilis conversa, eam comedit, quoniam per Apostolicam prædicationem et Sancti Spiritus illustrationem ad veram ipsius intelligentiam est perducta. Fuitque esuriens intellectum sacræ Scripturæ et prædicationem verbi cœlestis, quemadmodum de Thessalonicensibus recitat Lucas, quod cum omni aviditate susceperunt verbum Dei. De fame hujusmodi Dominus ait : Mittam famem in terra : non famem panis, neque sitim aquæ, sed D audiendi verbum Dei. De qua loquitur Christus : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. *Et ipsum* populum Judæorum incredulum, *rapiet armatus* populus Roma-

Act. xvii, 11. — *Amos viii, 11.* — *Matth. v, 6.*

Digitized by Google

Dan. ix, 26. nus. De quo scribit Daniel : Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Rapuit etiam eos diabolus suis suggestionibus, eos per infidelitatem necando. De quo in Evangelio dicit Salvator : Luc. xi, 21. Quum fortis armatus custodit atrium suum. Armatus est quippe multiplici experientia, naturali industria, acutissima fraude, et grandi potentia contra electos. *Et bibent sitientes* aquam sapientiæ salutaris, videlicet conversi gentiles, *divitias ejus*, id est pretiosissima spiritualia pocula Judaicæ plebis, puta sacræ Scripturæ fluenta, gratiarum charismata. Quibus dicit Isaias : Is. lv, 1; xii, 3. Omnes sitientes, venite ad aquas. Et alibi : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. De tali siti et poculo ait Christus : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Joann. vii, 37, 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hæ fuerunt cœlestes divitiæ, quas Salvator propinavit obtulitque Judæis : quas ipsi spreverunt, gentes vero consecutæ sunt eas. Præterea, sicut ista exposita sunt mystice de perfido populo Judæorum, ita possunt exponi de docto, sed vitioso populo Christianorum, eis præsertim qui alios docent quæ ipsi non faciunt.

Nihil in terra sine causa fit. Circa quod scribit Gregorius : Idcirco sæpe desidiosus ingenium accipit, ut de negligentia justius puniatur. Et ideo nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo plus mereatur, quo magis studendo laborat. Denique, judicia Dei sunt prorsus rationabilissima et sapientissima, quamvis occulta. Ideo sine causa nil efficit nec permittit. Propter quod undecimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Deus nullum aut hominum aut angelorum quem malum futurum prævidit, creasset, nisi novisset quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam carmen pulcherrimum honestaret. Præterea, quamvis malum culpæ secundum quod tale, non sit pulchrum, nec ad pulchritudinem conferens : tamen in quantum per sapientiam Creatoris omnia convenientissime ordinan-

A tis, ex ipso elicitur bonum, atque ex ejus justa punitione divina æquitas commendatur, bona quoque sibi opposita comparatione evidentius innotescunt, et pulchriora apparent; sic malum culpæ confert ad pulchritudinem universi. Sic namque electorum beatitudo et gloria ex reproborum miseria et tormento amplius decoratur, augetur, ipsosque electos ad pleniorem Dei amorem et gratiarum actionem inflammat, dum mala culpæ et pœnæ in damnatis adspiciunt, quæ ipsi divinæ miserationis au- B xilio evaserunt. Unde rursus in Enchiridion loquitur Augustinus : Universa simul sunt valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo : in qua id quod malum dicitur, bene ordinatum et suo loco positum eminentius commendat bona, ut magis complaceant, laudabilioraque sint.

Et de humo non egredietur dolor. Per humum seu humidam terram, peccator aliquis concupiscentia et fluxu carnalium desideriorum pertransiens, apte signatur : C de quo dolor pœnitentiæ non procedit; imo lætatur quum male fecerit, et exsultat in rebus pessimis, sicut et omnis induratus Prov. ii, 14. in vitiis. Qui etsi nonnunquam divinitus flagelletur, non tamen de suis veraciter dolet excessibus. De qualibus scriptum est in Jeremia : Percussisti eos, Domine, et Jer. v, 3. non doluerunt; renuerunt accipere disciplinam ; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. Quod etiam in Judæis obstinatis videmus potissime adimpletum. Nam usque in præsens, quan- D tumlibet premantur adversis, nolunt advertere quod propter Christi occisionem hæc patiantur, nec de ejus occisione atque blasphemia dolent, juxta illud in Psalmo : Obscurentur oculi eorum ne videant. Ps. lxviii, 24.

Homo ad laborem nascitur. Unde et Adæ Dominus dixit : In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Gen. iii, 19. Sunt autem quidam labores boni, virtuosi, laudabiles, ad quos nascitur homo, ut scilicet per studium et labores scientiis atque virtutibus decoretur, divinis præceptis obtemperet, pro peccatis

Digitized by Google

suis per labores pœnitentiales satisfaciat, A
Prov. IV, 23. omni custodia cor suum custodiat : quo nihil laborosius invenitur. Itaque, væ eis
Ps. LXXII, 5. qui in his hominum laboribus non sunt, nec cum hominibus flagellantur; qui otiositatibus ac vanitatibus vacant, et tempus sibi concessum non infructuose dumtaxat, sed et vitiose expendunt. *Et avis ad volatum.* Potest per avem mens contemplativa intelligi, quæ ad contemplationis elevationem perducitur, ut carnalibus ac terrenis contemptis, ad Dei amorem totam se erigat, ad contuendam pulchritudinem ejus B supersanctissimam totam se acuat, pennas orationis ac devotionis præassumendo, virtutumque plumis se vestiendo. De talibus
Is. XL, 31. loquitur Isaias : Sancti qui sperant in Domino, assument pennas ut aquilæ; volabunt, et non deficient. Sicque volare op-
Ps. LIV, 7. tavit qui dixit : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? Itaque temporalia vana et vilia transcendamus, et quo corpore anima exstat nobilior, eo plus delicias atque divitias animæ quam corporis exquiramus. Quod ut imple- C re possimus, dicamus singuli quod adjecit:

Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum. Non enim sine affectuosis, quotidianis, imo et incessabilibus precibus gratiam adimplendi hoc sortiemur. *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.* Nam Augustino testante, majus opus est Dei, justificatio impii, quam creatio mundi. Quam magna vero et inscrutabilia ac mirabilia sine numero facit Deus omnipotens et excelsus quotidie in Sacramento D altaris, in creatione rationabilium animarum, in Baptismo ac ceteris sacramentis, in immutatione voluntatum mentiumque nostrarum! Verum, in regno beatitudinis sempiternæ, in magno illo supermundano suo palatio, in triumphanti Ecclesia, vere permaxima, inscrutabilissima et mirabilissima facit. Hinc Unigenitus Patris æter-
Joann. V, 17. ni ait : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Præterea, nonne mirabilissimum Dei opus fuit, conversio mundi ad tam incomprehensibilem ac arduissimam Evangelii fidem ac legem, quod sine innumerabilibus miraculis factum non est? Sed et quotidiana ac naturalia Dei opera, nonne tanto majora, inscrutabiliora et mirabiliora probantur, quo diligentius considerantur, quamvis assiduitate non advertantur? Quomodo fetus, qui mox natus, per brevissimum tempus sine aeris attractione seu respiratione vivere nequit, tot diebus in utero matris sine illa vivere valet? Si unus suscitetur defunctus, omnes accurrunt, mirantur, stupescunt, quum quotidie tot homines nasci non admirentur : quamvis utique plus sit, quod non erat, creare, quam quod cecidit et divisum est, reparare et denuo adunare. Postremo, sicut Ecclesiasticus scribit : Multa sunt abscondita, Eccli. XLIII, 36.
majora his; pauca enim vidimus operum ejus. Nihilo minus ex his paucis quæ novimus, supergloriosi Creatoris majestatem jugiter revereri discamus, et omne opus sui obsequii cum diligentia et affectu solvamus.

Qui dat pluviam super faciem terræ. Pluvia hæc, est prædicatio cœlestis doctrinæ, procedens de nubibus, id est prædicatoribus atque doctoribus virtuosis. De quibus loquitur Isaias : Qui sunt isti qui Is. LX, 8.
ut nubes volant? Facies autem terræ, est intellectus viatorum in terra peregrinantium, qui docetur. De qua pluvia ait Psalmista : Pluviam voluntariam segregabis, Ps. LXVII, 10.
Deus, hereditati tuæ. *Et irrigat aquis,* id est gratiarum fluminibus, donis et consolationibus, *universa* fidelium corda. De quibus Christus prædixit : Omnia traham Joann. XII, 32.
ad me ipsum. Et alibi : Prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc. XVI, 15.
De hac irrigatione insolita tempore gratiæ facta, prædictum fuit ab Isaia : Repleta est terra scientia Is. XI, 9.
Domini, sicut aquæ maris operientes. Unde Salvator testatur : Qui biberit ex aqua Joann. IV, 13, 14.
quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Qui ponit humiles in sublime. Consonat huic Christi sententia, asserentis : Omnis Luc. XIV, 11.

Digitized by Google

qui se exaltat, humiliabitur. Unde et Petrus in prima sua epistola nos hortatur : *I Petr.* v, 6. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die visitationis. Væ ergo superbis, væ ambitiosis atque inanibus, qui quum indigni sunt pane quo vescuntur, vel quod a terra portantur, nihilo minus excæcatissima mente inflantur. Ideo consideremus nos per comparationem ad mala quæ fecimus, ad bona debita quæ omisimus, ad nihil ex quo conditi sumus, ad propriam fragilitatem et corporis vilitatem, ac animæ in omne vitium pronitatem, ad pericula quibus expositi sumus, ad Deum a cujus perfectione, sanctitate et gloria infinite deficimus : sicque nobis ipsis intime vilescamus, nos ipsos spernamus, nihil de nostris viribus præsumamus, divinæ pietati omne bonum nostrum sinceriter adscribamus, et Deo superexaltato profundissime substernamur, ei in omnibus cum debita, amorosa atque humillima obedientia subditi, qui cunctis vere in infinitum honorabilior demonstratur, et immensa reverentia dignus exsistit. Isti sunt actus veræ humilitatis, in quibus quanto nos amplius actuamus, tanto plus erigemur in præsenti per gratiam, atque in futuro per gloriam : imo in die judicii judicabunt cum Christo, qui nunc juxta ejus consilia mundum relinquunt et sub obedientia sancta militant Deo, dicente Apostolo : *Cor.* vi, 3. Nescitis quia angelos judicabimus?

Per diem incurrent tenebras. Sic Judæi in die Christi et tempore prædicationis ac gratiæ miraculorumque ejus, quando in *Baruch* iii, 38. terra visus et cum hominibus conversatus est, incurrerunt tenebras errorum, vitiorum atque perfidiæ, contradicendo, persequendo et tandem occidendo Dei Filium Jesum Christum, quemadmodum Isaias prædixit : *Is.* vi, 10. Excæca cor populi hujus. *Et quasi in nocte sic palpabunt,* id est, mente nutabunt, et dubiose inquirent de Christo, *in meridie,* id est in evidentissima suæ veritatis declaratione, quando per miracula soli Deo possibilia Pater testimonium perhibuit Christo, quemadmodum ait : *Joann.* v, 36. Opera

A quæ dedit mihi Pater, quæ facio, testimonium perhibent de me. Et iterum ait Joannes : Quum tanta fecisset coram eis, non crediderunt. *Joann.* xii, 37. Imo quasi palpando sciscitabantur, dicentes ad Christum : Quousque animam nostram tollis? *Ibid.* x, 24. Si tu es Christus, dic nobis palam. Unde ob inexcusabilem eorum cæcitatem dixit Salvator passioni jam proximus : Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. *Ibid.* xv, 24. Denique, In meridie seu claro die *quasi in nocte,* etiam corporaliter pro Christo inveniendo palpabant, B quando quærebant eum præcipitare, lapidare, comprehendere, et exivit de manibus eorum, *Luc.* iv, 29, 30; *Joann.* x, 39. ita quod subito fecit se invisibilem eis, et elapsus est manus eorum, non percipientibus eis quomodo.

Porro salvum faciet egenum de gladio oris eorum. Christum enim propter nos tam pauperem factum, ut diceret, Filius hominis non habet ubi caput reclinet *Matth.* viii, 20. (de quo scriptum est, Ipse pauper et ascendens super asinam), *Zach.* ix, 9. salvum fecit Pater de C gladio oris Judæorum clamantium, Tolle, tolle, crucifige eum, *Joann.* xix, 15. tertia die suscitando eum a mortuis, imo in puncto suæ mortis eum ab omni deinceps passibilitate ac passione eripiens, sicut ait Apostolus : Christus resurgens a mortuis, jam non moritur. *Rom.* vi, 9. Imo ipsemet Christus mortem devicit, ut in Osee profitetur : Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. *Osee* xiii, 14. *Et erit egeno,* id est pauperi Christo, *spes,* id est certa exspectatio resurrectionis, ascensionis et glorificationis in corpore, seu præ- D mii accidentalis. Nam et tempore passionis constanter adversariis dixit : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Matth.* xxvi, 64. Spem vero quæ est theologica virtus, non habuit, quoniam anima ejus a primo suæ creationis instanti vidit Deum clare per speciem : sicque essentiale præmium non exspectavit. Potest etiam per egenum intelligi pauper ille populus discipulorum Christi, qui in ejus passione spem perdidit, quam post resurrectionem ipsius resum-

Digitized by Google

psit. *Iniquitas autem contrahet os suum,* A quia post Christi ascensionem, misso desuper Spiritu Sancto, atque Apostolis in Jerusalem Christum publice prædicantibus, et in nomine ejus miracula magna agentibus, repressa et confusa est loquacitas Judæorum; quemadmodum recitat Lucas,
Act. IV, 5-14. quod principes sacerdotum et seniores, auditis verbis Petri apostoli, et viso nato claudo quem curavit, nil contradicere potuerunt. Et postea scribit, qualiter Judæi
Ibid. VI, 9, 10. disputantes cum Stephano, non potuerunt resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur. Hoc equidem Christus in Evangelio
Luc. XXI, 15. ante promisit : Dabo, inquiens, vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

Præterea, sicut jam dictum est, Judæos per diem incurrisse tenebras, sic generaliter vitiosi ac invidi die incurrunt caliginem, dum aliorum opera bona pervertere student, de aliorum profectu tristantur, bonos diffamant, et indifferentia seu dubia interpretantur in pejus : imo sæpe quæ apertissime bona sunt, offuscare nituntur, asserendo quod ex vanitate aut singularitate procedant, et ob gloriam propriam peragantur. Invidia namque mentem prorsus excæcat : et quo is qui oditur, virtuosius operatur, clariusque famatur ac amplius honoratur; eo qui odit eum, plus in se ipso torquetur, et acutiores nocendi modos excogitare conatur. Sed Deus pauperem spiritu, id est virtuosum seu humilem, salvat de gladio oris eorum, ostendens quod vera virtutum luce ornatus sit; et iniquum ac invidum monstrabit mendacem.

In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. Septenario universitas designatur : nam septem diebus omne tempus hoc volvitur; et in
Apoc. I, 4. Apocalypsi, per septem spiritus qui in conspectu throni Dei sunt, omnes angeli denotantur. Itaque sensus est, quod omnem electum in vita hac tribulatum Deus cito, saltem in morte et aliquando in vita, a cunctis suis adversitatibus ac ærumnis eri-
Ps. XXXIII, 20. piet, juxta id Psalmistæ : Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. *In fame* audiendi verbum Dei et acquirendi justitiam, *eruet te de morte* animæ, quod est peccatum mortale : ita quod præ inopia verbi Dei non incurres peccatum; imo actibus justis reficieris, et verbo Dei erudieris, et Deum intra audies te affantem ac informantem. *Et in bello* animæ contra tres hostes ipsius, videlicet contra dæmonem, mundum et carnem, eruet te *de manu gladii,* id est acutæ atque pestiferæ suggestionis diaboli, et de B pœna quam ipse suis servitoribus pro præmio reddit. De hujusmodi bello scribit Apostolus, quod colluctatio nobis est adversus *Ephes.* VI, 12. principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et in Psalmo : Obumbrasti super caput meum in die belli. *Ps.* CXXXIX, 8.

A flagello linguæ absconderis: juxta præcedentis articuli expositionem. Porro, quum homo cœperit esse perfectus, eradicato privato amore, irrisiones, detractiones, vituperationes cum gaudio patietur; et male loquentibus condolens, pro ipsis precabi- C tur. *Et non timebis calamitatem quum venerit,* id est penuriam. Imo perfectorum thesaurus paupertas est, in quo sicut in omnibus divitiis gloriantur, secundum illud Apostoli : Altissima paupertas eorum *II Cor.* VIII, 2. abundavit in divitias simplicitatis eorum. *In vastitate et fame ridebis,* id est, in die judicii, quando reprobi consummata vastitate prementur, omnique refectione lætitiæ privabuntur, toto corde gaudebis : juxta illud, Ridebit in die novissimo. *Prov.* XXXI, 25. Et per Malachiam Dominus ait electis : Egrediemini, *Malach.* IV, 2, 3. D et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios in die quo ego facio, scilicet die judicii, de quo loquitur ibi. Quod autem in inferno sit infelicissima fames, insinuatur in Ecclesiastico, quo habetur : Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam *Eccli.* XIV, 17. non est apud inferos invenire cibos. *Et bestias terræ,* id est dæmones ferocissimos impiorum in terra hominum deceptores ac voratores : de quibus fertur in Psalmo, Ne *Ps.* LXXIII, 19. tradas bestiis animam confitentem tibi; *non formidabis.* Perfecta etenim caritas

Digitized by Google

excludit servilem timorem, quo diabolus A et infernus timentur. In morte quoque et in divino judicio, virtuosi, Deo subveniente, a timore dæmonum eruuntur, quos ad patriam pervenientes in æternum securi contemnunt.

Sed cum lapidibus regionum pactum tuum erit. Lapides regionum, sunt electi fideles particularium Ecclesiarum, quemadmodum per Isaiam Dominus pollicetur

Is. LIV, 11. Ecclesiæ : Ecce ego sternam per ordinem

I *Petr.* II, 5. lapides tuos. Et Petrus fidelibus dicit : Ad quem (puta ad Christum) accedentes et vos B tanquam lapides vivi, superædificamini domus spirituales. Cum his est cuicumque justo fœdus dilectionis et pacis. *Et bestiæ terræ pacificæ erunt*, id est pacem cum Deo facientes, *tibi*, non ex intentione, sed occasionaliter. Dæmones namque, qui (ut dictum est) per bestias exprimuntur, quo electos plus persequuntur, eo resistentibus fiunt occasio meriti amplioris et incrementi pacis ac caritatis. Possunt quoque per bestias, motus carnales ac bestiales intelligi, quos viri virtutum habent rationi subje- C ctos. Unde nec eos verentur, sed facile vincunt, gratiæ magnitudine id agente.

Et scies quod pacem, id est quietem in Deo, seu subjectionem tranquillam sub ratione, *habeat tabernaculum tuum*, id est domus conscientiæ tuæ, animique cubile,

II *Petr.* I, 14. vel corpus : de quo loquitur Petrus, Scio quia velox est depositio tabernaculi mei. Porro pax corporis, est ejus tranquilla directio, sive subjectio ejus sub rationis imperio. *Et visitans speciem tuam*, id est, pulchritudinem et ornatum tibi a Deo con- D cessum in naturalibus atque gratuitis considerans, *non peccabis*, id est, per vanam gloriam aliquid tibi attribuendo, aut in te ipso inaniter gloriando, quasi non acceperis omne bonum a Deo ; sed illi omne bonum adscribes, gratias cordialiter ages, tantoque amorosius obtemperabis, et humilius ac formidolosius subditus eris, quo plura tibi bona largitus est, et quo ad reddendam rationem obligatiorem te pensas, metuens ne tam piissimo benefactori fias ingratus. Cui enim plus datum est, plus *Luc.* XII, 48.
utique requiretur ab eo. Imo et inde nobis cordialiter est dolendum, quod id ipsum bonitatis, lucis et sapientiæ, quod ex divina pietate nobis gratiose collatum est, nostra pravitate, cæcitate et negligentia tantum et toties offuscamus, Deique dona præinclyta et Deum in suis donis inhonoramus, dum ea non satis reverenter atque sollicite custodimus, imo et nostra peccata eis miscemus. Propter quod valde plangendum est nobis, semperque humiliandum est cor coram judice Deo.

Et scies quoniam multiplex erit semen tuum, id est, verbo doctrinæ et bonis operibus a Deo ditaberis : quia per virtuosa virtutum moralium exercitia, scilicet per passionum reformationem, tanquam per viam purgativam, ad supernam illuminationem pertingitur ; unaque actio virtuosa disponit ad aliam. Propter quod ait Salvator : Habenti dabitur, et abundabit. Et *Matth.* XXV, 29.
Ecclesiasticus asserit : Fili, concupiscens *Eccli.* I, 33.
sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. *Et progenies tua*, id est filii tui spirituales, videlicet operum tuorum imitatores, vel tuæ doctrinæ sectatores, erunt *sicut herba terræ*, per gratiam reflorentes, et bonis operibus se ac alios fecundantes, ut sint arbores fructuosæ, non steriles. *Ingredieris in abundantia sepulcrum*, id est, plenus virtutibus morieris, sicut de justis ait Scriptura, quod mortui sunt in senectute bona, pleni dierum. Iterum, *Gen.* XXV, 8;
Ingredieris in abundantia præcedentium I *Par.* XXIX, 28.
meritorum vitæ activæ seu virtutum moralium, sepulcrum solitudinis, id est locum secretum orationis, meditationis, et potissime secretum contemplationis. Vita etenim contemplativa sepulcrum vocatur, quia a mundi actibus nos abscondit, huicque sæculo mortuos exhibet, prout scribit Apostolus : Mortui enim estis, et vita vestra *Coloss.* III, 3.
abscondita est cum Christo in Deo. De contemplativis quoque Psalmista loquitur Deo : Abscondes eos in abscondito faciei tuæ *Ps.* XXX, 21.
a conturbatione hominum. Qui autem in actibus virtutum moralium se rite exer-

Digitized by Google

citavit, et animum habet purgatum, simplificatum, sancta caritate ferventem, ad contemplationis divitias aptus est, instarque vitri tersi, pervii et politi dispositus, ut in mente ipsius splendeat, ferveat ac moretur Sol sapientiæ, Lux æterna, Deus altissimus.

Ecce hoc ut investigavimus, per studium Scripturarum, et considerationem actuum humanorum, *ita est : quod auditum mente pertracta.* Qui alium ex caritate instruit, corrigit seu hortatur, non proprium quæ- A rit lucrum aut commodum inordinatum, sed audientis correctionem, illuminationem sive profectum ; totaque mente peroptat, ne alter ad suæ damnationis incrementum, audita spernat aut negligat. Ideo de veritate dictorum reddit eum securum, dicendo : Ecce (quod est seriositatis indicium) hoc ut investigavimus, ita est. Deinde hortatur ad vigilantem auditorum memoriam ac operis exhibitionem, subdendo : Quod auditum mente pertracta.

ARTICULUS XVII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

VERITATIS zelo sanctus Job se falsitati opponit, veritatem defendit, ad singula sibi objecta respondet : non ad sui jactantiam, sed ad divinæ justitiæ ac modi providentiæ ejus declarationem, atque ne aliquis ex sua percussione scandalizaretur. *Respondens autem Job, dixit : Utinam appenderentur peccata mea quibus iram,* id est plagam pœnamve, ut tu, Eliphaz, asseris, *merui* a Deo, *et calamitas,* id est miseria tribulationis, *quam patior* in anima et corpore, filiis quoque et rebus sublatis, in improperio conjugis, in convitiis amicorum, *in statera :* id est, in libratione justitiæ hæc ad invicem comparentur. *Quasi arena maris,* id est innumerabiliter, sicut arena maris innumerabilis est, *hæc* calamitas mea *gravior appareret,* id est major quam mea peccata requirant.

Sed nonne verba hæc præsumptuosa et falsa videntur ? Job namque quotidianis venialibusque peccatis non caruit, præser-
Prov. XXIV, 16. tim quum scriptum sit : Septies in die cadet justus et resurget. Et Jacobus contesta-
Jacob. III, 2. tur : In multis offendimus omnes. Si autem D gravitas peccati venialis pensetur per relationem ad infinitam majestatem divinam, quæ per ipsum aliquo modo inho- B noratur, apparet quod secundum rigorem justitiæ, quæcumque temporalis afflictio vix aut non sufficiat pro satisfactione illius, et potissime, quod calamitas Job non suffecit pro universis venialibus, quæ per tot vitæ suæ incurrerat annos : mirumque omnino videtur, quod ait pœnam sibi inflictam, incomparabiliter esse graviorem universis peccatis suis.

Et respondendum, quod sanctus Job loquitur contra errorem Eliphaz, affirmantis non infligi pœnam a Deo, nisi pro propria C prævia culpa afflictis, ita quod pro culpa majori major infligeretur punitio. Contra hoc loquens Job adstruit multo majorem sibi calamitatem inflictam, quam peccata sua exegerint : quia de gravibus sibi excessibus non exstitit conscius, sed de minutis dumtaxat. Quum ergo fuerit sibi inflicta gravissima pœna, patet quod pœna vehementer excesserit culpam. Rursus, Deus gravitatem peccati venialis non solum attendit ut est suæ majestatis inhonoratio aliqua, sed etiam secundum quod procedit ex fragilitate humana, quæ tanta est, quod licet homo possit singula, non tamen omnia venialia vitare peccata. Ideo Deus levissima inter venialia, quæ ex mera et ma-

Digitized by Google

xime excusante fragilitate et subreptione A humana proveniunt, qualia fuerunt venialia beati Job ac ceterorum Sanctorum, facillime donat. Nec solet ea in vita hac graviter vindicare. Sicque loquitur Job de venialibus suis peccatis, videlicet non solum ut gravitatem aliquam habuerunt per comparationem ad Deum, sed etiam ut excusationem habuerunt ex parte ipsius. Imo quoniam viri perfecti pro suis venialibus quotidie satisfacere solent per multa remedia contra illa, præsertim per frequentem atque ferventem affectionem suæ mentis B ad Deum, peccata ipsius Job per ejus sanctissimam conversationem, quoad pœnam et culpam, deleta vel omnino, vel pro maxima parte fuerunt. Idcirco pro eis tanta adversa non meruit, sed ista sua calamitas peccatis suis sic consideratis, quasi incomparabiliter gravior fuit. Quod tamen per hyperbolen dictum intelligi potest, secundum quod homines ex magna affectione loquentes, hyperbolicis uti solent sermonibus.

Unde et verba mea, quibus dixi, Pereat C dies in qua natus sum, et quæ nunc profero, *dolore sunt plena,* id est, ex vehementi dolore proveniunt, et eumdem significant. Ideo non impatientiæ, sed dolori sunt adscribenda, prout in expositione secundi capituli plenius dictum est. *Quia sagittæ Domini,* id est improvisæ atque acutissimæ afflictiones mihi, Deo permittente, inflictæ, *in me sunt,* id est, usque ad intima viscera mea pervenerunt ; *quarum indignatio,* id est pressura, *ebibit spiritum meum,* id est, animam seu vitam animalem D quasi consumit et de corpore extrahit, anhelitum impedit, me respirare non sinens ; spiritum quoque corporalem, qui est vector virtutis et vitæ, quasi deglutit. Sed quum percussio sancti Job non venerit ex ira indignationeve Dei contra eum, cur pœnam suam appellat indignationem Dei, videlicet in quantum fuit signum indignationis ? Et respondendum, quod loquitur ita propter apparentiam exteriorem et similitudinem cum flagellis, quæ ex indignatione Dei contra peccata peccatoribus infliguntur, et propter acerbitatem pœnarum suarum in se. Sic enim et Christus ait ad Patrem : Super me confirmatus est furor tuus. (Ps. LXXXVII, 8.) Vel etiam ideo ait, Indignatio, etc., quia forte pro aliquibus suis venialibus partim percussus est : non quod illa fuerunt percussionis suæ causa totalis aut principalis, sed concausa forsitan aliqualis. *Et terrores Domini,* id est horribiles adversitates ab ipso mihi inflictæ. Vel, Terrores Domini, id est formidines, quibus vereor mihi a Deo graviora infligi, vel ista diu continuari. Sapiens enim in omnibus metuit. (Eccli. XVIII, 27.) Et quoniam sanctus Job sibi de culpa, ob quam hæc pateretur, non fuerat conscius, metuebat ne rursus ex causa secreta occulto Dei judicio plagaretur. Ideo subditur, *militant contra me,* impugnando me et opprimendo. His verbis Job consonat quod in Psalmo loquitur Christus ad Patrem : In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me. (Ps. LXXXVII, 17.) Nam et Christus naturali timore expavit pœnas instantes : quem timorem sponte assumpsit, et potestative deposuit.

Deinde probat ista a simili, ostendens propositum in opposito. *Numquid rugiet onager quum habuerit herbam?* id est, asinus silvestris vocem doloris non profert, dum victui necessaria habet, sed dum talibus caret ex terræ sterilitate, juxta id Jeremiæ : Onagri steterunt, traxerunt ventum (Jer. XIV, 6.) quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. *Aut mugiet bos quum ante præsepe plenum steterit?* Non utique tunc vocem mœroris emittet, nisi forte aliunde sit causa mugitus, ut languor aut aliquid tale. Itaque, sicut brûta non in præsentia, sed in absentia delectabilis et in præsentia contristabilis dolent, doloremque exprimunt ; sic naturale est homini, quantum ad partem sensitivam, tempore magnæ adversitatis et pœnæ dolere, dolorosaque verba proferre : præsertim quum homo calamitatem suam penset et ponderet, quod bruta facere nequeunt. Bos itaque mugit necessariis carens, juxta il-

Digitized by Google

Joel I, 18. lud Joelis : Mugierunt greges armenti, quia A non est pascua eis.

Deinde idem in rationali natura declarat. *Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum?* id est, nullus libenter manducat escam insipidam, nec sale temperate permixtam, nisi forte necessitate cogatur, aut corruptum habeat gustum. Job autem loquitur secundum communem cursum ac naturalem processum. Nam et subjungit, *aut gustare aliquis potest, quod gustatum, affert mortem?* id est, nullus secundum naturalem sensitivumque appetitum edere B vult cibum mortiferum. Unde probatur, quod naturalis appetitus hominis adversa atque pœnalia detestatur; sed detestatio hæc per rationem virtuose moderatur. *Animæ enim esurienti,* id est homini magnam famem patienti : ponit namque partem pro toto ; *etiam amara dulcia videntur,* præ aviditate et indigentia alimenti, et quoniam talia pœnam famis aliqualiter minuunt. Ex quo etiam innotescit, quantum appetitus naturalis ex absentia objecti delectabilis doleat. Hinc in Proverbiis scri- C
Prov. XXVII, 7. bitur : Anima saturata calcabit favum ; anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Quod autem tam ingens fuerit sua afflictio, subditur : *Quæ prius tangere nolebat anima mea,* id est per gustum contingere, sed quasi insulsa abhorruit, *nunc præ angustia,* id est pressura tribulationis atque inopiæ meæ, *cibi mei sunt* mihi accepti, quemadmodum divites depauperati edunt, quæ tempore opulentiæ abhorrebant.

Deinceps ostendit se mortem appetere D propter rationabilem causam, videlicet ne adversitatis magnitudine perdurante, ad impatientiam ruat, et ut ad vitam quietiorem perducatur in limbo patrum. Quomodo autem quis mortem propter præsentis vitæ miserias rationabiliter queat appetere, di-
Art. XI, circa finem. ctum est in elucidatione tertii capituli. *Quis mihi det,* id est, utinam mihi detur, *ut veniat petitio mea,* id est, opere compleatur, *et quod exspecto, tribuat mihi Deus? et,* pro id est, *qui cœpit* me conterere, scilicet Deus per Satan, *ipse* Deus *me conterat* per mortem, *solvat manum suam,* id est, potestatem suam magis in opus extendat : quæ manus quasi ligata videtur, dum operari aliquid cessat. Tunc enim quantum ad aliquem, fertur ligata, quamvis incessabiliter operetur. *Et succidat me,* id est, de vita hac tollat. *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat,* id est, affligere non desistat donec inteream, sicque de invalescentia pœnæ consoler, in quantum est acceleratio mortis et abbreviatio vitæ odibilis. Porro, quod ista non ex impatientia oret, pandit subjungens, *nec contradicam sermonibus Sancti,* id est verbis Dei per essentiam sancti, quibus licentiavit me taliter flagellari, contra eum murmurando, aut per impatientiam corruendo : hoc est, oro ut detur mihi gratia non contradicendi Deo in universis quæ patior ; atque idcirco mortem efflagito, ne forte in doloribus diu vivens, tandem per impatientiam vincar.

Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? id est, per naturalem et propriam animi fortitudinem ista diu ferre non potero, scilicet prout fortitudo est virtus naturalis et acquisita, per gratiam non adjuta. Vel dicit hoc de fortitudine, ut est virtus infusa seu donum, quæ tanta non fuit in eo, quin poterat superari, quoniam ipse nondum confirmatus fuit in bono : ideo caute expavit periculum, non pusillanimiter desperavit Dei subsidium. *Aut quis finis meus,* id est terminus tribulationum istarum, *ut patienter agam?* id est, quia tempus mortis meæ ignoro, eam cito venire desidero. Qui enim in tribulationibus sunt, ex hoc potissime consolantur, quod norunt determinate quando sint liberandi, et tunc intuitu finis illius patienter se habent. Job vero finem istum determinate non prænoscebat. Ideo ne tædio obrueretur patientia ejus, mortem expetiit. Hinc etiam patet, firmiter dictum non esse quod quidam hic scribit, dicendo quod verbum istud, scilicet, Aut quis finis meus, Job expresse dicat contra errorem Eliphaz, ne-

Digitized by Google

gantis adversa vitæ præsentis ordinari ad finem vitæ beatæ in futuro, quasi Job verbum hoc dixerit non secundum propriam mentem, sed secundum Eliphaz erroneam positionem : quasi dicat, Quum juxta tuam opinionem, o Eliphaz, non sit mihi finis beatificus in futuro exspectandus, non est ratio cur debeam patienter hæc ferre. Imo verba ista, ut jam patuit, aliter rationabiliter exponuntur. Neque ex hoc verbo potest probari, quod Eliphaz negavit beatitudinem vitæ futuræ.

Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, id est, non est tam insuperabilis et sine sensu, ut lapidum fortitudo : quod de corporali fortitudine clarius verificatur, et de spirituali fortitudine accipi potest propter fragilitatem subjecti fortitudinis talis. Anima namque fragilis est atque instabilis. *Nec caro mea ænea est,* sed mollis, tenera ac multum passibilis. Ideo gravissimam sentit pœnam, ob cujus vehementiam timeo de periculo patientiæ meæ.

Insuper gravitatem tribulationis suæ demonstrat ex carentia auxilii atque solatii contra adversa sibi inflicta. *Ecce non est auxilium mihi in me,* id est, me ipsum juvare non valeo, nec damna mihi illata recuperare, quum tam graviter læsus sim corpore, cunctisque facultatibus ac filiis spoliatus ; *et necessarii quoque mei,* id est familiares atque domestici et amici, *recesserunt a me,* tempore necessitatis afflictionisque meæ, dum eis magis indigeo. Et forte aliqui eorum corporaliter obierunt, alii spiritualiter, non impendendo opera caritatis, imo caritati contraria irrogantes, sicut hi tres qui ad consolandum venerunt, ad contumelias proruperunt. *Qui tollit ab amico suo,* id est eo quem se diligere dilexisseve asserit, seu dilexit tempore prosperitatis, *misericordiam,* id est compassionem et pietatis affectum seu subventionem tempore necessitatis et afflictionis, *timorem Domini derelinquit,* id est, contra filialem Dei timorem agit : quoniam contra caritatem, et contra divinum agit præceptum ; sicque peccando mortaliter, caritatem et timorem castum ex ea prodeuntem amittit. In quo verbo beatus Job notat Eliphaz, quod ipsemet inciderit culpam, quam superius dixerat incidisse Job, loquens ad eum : Ubi est timor tuus ? Itaque tempore adversitatis comprobatur amicus. Propter quod scriptum est in Ecclesiastico : Si possides amicum, in tentatione posside eum. *Eccli.* VI, 7, 8. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis. Hinc quoque Joannes ait in prima sua Canonica : Non diligamus verbo neque lingua, *I Joann.* III, 18. sed opere et veritate.

Fratres mei, id est non amici dumtaxat, sed et cognati ac proximi, *præterierunt me,* id est, in afflictionibus positum reliquerunt, ad sua commoda festinantes. Est autem consuetudo Scripturæ, ut omnes consanguinei alicujus, fratres ejus vocentur, sicut in Genesi Abraham ait ad Lot : Fratres sumus. Et secundo Regum Joab ait *Gen.* XIII, 8. ad Amasam suum nepotem : Salve, mi frater. *II Reg.* XX, 9. Joannes quoque evangelista in Evangelio suo testatur, quod fratres Christi *Joann.* VII, 5. quem peperit Virgo, non crediderunt in eum. Utrum vero Job fratres carnales proprie dictos habuerit, et an illi in tribulatione sua præterierunt eum, quis novit ? *Sicut torrens qui raptim transit in convallibus,* id est, improvise, impetuose, ac subito me reliquerunt, quemadmodum torrens fluit in imis cum impetu. Torrens autem, secundum Albertum, dicitur aqua liquefacta torrore solis in montibus, ex nubibus et glacie dissoluta, præcipitanter decurrens in ima.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix, id est, qui ita ab amico discedunt, atque a me taliter discesserunt, impuniti non erunt, nisi pœniteant : quia dum amico subvenire omittunt, timore damni minoris, quod exprimitur per pruinam, majus incommodum patientur, quod per nivem notatur. Dicit enim Philosophus in libro Meteororum, quod pruina est nix parva, et nix, pruina magna seu multa. *Tempore quo fuerint dissipati,* id est per magna adversa destructi, divisi, depauperati, *per-*

Digitized by Google

ibunt, id est, spiritualiter morientur per impatientiæ culpam ; vel, quum fuerint dissipati per mortem, peribunt damnatione æterna. *Et ut incaluerint,* id est, igne tribulationis, seu ira divinæ punitionis fuerint tacti, *solventur de loco suo,* id est, de terra tollentur, atque in tartarum projicientur, quemadmodum pruina seu nix solis calore attacta, dissolvitur statim ac defluit. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.* Quod involvitur, in se ipso replicatur, et quadam tortuositate in se ipsum revertitur. Hinc involutum vocamus, cujus fines occulti sunt. Itaque, Semitæ gressuum eorum, id est media quibus falsi amici accedunt, et juvare se monstrant amicum afflictum seu alium, involuta sunt fraudulentiis atque astutiis, et ad proprium commodum reflectuntur, dum amicitiam ante ostendunt, finem amicitiæ sub velamine hypocrisis clam involvunt, juxta illud Ecclesiastici : Est amicus qui convertitur ad
Eccli. VI, 9, 10.
inimicitiam, et est amicus qui rixam ac odium denudabit. Itemque : Est amicus socius mensæ, et non permanet in tempore necessitatis. *Ambulabunt in vacuum,* id est, infructuose vivent, nec finem sortientur beatum ; *et peribunt,* quia non solum beatitudine privabuntur, sed et pœnam incurrent æternam, juxta illud Jacobi : Ju-
Jacob. II, 13.
dicium sine misericordia fiet ei, qui non
Is. III, 11.
fecerit misericordiam. Isaias quoque : Væ impio in malum ; retributio enim manuum
Prov. XIV, 17.
ejus fiet ei. Salomon quoque fatetur : Vir versutus odiosus est.

Considerate semitas Theman, id est processum, verba et gesta Eliphaz venientis de terra Theman, *itinera Saba,* id est aliorum qui de illa terra venerunt. Aliqui tamen per Saba intelligunt apertos adversarios sancti Job, puta Sabæos, de quibus
Job I, 15.
supra dictum est, quod bona ejus diripuerunt. Sicque intendit, quod Eliphaz conformatus est illis, quia ad improperia Job prorupit ; ita quod sicut illi persecuti sunt ipsum Job factis, sic Eliphaz verbis : quod de aliis duobus amicis quando dixit Job hæc, nondum innotuit. *Et exspectate paulisper,* præstolando finem disputationis atque negotii hujus.

A *Confusi sunt,* id est, nunc ex verbis meis confusionem incurrerunt, erubescentes, vel ex hoc, quod maledixi tempori nativitatis meæ : amicus quippe erubescit, dum audit amicum suum coram aliis multum irrationabiliter loqui ; hi autem tres amici Job, putaverunt eum irrationabilissime esse locutum : vel ex responsione ipsius Job, qua eos reprobavit atque confudit. *Quia speravi,* id est, fiducialiter et
B audenter locutus sum ex testimonio bono conscientiæ meæ, qua asserui et assero me absque culpa mea percussum, et esse me justum. Porro Thomas exponit sic : Confusi sunt venire ad me, quia speravi, id est, quoniam tempus erat in quo auxilium ab eis sperare debebam. Homines enim qui auxiliari nolunt, confunduntur visitare illos, quos putant a se auxilium petituros. Ista expositio incerta videtur. Dictum est enim secundo capitulo, quod amici Job venerunt ut consolarentur eum. *Job* II, 11
C Ideo non apparet, quod non voluerint ei ferre auxilium, vel quod ideo venire confusi sunt, quia noluerunt succurrere. Imo, ut in expositione secundi capituli ostensum est, bona intentione et ex amicitia *Ibidem.*
vera venerunt. Postea vero, ex verbis Job, quæ non satis intellexerunt, permittente Deo et instigante diabolo, ex zelo veritatis indiscreto ad verba ignominiosa delapsi sunt. Denique Albertus exponit sic : Confusi sunt, id est, in proximo confundentur, quia speravi, id est, spem de justitia judi-
D cis habui. *Venerunt quoque usque ad me,* gratia consolationis impendendæ, *et pudore cooperti sunt,* id est totaliter circumfusi, vehementissime erubescentes de tam insolita ac invisa mea dejectione. Quoniam enim vere amabant Job, quando primo eum in tanta calamitate intuiti sunt, non dubium quin erubuerint : et præsertim, quia putabant eum suis peccatis id meruisse.

Deinde alloquitur eos. *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis,* ne et vobis tale quid accidat, vel ne petam a

Digitized by Google

vobis subsidium. *Numquid dixi : Afferte mihi,* id est, aliquid de bonis vestris mihi adducite, *et de substantia vestra,* id est facultatibus, *donate mihi,* pro relevamine inopiæ meæ? quasi dicat : Non timeatis quod gravabo vos vestra petendo, quæ hucusque non petii. *Vel : Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?* id est, auxilium non postulavi a vobis contra adversarios meos, qui mea nunc abstulerunt, Chaldæos et Sabæos, aut similes. *Docete me, et ego tacebo :* id est, si aliqua vera atque salubria documenta convenienter proposueritis mihi, cum reverentia atque silentio audiam ea et acceptabo; *et si quid forte ignoravi,* eorum quæ vos scitis, et quæ scire me decet : de illis etenim loquitur, non absolute de quibuscumque, quum certum fuerit sibi, quod multa nescivit; *instruite me.* Sapientis equidem est, libenter informari et docilem esse. Nam et docilitas pars est pruden-
Prov. ix, 9; i, 5. tiæ. In Proverbiis quoque habetur : Doce justum, et festinabit accipere. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Alibi quoque : Audiens sapiens, sapientior erit. Verumtamen quod ait, Docete me, etc., accipi potest ut superioribus condependens, non quasi sententia per se dicta : ut sit sensus, Numquid dixi, Docete me? id est, doctrinam a vobis non postulavi, non quod ex elatione omiserim hoc, sed quoniam tantæ sapientiæ vos non novi.

Quare detraxistis sermonibus veritatis, id est veris verbis, quibus me innocentem ac justum asserui, ceterisque eloquiis meis, quæ in deploratione mea seu lamentatione deprompsi veritatis amore, dicentes quod ex impatientia sim locutus? *Quum ex vobis* nullus sit qui me possit arguere :* quia nec auctoritate, nec vita, nec sapientia me ita excellitis, ut me rationabiliter reprehendere valeatis : quod zelo justitiæ dicitur. *Ad increpandum tantum,* non ad utilitatem, *eloquia concinnatis,* id est, disputationes curiose componitis, *et in ventum verba profertis,* id est, infructuose et jactanter loquimini. *Super pupillum*

* e vobis

A *irruitis,* id est, me omni humano auxilio destitutum verbis invaditis, *et subvertere,* id est a recta sententia retrahere, et ad vestros errores inducere, seu impium comprobare, *nitimini* me *amicum vestrum.* Amicus est, qui in eadem disputatione concordat ad veritatis inquisitionem. Econtra, secundum Philosophum in Topicis, Pravus est socius, qui impedit commune opus in inquisitione veritatis.

Verumtamen, quod cœpistis implete,* id est, cœptam disputationem prosequamini,
B quatenus ex collatione disputatoria veritas amplius declaretur. Hoc addit, ne putent se territum, quasi eis respondere non possit. *Præbete aurem,* id est, dociles estote, et patienter audite, *et videte,* id est considerate, *an mentiar. Respondete, obsecro, absque contentione.* Contentio enim rationis impedit actum, et per consequens veritatis inquisitionem disputationisque fructum. Propter quod ait Apostolus : Noli verbis II Tim. ii, 14.
contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Contentio quip-
C pe, teste Ambrosio, est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Ideo litigiosi seu contentiosi in disputationibus prævalere quærunt injuriosis clamoribus, magis quam rationabilibus argumentis. *Et loquentes* in disputatione *id quod justum est judicate,* id est, recte discernite, seu judicando prosequamini quod est justum, ut scilicet quæ vera videntur, concedatis, et quæ falsa, negetis. Quod si feceritis, *non invenietis in lingua mea iniquitatem,* id est, non audietis verba iniqua de ore
D meo procedere, *nec in faucibus meis stultitia personabit,* id est, sermo veræ sapientiæ contrarius non proferetur a me : quod non jactanter præsumptuoseve dixit, suis viribus innitendo, sed ex magnanimitate, et spe ac securitate gratiosæ adsistentiæ Dei. Sic nempe et Salomon ait : Veritatem Prov. viii, 7.
meditatur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Sic ergo Job profitetur, quod locutio sua nec veritati, nec æquitati contrariabitur, nec in Deum, neque in proximum prævaricabitur.

* explete

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI SEXTI MYSTICA.

SANCTUS Gregorius, in exordio libri septimi Moralium, sentire videtur, quod præsens capitulum, potissime principium ejus, ad litteram exponi non debeat, forsitan propter rationes in præcedentis articuli initio tactas. Unde ad allegorias ac tropologias convertitur. Verum Albertus et Thomas exponunt istud ad litteram : quos præcedenti articulo sum secutus. Et puto, quod dictum eorum verbis Gregorii aut non, aut parum repugnet. Varias nempe considerationes circa verba hæc habuerunt, et juxta eas diversa protulerunt judicia. Verumtamen quidquid inde dicatur, constat quod mystica horum declaratio fructuosior, subtilior, delectabiliorque consistat quam litteralis.

Itaque Job sui humanique generis voce loquens : *Utinam,* inquit, *appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret.* Per stateram exprimitur Christus, qui ad ponderandum ac metiendum nostræ vitæ meritum venit, secumque misericordiam atque justitiam detulit; qui quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, et illinc peccata suspendit; ante cujus adventum genus humanum pœnas, quas pro originali peccato ac aliis suis vitiis patiebatur, videlicet mentis excæcationem, dæmonum dominationem, jugum iniquitatis, multiplicem corporis corruptionem atque naturæ infectionem, præsensque exsilium, ignoravit. Job ergo in ejus loquens persona, optavit Christi adventum, ut in ipso suspenderentur nostra peccata, ita quod ipse pro eis satisfaciendo ac moriendo, ea quasi super se caperet.
Is. LIII, 6. Unde et in Isaia scribitur : Dominus posuit A in eo iniquitatem omnium nostrum. Et Petrus in prima sua epistola : Peccata, inquit, nostra pertulit in corpore suo super *I Petr.* II, 24.
lignum. Calamitas quoque, quam per peccata meruimus, Christo inducta est, scilicet mors amara, quemadmodum ait in Psalmo : Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Et *Ps.* LXVIII,
Isaias : Vere languores nostros ipse tulit, et *Is.* LIII, 4.
dolores nostros ipse portavit. Joannesque : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata *Joann.* I, 29.
mundi. Ex qua appensione peccatorum et calamitatis in Christo, innotuit quam gra- B vis fuit calamitas exsilii et pœnarum generis humani. Ex hoc enim quod ob eam tollendam unigenitus Dei Filius passus est, constat quod utique fuit gravissima. Ideo ait : *Quasi arena maris hæc gravior appareret,* id est, gravior appareret tunc, et postea quum per apostolicam prædicationem mundo innotuit, quam ante apparuit. Quasi arena maris, id est, quemadmodum arena ad littus maris sita, multum gravis est simul collecta.

Deinde Job in persona cujuslibet justi, C vitæ hujus exsilium deplorantis, subjecit : *Unde et verba mea dolore sunt plena,* propter calamitates quibus premitur genus humanum, et maxime homo justus, cujus vita tribulationibus plena est, ad patriamque gemens suspirat. Porro filii sæculi hujus, exsilium pro patria diligentes, atque futuris ac cœlestibus præsentia et terrena præferentes, in suis exsultant miseriis, et animarum suarum vulnera ac dolores non sentiunt; tantoque infeliciores sunt, quo minus infelices se esse perpendunt. *Quia* D *sagittæ Domini in me sunt,* id est variæ tribulationes ac pœnæ pro peccatis inflictæ. Quatuor namque sunt vulnera animæ pro originali peccato inflicta, videlicet,

Digitized by Google

concupiscentia, infirmitas, ignorantia atque malitia : quibus velut sagittis transfigitur homo. *Quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Ex his quippe vehementer
Rom. vii, affligitur justus, sentiens aliquam legem in membris ac sensualitate, repugnantem jugiter legi mentis. Propter quod conti-
Petr. ii, nuum gerit contra vitium prælium, abstinens a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, implensque illud Apo-
Galat. v, 17. stoli : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Præterea, quid molestius quam contra propriam ignorantiam rationis, contra pronitatem voluntatis ad culpam, contra infirmitatem appetitus irascibilis ad resistendum contrariis veræ salutis, contra concupiscentiam appetitus concupiscibilis quotidie, imo omni hora, debite decertare? Et quia ex hac præliatione, pressura et pœna pro peccato inducta, humiliat homo se ipsum, miseriam suam experiens, potest hoc loco per spiritum, animositas seu spiritus elationis intelligi. *Et terrores Domini militant contra me.* Justus namque et sapiens non tantum deflet præsentes ærumnas pœnæ et culpæ, sed et futura pericula magis veretur, ne rursus Deum
Hebr. x, 31. offendat, ne in manus incidat Dei viventis, ne a vultu gloriæ supergloriosissimi Dei pellatur, et pœnas irruat sempiternas. De hoc felici terrore in Proverbiis habe-
Prov. xxviii, 14; xiv, 27. tur : Beatus homo qui semper est pavidus. Itemque : Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.

Præterea, quoniam Job fuit evidens Christi figura, possunt hæc verba de Christo exponi. Quemadmodum enim amici Job imputabant ei, quod pro suis affligeretur peccatis, sic Judæi Christum pro suis dixerunt excessibus comprehensum, tentum
...xviii, et tortum, coram Pilato clamantes : Si non esset malefactor hic, non tibi eum tradi-
...c. xxiii, dissemus. Et rursus : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohi-

A bentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Quibus Christus poterat respondere verba præhabita : *Utinam appenderentur peccata mea,* non quæ commisi, sed quæ imponitis mihi, *quibus iram merui,* id est pœnam mortis, secundum vestram censuram, qua de me dixistis, Reus est mortis; *et calamitas* acerbissimæ Matth. xxvi, 66.
passionis, *quam patior, in statera,* secundum sensum expositum. *Quasi arena maris,* id est incomparabiliter, *hæc* calamitas *gravior appareret,* quam peccata præfata :
B quia in veritate nulli peccato obnoxius fui. *Unde,* id est ob amaritudinem passionis, mihi pro aliorum excessu instantis, *verba mea dolore sunt plena.* Dolorosa plane fuerunt verba Christi, quando passione jam imminente, cum clamore valido et la- Hebr. v, 7.
crimis preces fudit ad Patrem, secundum Apostolum. Terque rogavit, ut si fieri pos- Matth. xxvi, 39, 42, 44.
set, transiret ab eo calix. Similiter verba quæ dixit in cruce, Deus meus, Deus meus, Marc. xv, 34.
ut quid dereliquisti me, ac cetera ibi prolata, nonne dolore fuere plenissima? *Quia*
C *sagittæ Domini,* id est amarissimæ mortis puncturæ, præsertim tempore distensionis in cruce, *in me sunt :* quas, Deo Patre disponente atque volente, sustinui, quemadmodum Pater ait de Christo per Isaiam : Propter scelus populi mei percussi eum. Et Is. liii, 8, 10.
rursus ibidem : Dominus voluit conterere eum in infirmitate. *Quarum indignatio,* in quantum fuerunt velut in ultionem, castigationem seu correctionem peccatorum generis humani, juxta illud Isaiæ, Disciplina pacis nostræ super eum; *ebibit* Ibid. 5.
D *spiritum meum :* quia per pœnæ illius acerbitatem vere mortuus fuit Christus, per separationem animæ ejus a corpore, quamvis utrumque manserit Verbo unitum.

Insuper, verba inducta possent exponi de quocumque innocente ac justo, gravissime afflicto, non vitæ suæ demerito, sed propter probationem ipsius et patientiæ demonstrationem, ad aliorum ædificationem, atque ob incrementum sui profectus ac felicitatis : quod in multis electissimis factum constat martyribus. Sed quia ex

Digitized by Google

præinductis clarissime innotescit, quomodo ad hoc valeat littera applicari, pertranseo, ad difficilioraque propero.

Numquid rugiet onager quum habuerit herbam? Per onagrum designatur plebs gentilis indomita, voluptatique dedita, cujus non parva pars exspectavit Christum venturum, sicut et Job et patriarchæ gentilium cum subditis ac discipulis suis. Qui populus quo Christi adventum magis optavit, eo ipsius dilationem dolorosius tulit. Quum vero per apostolicam prædicationem evangelicam legem sortitus est, Christo unitus, et gratiæ ac sacramentorum ejus particeps factus, non rugiit, sed lætus effectus est, habens herbam, id est incarnationis dominicæ gratiam et virtutem, seu

Joann. vi, 56. Christum dulcissimum, qui testatur : Caro mea vere est cibus. *Aut mugiet bos,* id est populus Judæorum, jugo legis assuetus ac subditus, ad Judaismum proselytos colligens, sicque per corda eorum vomerem legis trahens, *quum ante præsepe plenum steterit,* id est, Christum corporaliter præsentem agnoverit, sibi in lege diu promissum, jamque in ea positum ac oblatum? Quod de electis Judæorum reliquiis accipi congruit, qui Christi adventum cordialiter optaverunt, eumque præsentem viderunt, aut venisse crediderunt cum ingenti lætitia. Idcirco non mugierunt tristantes, sed psallebant gaudentes. Denique, de discipulis suis dixit Christus Judæis incredulis :

Matth. ix, 15; *Marc.* ii, 19. Numquid lugere possunt filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus? Itaque, præsepe fuit Scriptura veteris Testamenti, seu lex, quæ sine Christo vacua fuit, et ipso incarnato repleta est. *Aut poterit comedi,* id est mente sumi ac masticari, *insulsum,* id est vetus Testamentum, seu lex et Scriptura ipsius ad litteram intellecta, non spiritualiter sumpta? Non utique. Sic enim non

II *Cor.* iii, 6. reficit, sed occidit, dicente Apostolo : Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Sal ergo litteræ legis, est intelligentia spiritualis : qua si fuerit Scriptura illa condita, erit salubriter refectiva. *Aut gustare aliquis potest, quod gustatum, affert mor-* A *tem?* Hoc plane rationabiliter et scienter non fit proprio motu gustantis, quanquam aliqui martyrum venena pro fide potaverint. Mysticus igitur sensus est, quod sanctorum Prophetarum vaticinium secundum litteræ superficiem sumptum, frequenter mortiferum esset : ideo taliter gustari non debet.

Deinde Job tanquam vivum membrum Ecclesiæ, voce ejus subjungit : *Quæ prius,* id est ante Christi adventum, *tangere nolebat anima mea,* videlicet veteris Testa- B menti cibum seu documentum, *nunc,* post Christi passionem, per apostolicam prædicationem, *præ angustia* pœnitentiæ et amoris, *cibi mei sunt,* id est mentis meæ refectiones. Hoc Ecclesiæ ex gentibus collectæ est competens. Potest nihilo minus de conversa electaque Synagoga exponi, quæ Unigenito Dei nondum incarnato ac passo, contempsit gentiles, nolens eis communicare aut jungi, quemadmodum loquitur Petrus gentilibus : Vos scitis quomodo *Act.* x, 2[8] abominatum sit viro Judæo accedere aut C conjungi ad alienigenam. Unde et post quidam conversi Judæi, locuti sunt Petro : Quare introisti ad viros præputium haben- *Ibid.* xi, [3] tes, et manducasti cum eis? Postea autem, misso Spiritu Sancto, orsi sunt sancti Apostoli prædicare gentilibus præ angustia æstuantis amoris, incorporaveruntque eos sibi, et de eorum conversione atque salute mente refecti sunt non mediocriter deliciose.

Quis mihi det ut veniat petitio mea, et quod exspecto, tribuat mihi Deus? et qui D *cœpit, ipse me conterat,* etc.? Juxta sensum, quo præcedenti articulo verbum hoc de sancto Job exstat expositum, intelligi potest de quocumque justo in gravissimis tribulationibus constituto, qui timore offendendi Deum et tædio malorum culpæ sæculi hujus, desiderioque visionis beatificæ summi Dei, cupit dissolvi, et tribulationem sibi inflictam continuari ac ingravescere, quousque auferatur de vita præsenti. Sic nempe dixit Apostolus : In- *Rom.* vii, 24. felix ego homo, quis me liberabit de cor-

Digitized by Google

. cxix, 5. pore mortis hujus? Et Psalmista : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est. Iterum accipi potest de contritione bona et succisione salubri, qua Deus per gratiam et virtutes conterit in nobis, quod a nobis ipsis habemus et sumus, videlicet peccata nostra, passiones et vitia : sicque spiritualiter atque vitaliter mortificemur, et nos ipsos relinquamus ac abnegemus, ut ab alto elationis succisi, ad propriæ parvitatis humilia descendamus; ipsa quoque flagella paternæ castigationis Dei libenter feramus, in quantum sunt criminum sanativa ; imo in vita hac corrigi peroptemus, ne æternaliter cruciemur. Hinc ait Gregorius : Sancti viri cum de occulta erga se dispositione Dei suspecti sunt, prospera pertimescunt, tentari appetunt, flagellari desiderant, quatenus incautam mentem metus et dolor erudiat, ne in hac peregrinatione hoste ex insidiis erumpente, sua eam securitas deterius sternat.
. xxv, 2. Hinc ait Psalmista : Proba me, Domine, et
. xxxvii, tenta me. Itemque : Quoniam ego in flagella paratus.

Ideo subditur, *et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Electi quippe quum peccasse se norunt, nec tamen ob hoc adversa perpessos se meminerunt, pavore tabescunt et æstuant, ne eos in æternum deseruerit gratia, quos in præsenti non custodit culpæ suæ punitio aliqua ; timent ne ultio quæ differtur, gravior in fine servetur : ideo nunc paterna castigatione feriri desiderant. *Nec contradicam sermonibus Sancti,* Dei me corripientis, impatienter ferendo, murmurando aut male loquendo, sed gratias referam in
en. iii, adversis. Unde in Threnis legitur : Quid
0, 42. murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Nos iniqua egimus, et ad iracundiam provocavimus Dominum. Rursusque scriptum est :
i. x, 28. Sapiens non murmurabit correptus.

Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam tormenta vitæ futuræ? Ideo in præsenti cupio emendari. *Aut quis finis meus, ut*

A *patienter agam?* id est, nulla est ratio habendi patientiam plenam in pœnis inferni, quum non sit spes evadendi, nec exspectatio alicujus finis beati, cujus intuitu solet in adversis patientia conservari. *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Multi jam dignos pœnitentiæ fructus agere renuunt, religionem intrare verentur, dicentes se pati dura non posse jejunia, vigilias, disciplinas, ceteraque similia abhorrentes : qui utinam passibilitatem ac teneritudinem suam pruden-
B ter intuerentur, per comparationem ad futura pravorum supplicia. Sicque pensantes quam ineffabiliter graviora sint illa præsentibus pœnis, viriliter aggrederentur arctam viam salutis, omneque exercitium pœnitentiale ac virtuosum.

Ecce non est auxilium mihi in me : id est, propria virtute seu naturali fortitudine, aut per sola et nuda dona naturæ salvari non valeo ; a peccatis purgari, meritorie operari, dæmonibus reluctari sine supernaturali Dei subventione et dono gra-
C tioso non queo. Itaque nullus de se præsumat, nemo sibi bonum quod agit aut habet, adscribat; sed totam suam fiduciam ponat in Deo, qui ait per Osee : Perditio *Osee* xiii, 9.
tua ex te, in me tantummodo auxilium tuum. Et Christus loquitur : Sine me nihil *Joann.* xv, 5.
potestis facere. Denique Apostolus, Fiduciam, inquit, talem habemus ad Deum : *II Cor.* iii, 4, 5.
non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Jeremias quoque loquitur Deo : Scio, Domine, quia non est *Jer.* x, 23.
D hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. *Necessarii quoque mei recesserunt a me.* Hoc dicere potest is, a quo amici ejus tempore necessitatis aut indigentiæ avertuntur, manum adjutricem non porrigentes, sive in spiritualibus, sive in corporalibus bonis. Sic nempe ait Psalmista : Amici mei et proximi mei adver- *Ps.* xxxvii,
sum me appropinquaverunt, et steterunt. 12.
Atque Apostolus : In prima mea defensio- *II Tim.* iv,
ne omnes me dereliquerunt. *Qui tollit ab* 16.
amico suo misericordiam, timorem Domini

Digitized by Google

derelinquit. Hoc de omni proximo intelligi potest. Omnem etenim proximum tanquam amicum et fratrem, imo sicut nos ipsos amare tenemur, eique auxiliari quando ratio dictat, dum scilicet locus, tempus et causa requirunt : quod qui omittit, præceptum caritatis transgreditur, non faciens alteri sicut vellet fieri sibi.

Fratres mei præterierunt me, non condolendo aut succurrendo. *Tempore quo fuerint dissipati,* id est peccato corrupti, corde divisi, ab integritate virtutum col-
Osee x, 2. lapsi, *peribunt* perpetuo : juxta id Osee, Divisum est cor eorum, nunc interibunt ; *et ut incaluerint,* fervore passionum, videlicet iræ, impatientiæ, indignationis seu concupiscentiæ, *solventur de loco suo,* id est, impetum passionis sequentur, nec stabiles erunt in ratione, in qua homo debet quasi in loco quiescere. Unde scriptum est
Is. LVII, 20. in Isaia : Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.* Hoc omnibus versutis et callidis, duplicibus, adulatoribus ac simulatoribus competit, qui dum aliud mente intendunt, aliud verbis actibusve ostendunt, involutis gressibus gradiuntur et se ipsos a vero virtutum profectu impediunt : imo instar cancri retrogrediuntur, in tartarumque labuntur. Propter quod subditur : *Ambulabunt in vacuum, et peribunt.* De
Jer. IX, 8. talibus Jeremias inducit : Sagitta vulnerans, lingua eorum ; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Recti ergo et plani sint gressus no-
Prov. II, 7. stri, quoniam scriptum est : Deus proteget gradientes simpliciter.

Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper. Per Theman, quod interpretatur Auster, qui dissolvit afflata teporibus membra, animi remissio designatur. Itaque considerandæ sunt semitæ Theman, id est actus remisse viventium, qui Deo negligenter serviunt cum tepore ; ut agnitis eorum dispendiis atque periculis, Domino fervide obsequa-
Apoc. III, 15, 16. mur, pensantes quod loquitur Deus : Scio opera tua, quia nec calidus es, neque fri-
A gidus ; et nunc quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Porro, per Saba, quod interpretatur rete, significantur dolosi, qui aliis deceptionum modos extendunt et moliuntur insidias, capiuntque intra rete suæ versutiæ innocentes ac simplices. Contra quos Isaias asserit : Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim Is. XXXII, 7. cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacii. Et in Psalmo : Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Ps. V, 7. Tales docet Salomon esse
B vitandos : Fili, inquiens, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Prov. I, 10, 11, 15. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra ; ne ambules cum eis. Horum damnationem videbimus, si paululum præstolemur.

Confusi sunt, quia speravi. Dum reprobi et perversi bonos turbare, a via virtutum retrahere, ab animi constantia impedire nituntur, exhilarantur, si quod moliuntur, ad effectum perducunt : juxta id Psalmi-
C stæ, Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero. Ps. XII, 5. Dum vero quis tota mente in Deo confidit, nec ab animi tranquillitate dejicitur, confunduntur tanquam spe sua frustrati. *Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.* Hoc in persona cujuslibet justi profertur, quem iniqui aggressi subvertere nequiverunt, ideo erubescunt.

Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis. Vitiosi, qui Deum non amant, neque in prosperis eum verentur,
D frequenter quodam servili concutiuntur timore, dum aliquem, præsertim suorum propinquorum seu amicorum justorum, viderint horribiliter plagatum, molestatum aut cæsum : quos justus vir tribulatus redarguit, quod non in prosperis quoque Deum formidant, nec eum ex timore filialiter timent. *Numquid dixi : Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi?* Substantia impiorum, mundana atque carnalis prudentia dicitur : quam justus, ab eis non petit, sed aspernatur, nec per eam

Digitized by Google

consolari dignatur. *Vel : Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?* Virtuosi ab invisibilibus ac visibilibus hostibus impugnantur. Scientes vero reprobam vitam pravorum, non quærunt eorum suffragio ab invisibilis hostis ten-
Matth. x, 28. tatione salvari. Et quoniam eos non timent qui corpus occidunt, dum fides vel justitia exigit, parati sunt a visibilibus inimicis occidi, nec quærunt de eorum tyrannide erui. *Docete me, et ego tacebo.* Multoties carnales, pigri ac passionati putant et jactant se melius scire et sanius sapere, quam virtuosi ac fervidi : unde præsumunt eos arguere ac docere. Quibus justus vereque sapiens ironice zelo æquitatis respondet : Docete me. Quasi dicat :
A Aut vere me informate, aut ab insipienti instructione cessate.

Quare detraxistis sermonibus veritatis? Tales equidem verba virtuosorum irrationabilia vanaque arbitrantur, quum dicat Apostolus : Animalis homo non percipit I Cor. II, 14.
quæ sunt Spiritus Dei. Ideo detrahit verbis verissimis, asserens ea aut non vera, aut non recta intentione prolata. Et dum videt se ratione justum superare non posse, ad increpationes et exprobrationes convertitur, inaniterque verba multiplicat. Ideo
B sequitur : *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.* Ceterum, quomodo sequentia textus verba ad moralitatem valeant applicari, ex præcedenti articulo facillime consideratur.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : MILITIA EST VITA HOMINIS SUPER TERRAM.

DOCET beatus Job in hujus capituli exordio, vitam præsentem ordinari ad aliam magis perfectam ; eamque anxietatibus esse plenam, atque ob id rationabiliter appeti posse terminum ejus. Aliqui vero opinati sunt, ipsum Job principium præsentis capituli inducere ad reprobandum errorem Eliphaz, asserentis ultimam hominis felicitatem esse in vita hac, animam quoque rationalem esse mortalem. Verum (ut clare jam ante probatum est, et demum probabitur amplius) illa non fuit opinio Eliphaz : imo in verbis quarti capituli, quæ sibi perhibet desuper revelata, evidenter innuit animæ immortalitatem, atque futuram impiorum perpetuam ca-
Job IV, 20. lamitatem, inter cetera loquens : Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Itaque verba hujus capituli Job inducit ad suæ declarationem sententiæ, qua intendit defendere, quod justis in vita hac multa contingant adversa sine eorum prævia cul-
C pa ; quod item ad aliam et ipsam vere felicem vitam adspirent.

Ait ergo : *Militia est vita hominis super terram.* Ubi Hieronymus transtulit, Militia, Septuaginta transtulerunt, Tentatio. Sed, ut docet S. Gregorius, sensus redit in idem. Tentatio namque est pugna contra hostes spiritusque malignos ; militia vero exercitium contra adversarios appellatur. Itaque vita bonorum, militia tentatioque vocatur: quoniam contra desideria carnis passionesque animæ, contra mundi vanitates, con-
D tra dæmonum suggestiones, omnem quoque impietatem indesinenter ac fortiter præliantur. Unde ob gravitatem ac multitudinem tentationum hominis in hac via, vita ejus non tentationem habere, sed tentatio dicitur, quamvis nonnunquam sine actuali tentatione vivamus, et mente tranquilla Deo sine lucta vacemus. Sed in hoc parva est mora, nisi fortasse viris perfectis ex gratia singulari, qui revelata facie

Digitized by Google

II *Cor.* III, 18. gloriam Domini speculantes, in deiformem transformantur imaginem a claritate in claritatem. Circa hoc verbum, sicut et circa cetera sancti Job verba, scribit multa pulchra illuminatus Gregorius : quæ vitandæ prolixitatis causa omitto, et quoniam scripta ejus (ut decet) ubique habentur. Præterea verbum inductum, ipsi Job tanto litteralius competit, quanto passus est duriora, fortioremque habuit contra invisibilem hostem luctam.

Et sicut dies mercenarii dies ejus. Hoc primo ita exponitur : Quoniam vita hominis est militia super terram, propter continuum atque durissimum contra passiones ac vitia prælium ; ideo dies ejus comparantur diebus mercenariorum, quorum dies sunt laboribus interdumque tædiis pleni. Ita et dies hominis viatoris graves et anxii sunt, præsertim tempora electorum, quo-
Ps. XXXIII, 20. niam multæ tribulationes justorum. Nilque laborosius exstat, quam mentem in vera puritate cordis Deo semper servare, Deum in nullo inhonorare, vanas cogitationes, inordinatas affectiones, viles occupationes, omissiones et commissiones iniquas vitare, abjicere, detestari. Secundo exponitur sic : Quemadmodum mercenarius finem dierum sui laboris desiderat, ut præmium assequatur ; sic homo viator hujus optat finem exsilii ac laboris, ut ad æternam beatitudinem perducatur, prout ait
Philipp. I, 23. Apostolus : Cupio dissolvi et esse cum Chri-
Ps. CXIV, 7. sto. Et Psalmista : Convertere, anima mea, in requiem tuam. Tertio sic : Quemadmodum mercenarius in alienis rebus seu aliorum bonis laborat, et sibi mercedem adipisci conatur ; ita electi nunc in rebus occupantur divinis ac Christi negotiis, et tamen sibi ipsis præmium adipiscuntur.

Denique, quoniam duo homini in vita ista incumbunt, videlicet impedimentis suæ salutis resistere, et suæ beatitudinis accommoda operari : ideo, quantum ad primum, comparat vitam humanam militiæ, cujus est hostibus pacis occurrere ; quantum vero ad secundum, diebus mercenarii, cujus est utilia suæ mercedis

A peragere. Insuper, ex his declaratur vita humana providentiæ subesse divinæ : quia et milites sub duce exercitus militant, ejusque directione aguntur ; mercenarii quoque a domino operis inducuntur, ac præmium præstolantur. Rursus, ex his error Eliphaz reprobatur, dicentis tribulationes et pœnas non nisi pro peccatis infligi, nec adversitates majores nisi pro gravioribus culpis. Dux namque exercitus frequenter melioribus magisque strenuis militibus graviora luctamina atque pericula sapien-
B ter injungit, secundum quod pro communi expedit bono, ut expleto labore, eos amplius veneretur. Similiter paterfamilias interdum melioribus operariis graviores committit labores : quibus, opere consummato, præmia largitur majora. Itaque superaltissimus omnium princeps Deus, sanctus ac sapiens, suos pugnatores electos ac milites meliores, frequenter adversitatibus exponit majoribus, efficacioresque operarios fortioribus laboribus applicat, ut in fine, adepto triumpho ac Dei obsequio
C consummato, sublimius honorentur, abundantiusque munerentur in cœlo.

Deinde beatus Job adducit similitudines ad prædicta. Exempla enim in moralibus quo particulariora ac planiora exstiterint, eo plus instruunt. Moralia quippe circa particularia versantur, quum agere et pati sint suppositorum, secundum Philosophum. *Sicut cervus** æstu afflictus *desiderat umbram,* id est locum refrigerativum, * servus
quo post laborem et cursum quiescat, sicut et cervus a venantibus agitatus, festinat
D ad aquæ fluenta, secundum illud Psalmi : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes *Ps.* XLI, 2.
aquarum ; *et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui,* id est moram qua suum obsequium compleat, ut sortiatur mercedem ; *sic et ego habui menses vacuos,* id est, menses annorum quibus vixi, sine consecutione optatæ felicitatis expendi, et affectuose semper ad veram felicitatem futuram, tanquam ad præmium consummatum mentaliter acceleravi ; *et noctes laboriosas enumeravi mihi,* id est, noctes

Digitized by Google

vitæ meæ reputavi, et quasi diu durantes A computavi laboribus plenas. Virtuosi enim in noctibus solent meditationibus insudare, futura pensare, pœnitentiæ lamentis
Ps. lxxvi, 5-7. insistere, juxta quod scriptum est : Anticipaverunt vigilias oculi mei ; turbatus sum, et non sum locutus. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui ; et meditatus sum nocte cum corde
Ps. vi, 7. meo. Et iterum : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.
Thren. ii, 19. Itemque : Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam B cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Constat quoque quod homines frequenter numerent tempus, quod eis diu durare videtur atque molestum est. Iterum, noctes hujusmodi laboriosæ dicuntur, propter optati boni dilationis difficultatem. Laboriosum etenim esse solet, diu exspectare bonum vehementer cupitum, juxta illud
Prov. xiii, 12. Proverbiorum : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ, desiderium veniens.

Si dormiero, id est, me ad dormiendum C posuero, aut parum quievero, *dicam,* expergefactus, seu præ dolore ac tædio dormire non valens : *Quando consurgam?* id est, diei adventum optabo. Qui enim in tristitia atque doloribus est, ad futurum tempus anhelat, in quo se melius habiturum confidit. *Et rursum exspectabo vesperam,* id est, orto jam die, noctem fieri præstolabor et cupiam. Dolor namque ea quæ adsunt, non permittit placere, optaturque tempus afflictionis finiri. *Et replebor doloribus usque ad tenebras* no- D ctis, id est, tota die pœnis afficiar. Cujus causam adjecit : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris,* id est, materia et sanie ulcerosa, immunditiisque loci quo sedeo, scilicet sterquilinii, corpus meum circumdatur, impletur ac tegitur, sicut quis veste operitur. Vel, Sordibus pulveris, id est pulverulentis. Sanies enim indurata, scabiem facit : quæ arefacta, in pulverem recidit. *Cutis mea aruit et contracta est,* id est rugosa effecta ex siccitate. Naturali quippe humore consumpto, et virtute naturali deficiente, caro intus consumitur, forisque siccatur atque rugatur : qui defectus contingit ex senectute, aut infirmitate, vel fame. Unde in Threnis de confectis esurie scribitur : Adhæsit cutis eorum ossibus eorum ; facta est quasi Thren. iv, 8.
lignum.

Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, id est, tempora quibus vixi, celerrime defluxerunt. Nil enim tam cito decurrit ut tempus, in quo nulla est mora, quies aut fixio, sed defluxus continuus. Sic et Ezechias profatur : Præcisa Is. xxxviii, 12.
est velut a texente vita mea. Et Psalmista:
Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego Ps. ci, 12.
sicut fœnum arui. Quamvis autem tempus dum præsens est, longum appareat propter adversa quibus homo afficitur, nihilo minus quum fuerit evolutum, ratio intuetur quam breve exstiterit. *Et consumpti sunt absque ulla spe,* recuperandi tempus præteritum : quod quum fuerit lapsum, idem nequaquam revertitur. Vel, Absque spe, redeundi ad pristinos dies, seu vitam in terra agendam post mortem. Fuit autem Platonis opinio, quod post certa tempora, corrupta in inferioribus istis eodem numero reverterentur : quem errorem sanctus Job pluribus reprobat locis.

Deinde Deum alloquitur : *Memento quia ventus est vita mea,* id est, duratio temporis qua hic vivo, conformis est vento ob nimiam utriusque fluxibilitatem ac labilitatem et brevitatem ; itemque, quoniam sicut ventus idem non redit, ita vita hominis post mortem ad istum non revertitur statum. Hinc scriptum est : Quæ est Jacob. iv, 15.
vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Et : Omnes II Reg. xiv, 14.
morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Orat autem ut Deus horum sit memor, non quod in Deo cadat oblivio aut recens memoratio, sed quoniam instar obliviscentis se habet, dum quemquam juste relinquit, aut in æternum condemnat, aut peccatis ignoscit. Dum vero aliquem misericorditer juvat, gratiam

Digitized by Google

tribuit, beatitudinemve largitur, per modum recordantis se habet. Sicque oramus, ut Deus nostræ fragilitatis ac labilitatis meminerit, id est, illas intuendo, pronus sit ad parcendum ac succurrendum, quemadmodum ait Psalmographus : Recordatus est quoniam pulvis sumus; homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. *Et non revertetur oculus meus ut videat bona,* id est, ad videnda hujus vitæ bona non redibit post mortem. *Nec adspiciet me visus hominis,* id est, ab aliis in hoc statu, loco ac sæculo amplius non videbor, quia post mortem huc amplius non revertar. Quibus consonat illud in Isaia, Non adspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis : quæ sunt verba Ezechiæ. Sed quum Job post plagam hanc sit ad sanitatem, longamque et prosperam vitam reductus, quomodo protulit verba hæc absque mendacio? Et respondendum, quod naturaliter sanandus non fuit, vel protinus moriturum se æstimavit, vel verba sua retulit ad tempus post mortem suam futurum, sicut expositum est. *Oculi tui in me,* id est, ab oculis sapientiæ et scientiæ tuæ, o Deus, nusquam nec vivus nec defunctus abscondar, juxta illud Proverbiorum : Respicit Dominus viam hominis, et omnes gressus illius considerat. Alibi quoque ait Scriptura : In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Et non subsistam* diu in vita præsenti. Vel, Non subsistam, quia vita præsens instabilis est. Iterum, Non subsistam, id est, coram tua justitia stare non potero, si secundum rigorem ejus sine admixtione clementiæ examinatus judicatusque fuero.

Ps. cii, 14, 15.

Is. xxxviii, 11.

Prov. v, 21; xv, 3.

Sicut consumitur nubes et pertransit. Nubes enim ad altiora suspenditur : densata autem impellitur vento ad discurrendum, et solis calore dissolvitur ac dissipatur, ita quod evanescit, nec eadem numero ultra revertitur. *Sic qui descendit ad inferos,* id est defunctus, quoad animam, ad aliquem locum inferni descendens : ad quem ante Christi passionem omnes descenderunt, videlicet prout inferi nomine

A etiam limbus patrum et puerorum, ac purgatorium intelliguntur ; quantum vero ad corpus, ad loca sepulcrorum sub terra; *non ascendet,* id est, ad vitam sæculi hujus et ad statum mortalem non revertetur naturaliter utique, quamvis miraculose fieri possit, sæpeque factum sit. *Nec revertetur ultra in domum suam,* id est ad pristinas opes ac mansiones ; *neque cognoscet eum amplius locus ejus,* id est, in priori vitæ hujus loco non erit, nec cognoscetur ibidem, nec conspicietur. Dicitur autem locus B cognoscere, vel quia confert ad habendam rei cognitionem ; vel eo modo, quo tempus dicitur ea facere quæ fiunt in tempore.

His verbis excludit Job errorem ponentium circulationem generationum in inferioribus. Quemadmodum enim in libris de Trinitate et Civitate Dei recitat Augustinus, Platonis opinio fuit, quod post certa annorum curricula omnia ista inferiora ad pristinum statum redirent, ita quod idem Plato in eadem urbe Atheniensi eisdem discipu- C lis esset lecturus, qui olim ibi legerat eis. Quorum ratio una fuit, quoniam inferiora disponuntur secundum cœlestium corporum motum. Unde eadem constellatione et influentia post plurima tempora redeunte, ponebant, eamdem rem numero reparari atque ad pristinum statum reverti. Ad quod etiam quidam hæretici, errorem illum partim sequentes (ut Origenes, qui circa hoc gravissime invenitur errasse in libro Periarchon et alibi, prout S. Hieronymus in suis epistolis protestatur), allegabant illud D Ecclesiastæ : Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet aliquis dicere, Ecce hoc recens est. Jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos. Verum, ut Augustinus exponit, verba hæc Salomonis intelligenda sunt non de eisdem numero, sed specie. Hoc quoque Aristoteles secundo de Generatione, docet et probat, scilicet in circulatione cœlestium corporum idem numero redit, videlicet idem sol, quia in illis

Error Origenis gravis.

Eccle. i, 9, 10.

Digitized by Google

per motum non corrumpitur, sed quoad situm solum variatur substantia. In motu autem et circulatione inferiorum, seu generabilium et corruptibilium, non redit idem numero post occasum, sed specie, quia res ipsa corrumpitur. Sicque sententia sancti Job consonat fidei christianæ et Peripateticorum philosophiæ.

Quapropter, id est, quia veritas ita se habet circa vitam humanam, ut dixi, *et ego non parcam ori meo*, id est, a labore seu actu loquendi ipsum non supportabo; et confisus de ipsa veritatis firmitate, non contracto ore loquar vera quæ restant. Bona namque conscientia et vera sententia præstant fiduciam. Ideo tertio Esdræ libro habetur : Super omnia vincit veritas. Et rursus : Veritas invalescit in æternum, et vivit et manet in sæcula sæculorum. *Loquar in tribulatione spiritus mei*, ita quod ipsa tribulatio instigabit me ad loquendum, atque ex ea sumam loquendi materiam; *confabulabor cum amaritudine animæ meæ*, id est, causam ipsius inquiram, et (sicut est moris amaricatis) per modum querelæ de ea tractabo. Ipsamque in secreto affabor, considerando qualitatem ipsius.

I Esdr. iv, 35, 38, 41.

Deinde alloquitur Deum. *Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Hoc multipliciter explanatur. Primo sic : Numquid tantæ sum fortitudinis sicut Oceanus, et cetus, qui est maximus piscis, quia implesti me maxima afflictione, ita ut instar incarceratorum non habeam consolationem aut exeundi facultatem? quasi dicat, Supra vires et modum gravasti me : eo modo quo ait Apostolus, Supra modum gravati sumus. Non quod electos permittat Deus tentari absolute supra quod ferre possunt; sed quia supra communem modum aliquando premuntur, et amplius quam propriis viribus possint. Estque in talibus verbis quodammodo hyperbolicus sermo, ad exprimendum lucidius magnitudinem rei. Secundo exponitur ab Alberto sic : Duo imponebantur beato Job. Primo, quod inquietudine

II Cor. i. 8.

A avaritiæ suos semper terminos dilataret, quemadmodum mare, quod effluens operit alia, et refluens attrahit multa. De hoc excusat se, dicens : Numquid mare ego sum? quasi dicat, Non. Secundo, quod subjectos devoraret atque opprimeret. Quod excusans, adjecit : Aut cetus? Nihilo minus sum percussus, quia circumdedisti me carcere. Tertio Thomas exponit, dicendo : Circa creaturas irrationales, quibus non competit meritum aut demeritum, operatur divina providentia, secundum quod competit bono universi. B Hinc mare coercet, ne totam terram operiat, ut animalibus et terræ nascentibus remaneat locus; similiter cetum intra Oceanum mare coercet, ne si in alia maria deduceretur, noceret hominibus. Ideo inquirit Job, an simili causa afflictus sit, utpote non ob suum demeritum, sed ob aliquam utilitatem ex sua percussione aliis provenientem; vel, ut ne aliis esset nocivus, si non esset plagatus. Et constat, quod non ideo sit percussus, ne si prosperaretur, aliis adversaretur, quia C nec in pristina prosperitate hoc fecit. Una vero suæ percussionis causa fuit, communis utilitas inde proveniens, hoc est ædificatio omnium nostrum, ad patientiam jugiter conservandam.

Insuper, ostendit se circumdatum carcere, id est omni privatum solatio. *Si dixero, Consolabitur me lectulus meus*, id est somnus qui solet esse in lecto. Somnus enim, quemadmodum balneum ac alia quædam, est relevativus tristitiæ, quemadmodum Augustinus asserit se expertum. D Somnus quippe et balneum corporalem naturam tristitia deordinatam, ad naturalem statum reformant, ad convenientem quoque processum vitales motus cordis reducunt. *Et relevabor loquens mecum in stratu meo* : id est, si dixero me habiturum tristitiæ meæ aliquod relevamen ex meditatione seu secreta ad me ipsum locutione in lecto hora quietis, quando anima ad meditandum est aptior, exterioribus sensibus ab actibus suis vacantibus, quietatoque exteriori tumultu atque obstaculo

Digitized by Google

contemplationis. Ipsa equidem meditatio speculativa seu contemplatio, vel sagax ad se ipsum locutio, tristitiam maxime aufert, quia naturaliter delectabilis est veritatis cognitio. *Terrebis me,* vel effective, vel permissive, *per somnia,* quæ dormienti apparent; *et per visiones,* quæ vigilanti ab exterioribus sensibus alienato apparere solent, *horrore concuties.* Somnia enim similia esse solent præcedentibus cogitationibus in vigilia habitis. Quoniam ergo Job in vigilia, quæ mortis et tristitiæ sunt cogitabat, similibus phantasmatibus inquietabatur in somno. Satan quoque a Deo permissus, movebat (ut creditur) phantasiam beati Job, immittens ei terribilia afflictivaque somnia : sed et infirmitas corporalis cooperatur ad hoc, ut perturbata phantasmata dormienti appareant. Circa quod dicit Albertus : Infirmitas cujus causa intus est, non sinit somniare nisi terribilia, sicut in medicina dicitur, quod in quo collectio apostematis calidi generatur, somniat se flammis succendi; et in quo colligitur hydrops frigidus, somniat se glacie congelari.

Quamobrem, id est, quoniam tot pœnis afficior, omnique consolatione destituor, *elegit suspendium anima mea,* id est suspensionem influxionis, quæ corpori influit vitam. Ab actu namque et officio suspenditur anima, dum corpori vitam non influit, secundum Albertum. Itaque anima ejus desideravit a corpore separari. Thomas exponit de corporali suspendio, ita quod desideravit mortem quantumcumque abjectam et vilem, quæ vitam tam pœnosam miseramque finiret. Quod etiam secundum deliberatam rationem se optasse designans, adjecit, *et mortem,* scilicet corporalem, elegerunt *ossa mea,* id est quæ robustiora in me sunt, ut sunt actus intellectus ac voluntatis : robustiora quippe per ossa significantur. Quomodo autem istud licuerit, dictum est supra. (Art. XI, circa finem.) Sancti enim aliquando mortem optaverunt ut terminum tribulationis præsentis, et ut ingressum vitæ melioris sequentis, non penitus absolu-

A te, sed quantum in ipsis fuit, et dummodo Deo placeret, a quo etiam petierunt tolli a vita hac. De hoc dictum est planius atque completius. *Desperavi :* non de misericordia Dei et animæ meæ salute, sed, Desperavi, id est, ex causis naturalibus spem convalescendi non habeo. Ideo subditur, *nequaquam ultra jam vivam,* id est, diu in vita hac naturaliter non durabo. Vel, Non vivam ultra, id est, ad vitam istam mortalem ac animalem post mortem nequaquam redibo.

B Porro, quod non simpliciter desperaverit, innuit addens : *Parce mihi,* vel corpus meum sanando, vel ab eo meam animam separando. Sic et Tobias oravit : Fac mecum misericordiam, et præcipe in pace recipi spiritum meum. (*Tob.* III.) Et quia ad promerendam Dei clementiam confert potissime humilis propriæ vilitatis ac parvitatis cognitio, subdit, *nihil enim sunt dies mei,* id est nihilo comparandi, præsertim respectu æternitatis sequentis, cujus comparatione omne tempus est quasi momentum : et
C nulla est comparatio finiti ad infinitum. Unde primo Paralipomenon habetur : Dies nostri quasi umbra supra terram, et nulla est mora. (I *Par.* XX 15.) Specialiter autem Job dicit hoc de se ipso, quia putavit se protinus moriturum, et quoniam dies vitæ suæ pro magna jam parte fluxerunt. Ac si dicat : Tempus est ut corpus sepulturæ tradatur, et anima mea ad limbum patrum transferatur.

Quid est homo, quia magnificas eum? id est, tam vilis ac fragilis creatura est
D homo, potissime quantum ad corpus et originalem infectionem, seu virium corruptionem per quatuor vulnera ex originali peccato secuta, ut mirum appareat, quod per tua beneficia etiam supernaturalia, in tantum magnificas eum. *Aut quid apponis erga eum cor tuum,* id est mentis tuæ sapientiam, qua eum et omnia ejus consideras, specialique providentia eum gubernas? quasi dicat : In hoc admiranda est bonitas tua. Nam homo indignus videtur secundum modum prædictum, potissime

Digitized by Google

per comparationem ad infinitam excellentiam Creatoris, et quoad supernaturalem beatitudinem, ad quam Deus hominem ordinavit ac dirigit. Tali utique provisione ac directione Dei indignus est homo, quantum ad naturalia sua : qui vilis est, utpote materia lutum, conditione servus, fortuna instabilis, actu pravus, conceptu immundus, ad vitia pronus, morte doloribus plenus. Simili admiratione divinæ clementiæ, non reprobatione divinæ providentiæ, loquitur Deo Psalmista (Ps. VIII, 5.) : Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Et rursus (Ps. CXLIII, 3, 4.) : Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quoniam reputas eum? Homo vanitati similis factus est.

Visitas eum, id est, tuis beneficiis eum adornas, et per angelum dirigis, *diluculo,* id est a nativitatis et vitæ ac lucis suæ exordio. Itemque, Diluculo, id est spirituali mane, quando gratiæ tuæ illustratione incipis cordis humani tenebras, vitia et errores expellere, internamque diem in mente producere, lucem infusæ sapientiæ illico diffundendo, quemadmodum in Proverbiis (Prov. IV, 18.) inducitur : Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. Hoc diluculum oritur illucescente parum bonitate Dei super hominem. Ad litteram quoque, homines solent diluculo esse ad devotionem plus dediti, quando sensus adhuc sobrii manent, nec cor negotiis occupatur. Unde primo capitulo (Job I, 5.) de sancto Job dictum est : Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos. Et Isaias (Is. XXVI, 9.) alloquitur Deum : De mane vigilabo ad te. Similiter Ecclesiasticus de sapiente (Eccli. XXXIX, 6.) justoque dicit : Cor suum tradet ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum. Ideo dicitur Deus hominem diluculo per inspirationem et motionem Sancti Spiritus visitare. *Et subito,* id est statim post hoc, *probas illum,* id est, tentari permittis, et per adversa exerces ac probas, non ut tu eum agnoscas, sed ut homo cognoscat se ipsum, et aliis qualis sit ostendatur; per tribulationes quoque probatus ac virtuosus

A reddatur. Sic enim orat Psalmista : Proba me, Domine, et tenta me. (Ps. XXV, 2.) Hinc scriptum est in libro Sapientiæ : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos. (Sap. III, 6.) In Ecclesiastico quoque : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. (Eccli. XXVII, 6.)

Usquequo non parcis mihi? id est, cur tam diu differs mihi succurrere, vel miseram vitam hanc terminando, aut ad sanitatem me reducendo? *Nec dimittis me ut glutiam salivam meam?* id est, nec ad modicum das mihi a doloribus repausationem, sed ita desiccatus sum corpore, exhaustusque viribus, ut salivam aut non, aut vix naturali convenientique modo queam glutire. Et est partim hyperbolica locutio, ad exprimendum magnitudinem suæ pressuræ. Quocirca scribit Albertus : Humidum salivale secundum naturam est, quo omnis sapor nervis gustativis per linguam dispersis infunditur, et quo ad incorporationem glutitur : et est sensus, Dimitte me ut aliquod sapidum vitæ gustem vel glutiam.

C *Peccavi.* Infra sæpe, sed et supra innuit se non peccasse : quomodo ergo nunc ait, Peccavi? Nam infra testatur : Neque enim (Job XXVII, 6.) reprehendit me cor meum in omni vita mea. Et respondendum, quod innuit se non peccasse peccato gravi et tantæ afflictionis meritorio, non autem a quotidianis ac venialibus se excusat, quum et Salomon protestetur : Non est homo super terram, (Eccle. VII, 21; III Reg. VIII, 46.) qui faciat bonum, et non peccet. Joannes quoque in prima sua epistola : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. (I Joann. I, 8.) D *Quid faciam tibi,* id est ad tuam gloriam et honorem? *o custos hominum,* id est, Deus, hominum gerens curam atque custodiam : juxta illud in Psalmo, Custodiens parvulos Dominus (Ps. CXIV, 6.); et, Nisi Dominus custodierit civitatem. (Ps. CXXVI, 1.) Quasi dicat : O Deus, nil condignæ satisfactionis propriis viribus facere valeo, nec sine gratia tua veniam consequi, aut aliquid promereri sufficio.

Quare posuisti, id est, poni et esse seu fieri permisisti, *me contrarium tibi,* id est

Digitized by Google

tuæ voluntati ac legi per culpam? In omni enim peccato est quidam recessus a rectitudine voluntatis divinæ atque ab ordine sapientiæ Dei, et a dictamine seu doctrina legis naturalis aut scriptæ vel evangelicæ. Porro qui peccat, ponit et facit se ipsum Deo contrarium, dissentientem seu displicentem. Itaque eo modo ponit Deus hominem sibi contrarium, quomodo dicitur hominem indurare, videlicet quoniam gratiam non largitur. Potest et ita exponi : Quare posuisti me contrarium tibi? id est, me quasi adversarium habuisti et ostendisti, dum me tam graviter percussisti. Unde et infra Job loquitur Deo : Sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. *Et factus sum mihimetipsi gravis,* per pœnas quas patior, atque per culpam ex qua dolor et remorsus conscientiæ oriuntur : ipsumque peccatum quasi pondus est aggravans animam. Denique, ex peccato oritur in viribus animæ pronitas ad peccandum, et difficultas in ratione ad refrenandum passiones et vitia sensualitatis : sicque fit homo sibimet gravis, ita quod difficulter recedit a malo, et laboriose efficit bonum. Hinc ad Hebræos monet Apostolus : Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. De aggravatione vero per pœnam ait ad Corinthios : Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere.

Job xxx, 20, 21. — *Hebr.* xii, 1. — II *Cor.* i, 8.

Cur non tollis peccatum meum in proximum, si quod est, illud per pœnam hanc dimittendo, vel ex tua clementia ignoscendo? *Et quare non aufers iniquitatem meam* commissam in te? Omnis autem culpa est aliquo modo iniquitas, quia a perfecta æquitate defectus. Et homines virtuosi etiam parva peccata deflent ac reputant quasi magna ; sicque loquitur Job. Præterea contuendum, quod tam audenter ac fiducialiter loquitur Deo, non ex elatione, præsumptione, impatientia aut temeraria divinorum judiciorum inquisitione aut reprehensione ; sed potius ex quadam pia querela et humili admiratione, imo ex affectionis magnitudine virtuosa. Quasi dicat : Utinam non posuisses me tibi per peccata contrarium, et utinam omnem culpam meam auferres.

Ecce nunc in pulvere dormiam, id est, statim moriar, et in sepulcro quiescam, in pulveremque resolvar. Imo tam cito moriturum me reor, secundum naturalem causarum processum, quod *et si mane* diei sequentis *me quæsieris* in hac vita, *non subsistam* in ea. Loquitur autem Job affectu et more graviter atque letaliter infirmantium et mortem optantium, qui sic proloqui solent : Ego mox moriar. Quod et ideo agit, ut innuat se incertum de vitæ suæ duratione usque ad alteram diem. Rursus, quemadmodum in Scripturis per crastinum diem non semper intelligitur dies proxime sequens, sed interdum tempus cito futurum, ut dum in Genesi ait Jacob, Cras respondebit mihi justitia mea ; et in libro Josue, Cras dicent filii vestri filiis nostris ; talisque modus loquendi frequens est, maxime in Deuteronomio : ita et nunc per Mane, non necessario intelligitur mane diei proxime imminentis, sed alicujus diei non longe distantis.

Gen. xxx, 33. — *Josue* xxii, 24.

Postremo, ex dictis eliciuntur tres causæ, cur aliquis nunc affligatur a Deo : prima, quatenus coerceatur ejus malitia, ne aliis sit nociva ; secunda, ad hominis probationem, ut virtus ejus manifestetur ; tertia, in pœnam peccati.

Digitized by Google

ARTICULUS XX

DE INTELLECTU TROPOLOGICO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI.

GENERALEM hominis conditionem, proprietatem ac statum insinuans sanctus Job, *Militia,* inquit, *est vita hominis super terram.* Quicumque ergo veraciter Dei servus est, etiam miles est ejus, et contra adversarios ipsius jugiter præliatur, videlicet contra aciem vitiorum, contra insidias tentamentaque dæmonum : imo adversus omnia quæ Dei sunt offensiva, et veræ salutis impeditiva. Quoniam ergo vita nostra militia est, debemus indesinenter spiritualibus armis esse armati, virtutibus roborati, omnem torporem abjicere, stultam securitatem expellere, ad prælia Dei semper parati consistere, totam in rege nostro Deo altissimo spem firmare, ejus auxilium fideliter implorare, ejus adjutorio ubique inniti, hostibus ejus nullatenus conformari. Sed hæc non sine grandi labore implentur ; verum (teste Apostolo) non coronatur, nisi legitime certans. Imo frequenter contingit, ut tunc plura proficiendi obstacula nobis occurrant, plura turbantia obvient tam a dæmonibus, quam ab hominibus improbis, dum firmius vitam emendare decrevimus aut cœpimus. Sed non vincamur : quin potius tanto affectuosius recurramus ad Deum, quo sentimus nos importunius impediri ac impugnari.

II *Tim.* II, 5.

Et sicut dies mercenarii dies ejus. Circa hoc præcedenti articulo satis dictum videtur. Præterea, væ eis qui viam hanc præsensque exsilium pro patria diligunt ; qui æternis atque divinis præferunt carnalia ista vanissima; qui vanis ac frivolis rebus immundissimisque delectationibus magis, quam superdignissimo Deo infinito et incommutabili bono, inhærent ; qui in labore hominum non sunt, nec cum hominibus flagellantur ; qui vitiis non solum non reluctantur, sed et ad explendas concupiscentias suas conantur, ad satisfaciendum propriis voluptatibus operam largiuntur, ad obtinendos mundi honores, divitias, deliciasque intenti sunt. Isti sunt milites diaboli, hostesque Dei, qui pepigerunt pactum cum morte, et cum inferno fœdus inierunt, diabolo in omnibus concordantes : ideo tenet eos superbia, proditque quasi ex adipe iniquitas eorum : quorum dies non diebus mercenariorum, sed otiosorum, infructuosorum atque ludentium comparantur.

Ps. LXXII, 5. *Is.* XXVIII, 15. *Ps.* LXXII, 6, 7.

Sicut cervus desiderat umbram, etc., *sic et ego habui menses vacuos.* Hoc peccator pœnitens dicere potest, qui tempus suum infructuose expendit, sicque menses habuit a bonis operibus vacuos, vanitate et vitiis (quæ nihil sunt) plenos. Ideo ait Ambrosius : Plenitudinem vita justi habet ; inanes autem sunt dies impiorum. Porro, quod ait, Sicut cervus desiderat umbram, de homine virtuoso potest exponi, qui propter agilitatem devotissimam ad universa quæ Dei sunt, cervus vocatur ; umbramque desiderat, quoniam post tentationis fervorem, operisque sudorem, æternæ felicitatis refrigerium quærit, cum Psalmista proclamans : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. *Et noctes laboriosas enumeravi mihi.* Per noctem intelligitur actio vitiosa, tenebris erroris immixta, juxta illud Proverbiorum : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. Peccatores itaque noctes habent laboriosas, quia in ipsis eorum vitiosis operibus variæ anxietates, fatigationes, pœnæ et difficultates consistunt. Propter quod in libro Sapientiæ fatentur : Lassati sumus in via iniqui-

Ps. XLI, 2. *Prov.* IV, 19. *Sap.* V, 7.

tatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles. Quemadmodum enim virtus ex sua natura suavis est, et actus ejus delectat; sic peccatum vel amarum est in se, vel amaritudinem habet adjunctam. Propter quod, Augustino testante, animus inordinatus sibi ipsi pœnalis et gravis est. Eccle. II, 26. Unde Ecclesiastes ait : Homini bono dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam; peccatori autem afflictionem, et curam superfluam.

Si dormiero, id est, ab actu cessavero, et torporem otiumque admisero, *dicam,* ipso otio attædiatus : *Quando consurgam* ab otiositate ad opus? Tanta nempe est humanæ naturæ instabilitas, imperfectio atque varietas, ut nec in otio, nec in opere diu delectabiliter perseveret; sed nunc isto, nunc illo fatigetur, et de uno adspiret ad aliud. Ideo sequitur : *Et rursum exspectabo vesperam,* id est operationis occasum et corporis repausationem. Hinc Ecclesiastes Ibid. 23. asserit : Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente quiescit. — Potest quoque ita exponi : *Si dormiero,* id est, ab exterioribus alienatus, in Deo per contemplationem quievero Ps. IV, 9. (juxta illud, In pace in id ipsum dormiam, et requiescam : hæc est obdormitio dulcissima in dilecto), *dicam* intra me verbo affectuoso mentali : *Quando consurgam* de contemplatione imperfecta hac viæ, ad contemplationem beatissimam patriæ? Tunc enim ad facialem Dei benedicti intuitum vehementius inflammamur, quando hic per contemplationem theoricam mysticæ theologiæ, visionem internam atque amorem flammigerum succendentem, ad ipsum levamur, in ipso suspendimur et vacamus. Tunc equidem delicias patriæ prægustamus, futuram visionem beatificam inchoamus ; tantoque amplius ad claram ac immediatam divinæ superinfinitæ pulchritudinis visionem, atque divinæ, immensæ ac superpurissimæ bonitatis dulcedinisque fruitionem completam appropinquamus et dignificamur, quo in via hac ad sereniorem ac amorosiorem ipsius contemplationem provehimur. Deus enim essentialiter interminabiliterque amabilis, quo clarius se ostendit, eo videntem plus attrahit et delectat. *Et rursum exspectabo vesperam,* id est contemplativi splendoris cessationem : quia in vita ista mens contemplativa in luce theorica et contemplatione deifica jugiter stare non valet, sed ad defectuositatis suæ tenebras cito relabitur. — Præterea, in persona electi, quamvis peccatoris, ita exponitur : *Si dormiero,* id est, peccatis sopitus jacuero, motuque vitæ ac sensu spirituali privatus exstitero, *dicam : Quando consurgam* a somno peccati ad virtutum vigiliam? Electi namque emendationem proponunt, quemadmodum Michæas in persona hujusmodi dicit : Ne læteris, Mich. VII, 8. inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam. Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. *Et rursus exspectabo vesperam :* quia post pœnitentiam rursus metuunt se casuros, imo ad venialium umbras, actualisque illuminationis occasum frequenter labuntur : nam in eodem illustrationis dilectionisque Dei fulgore atque fervore non diu actualiter manent, sed frequentius innovantur et recalescunt.

Et replebor doloribus usque ad tenebras : quia ex hac miserrima instabilitate, defectuositate et lapsu justus vehementer affligitur, ex purissimo Dei amore maxime dolens, quod Creatorem suum supersanctissimum toties inhonorat, offendit, perdit, relinquit, etsi non quantum ad habitum, tamen quantum ad actum : istudque durat usque ad tenebras, id est horam mortis, tenebris angustiarum repletæ. Hinc ait Gregorius : Vult in contemplatione mens stare, sed nequit meditationis gressum figere ; nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur.

Induta est caro mea putredine, id est carnalium vitiorum inquinamentis, *et sordibus pulveris,* id est immunditiis cogitationis terrenæ sive carnalis. Sic et pœnitens ait : Putruerunt et corruptæ sunt Ps. XXXVII, 6, 8. cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ : quoniam lumbi mei impleti sunt illusioni-

Digitized by Google

bus, et non est sanitas in carne mea. *Cutis mea,* id est conversationis meæ superficies apparentiave exterior, *aruit,* id est, aliis exemplaris et fructuosa non fuit, sed potius scandalizativa, *et contracta est,* id est plicis duplicitatis et rugis tortuosæ injustitiæ deformata. Verumtamen hæc exponi queunt in bono, ut caro pœnitentis dicatur putredine ac sordibus pulveris quasi vestita, id est præ rigore abstinentiæ ac operum pœnitentiæ naturali vigore aliqualiter destituta, et ab æqualitate harmoniæ aliquo modo corrupta ac infirmata. Inter abstinentiam quippe virtutem acquisitam ac naturalem, et inter abstinentiam virtutem infusam, ista distinctio assignatur, quod ad abstinentiam naturalem pertinet tantum accipere alimenti, quantum expedit ad naturalia opera rationis exsequenda, atque ad bonam vitæ naturalis habitudinem in corpore conservandam; ad abstinentiam vero infusam spectat, etiam aliquid necessariorum abstrahere corpori, propter recompensandum ejus in alimentis aliisque excessum, et ut Christo concrucifigatur, aut per hoc plus gratiæ mereatur. Quo facto, cutis aret atque contrahitur, ita quod pallore ac macie, quæ sunt signa amoris, homo afficitur. Sic enim ait Psalmista :
ci, 4, 6. Ossa mea sicut cremium aruerunt; a voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

Quapropter, id est, quum tanta sit generis humani ac mea calamitas in malis culpæ meæ, *et ego non parcam ori meo,* id est, propriam vilitatem ac vitia propalare et sacramentaliter confiteri non desinam; sed sponte et copiose me accusabo et humiliabo, ne vulnera animæ meæ intus abscondite permanentia, periculosius, imo et incurabiliter, putrefiant, quum dicat Scri-
Prov. xviii, 13. ptura : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Loquar in tribulatione spiritus mei,* verba divina ac consolatoria proferendo : quem-
Jacob. v, 13. admodum Jacobus edocet : Tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo et psallat. Nam et hoc tribulationem tristitiamque

A internam diminuit, si foris per verba ordinata erumpat : intus etenim permanens clausa, plus cruciat. Hinc primo Regum sancta Anna fatetur : Ex multitudine do- 1 Reg. i, 16.
loris et mœroris mei locuta sum. *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ,* comparando eam ad ea quæ passi sunt Christus et martyres ac alii sancti, quorum comparatione nullius est ponderis, faciliterque suffertur. Confabulabor quoque cum ea, ex qualitate meæ afflictionis seu pœnæ, considerando qualitatem et multitudinem
B peccatorum meorum. Vexatio namque dat Is. xxviii, 19.
intellectum : ideo multi infirmitatibus deprehensi, pensant, confitentur ac deflent vitia sua. Unde tribulatio vitæ præsentis, inter maxima Dei munera computatur : et nisi hæc esset, paucissimi salvarentur, sicut et S. Brigitta sibi asserit revelatum.

Deinde anima ad contemplationis libertatem patriamque cœlestem anhelans, subjungit : *Numquid mare ego sum aut cetus?* secundum expositiones præhabitas; *quia circumdedisti me carcere,* id est corrupti-
C bili corpore me gravante ac deprimente, suisque indigentiis, infectionibus ac motibus, mille contemplandi impedimenta præbente, quemadmodum Plato comprobat in Phædone. Corpus enim quoad multa, carceri assimilatur. Propter quod orat vir sanctus : Educ de custodia (vel, ut alia Ps. cxli, 8.
habet translatio, de carcere) animam meam ad confitendum nomini tuo. Itaque viris heroicis seu divinis molestum est diu in carcere isto teneri, atque a felicitate differri.

D *Si dixero, Consolabitur me lectulus meus,* id est cordis cubile seu cogitatio ejus secreta, contemplationisve quies, *et relevabor* a gravitate afflictionis meæ, *loquens mecum in stratu meo,* id est intus considerando ea per quorum attentionem minuitur dolor; *terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.* Quemadmodum enim homines timorati in die atque vigilia intente perpendunt districtum Dei judicium, angustias mortis, æternum illud intolerabile metuendissimumque supplicium,

Digitized by Google

et quam supergravissimum sit a divino vultu in æternum repelli; sic talia frequenter in somno et visione seu imaginatione nocturna eis non sine pavore occurrunt. Porro, ut scribit Gregorius, Somnia interdum ventris plenitudine vel inanitate, aliquando vero illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando autem revelatione, aliquando cogitatione simul et revelatione generantur. Prima duo genera omnes in nobis multoties experimur. Porro ex illusione nascuntur, dum ab hoste occulto, scilicet diabolo, ingeruntur. Propter quod scriptum est in Ecclesiastico : Multos errare fecerunt somnia. In Levitico quoque : Non augurabimini, nec observabitis somnia. Quod vero ex illusione simul et cogitatione interdum procedant, constat ex eo quod Salomon asserit : Multas curas sequuntur somnia. Quod autem vicissim ex revelatione sint, patet in somniis Joseph. Postremo, quod nonnunquam ex prævia cogitatione simul et revelatione oriantur, probatur per id quod Daniel somnium Nabuchodonosor regis interpretans ait : Tu, rex, cœpisti cogitare in stratu tuo, quid esset venturum post hæc; et qui revelat mysteria Deus, ostendit tibi quæ futura sunt.

Eccli. xxxiv, 7. — *Lev.* xix, 26. — *Eccle.* v, 2. — *Gen.* xxxvii, 7, 9. — *Dan.* ii, 29.

Quamobrem, id est, quum tantæ sint meæ afflictiones, *elegit suspendium,* id est mentis elevationem ad alta, *anima mea,* ut ab inferioribus per considerationem suspensa, divinorum contemplationi intenta sit, quorum contemplatio contemplationisque delectatio, corporalium obliviscatur dolorum, et delectetur in Deo : quod fortissimum contra dolores exstat remedium. Siquidem quo anima actui unius potentiæ fortius est intendens, eo aliarum actus virium minus advertit. *Et mortem ossa mea,* id est, virtutes animæ meæ carnis mortificationem vivificam elegerunt : quemadmodum ait Apostolus : Mortificate membra vestra super terram. Caro enim et membra salubriter mortificantur, dum a propriis inclinationibus voluptatibusque frenantur, atque ab omni inordinato usu jugiter compescuntur. Sic namque et Christus jubet oculos erui, manus et pedes (si nos scandalizent) abscindi. Salubrius autem est tempore adversitatis, infirmitatis et afflictionis omnem carnalem delectationem et consolationem contemnere, atque in solo Deo refrigerium quærere, quam ad mitiganda adversa consolationem carnalem admittere, sicut fatetur Psalmista : Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. Ideo subditur : *Desperavi,* id est, in exterioribus et terrenis nullam fiduciam habui, quia hæc totis præcordiis sprevi, cum Psalmista decantans : Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Parce mihi,* id est, peccatis meis ignosce; *nihil enim sunt dies mei :* juxta sensum præhabitum. Virtuosi etenim viri, quo verius, quo clarius divina et summa cognoscunt, eo subtilius terrena despiciunt : ideoque præsentis vitæ dies nil esse conspiciunt, quoniam illuminatos mentis suæ oculos in æternitatis consideratione defigunt.

Coloss. iii, 5. — *Matth.* xviii, 9, 8. — *Ps.* lxxvi, 3, 4. — *Ps.* lxxxiii, 3. — *Ephes.* i, 18.

Verum, quoniam pars ista hujus capituli in Officiis defunctorum pro lectione assumitur, intuendum quid ad animas defunctorum in pœnis remedialibus exsistentes, pro quibus dumtaxat oratur, ista pertineant, et quomodo applicari his valeant. Itaque in persona hujusmodi animæ loquens Job, ait : *Parce mihi.* Anima namque in purgatorii pœnis consistens, postulat sibi parci, ne quantum meruit puniatur, sed secundum divinæ magnitudinem pietatis sibi de pœna quid remittatur, etiam per Ecclesiæ militantis suffragia, sed et per preces ac merita Beatorum. *Nihil enim sunt dies mei,* id est, tempora quibus temporaliter vixi, penitus transierunt, nec habeo tempus merendi, ita quod me ipsam nequeo adjuvare.

De lectionibus Officii defunctorum.

Insuper talis anima loquitur Deo : *Quid est homo, quia magnificas eum?* id est, quum tantæ sit fragilitatis, mirum quod opera ejus tam rigorose ac seriose advertis, judicas atque ulcisceris, quasi magnum aliquid sit : quem etiam per dona naturæ,

Digitized by Google

per munera gratiæ, per dotesque gloriæ miro modo magnificas. *Aut quid apponis erga eum cor tuum?* sibi de necessariis quantum in te est providendo, et omnia ejus opera interiora ac exteriora diligentissime usque ad minimum quadrantem examinando ac judicando. Ideo ait Psalmista : Dominus sollicitus est mei. (Ps. xxxix, 18.) Verumtamen, non obstante hominis naturali imperfectione, præsertim quantum ad corpus, non injustum, sed penitus justum est, hominem sic curari, gubernari, judicari et præmiari a Deo, in quantum ratione ornatus est atque ad Creatoris sui imaginem factus, inter bonum et malum valens discernere, et quod placeat, libere potens eligere. Non enim dedit homini rationem, nisi ut ea utatur; liberumque arbitrium, nisi ut malis et falsis abjectis, veris ac bonis inhæreat : quod faciens, dignus est laude et præmio; omittens vero et oppositum agens, pœnam meretur. Exigit quoque sapientia et justitia Dei, ut unicuique quod meruit rependatur. Propter quod ait Psalmista ad Dominum : Numquid vane constituisti omnes filios hominum ? (Ps. lxxxviii, 48.) Unde de insipientibus sapiens quidam scribit : Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ ad lucra compositam, et oportere undecumque acquirere. (Sap. xv, 12.) Præterea anima taliter loquitur admirative, ad provocandam Dei clementiam ad parcendum. Nam et in verbis his, quo amplius propriam naturam humiliat, eo plus Dei majestatem insinuat.

Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Hoc præcedenti articulo satis explanatum videtur. Visitatio autem Dei in Scripturis interdum in bono accipitur, scilicet pro beneficii impensione, quemadmodum in Luca : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. (Luc. i, 68.) Quandoque in malo, videlicet pro justa ultione, ut dum per Sophoniam Dominus perhibet : Visitabo super viros defixos in fæcibus suis; et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur. (Soph. i, 12, 9.) Denique probat Deus hominem tempore mortis, judicans qualiter vixit; atque deinceps per purgatorii ignem probat eum, qui sine mortali decedit, non plene mundatus, sicut probatur aurum in igne fornacis. (Sap. iii, 6.) Rursus, lumen gratiæ se habet ad lumen gloriæ, sicut aurora ad diem. Ideo Deus visitat eum diluculo in præsenti, id est, radio gratiæ suæ mentem ejus perfundit; subito autem hunc probat, quoniam vita tribulationibus plena est.

Usquequo non parcis mihi? id est, heu quod tam diu me punis et differs a gloria! Gloriæ quippe dilatio, animabus in purgatorio pœnalissima est atque gravissima. Imo gravior omni pœna sensibili vitæ præsentis, prout Thomas super quartum Sententiarum pulchre declarat. Sunt enim hujusmodi animæ vehementer affectuosæ, atque in caritate, et circa spiritualia tantum intentæ, in magno quoque tormento. Hinc breve tempus eis videtur longissimum. Ideo verba hæc querulosa proferunt voce. *Nec dimittis me,* a suppliciis evolare aut recreari, *ut glutiam salivam meam?* id est, caritatem aut sapientiæ donum, quibus ornata sum, ad beatificæ fruitionis saporem deducam. Quemadmodum enim saliva corpus humectat et sapidum efficit cibum, sic caritas et sapientia ceteras virtutes saporosas efficiunt, atque gratioso fluento has rigant : quæ glutiuntur, dum ad intimum mentis saporem in patria admittuntur; interim vero quasi aridæ sunt et absque sapore. Vel istud est parabolica locutio, ad insinuandum vehementiam purgatoriarum pœnarum.

Peccavi : ideo juste hæc patior, imo et citra condignum affligor. Hinc ista non loquor quasi tuæ derogans æquitati. *Quid faciam tibi, o custos hominum?* id est, jam per me satisfacere nequeo, mereri nil valeo, pro injuria quam tibi exhibui, recompensare nil possum. Itaque alios audi pro me, et quo impotentior ego sum, eo pietas tua ad parcendum sit pronior. *Quare posuisti me contrarium tibi?* id est, doleo quod me te offendere permisisti; nec in hoc te, sed me ipsum accuso, quoniam

Digitized by Google

juste me taliter reliquisti. Verbum istud, sicut et cetera, in præcedenti articulo plenius habentur exposita. *Et factus sum mihimetipsi gravis.* Spiritus qui in purgatorio puniuntur, eo sibi ipsis sunt graviores, quo intensiori pœna premuntur. Dolent quoque de peccatis præteritis et Dei offensa, quia in caritate persistunt; hoc tamen dolore nil promerentur, quum non sint in statu merendi, qui terminatur in morte, sicut et via peregrinationis istius. Hinc (secundum Damascenum) quod angelis fuit ruina, hoc hominibus est mors.

Cur non tollis peccatum meum quantum ad pœnam, quod ante recessum a corpore abstulisti quantum ad culpam seu maculam vel obligationem ad pœnam æternam? Sic enim per contritionem deletum est, sed plene satisfactum non est. Ista sunt verba vehementis, dolorosi et amorosi simul et querulosi affectus : quæ magis pensanda sunt secundum intentionem mentalem, quam juxta sonum verborum. *Ecce nunc in pulvere dormiam,* id est, in venialibus meis, quantum ad debitum pœnæ manebo donec me liberes; vel, In pulvere, id est loco pœnali terreno; vel, In pulvere, id est mei ipsius humiliatione ac supplici veniæ affectione. *Et si mane me quæsieris,* id est, si cito vel quocumque tempore matutino me ad judicandum requisieris, seu tibi offerri præceperis, meque secundum rigorem justitiæ judicare volueris, non adjuncto dulcore clementiæ, *non subsistam,* id est, coram te stare et tuæ districtionis pondus ferre nequibo : ideo ad tuam pietatem confugio.

Postremo, dum ista pro defunctis proferimus, affectuose atque intente agere id
A debemus, pensantes ineffabilem pœnarum eorum acerbitatem, vehementissimumque affectum quo sibi cupiunt subveniri; impotentiam quoque ipsorum, quoniam sibi ipsis non valent succurrere; itemque multiplicem, quem inde consequimur, fructum. Quum enim ex caritate pro eis quid agimus, non dubium quin vitam meremur æternam et caritatis ac gratiæ incrementum, aut certe ad tale incrementum aliquo modo disponimur. Defunctis autem seu animabus eorum nihil horum possumus
B promereri, quum non sint in statu proficiendi in caritate seu gratia; sed solum meremur eis pœnarum minorationem seu abbreviationem, et ex consequenti gloriæ accelerationem. Idcirco nobis ipsis per talia meremur vitam æternam, et caritatis ac gratiæ incrementum. Verumtamen, quo ex puriori Dei et proximi caritate egerimus ista atque similia, utpote non ad proprium commodum, sed ad Dei honorem ac gloriam, proximorumque salutem respicientes; eo amplius promeremur etiam
C nobis ipsis, ac crescimus. Idem equidem opus ex caritate procedens, est meritorium et satisfactorium : meritorium, quia ex caritate; satisfactorium, propter laborem adjunctum. Sicque prodest defunctis per applicationem ad eos : quibus etiam tanto plus prodest, quanto intentio atque dilectio amplius diriguntur ad ipsos. Nec dubium quin et animæ tales quum ad felicitatem pervenerint, orent fideliter pro oratoribus suis.

Merito quoque lectiones Officii pro de-
D functis, ex libro Job sumptæ sunt, qui de generali resurrectione præ ceteris Prophetis evidentius vaticinatus censetur.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES, DIXIT.

EXPOSITORES communiter dicunt, Gregorius quoque et Thomas id sentiunt, quod tres isti amici Job, concorditer sentiebant, quod Deus in vita præsenti nulli homini infligat pœnam, nisi pro illius culpa. Hoc et ego aliquando sensi, quod scilicet concordabant in hoc, atque ob id putabant beatum Job divinæ derogare justitiæ, quia se dixit absque suo peccato plagatum, imo innocentem se esse ac justum, et nihilo minus flagellatum. Unde contra hoc tota eorum disputatio principaliter occupari videtur. Verumtamen, quum expositionem Alberti vidissem, incidi circa hoc dubitationem.

Ait namque Albertus in principio expositionis capituli tertii * : Eliphaz ponit, quod gubernatio divina in rebus humanis est secundum merita, et quod bonis bona, et malis mala eveniant; sed quod aliquando lateat hominem, mala esse opera sua, et quod propter vilitatem naturæ homo sine peccato esse non possit. Propter quod dicit : Nihil in terra fit sine causa. Et : In angelis suis reperit pravitatem : quanto magis qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? Porro Baldad ponit, quod gubernatio non sit secundum merita, sed secundum ordinem optimum felicitatis humanæ. Et ideo, si Deus aliquando bonis mala pœnæ infligit, hoc in fine bonis multiplicibus recompensat; et si malis bona concedit, hoc fit ut justior sit eorum damnatio. Idque sonat in verbis suis. Nam dicit : Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum. Præterea Sophar ponit, quod gubernatio Dei sit secundum solam ejus voluntatem, et illa quærenda non est, quia ab homine non potest cognosci. Ideo dicit : Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? et : Si subverterit omnia, vel in unum coarotaverit, quis contradicet ei? Post hæc inducitur positio Eliu, qui cum tribus prædictis concordat, et maxime cum positione Sophar. Ideo dicit, quod Deus conteret multos et innumerabiles, et illius causa quærenda non est; et non addit ad hanc intentionem, nisi quod per mediatorem vel per se ipsum aliquando instruit, qualiter humana divinis debeant concordare. Et ideo dicit, Si fuerit angelus loquens pro eo unum de millibus; et quod per noctem erudit corda virorum et instruit disciplina. Gloriatur tamen de sapientia sua, quod hoc invenit post alios, et illam laudat in nubibus et fulgure.

* quarti

Job v, 6; 18. 19.

Ibid. viii, 21.

Job xi, 7, 10.

Ibid. xxxiv, 24.

Ibid. xxxiii, 23. 15. 16; xxxii, 6-22; xxxvii, 2-24.

Hæc scribit Albertus loco jam nominato. Quibus, quantum ad ea quæ narrat de positione Baldad, obviare videtur quod in principio expositionis octavi capituli introducit, dicendo : Baldad convenit cum Eliphaz, quod mundus regitur secundum ordinem justitiæ : quod est retributio pro meritis. Sed addit duo, scilicet quod peccans, per pœnitentiam resurgere potest et judicium Dei effugere; item, quod si Deus aliquando punit in damnis vel rebus, dummodo punitus pœniteat, patienterque agat, multipliciter Deus recompensat in remuneratione pœnitentis. Ecce hoc loco subdit Albertus, quod secundum Baldad mundus regitur secundum ordinem justitiæ, quod est retributio pro meritis; superius vero asseruit, quod secundum Baldad gubernatio non fit secundum merita. Denique quod hic ait, ipsum Baldad duo addere positioni Eliphaz, scilicet quod peccans, per pœni-

Ibid. viii, 5-7.

tentiam resurgere, judiciumque Dei effugere potest, non videtur posse defendi : quia et ipse Eliphaz hoc ipsum apertissime fassus est, dicens : Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur. Totumque residuum illius capituli pertinet ad hoc. Secundum quoque quod Albertus affirmat ipsum Baldad superaddere positioni Eliphaz, ipse Eliphaz tangit, dicendo : Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et progenies tua quasi herba terræ. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Non intentione reprobandi Albertum Magnum hæc scribo, sed ut veritas elucescat : et is cui placet tenere Albertum, verba ejus resolvat, quæ mihi irresoluta videntur.

Job v, 17, 18. — *Ibid.* 24-26.

Itaque, cum B. Gregorio sanctoque Thoma id sentio, quod amici Job concorditer tenuerunt pœnam pro sola culpa infligi. Unde unanimiter arguunt contra Job, oppositum affirmantem. Diversis tamen argumentis utuntur, quamvis ad eamdem tendant conclusionem. Unde non sequitur, quod diversæ inter se fuerint opinionis ob id, quod varias habent assertiones ac multiplicia media seu multiformes præmissas : hoc quippe quotidie in disputationibus ita se habet ; et in prosecutione præsentis capituli atque sequentium clare patebit, amicorum sancti Job unam esse opinionem circa providentiam Dei ac regimen universi.

Postremo, aliqui expositiones suas litterales pro magna parte fundant in hoc, quod amici Job non posuerunt vitam post hanc vitam, sed animam rationalem esse mortalem. Quod dictum, superius evidenter ex verbis amicorum Job improbatum recordor, evidentiusque pelletur, nec aliquam (quantum capio) apparentiam habet. Nihilo minus textus sicut hucusque expositus est, ita deinceps, præstante Spiritu veritatis, litteraliter exponetur.

Itaque Baldad post Eliphaz principalis, audita assertione beati Job, et objectione Eliphaz, responsione quoque Job ad verba Eliphaz, reputans objectionem Eliphaz concludentem, responsionemque Job insufficientem, imo insipientem et inconvenientia non parum augentem, nunc objicit contra Job, volens dicta Eliphaz confirmare. Itaque dicitur : *Respondens autem,* id est proportionate (ut sibi apparuit) loquens ad verba Job, *Baldad Suhites, dixit : Usquequo loqueris talia* præsumptuosa, ad tui justificationem, divinæque æquitatis derogationem spectantia, utpote quod sine tuo demerito sis percussus a Deo, et diei nativitatis tuæ maledixisti ? quasi dicat : Periculose et pertinaciter verba multiplicas. *Et spiritus multiplex sermonis oris tui ?* Spiritus quandoque pro ira seu indignatione accipitur, quandoque pro anima. Dupliciter ergo hoc verbum exponitur. Primo sic : Spiritus sermonis oris tui, id est ira seu indignatio vel impatientiæ passio, ex qua tua procedit locutio, est multiplex, magna, perseverans et varia ; et nunc de isto, nunc de illo turbaris, ex turbationeque loqueris. Ita secundum Glossam, accipitur spiritus in Genesi, ubi Dominus loquitur : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Potest tamen ibidem spiritus aliter sumi. Secundo sic : Spiritus sermonis oris tui, id est mens seu anima tua, quæ prorupit in verba præhabita, est multipliciter passionata, divisa, distracta, non in Deo simplificata ac recollecta. Ideo frivola profers et inordinata, non condependentia. His verbis consonat, quod infra ait contra Job Eliphaz : Docuit iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.

Ibid. III-VII. — *Gen.* VI, 3. — *Job* XV, 5.

Numquid Deus supplantat, id est, præcipitat aut opprimit, *judicium,* id est sententiæ prolationem seu æquitatis effectum judicando non recte ? *aut Omnipotens subvertit quod justum est ?* quasi dicat : Nequaquam ; et tamen ex verbis tuis, o Job, hoc infertur, quoniam dicis te sine tua culpa percussum. Justum autem est unicuique reddere quod meretur. Si ergo justus et innocens es plagatus, contra ju-

Digitized by Google

stitiam fecit Deus. Ex hoc elicitur, quod Baldad concordavit cum Eliphaz, opinando quod Deus non nisi pro culpa infligeret pœnam; et etiam, quod non intellexit profunditatem verborum Job, quibus præcedentibus duobus capitulis, præsertim in principio capituli septimi, oppositum docuit. Ideo argumentum Baldad non procedit. Quamvis enim justum sit pro culpa pœnam infligi, non tamen semper est contra justitiam, infligere pœnam pro alia causa quam pro culpa, videlicet pro gratiæ incremento, pro gloriæ cumulo, pro bono communi, quod est proximorum ædificatio. Nec ratio justi consistit solum in hoc, ut retribuatur pro meritis; sed et in aliis multis salvatur ratio justi. Nam et Deus tam bonus et pius est, ut justum sit eum peccatoribus misereri. Ipse quoque tam sapiens est, ut justum sit eum justos adversitatibus exercere ad majorem eorum profectum, et pro bono communi fidelium. Unde hoc modo omnia argumenta amicorum Job carent vera syllogistica forma. Estque in eis fallacia aliqua; sed apud minus peritos prima facie quamdam apparentiam sortiuntur. Et nonnunquam superficialiter sumpta, rationabiliora apparent quam verba Job; sed secundum intentionem loquentium sumpta, longe aliter inveniuntur.

Etiamsi, id est quamvis, et quia (secundum mentem hujus Baldad), *filii tui peccaverunt ei,* id est contra Deum, *et dimisit eos in manu,* id est in vigore et actu, *iniquitatis eorum* *, permittens eos usque ad horam mortis peccare, atque in actu et intenso affectu impietatis deprehendi ac obrui, quando videlicet erant pariter epulantes; *tu tamen si diluculo,* id est cito seu tempestive, *consurrexeris ad Deum,* id est, a terrenis, imis ac vitiosis affectibus mentem tuam ad Deum levaveris per veram contritionem : juxta id Ecclesiastici,

* suæ

Eccli. v, 8, 9. Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius; *et Omnipotentem fueris deprecatus* pro remissione tuorum excessuum;

A *si mundus* mente a cogitationibus vanis et affectionibus passionum inordinatis, *et rectus,* id est justus in conversatione, *incesseris,* id est, per viam hujus peregrinationis ad futuram beatitudinem ambulaveris, non declinando ad dexteram aut sinistram; *statim evigilabit ad te,* id est, cito exaudiet te, seque tibi gratiosum præbebit per modum vigilantis, qui tibi in tuis adversis quasi dormiens fuit, solita beneficia sua subtrahens tibi : juxta id Psalmistæ, Exsurge, quare obdormis, Domine? Hinc in Ps. XLIII, 23.
B Joanne habetur : Si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Et pacatum reddet tabernaculum* * *justitiæ tuæ,* id est domum et familiam tuam, tuæ justitiæ merito tibi donandam, ita quod pax erit tibi et cunctis tuis opibus atque domesticis; *in tantum, ut* * *priora tua,* id est divitiæ et familiæ, quas aliquando habuisti, *fuerint parva,* comparatione sequentium bonorum tibi dandorum, *et novissima tua,* id est bona tibi in ultima tua ætate præstanda, *multiplicentur nimis,* id
C est, valde abundent. Quamvis autem ista Baldad promissio in ipso Job fuit impleta, quantum ad hoc, quod post maximam adversitatem ad maximam reductus est in hoc sæculo prosperitatem; universaliter tamen vera non est, nec in his qui pro suis plagantur peccatis, neque in his qui sine prævio suo demerito affliguntur : nam de utroque genere percussorum istorum multi usque ad mortem permanent in adversis.

Joann. IX, 31.

* habitaculum

* alias ut si

Insuper Baldad dictum suum nititur confirmare communi testimonio seniorum, et
D per scripta ipsorum. *Interroga enim generationem pristinam,* id est antiquam atque præteritam, non illos qui diu defuncti sunt alloquendo, sed dicta et scripta seu gesta eorum legendo; *et diligenter investiga patrum memoriam,* id est memorabilia facta; vel ea quæ eorum recordationibus continentur, quærendo ab his quid eorum occurrat memoriæ circa hæc : sicque de patribus adhuc viventibus loquitur Baldad. Juniores autem a senioribus eruditionem sumere debent, quemadmodum in Deute-

Digitized by Google

Deut. xxxii, 7. ronomio habetur : Interroga patrem tuum, A et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi. Et Ezechias loquitur Deo : Pater Is. xxxviii, 19. filiis notam faciet veritatem tuam. Unde Eccli. viii, 11, 12. Ecclesiasticus docet : Ne te prætereat narratio seniorum, et ipsi enim didicerunt a patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dabis responsum. *Hesterni quippe sumus,* id est heri nati, intelligendo per Heri, tempus non diu præteritum : sicut per Cras, frequenter exprimitur tempus post pauca futurum. Et loquitur sic, ad insinuandum B brevitatem vitæ præsentis. *Et ignoramus* quæ diu elapsa sunt, quia pauca conspeximus; et ea quæ scimus, minima sunt comparatione eorum quæ ignoramus; præsentisque brevitas vitæ non sinit nos omnia discere. Unde sacerdotes Ægypti gentiles dixerunt Soloni adhuc minus decrepito : Non est in vobis (scilicet Græcis) ulla cana scientia; ut habetur primo Timæi. Hincque subjungitur, *quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram,* id est instabiles, celerrime transeuntes, juxta illud Sapientiæ : C Sap. ii, 3, 5. Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur. Umbræ enim transitus est tempus nostrum.

Ipsi docebunt te verbo scripto aut memorabili facto; *loquentur tibi,* per se, vel per scripta quæ reliquerunt, *et de corde suo proferent eloquia,* id est non ficte aut false, sed ex corde pandent quod verum est, utpote quod dicta a me in isto capitulo, vera sint. Porro, sapientes de corde loquuntur, videlicet ex præmeditatione sagaci, et circumspecte; stulti autem, de ore, juxta quod D Eccli. xxi, 29. Ecclesiasticus inducit : In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Verba autem hæc Baldad, quibus asserit pristinos et antiquos suæ assertioni consentientes, vera non sunt, si de vere sapientibus intelligantur, quamvis illis temporibus et ante multi fuerunt opinionis ejusdem cum amicis Job, scilicet Deum non infligere pœnam nisi pro culpa; quodque pœnitens rediret in vita hac ad prosperitatem terrenam.

Consequenter Baldad dicta sua confirmat per similitudinem in naturalibus rebus compertam. *Numquid vivere* * vita vegetativa, id est, crescere, florere, durare, *potest scirpus,* id est juncus, *absque humore?* Indiget enim indesinenter humore saltem sub terra latente. Circa quod scribit Albertus : Quoniam scirpus absque omni nodo est, nihil habet in quo stet nutrimentum ipsius. Idcirco non viret, nisi continue trahat humorem. Nodus enim in calamo vel planta ad hoc est, ad quod est stomachus vel intestinum, quod dicitur involutum in homine vel animali, ut ibi stet et inde dirigatur nutrimentum ad membra, nec cogatur continuo sollicitari pro nutrimento. Intenditque dicere, quod Job fuit sicut scirpus extra virens, et intus vanus, continue sumens humorem seu nutrimentum per avaritiam. *Aut carectum crescere sine aqua?* quasi dicat, Non nisi in aqua crescit : quia loca aquosa requirit. Carectum vero proprie dicitur locus, quo crescit herba, nomine carex; sed hic pro ipsa herba accipitur, quæ acuta atque durissima fertur. Unde Albertus : Carectum (inquit) gladiolus est, qui etiam nodum non habet in foliis, et viret extra, intusque vanum est ; et per eamdem causam, qua scirpus, esse nequit sine continuo tractu humoris et aquæ ; dilatatur quoque in foliis : quod scirpus non facit.

* alias virere

Quum adhuc sit in flore, id est vigore atque virore scirpus sive carectum, *nec carpatur manu,* id est, violenter non extrahatur de terra, *ante omnes herbas arescit,* id est citius aliis per subtractionem vel defectum humoris aut aquæ. Præterea, secundum Albertum, scirpus verum non habet florem, sed loco floris in summitate sui emittit virgulas parvas et breves. Carectum quoque est duplex, videlicet majus et minus : majus, in extremis folii planum et lene est ; minus autem, dentatum et asperum, valdeque incisivum, ut falx metentis : et hoc non carpitur manu, quia secaret manum carpentis seu capientis. Et intendit, quod Job ita odivit correptionem,

Digitized by Google

quod tangi manu corripientis non potuit : ad tactum enim conturbatur, qui correptionem non sustinet.

Sic viæ, id est operationes et studia, *omnium qui obliviscuntur Deum,* vel ejus non reminiscendo, vel ejus mandata non observando. Aliqui enim frequenter legunt, loquuntur, audiuntque de Deo, et tamen ei non obediunt, nec habent ejus memoriam amorosam, formatam et efficacem. Ideo dicuntur eum obliti, quemadmodum Deum non cognoscere asseruntur, qui mandatis ipsius non obsequuntur. *Et spes hypocritæ,* qui aliud intus abscondit, aliud forinsecus exhibet, *peribit,* id est, optato bono frustrabitur, aut certe cito privabitur : quod sicut sine humore non potest subsistere scirpus sive carectum, sic impia conversatio, vanaque spes damnabuntur, et non valent diu florere, eo quod careant rore gratiæ cœlestis, et aqua sapientiæ salutaris, fecundatione et irrigatione donorum Spiritus Sancti. Ideo dicit
Ps. I, 6; IX, 18. Psalmista : Iter impiorum peribit. Et iterum : Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. In
Eccle. VIII, 13. Ecclesiaste quoque habetur : Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus; sed quasi umbra transeant, qui non timent
Sap. V, 15. faciem Domini. Et Sapiens : Spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur ; et quasi spuma, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.

Non ei placebit vecordia sua, id est, Deo non placebit, imo et maxime displicebit vecordia, id est insania seu insipientia hypocritæ, cujus hæc insania est, quod in operibus ex genere bonis magis quærit hominibus placere quam Deo, laudem humanam quam divinam, commodum temporale quam fructum æternum. Ideo in Proverbiis
Prov. XII, 8. scriptum est : Qui vanus et vecors est, patebit contemptui. Vel, Non placebit ei, id est hypocritæ, sua vecordia : quia dum viderit se optatis bonis fraudari, et ob suam vanitatem damnari, displicebit sibi insipientia sua, in quantum est meritoria pœnæ quam horret. Hinc in libro Sapientiæ

A impii dicunt : Quid nobis profuit superbia? Sap. V, 8, 9.
aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. *Et sicut tela aranearum,* quæ debilis est et parvo motu destruitur, *fiducia ejus :* quia (ut dictum est) spes ejus peribit, et vanis rebus innititur, atque æternis suppliciis punietur. Hinc loquitur Psalmista Deo : Propter iniquitatem corripuisti hominem, Ps. XXXVIII, 12.
et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus. Et Isaias : Opus eorum opus inutile ; Is. LIX, 6, 5.
telas araneæ texuerunt.

B *Innitetur super domum suam,* id est, in divitiis, sobole, familia, ceterisque ad se pertinentibus temporalibus rebus, spem suam constituet. Quocontra scriptum est : Quis ambulat in tenebris? Speret in nomi- Ibid. L, 10.
ne Domini, et innitatur super Deum suum. *Et non stabit,* id est, spes talis eum non figet in bono, sed corruet ipse cum sua fiducia, quia non innititur stabili fundamento, videlicet summo et incommutabili bono, sed rebus caducis. Propterea scriptum est in Jeremia : Maledictus homo qui Jer. XVII, 5, 6.
C confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus : erit enim quasi myricæ in deserto. *Fulciet eam,* id est, domum suam muniet contra adversa, *et non consurget,* id est, nec ipse, nec domus ejus ad veram ac stabilem prosperitatem perveniet.

Humectus videtur (supple, scirpus), id est humore aqueo irrigatus, *antequam veniat sol,* humorem exsiccans, viriditatemque auferens, *et in ortu suo,* id est statim in ortu scirpi, *germen ejus,* id est fructus
D ejus nulli usui aptus, *egreditur* *, quia celeriter crescit et fructificare videtur. Vel, * egredietur
In ortu suo, id est, sole oriente, germen ejus egreditur, id est, perit solis calore loca paludis siccante : siquidem humidum aqueum insipidum, faciliter epotabile atque siccabile est a sole. Per hæc intendit, quod simili modo impius seu hypocrita prosperatur et floret, antequam superveniat ei æstus adversitatis, seu fervor divini judicii, qui per solem notatur : quo veniente, falsa perit prosperitas, et latens

aperitur impietas. *Super acervum petrarum radices ejus densabuntur,* id est, radices scirporum in locis petrosis ac humidis multiplicabuntur, ita quod plurimi scirpi ibi concrescent, *et inter lapides commorabitur,* id est, scirpus manebit in hujusmodi locis lapidosis ad tempus.

Si absorbuerit eum de loco suo, id est, si quis extraxerit scirpum de loco quo stat, ut eum alibi plantet, *negabit eum, et dicet : Non novi te,* id est, scirpus negabit extrahentem, et dicet ei, Non novi te, id est, alibi non crescam sicut intendis, nec tibi consentiam. Itaque negat et dicit hæc non verbo, sed facto, non formaliter, sed materialiter : quemadmodum in Scripturis, inanimatis actus adscribuntur vitales, ut Ps. LXIV, 14. ibi : Valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent : sicque Deum laudare dicuntur. Vel sic : Negabit eum, id est, scirpum negabit locus ejus, et dicet, Non novi te, id est, mihi amplius non poteris implantari. *Hæc est enim lætitia viæ ejus,* id est lætitia naturalis processus seu proprietatis scirpi, *ut rursum de terra alii germinentur,* id est, ut ipso extracto, non idem ipse rursum nascatur, sed alii similes specie sibi succedant. Sicque lætitia metaphorice adscribitur scirpo, secundum quod unicuique rei corruptibili appetibile est perpetuari in simili sibi secundum speciem, ut ait Philosophus. Per ista intendit, quod impius per mortem sublatus, non revertetur ad vitam hanc, sed oblivioni tradetur, et alii in loco ejus succedent : ex quibus principaliter intenta concludit.

Deus non projiciet simplicem, id est, veraciter virtuosum, et mente in Deo simplificatum, qui in omnibus intentionem suam figit in Deo, talem utique Deus non spernit nec deserit ; *nec porriget manum,* id est auxilium, *malignis :* quod in tantum verum est, o Job, quod experieris hoc A in te ipso, si pœnitentiam egeris. Ideo subdit, *donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo,* id est, tantam prosperitatem susceperis, quod tanta erit tibi inde jucunditas cordis, quod redundabit in corpus. Sicque ridebis, et ineffabili quodam gaudio perfunderis, ita quod mentis lætitiam exprimere labiis non valebis. Jubilus autem essentialiter inest menti, sed per redundantiam in corpore ponitur. Denique, quamvis vera sint verba hæc secundum sanum piumque sensum, non tamen B secundum loquentis intentionem. Baldad quippe inducit hæc contra Job, ad insinuandum quod Deus non desinit virtuosum adversitatibus exercere, sed a talibus eum tuetur ; et quod impiis non det in vita hac prosperitatem saltem notabilem, seu magnam et longam : cujus oppositum constat ab initio sæpius contigisse. Verum est tamen, quod Deus non projicit simplicem, quantum ad spiritualia gratiæ bona, nec quantum ad talia, porrigit manum malignis in malitia sua manentibus, juxta C illud Proverbiorum : Longe est Dominus ab impiis. Prov. XV, 29.

Qui oderunt te, induentur confusione, et tabernaculum, id est opulentia seu prosperitas, et quidquid ad bona domus pertinet, *impiorum non subsistet* stabiliter, sed auferetur eis ac disperibit, secundum opinionem amicorum Job, quanquam secundum veritatem frequenter contingat, impios usque ad mortem, in omni terrena prosperitate florere, imo usque ad ultimam senectutem.

D Ideo quoque Baldad de hypocrita mentionem induxit, quoniam propter plagam quam vidit in Job, putavit eum non virtuosum fuisse ac simplicem, sed duplicem animo atque hypocritam : quod et alii duo, imo et Eliu, putaverunt ; tamen ante hanc plagam tenuerunt eum pro viro eximie virtuoso.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII

MYSTICA ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI OCTAVI.

SICUT præhabitum est, per Job, quili- A bet veraciter justus et tribulationibus plenus signatur; per amicos autem ipsius, ficte virtuosi et sapientes in oculis propriis exprimuntur. Talis ergo quicumque, ait ad Job, id est hominem virtuosum afflictum, nec aliquo modo a via justitiæ recedentem, sed veritatem in omnibus docentem et defendentem : *Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui?* Injustis enim gravia esse solent verba justorum ; et dum corrigi nolunt, recte prolata criminantur. Insuper, quum B se increpari considerant, increpantem non ex rationis judicio, sed impetu passionis, variisque inordinatis affectionibus loqui testantur ; quod item mensuram loquendi aut non perpendat, aut nesciat : imo se ipsos sapientiores ac meliores illo esse aut aperte profantur, aut implicite innuunt, sed et verba loquentis interrumpere solent. Ideo Sapiens ait : Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. Prov. xxvi, 16.

Numquid Deus supplantat judicium? C Prædicti ficte virtuosi et intus vani, ut amplius reputentur et prævalere putentur, aliqua vera et pulchra atque ad Dei excellentiam laudemque spectantia, tamen ad propositum secundum veritatem non pertinentia, jactanter solent proferre, quasi talibus verbis dicta aut facta justorum a quibus reprehenduntur, repugnent, sicut et Baldad egisse hic legitur. Porro, quum Deus essentialiter verus, justus ac sapiens sit, nequaquam supplantat, sed conservat, diligitque judicium, dicente Psalmista : D Quia Dominus amat judicium. Et Isaias : Deus judicii Dominus. Sed quoniam incom- Ps. xxxvi, 28. Is. xxx, 18.

prehensibilia sunt judicia Dei, interdum Rom. xi, 33. videtur hominibus humanum sensum sequentibus, non desuper unctis, esse supplantatio judicii, quod Deus æquissimo agit aut permittit judicio.

Etiamsi filii tui, id est discipuli aut subditi seu imitatores, *peccaverunt ei, et dimisit eos* Deus *in manu iniquitatis eorum*, ita quod in mortali peccato defuncti sunt, æternaliterque damnati sunt ; *tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, statim evigilabit ad te.* Perversi dum caritative arguuntur, passionate redarguunt, et vitia sibi vere objecta aut similia in arguentem false retorquent. Ne tamen ex passionis ardore loqui cernantur, quasi amorose ad emendationem hortantur, veniamque promittunt. Sed hoc prorsus vitandum est : imo si quispiam etiam non vere reprehendatur, debet patienter audire, et ceteros suos defectus atque excessus advertere, nec reprehendentem pro tunc increpare aut durius alloqui.

Præterea verba hæc Baldad, quamvis beato Job non recte fuerint applicata, nihilo minus secundum se sumpta, venustate ac veritate ornantur. Pater enim non portabit iniquitatem filii, nec econtra, ut Ezechiel asserit. Ezech. xviii, 20. Et quantumcumque alii perierint, quamdiu aliquis manet in vita hac pœnitere potest ac veniam adipisci. Primo itaque debet peccator diluculo ad Deum consurgere, id est cito mentaliter pœnitere, et de bonis creatis, caducis et vanis, ad Creatorem suum se vertere per ejus cognitionem et amorem ; deinde ad orationes se dare, pro malis delendis et bonis spiritualibus adipiscendis. Oratio quoque est præcipua pars satisfactionis. Tertio debet

Digitized by Google

operationibus virtuosis constanter insistere, hoc est munde et recte incedere, Deoque in sanctitate et justitia deservire: quæ quum impleverit homo, Deus statim evigilabit ad eum, dando quod petit salubriter et constanter ac etiam pro se ipso, juxta
Is. xxx, 19. illud Isaiæ : Miserans miserebitur tui ; ad vocem clamoris tuì statim, ut audierit, respondebit.

Postremo, secundum diversas considerationes, dicitur Deus super eumdem dormire et vigilare. Super impium enim dormit, in quantum eum relinquit, nec per gratiam visitat : super quem etiam vigilat, in quantum sibi pœnam pro culpa infli-
Jer. xxxi, 28. git. Propter quod ait per Jeremiam : Sicut vigilavi super eos ut evellerem, sic vigilabo super eos ut ædificem et plantem. Qui ergo cupit divinitus exaudiri, studeat divinæ voluntati per obedientiam conformari, irreprehensibiliter conversari, verbisque opera concordare. Alioqui advertat quod
Prov. xxviii, 9. scriptum est : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Quo equidem divinæ voluntati quis conformiorem se ipsum præbuerit, ardentiusque Deum dilexerit, et irreprehensibilius ei servierit; eo erit carior, intimior et familiarior Deo, et eum tanquam amicum carissimum Deus copiose etiam in magnis exaudiet : imo affectum ejus antequam in verba prorumpat, aut incepta compleat, adspiciet et implebit, sicut per Isaiam te-
Is. lxv, 24; lviii, 9. statur de talibus : Antequam clament, exaudiam eos ; adhuc illis vociferantibus, dicam, Ecce adsum.

Et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ : id est, corpus tuum (in quo anima tua degit) faciet rationis judicio cum tranquillitate subjectum, ne de cetero more solito militet contra animam atque recalcitret; *in tantum, ut priora tua fuerint parva,* id est, pristina spiritualia gratiarum charismata modica fuerint respectu sequentis tuæ perfectionis : quia, ut ait
Matth. xxv, 29. Salvator, Abundanti dabitur, ut plus abundet; et profectus parit profectum, unaque actio virtuosa disponit ad aliam. Ideo mo-

A net Apostolus : Æmulamini charismata me- *I Cor.* xii, 31; xv, 58.
liora. Et iterum : Abundantes in opere Domini semper. *Et novissima tua,* id est dona gloriæ tibi in patria conferenda, *multiplicentur nimis.* Deus enim, sicut citra condignum reprobos punit, sic supra condignum electos remunerat. Et quamvis sint quatuor dotes corporis glorificati, et tres animæ, quantum ad principales pertinet dotes illorum, tamen in particulari innumerabilia nobis sunt munera ac gaudia Beatorum. Nam et innumerabiles eis sunt
B materiæ gaudiorum.

Interroga enim generationem pristinam : id est, testimonio Patriarcharum ac Prophetarum antiqui temporis hoc discere potes. Ideo subditur : *Ipsi docebunt te.* Prædicta enim verbis illorum probantur. Nam et de abundantia proficiendi in gratia fertur in Psalmo : Ibunt de virtute in *Ps.* lxxxiii, 8.
virtutem. De exuberantia vero donorum gloriæ rursus ait Psalmista : Inebriabun- *Ps.* xxxv, 9.
tur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et in Isaia habe-
C tur : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ *Is.* lxiv, 4.
præparasti exspectantibus te. His verbis superbi et scioli confunduntur, qui a majoribus aut senioribus suis seu doctioribus discere aspernantur. Qui autem veraciter sapiens est, semper discere cupit, ut probat Cyrillus. Propter quod scriptum est : Sapientiam omnium antiquorum exquiret *Eccli.* xxxix, 1.
sapiens, et in Prophetis vacabit.

Numquid vivere potest scirpus absque humore? aut carectum crescere sine aqua? De his herbis et quid designetur per eas, di-
D ctum est præcedenti articulo. Quibus etiam verbis consonat in Evangelio Christus, dicens semen aruisse, quia humorem non *Luc.* viii, 6.
habuit. Et de homine virtuoso loquitur Jeremias : Erit tanquam lignum quod trans- *Jer.* xvii, 7.
plantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit quum venerit æstus, id est fervor adversitatis et ignis tentationis; erit enim Deus fiducia ejus. De quo in Proverbiis asseritur : Tur- *Prov.* xviii, 10.
ris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Itaque, ad ma-

Digitized by Google

nendum in virore virtutum gratiarumque flore, indesinenter egemus pluvia spirituali ac humore cœlesti, videlicet inundatione internæ motionis, directionis, tactusque Spiritus Sancti, cujus actuali motione egemus in omni meritorio actu, dicente Apostolo : Deus est qui operatur in vobis velle et perficere. Ad quem loquitur Isaias : Domine, dabis pacem nobis ; omnia enim opera nostra operatus es in nobis.

Philipp. II, 13.
Is. XXVI, 12.

Non ei placebit, puta injusto atque hypocritæ, *vecordia sua*. In veritate nihil insanius, nihilque stultius cogitari potest aut vilius, quam Deo non obedire ac subdi ; quam Creatorem non diligere, filialiterque timere ac jugiter venerari ; quam caduca et vana ista terrena atque carnalia Deo immensæ bonitatis præferre; quam pro humanis laudibus agere prompte, quod pro Dei laude et gloria tædet implere ; quam diabolo assentire conversando inique ; quam pro his temporalibus, brevibus, carnalibusque deliciis æternam perdere felicitatem ; postremo, quam taliter vivere, qualiter mori esset damnabile : et tamen sic agunt omnes iniqui. Idcirco prorsus vecordes sunt : tanto utique stultiores, quanto his quæ suæ salutis sunt neglectis, circa sæcularia prudentius occupantur, et corporis opes, decorem et delectationes magis quam animæ quærunt. Sed veniet hora, in qua sero displicebit eis eorum vecordia, quando et dicent illud : Nos insensati vitam justorum æstimabamus insaniam, et finem sine honore. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

Sap. V, 4, 6.

Sicut tela aranearum fiducia ejus, id est injusti atque hypocritæ. Quod enim incertissimo fundamento innititur, facillime labitur. Qui ergo in terrenis vanitati subjectis spem figunt, ruent atque peribunt, nec in illis unquam veram quietem invenient. Propter quod Augustinus loquitur Deo : Creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te. Et Psalmista : Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Innitetur super domum suam, et non stabit*. Sic multi in sua progenie, opulentia, mansione confidunt ; sed in illis non sortientur salutem, imo per impiam spem pœnam merentur æternam.

Ps. LXXII, 28.

Super acervum petrarum radices ejus, id est hypocritæ per scirpum signati, *densabuntur, et inter lapides commorabitur*. Per petram seu lapidem homo frequenter exprimitur. Itaque hypocritæ et injusti radices, id est occultæ et intimæ cogitationes seu affectiones, ex quibus prodeunt opera, quemadmodum ex radice virgulta, densabuntur super acervum petrarum, id est, abundanter fundantur super hominum favorem ac laudem seu dona : quia ad hæc illorum intentio fertur, et inter hæc commorantur, non Creatori, sed creaturæ placere quærentes ; non Deo, sed hominibus cor suum principaliter infigentes : quod est cæcitas detestanda. Nempe, quo Deus benedictus omnibus melior digniorque consistit, eo plus in omnibus mentem dirigere, affectum firmare, finemque in ipso locare debemus, alia vana et frivola intuitu Dei in infinitum spernentes. *Hæc est enim lætitia viæ*, id est conversationis *ejus*, puta hypocritæ seu injusti, *ut rursum de terra alii germinentur*, id est, ut eo per mortem sublato, alii sibi similes ei succedant. Carnales enim et sæculares præsentia maxime diligentes, cognatos et caros cupiunt in hoc sæculo promovere, ditare, et superstites sibi in mundana prosperitate relinquere ; idque solatiosum est eis, quod suos tales relinquunt, quasi arbitrantes se in suis manere.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Hoc in die judicii tam particularis quam universalis præsertim implebitur. In die enim generalis judicii omne malum pœnæ et culpæ aufertur electis, omnisque consolatio tollitur reprobis, nec quidquam divini consequuntur auxilii, nisi quod citra condignum torquentur. Interim vero in sæculo isto dona naturæ et bona fortunæ, aliaque diversa beneficia gratiæ gratis datæ, dantur a Deo

Digitized by Google

communiter simplicibus et malignis. Deus namque in sua bonitate immensa iniquos [Matth. v, 45.] conservat in esse, et pluit super bonos ac malos, solem faciens oriri super justos atque injustos : imo interdum malignis et pessimis de præfatis bonis plura divinitus conferuntur, quam electis et virtuosis, dum illos Deus prosperari permittit, istos autem instanter castigat. Præterea, quoniam Deus in vita præsenti flagellare et purgare solet electos per reprobos, ut electi purgati salventur, reprobi autem flagellantes juste damnentur ; ideo Deus frequenter porrexit malignis manum, id est auxilium et triumphum adversus electos, ut patet in libris Judicum, Regum et Machabæorum. Sed quantum ad consecutionem felicitatis æternæ, non porrigit manum malignis ac reprobis, quos relinquit, quanquam variis modis eos quantum in se est, ad emendationem moveat et hortetur, per inspirationem secretam, per angelorum custodiam, per devotorum prædicationem, per miracula et Scripturas, per impressionem synderesis, ac per naturalis judicium rationis. Sed et malignis qui prædestinati sunt, porrigit manum tempore æternaliter præordinato, ita quod in caritate et gratia moriuntur. Sed et malis reprobis, interdum ex miseratione divina confertur gratia veræ contritionis ; sed finaliter in ea non permanent. Unde malignis reprobis non præstatur finale auxilium consequendi salutem.

Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. Quod item in judicio plene complebitur in unoquoque electo jam afflicto, per sanctum Job designato, qui tunc pereuntibus reprobis in mente et corpore, omni gaudio perfundetur, quemadmodum [Luc. VI, 21.] ait Salvator : Beati qui nunc fletis, quia [Matth. V, 5.] ridebitis. Et iterum : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hinc per Ma- [Malach. IV, 2, 3.] lachiam Dominus ait electis : Egrediemini, et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios. Hic est risus ex spirituali [Prov. XXXI, 25.] lætitia nascens, de quo in Proverbiis legitur : Ridebit in die novissimo. Est autem

A et risus dissolutionis atque lasciviæ, de quo asserit Christus : Væ vobis qui ride- [Luc. VI, 25.] tis, quia plorabitis et flebitis. De quo scriptum est in Jacobo : Risus vester in luctum [Jacob. IV, 9.] convertatur, et gaudium in mœrorem. Porro, quod ait, Donec impleatur, etc., non est intelligendum, quod ore Sanctorum risu impleto, Deus postea porrigit manum malignis. Unde per Donec, excluditur tempus usque ad illud, non autem duratio sequens, sicut in Psalmo : Sede a dextris [Ps. CIX, 1.] meis, donec ponam inimicos tuos, etc.
B Itemque : Deus, ne derelinquas me, donec [Ps. LXX, 18.] annuntiem brachium tuum.

Postremo, etiam sæpe in vita præsenti post gravem tentationem seu quamlibet diram tribulationem, electi quadam ineffabili consolatione ex occulta Sancti Spiritus visitatione piissima recreantur, magis plane quam verbis queant exprimere. Propter quod Paulus fatetur Corinthiis : Sicut [II Cor. I, 5.] abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Et Psalmista devotissime loquitur Deo :
C Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Do- [Ps. XXX, 20.] mine, quam abscondisti timentibus te ! Et rursus : Secundum multitudinem dolorum [Ps. XCIII, 19.] meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Dicit autem Gregorius : In æterna patria quum justorum mens in exsultatione rapitur, lingua in laudis canticum elevatur : qui quoniam tantum vident, quantum exprimere nequeunt, in risu jubilant. Ex quo sentire videtur Gregorius, quod in patria erit laus vocalis.

D *Et tabernaculum*, id est ædificatio terrenæ prosperitatis, *impiorum non subsistet.* Dum enim molem divitiarum, turrim honoris, consistorium deliciarum, contra paupertatem, tristitiam et depressionem vitæ præsentis sibi construere moliuntur, simul cum suis vanitatibus ruunt atque damnantur, juxta id Psalmi : Dejecisti eos dum [Ps. LXXII, 18, 19.] allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem ? Subito defecerunt ; perierunt propter iniquitatem suam. Quod si interdum diu videantur florere, hæc tamen diu-

Digitized by Google

turnitas respectu durationis vitæ sequentis, minor et brevior est, quam ictus oculi ad innumerabilia et inexplicabilia millia A annorum. Non ergo vitam hanc alicujus reputemus momenti, sed ad æternitatis considerationem mens nostra semper feratur.

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO CAPITULI NONI : ET RESPONDENS JOB, AIT : VERE SCIO QUOD ITA SIT.

Et *respondens Job, ait : Vere scio quod ita sit,* sicut tu, o Baldad, dixisti (præcedenti capitulo), scilicet quod Deus non
ob viii, 3. supplantat judicium, nec pervertit quod justum est, *et quod non justificetur homo compositus,* id est comparatus, *Deo :* hoc est, homo quantumlibet justus, comparatione infinitæ justitiæ Dei, justus non est, quia in infinitum a divina justitia deficit et occumbit. Ideo, sicut respectu divini esse, divinæque lucis et sapientiæ Dei, esse creatum est tanquam non esse, et lux creata non lucet, sed quasi caligo censetur, sapientia quoque humana velut stultitia reputatur; ita comparatione divinæ justitiæ, humana justitia est tanquam injustitia quædam. Majus equidem offuscat quod minus est. Rursus, justitiæ nostræ in vita præsenti multæ injustitiæ, id est veniales culpæ, miscentur : in tantum, ut asserat
. lxiv, 6. Isaias, Tanquam pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ. Idcirco, ad increatam supermundissimam atque immensam Dei justitiam, quid est nisi injustitia quædam? Præterea, quum Deus ob suam superinfinitam dignitatem ac sanctitatem dignus sit reverentia infinita, palam quod omnis cultus et honor quem ei impendimus, et amor quo eum diligimus, distent in infinitum ab honore atque amore, quibus ipse incomprehensibiliter dignus est. Idcirco justitia qua colimus eum, imo et qua Beati colunt eum in patria, distat immense a plenitudine justitiæ, qua Deus dignus est coli, quantum est ex parte ipsius. Hinc omnis mentis creatæ justitia per B comparationem ad Deum, prorsus in infinitum occumbit. Ideo merito orat Psalmista, et cum illo semper orare debemus :
Non intres in judicium cum servo tuo, Ps. cxlii, 2.
Domine (utpote secundum rigorem meræ justitiæ judicando : non enim oramus nullatenus judicari a Deo, quum hoc derogaret divinæ justitiæ ; sed ut misericorditer judicet nos), quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Porro, quod ait Job, Non justificetur homo compositus Deo,
Eliphaz quoque dixit : ideo Job illud con- Job iv, 17.
C cedit, quia superius ad hoc nihil respondit.

Si voluerit homo *contendere cum eo,* id est ex æquo litigare aut disceptare cum Deo, hoc est, si voluerit probare justum se esse, absolute loquendo, vel quantum ad Deum, *non poterit ei respondere unum pro mille,* id est, nec in uno seu minimo poterit se excusare ex mille defectuositatibus seu peccatis saltem venialibus, quæ Deus potest ei objicere. Et ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato; loquiturque de homine secundum communem ejus D conditionem et statum. Idcirco istis non obstat, quod Virgo beata ex singulari gratia nulli fuit peccato obnoxia. Insuper, Thomas exponit hæc sic : Non poterit ei respondere unum pro mille, id est, nulla determinata numeri specie seu mensura metiri aut exprimi potest, quantum divina justitia excedit humanam. Millenarius namque, quum sit maximus numerus qui apud nos proprium nomen habet (ceteri enim numeri majores per replicationem minorum numerorum promuntur, ut duo mil-

Digitized by Google

lia, decem millia, mille millia); ideo pro A quantumcumque magno numero sumitur, *Ps.* CIV, 8. quemadmodum et in Psalmo : Memor fuit testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes. Itemque in Apocalypsi: *Apoc.* XX, 4. Regnabunt cum Christo mille annis. Itaque *I Petr.* V, 6. humiliemur sub omnipotenti manu superjustissimi Dei; et imperfectum nostrum *Ps.* CXXXVIII, 16. videant oculi nostri; et impleamus quod in *Eccli.* VII, 5. Ecclesiastico scriptum est, Non te justifices ante Deum. *Galat.* VI, 3. Hinc ait Apostolus : Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse *Hebr.* X, 31. se seducit. Et iterum : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Metuamus ergo districtionem divini judicii. Etenim, *Prov.* XXVIII, 14. Beatus homo qui semper est pavidus.

Sapiens corde est : imo mens Dei non solum sapiens veraciter appellatur, sed ipsa essentialiter est Sapientia independens, æterna, idealis, exemplaris, immensa, a cujus perfectione, splendore ac puritate omnis creata mens deficit infinite. Propter *Rom.* XVI, 27. quod ad Romanos ait Apostolus : Soli sapienti Deo honor et gloria. *Et fortis robore.* Est namque omnipotens et prima ac C infinita potestas : de quo dicitur in Esther, *Esther* XIII, 9. Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. Denique, ad perfectionem justitiæ requiritur sapientia dirigens et potentia exsequens. Duplex quoque est contentio : una verbalis in disputando, quæ per sapientiam maxime agitur; alia realis in pugnando, quæ per fortitudinem fit. Ad insinuandum ergo, quod justitia Dei est undequaque perfecta, et quod nec disputando neque pugnando possit quis cum Deo contendere, perhibet quod Deus sit D sapiens atque robustus.

Quis restitit ei tam sapienti, justo ac omnipotenti, *et habuit pacem ?* quasi dicat, Nullus. Sed videtur contrarium. Omnes enim vitiose viventes, Deo rebelles *Rom.* XIII, 2. sunt; et juxta Apostolum, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et tamen videmus hujusmodi temporaliter prosperari, et carnalem pacem habere : de qui- *Ps.* LXXII, 3. bus cantamus, Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et respondendum, quod dupliciter dicitur aliquis Deo resistere. Primo, ei dissentiendo : sicque iniqui, quorum affectiones et operationes sapientiæ ac justitiæ Dei difformes sunt atque contrariæ, Deo rebelles seu resistentes dicuntur. Secundo, divinæ voluntati seu Deo volenti renitendo, ita quod eam ab effectu impediat : sicque nulla creatura potest Deo resistere. Divina enim voluntas, ut in Deo accipitur pro ipsa ejus volitione ut aliquid fiat, nullatenus impeditur, sed semper infallibiliterque impletur, quemadmodum in B Isaia Deus testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Is.* XLVI, 10. Hinc scriptum est alibi : Non est qui possit tuæ resistere voluntati. *Esther* XIII, 9. Et in Jeremia : Quis similis mei? et quis sustinebit me? dicit Dominus. *Jer.* XLIX, 19. Et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Deus nempe in infinitum fortior est cunctis creatis. Ideo ejus voluntati hoc modo acceptæ, nullus valet resistere, sed conantem resistere Deus mox impedit et superat : sicque turbatur desiderio suo frustratus, qui resistere nitebatur, ut patuit in Herode volente Christum occidere. *Matth.* II. Ideo talis pacem non habet. Hinc Salomon loquitur : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Prov.* XXI, 30. Qui vero secundum primum modum Deo resistentes dicuntur, vera, interna, spiritualique pace privantur, quum pax talis sit tranquillitas ordinis, et quies mentis in Deo. Ideo in Isaia fertur : Non est pax impiis, dicit Dominus. *Is.* LVII, 21. Insuper contingit hominem acquirere pacem, impotentiori vel æquipotenti resistendo; sed a potentiori non solet quis pacem obtinere resistendo, sed ei cedendo, seque illi humiliter subjiciendo. Unde cum Deo omnipotente ac supersapiente non valet quis pacem habere, nisi se ei subjiciat.

Deinde potentiam Dei per ejus effectus declarat. *Qui transtulit montes,* id est, dejecit, destruxit, vel ad alia loca transposuit, *et nescierunt hi quos subvertit in furore suo,* id est, tam repente id fecit, quod prævideri non potuit ab his, qui circa vel supra montes morabantur; atque per mon-

Digitized by Google

tium translationem exstincti sunt in rigore divinæ justitiæ, quæ per montium translationem eorum peccata sic ulta est. Præterea, juxta Thomam, montium translatio dupliciter fit, scilicet : miraculose ad fidei confirmationem, prout ait Salvator in Evangelio : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti, Tolle, et jacta te in mare, et obediet vobis. (Matth. xvii, 19; xxi, 21.) Secundo fit naturaliter. Omne enim quod naturaliter generatur, tempore determinato corrumpitur. Quum ergo generatio montium sit naturalis, quandoque naturaliter destruuntur. Quorum destructio fertur translatio, quia cum quadam translatione partium ipsorum fit montium : et de hac naturali translatione videtur Thomæ sanctus Job loqui. Potius tamen reor, quod de miraculosa translatione loquatur, quia in illa evidentius divina potestas ostenditur ; et quoniam addit, Quos subvertit in furore suo. Miraculosa namque translatio montium, ad peccatorum vindictam magis ordinatur et fit, quam naturalis. Naturalis quoque translatio montium, non videtur tam subitanea, ut nulla præcedant indicia, quibus homines admoveantur * ad fugam. Generatio quippe et corruptio fiunt cum dispositionibus præviis.

(* admoneantur)

Qui commovet terram de loco suo : quia in terræ motu tam naturali quam miraculoso, terra secundum aliquas sui partes de loco suo movetur, juxta id Psalmi : Qui respicit terram, et facit eam tremere. (Ps. ciii, 32.) Terra autem secundum se totam, de loco suo nunquam movetur, sed manet immobilis, vel tanquam centrum mundi, quemadmodum ab Ecclesiaste inducitur : Generatio præterit, et generatio advenit ; terra vero in æternum stat. (Eccle. i, 4.) *Et columnæ ejus concutientur* *. Quod accipi potest de montibus, qui sunt velut columnæ super terram fundatæ ; vel de inferioribus terræ partibus, quibus superiores videntur inniti, sicut columnis structura innititur. His consonat illud Ecclesiastici : Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei com-

(* concutiuntur)

(Eccli. xvi, 18, 19.)

A movebuntur, montes simul et colles et fundamenta terræ ; et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Naturalis autem terræ motus, causatur ex vaporibus terræ inclusis, egressum petentibus. Deus vero interdum speciali ex causa supernaturaliter movet terram, sicut in Christi passione ac resurrectione. (Matth. xxvii, 51 ; xxviii, 2.)

Qui præcipit soli, et non oritur, id est, per circulum suum non movetur : quemadmodum tempore Josue factum est, quando sol stetit in medio cœli, spatio unius diei. (Josue x, 13.) B Luna quoque tunc tanto tempore stetit immota. Ita exponit Albertus. Thomas exponit sic : Non oritur, id est, claritas solis hominibus non apparet, interposito aere nebuloso. *Et stellas claudit,* id est, visui hominum occultat, *quasi sub signaculo* aliquam rem tegente. Sic enim per interpositionem nubium stellæ clauduntur. Cui concordat illud in Psalmo : Qui operit cœlum nubibus. (Ps. cxlvi, 8.) Est quoque consuetudo, præsertim in libris propheticis, ut luminaria cœli obscurari, et non oriri seu operiri dicantur, C non propter mutationem in eis effectam, sed dum homines in aliquam præcipuam labuntur tristitiam, ita quod hominibus ad consolationem non lucent. Sic quippe in Isaia scribitur : Stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum ; obscuratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. (Is. xiii, 10.) Quod totum illico dicitur propter Babylonis destructionem, de qua ibi ad litteram sermo est. Simili modo scriptum est in Joele : Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt (Joel ii, 10.) D splendorem suum. Quod dicitur ibi propter vastitatem Jerusalem a Chaldæis. In Ezechiele quoque Dominus loquitur regi Ægypti : Operiam, quum exstinctus fueris, cœlos, et nigrescere faciam stellas ejus ; solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te. (Ezech. xxxii, 7, 8.) Denique, in Exodo scriptum est, qualiter tribus diebus fuerunt tenebræ horribiles atque palpabiles in terra Ægypti, itaque tunc sol non oriebatur Ægyptiis. (Exod. x, 21, 22.) In Actis quoque fertur, quemadmo-

Digitized by Google

Act. xxvii, 20. dum nec sol nec sidera apparuerunt multis diebus, his qui cum Paulo erant in navi. Postremo, Deus omni creaturæ, etiam inanimatæ et irrationali præcipere dicitur, et illa obedit : quia potentia quædam obedientialis ei innata asseritur, qua Creatori obedit. Hinc Christus mari et ventis
Marc. iv, 39. præcepit, loquens ad mare, Tace et obmutesce, ut legitur in Marco.

Qui extendit cœlos solus, id est, sine cujusquam adjutorio seu cooperatione dedit cœlestibus orbibus magnitudinem, certamque quantitatis mensuram seu sphæricam quam habent figuram, secundum sapientiæ suæ inscrutabile profundissimumque
Ps. ciii, 2. decretum. Unde ait Psalmista : Extendens
Is. xl, 22. cœlos sicut pellem. Et Isaias scribit : Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit illos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Ex quibus quorumdam philosophorum ac hæreticorum, dicentium omnia corporalia ab aliqua mente creata esse producta, non immediate a Deo, error confunditur. Nam et Ariani dixerunt Christum puram esse creaturam, et nihilo minus universa creasse. Cujus oppositum hoc loco et infra clarissime edocetur. *Et graditur super fluctus maris,* id est, instar gradientis atque calcantis subjicit eos suæ sapientiæ dispositioni, suæque voluntatis imperio, ne terminos sibi præfixos egrediantur. Quemadmodum enim ambulans super aliquid, pedibus illud suis substernit; sic Deus sua virtute fluctus maris ad libitum suum reprimit, mitigat et compescit, dicente Psal-
Ps. lxxxviii, 10. mista : Tu dominaris potestati maris ; motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Simili
Mich. i, 3. modo scriptum est in Michæa : Dominus calcabit super excelsa terræ.

Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas. Per Arcturum, Albertus intelligit polum arcticum ac principium frigoris. Thomas vero ait, quod Arcturus sit quædam constellatio in cœlo, quæ dicitur Ursa major, et habet septem stellas claras, quæ nobis nunquam occidunt, sed semper circumeunt polum septentrionalem seu arcticum. Idem asserit Glossa super illud Amos : Facientem Arcturum et Orionem. In Mam- *Amos* v, 8.
motractu quoque Bibliæ fertur : Arcturus est signum septem stellis in axe lucens, et semper versatur, nunquamque mergitur : quod sæculares Currum appellant. Itaque horum aggregatio siderum, vocatur Arcturus.

Orion vero seu Oriona, dicitur constellatio quædam nota ac evidens ob magnitudinem suam et claritatem, partim exsistens in Tauro, et partim in Geminis. Quidam vero affirmant, quod sit signum ante Tauri vestigia fulgens. Porro, Hieronymus super Amos dicit, quod Orion hieme oritur, suoque ortu tempestates signat et excitat. Cui concordans Gregorius : Oriones, inquit, in ipso pondere temporis hiemalis oriuntur, et ortu suo tempestates excitant, maria terrasque perturbant. Unde (secundum quosdam) Orion dicitur quasi Urion, ab urina, id est ab inundatione aquarum. Ex quibus patet, cur in libro Meteororum dicat Philosophus, quod Orion sit indiscretus atque difficilis. Postremo, Albertus scribit hoc loco : Orion constellatio est versus meridiem, lucens sub Sagittario, et sole exsistente in Sagittario ortu cosmico sive mundano; estque principium hiemalis tempestatis, dum frigidum movet ad elementorum commixtionem, ut inspissentur elementa ad generationem. Verba hæc intricata, et a prædictis partim discrepantia mihi videntur.

Præterea, secundum Thomam, Hyades, stellæ quædam sunt, in pectore Tauri consistentes, suntque multum notabiles visu. Huic dicto saltem partim concordat, quod alii dicunt, hanc esse constellationem in fronte Tauri, vernali tempore orientem. Gregorius quoque testatur : Juvenescente verno, Hyades ad cœli faciem prodeunt, atque illius signi inhærent initiis, quod sapientes sæculi Taurum appellant. Græco autem nomine *hyados* pluvia dicitur, et Hyades a pluviis nomen acceperunt, quoniam ortæ, procul dubio imbres ferunt. Hinc ait Albertus : Hyades dicuntur a Græco *hydor,* quod est aqua, et sunt stellæ

Digitized by Google

quæ dicuntur caput Tauri ; oriunturque ortu cosmico in Maio, qui etiam Maius, quasi madidus, dicitur, et movent humidum generationis ad nativitatem et germen.

Et interiora austri, id est abscondita et secreta, quæ sunt circa partem cœli australem seu meridionalem, videlicet stellas quæ ibi sunt circa polum antarcticum, qui simul cum astris sibi propinquis manet nobis (in parte septentrionali locatis) semper invisibilis et occultus, interior et depressus. Circa quod scribit Thomas : Illis qui sub æquinoctiali habitant, si tamen aliqui ibi habitant, uterque polus conspicuus est, quum horizon eorum ad rectos angulos æquinoctialem secet, sicque oportet ut transeat per utrumque polum æquinoctialem. Recedentibus autem ab æquinoctiali, et accedentibus versus polum septentrionalem, elevatur super horizontem polus septentrionalis, et deprimitur polus australis, secundum mensuram elongationis ab æquinoctiali. Hinc nobis non potest esse conspicuus, nec stellæ ei vicinæ. Albertus quoque hic ait : Interiora austri dicuntur, quia sub axe sphæræ in polo antarctico nobis in quarta aquilonaris terræ habitantibus deprimuntur. Unde Lucanus :

> Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
> Occultum Styx atra tegit.

Et stellæ ibi positæ, principium sunt caloris : propter quod infra habetur, Nonne vestimenta tua calida sunt, quum perflata fuerint Austro ? (Job xxxvii, 17.)

Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* (* incomprehensibilia.) Hoc ipsum supra locutus est Eliphaz : quod ibidem diffuse expositum est, idcirco pertranseundum. (Job v, 9.) *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Hoc aliqui sic exponunt : Si venerit ad me per suam gratiam, seu gratiæ infusionem, non videbo eum, hunc adventum percipiendo; si abierit, gratiam subtrahendo, non intelligam hujusmodi subtractionem : quoniam nescit homo an amore vel odio dignus sit, ut in Ecclesiaste habetur. (Eccle. ix, 1.) Sed circa hanc expositionem, cui secundum unam interpretationem concordat quod ait Salvator, Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat, dubitationes occurrunt. (Joann. iii, 8.) Frequenter etenim homo scit se peccare mortaliter : et tunc utique certus esse potest, quod Deus ab ipso recedat, et gratiam subtrahat. Rursus, dum adultus baptizatur recta intentione, scit se gratiam adipisci, et Deum per gratiæ infusionem ad se venire. Denique aliqui sic rapiuntur ad Deum, sicque inflammantur in eo, et ad mysticam theologiam sic elevantur, quod certissimi sunt se divinitus visitari, supernaturali dulcedine affici, in Deum sincerissime absorberi, quemadmodum sanctissimi viri sibi sæpius contigisse humiliter grataque mente suis in scripturis fatentur. Apostolus quoque affirmat : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. (I Cor. ii, 12.) Itemque : Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. (Rom. viii, 16.)

Ad ista atque similia arbitror respondendum, quod verba inducta, uno modo queunt secundum modum prætactum exponi, ita ut verbis consonent Salomonis. Sed tunc universaliter ita exponi non valent, sicut nec verba Salomonis inducta. Multis quippe infusa est gratia cum certitudine absoluta, ut ipsi Apostoli Spiritum Sanctum ac ejus charismata, multique alii, de quibus in Actibus Apostolorum narratur, cum clarissima certitudine susceperunt. (Act. viii, 17, 18.) Sic et ipsi ac alii innumerabiles viri perfecti, in vita hac certi fuerunt se esse in caritate et gratia, seu dignos amore. Unde etiam sine hæsitatione cupiebant dissolvi, et esse cum Christo. (Philipp. i, 23.) Et Paulus de se, ceterisque ait Apostolis : Nos ipsi primitias Spiritus habentes. (Rom. viii, 23.) Præterea, vitiosi publicis intenti sceleribus, sciunt dignos se odio. Itaque verba Job ac Salomonis intelligenda sunt secundum communem legem, cursum atque processum, secundum quem nescit homo certitudinaliter an dignus sit amore. Verumtamen, ex singulari munere pietatis

Digitized by Google

divinæ, interdum simul cum visitatione Dei et gratiæ infusione, datur a Deo certitudo de gratiosa Dei præsentia, seu pio ejus adventu, sive per exteriora quædam indicia, vel angelicam apparitionem, vel inspirationem internam, seu revelationem occultam. Itaque, quod ait, Si venerit ad me, etc., non est sic intelligendum, quasi semper sic sit, sed quia frequenter sic accidit tam sancto Job, quam ceteris viris perfectis. Aliquibus tamen imperfectis semper sic potest accidere, atque quamplurimis in tota sua vita ita contingit.

Hinc etiam Thomas istud particulariter exponit, dicendo : Ad rectorem rerum humanarum pertinent tria : primo, suis subjectis præcepta justitiæ ac alia beneficia dispensare ; secundo, actus eorum examinare ; tertio, culpabiles pœnis subjicere. In his tribus ostendit Job divinæ sapientiæ profunditatem. Primo, quod tam profunde atque subtiliter subditis suis sua beneficia providet, quod etiam recipientibus ea incomprehensibile est : et hoc est quod ait, Si venerit ad me, non videbo eum. Deus namque ad hominem venire asseritur, quum ei beneficia sua largitur ; et recedere ab eo, quum beneficia aut protectionem subtrahit ei. Interdum autem contingit, quod Deus tribulationes aliosve spirituales defectus electis provenire permittit ad procurandum eorum salutem : sicque venit ad eos, et tamen ipsi eum non vident, quoniam beneficium ejus non percipiunt, nec attendunt. Quibusdam vero quædam beneficia manifesta non subtrahit, quæ tamen in eorum perniciem vergunt : sicque recedit ab eis, ita quod eum non intelligunt abeuntem. Ista expositio Thomæ fundatur in verbis Gregorii hic scribentis : Homo sæpe iram putat, quod gratiæ donum est ; et sæpe quod divinæ districtionis ira est, gratiam æstimat. Et consequenter Gregorius horum declarationem prosequitur clarius multo quam Thomas. Albertus insuper ita exponit : Si venerit ad me, in aliquo effectu gratiæ vel naturæ apparens, non videbo eum, supple, perfecte : quoniam Deus

A effectum infinite excedit. Si abierit, effectum subducendo, non intelligam ubi sit.

Deinde ostenditur profunditas sapientiæ Dei examinatione actuum humanorum. *Si repente interroget,* id est, vitam hominis discutiendo, rationem totius conversationis suæ ab eo requirat, *quis respondebit ei?* id est, nullus poterit sufficienter respondere de se ipso præsumens, aut suæ æquitati innitens, præsertim si secundum solum rigorem justitiæ judicetur. Signanterque addit, Repente, quia si respondendi spatium
B detur, potest homo pœnitendo peccata delere. Verumtamen, quidam in hac vita sunt viri heroici seu perfecti, qui etiam dum moriuntur, mox evolant : qui et si repente ad Dei judicium deducantur, respondere idonei sunt, quia et pro venialibus satisfecerunt. Propter quod in Sapientiæ libro habetur : Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Unde quod ait, Quis respondebit ei, intelligi potest esse dictum ad insinuandum quam pauci sint tales. Vel generaliter intelligendum est, juxta sen-
C sum prætactum, quia et justi misericorditer judicantur ac coronantur. *Vel quis dicere ei potest* rationabiliter et impune, *Cur ita facis?* opera Dei dijudicando aut reprobando vel præsumptuose scrutando ? Nullus omnino, quum Deus sit judex altissimus, a quo appellare, nec licet, neque possibile est, fons virtutum, mensura veritatis, et regula æquitatis. Ideo dicit Apostolus : O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? Scriptumque est in Isaia : Væ qui contradicit factori suo. Numquid dicit
D lutum figulo suo, Quid facis ?

Sap. iv. 7.
Rom. ix. 20.
Is. xlv. 9.

Deus cujus iræ resistere nemo potest. Si iræ Dei nemo resistere potest, quomodo in Exodo Dominus loquitur Moysi, Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos ? Et postea legitur Deus precibus Moysis esse placatus. In Ezechiele quoque Dominus protestatur : Quæsivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam. Denique, in Numeris Dominus loquitur Moysi : Phinees filius Eleazari avertit iram meam a filiis

Exod. xxxii. 10.
Ezech. xxii. 30.
Num. xxv. 11.

Digitized by Google

Israel, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Cui consonat illud in Psalmo : *Ps. cv, 30.* Et stetit Phinees, et placavit ; et cessavit quassatio. Multaque talia possent commemorari.

Et respondendum, quod ira Dei designat vel divinæ æquitatis rigorem, videlicet ipsam Dei rigorosam justitiam, quam Paulus *Rom. xi, 22.* apostolus severitatem absque trepidatione appellat, vel Dei vindictam. Ira igitur Dei primo modo accepta, inflexibilis est, quum sit ipsemet justus et invariabilis Deus. De *I Reg. xv, 29.* quo primo Regum fertur : Porro Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine *Num. xxiii, 19.* non flectetur. Et in Numerorum libro : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; nec ut filius hominis, ut mutetur. Sic igitur iræ Dei in se ipsa et secundum se, nullus valet resistere, quin quidquid decrevit et vult, faciat : est enim omnipotens. Propter *Ps. cxxxviii, 7 et seq.* quod ait Psalmista : Quo ibo a spiritu tuo, etc.? Vel certe ira Dei designat divinæ justitiæ districtam ultionem : cui etiam nemo valet resistere propria potestate, et nisi quantum Deus voluerit atque præstiterit. Auxilio autem gratiæ Dei possumus Deum placare, ejusque iram exstinguere, peccata diluere, et omnem justam vindictam per ejus clementiam et pœnitentiam nostram evadere. Ex quo innotescit concordantia et intelligentia omnium auctoritatum istarum, et verbi beati Job nunc introducti.

Postremo, quum juxta Senecam ira viri moralis ac probi sit maxime ponderanda ac devitanda, quæ tamen aliquando irrationabilis esse potest atque injusta : quanto magis ira supervirtuosissimi omnipotentis Dei, quæ nec injusta nec irrationabilis esse valet, est metuenda, vitanda, placanda? *Ps. vi, 2; xxxvii, 2.* Ideo orat vir sanctus : Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Sub quo curvantur, id est, sub cujus majestate humiliantur, *qui portant orbem,* id est angelicæ potestates : per quas ecclesiastica hierarchia nunc gubernatur, secundum Dionysium, totaque corporalis creatura administratur, secundum Augustinum, tertio de Trinitate; quæ sapientia providentiali, et virtute deiformi, atque regiminis sui cura orbem portant, sustentant, et suo in cursu seu profectu conservant hunc mundum et homines. De horum spirituum incurvatione scriptum est in Apocalypsi : Omnes angeli stabant in circuitu in conspectu throni, et ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum. *Apoc. vii, 11.* In cœlesti etenim curia, plenissime adimpletur quod ait Scriptura : Quanto major es, humilia te in omnibus. *Eccli. iii, 20.* Quo namque superni cives ac spiritus altioris sunt ordinis, eo reverentialius parent, atque profundius se Deo subjiciunt, prosternunt, humiliant : præsertim quia quo altioris sunt chori, eo divinæ majestatis incircumscriptibilem dignitatem ac lucem clarius intuentur, hincque profundius se ei inclinant.

Denique, orbem portantes, intelligi possunt principes et prælati, in sæculo isto aliis præsidentes, quorum est alios paternaliter ferre, imbecillitates eorum portare, et ipsos in omnibus providentialiter sustentare : propter quod tales vocantur aliorum columnæ. Qui curvantur sub Deo : quemadmodum scriptum est, Adorabunt eum omnes reges. *Ps. lxxi, 11.* Hinc princeps Græco nomine *basileos* appellatur, id est a *basis,* quod est fundamentum, et *laos,* quod interpretatum est populus, quasi basis populi sibi subjecti. Potest et ita exponi : Sub quo curvantur, id est, dejecti et a propria altitudine fracti humiliantur, qui portant orbem, id est superiores superbe se erigentes, qui alios in sua habent potestate ac manu, et ferunt eos quo volunt : qui primo deficient, juxta id Sapientis, Judicium durissimum in his qui præsunt fiet ; et, Potentes potenter tormenta patientur. *Sap. vi, 6, 7.* In Ecclesiastico quoque Sapientia ait : Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. *Eccli. xxiv, 11.*

Quantus ergo sum ego ut respondeam ei? id est, quum tales ac tanti se Deo sic subdant, et ab ejus excellentia tam immense deficiant, ego nequaquam sufficio ei in districto examine respondere, nec ad omnia rationem proferre secundum rigo-

Digitized by Google

rem justitiæ. Sic enim universæ justitiæ nostræ essent multipliciter, imo et ineffabi-
Is. LXIV, 6. liter defectuosæ, ut pannus utique menstruatæ. *Et loquar verbis meis,* id est ex proprio sensu formatis, *cum eo,* quasi ex æquo et contentiose, seu ejus judicia nimis audacter scrutando? Verumtamen, affectuosis precibus, devotisque laudibus, possumus et debemus jugiter alloqui Deum; et in hoc distributa est nobis a Deo dignitas præamanda, quod indesinenter licitum nobis est cum Deo adorando habere colloquium : in quo et divinæ majestatis infinita monstratur dignatio. *Qui, etiamsi habuero quidpiam justum,* id est, quamvis fuero justus, *non respondebo,* id est, ad respondendum secundum rigorem justitiæ me exhibere non audeo Deo, sed misericordiam peto, quia et mea justitia comparatione justitiæ Dei, nullius momenti potest censeri. Hinc dicit Gregorius : Omnis humana justitia, injustitia esse convincitur, si districte judicetur. Ideo subditur,
Ps. CXLII, 2. *sed meum judicem deprecabor,* dicens : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine;
Ps. XVIII, 13. et : Ab occultis meis munda me, quia in tua clementia potius quam in mea spero
Dan. IX, 18. justitia : juxta id Daniel, Neque in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Et quum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam. Loquitur sanctus Job in persona sui ipsius, aliorumque justorum graviter afflictorum, qui frequenter tempore suæ angustiæ preces fundunt ad Deum, ut releventur seu alia consequantur, quæ quandoque eorum saluti vel non proficiunt, vel minus proficiunt. Unde in talibus Deus tanquam piissimus pater ac sapientissimus medicus audit eos aliquando ad profectum, non autem ad votum. Id equidem dat, quod scit eis finaliter magis prodesse, quamvis ipsi ita non putent. Sicque salubrius ac paternalius audit eos quam ipsi desiderant; nec tamen exauditos se credunt, quia votum suum non consequuntur. Iterum, sæpe contingit hoc virtuosis, ut post altam cœlestium contemplationem, ferventem in Deo affectionem, præcipuam sanctæ devotionis alacritatem, subito tentationibus agitentur, vanis et frivolis cogitationibus impleantur, vitiosis passionum motibus impugnentur : in tantum, ut ipsi vehementer mirentur, quomodo post tantam in Deo serenitatem tantis repente caliginibus involvantur. Hinc ergo eorum mens ex ipsa sua alternatione et mutabilitate fit trepida, atque per hæc quæ nolens patitur, repulsam se suspicatur, suasque preces abjectas, quibus in præhabita serenitate stabiliri, imo et perfici exoravit.

Insuper, Deus servos suos frequenter ignorantibus eis exaudit, et gratiam concupitam insensibiliter ipsis infundit; multotiesque largitur, quod vix credebant se sortituros, quoniam ipse supergloriosus Deus, infinite ac naturaliter bonus, abundantia pietatis suæ merita supplicum excedit et vota. Nihilo minus Deus frequenter ita suos exaudit, quod non solum credunt et sciunt, imo et magnifice experiuntur se exauditos, dicentes, gratias referendo cum
Psalmista : Benedictus Dominus, quoniam *Ps.* XXVII, 6.
exaudivit vocem deprecationis meæ; et
item : Benedictus Dominus qui non amovit *Ps.* LXV, 20.
orationem meam, et misericordiam suam a me.

Deinde aperit causam, cur dixit, Non credo quod exaudierit vocem meam. *In turbine enim,* id est adversitatum inquietudine angustiarumque tenebris, *conteret me,* id est, dire affliget, et quasi consumet, quum tamen oraverim relevari; *et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa,* id est sine culpa mea, vel sine causa mihi nota, non tamen penitus absque causa. Hoc ait beatus Job, quia semel sibi sic accidit, et ignoravit an adhuc sibi tale quid esset futurum : magisque dixit hoc, quia sic fieri potuit sine derogatione divinæ justitiæ, quam quia ita evenit. Nec enim legitur Job post hanc plagam durius aut iterato percussus. *Non concedit quiescere spiritum meum.* Hoc ait, quia hæc sua dolorosa

Digitized by Google

percussio cito sanata non est, sed diu duravit, ita quod anima ejus a doloribus multis diebus non quievit. *Et implet me amaritudinibus,* id est pœnis animæ et corporis, dum et causam percussionis meæ ignoro, et de relevamine spem certam non habeo, imo et de gravioribus plagis formido. Hæc eadem dixit Job supra : quæ ibi sunt plenius explanata. (Job vi, 3, 4, 12.)

Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Imo in infinitum universis et singulis fortior, tanquam Omnipotens, cujus incircumscripta essentia est sua illimitata potentia : idcirco judici Deo contradicere non præsumo, nec me ei opponere audeo. *Si æquitas judicii* in judice quæritur, *nemo audet pro me testimonium dicere :* id est, tunc Deus tam justus mox invenitur, quod ipso me accusante, nullus audet me excusare, quum certum sit, Deum omnibus esse veriorem ac justiorem ; qui etiam solus cordium novit secreta, nec alii ea agnoscunt, nisi in quantum ipse eis revelat. Verumtamen, angeli sancti pro animabus virtuosis seu bonis hominibus testimonium perhibent coram Deo, tam in vita eorum quam in judicio; sed hoc contra dæmones accusantes seu adversantes, non contra Deum dijudicantem.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Nonne sicut et ante prætactum est, sanctus Job in omni hac disputatione contra suos amicos justum se esse affirmat, defendit, et probat? Unde et infra habetur : Omiserunt autem viri isti respondere Job, eo quod sibi justus videretur. (Id. xxxii, 1.) Quomodo ergo nunc ait, Si justificare, etc.? Et respondendum, quod verbum istud tripliciter potest exponi. Primo, Si justificare me voluero, id est justum affirmare, Deo judicante oppositum. Ita exponit Albertus, et Thomas. Secundo, Si justificare me voluero, id est, ab omni peccato prorsus immunem me dixero. Tertio, Si justificare me voluero, coram Deo, seu comparatione ipsius, os meum condemnabit me, id est, verba oris mei iniqua me condemnabilem facient tanquam mendacem. (Sap. i, 11.) Os enim quod mentitur, occidit animam, ut dicit Sapiens. Et alibi scriptum est : Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. (Matth. xii, 37.) Quod autem Job non fuit a venialibus prorsus immunis, sæpe jam patuit, quum de talibus præsertim Jacobus protestetur : In multis offendimus omnes ; et Joannes : Si diximus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. (Jacob. iii, 2. I Joann. i, 8.) *Si innocentem ostendero,* id est, si probavero quod nulli nocuerim, vel malo exemplo, vel damni illatione, *pravum me comprobabit,* id est præsumptuosum et mentientem : quod intelligi potest tripliciter, prout in expositione præcedentis particulæ claruit.

Etiamsi simplex fuero, simplicitate virtutis, et exclusione duplicitatis ac dolositatis : sicut diffuse elucidatum est in pertractatione primi capituli ; (Job i, 1.) *hoc ipsum ignorabit anima mea.* Hic rursus dubitatio oritur, quomodo verum sit hoc, quum jam supra tam frequenter constanterque dixerit se sine sua culpa percussum. Et respondendum, quod ob varias causas, præsertim ob instabilitatem et varietatem motuum affectionumque animæ, nescit homo an amore an odio dignus sit, juxta sensum præhabitum, (Eccle. ix, 1.) nisi in quantum Deo revelante certitudinaliter noverit amore se dignum. Talis autem revelatio seu certificatio non semper actualiter adest viris sanctis. Idcirco, pro tempore quo talis assecuratio eis non datur, absolutam certitudinem non habent de hoc, quod sint digni amore, quamvis hoc conjecturaliter ac probabiliter sciant : et ita nunc loquitur Job. *Et tædebit me vitæ meæ,* partim ex hac ignorantia, quia inter causas quibus fit justis vita hæc tædiosa, ita quod ad aliam adspirant, una hæc est, quod quamvis virtutibus studeant, atque quotidie contra vitia laboriose compugnent, nihilo minus manent incerti an amore Dei sint digni, nisi (ut dictum est) desuper certificentur. Unde vita hæc anxietatibus plena est. Quomodo autem liceat tædium habere de vita hac, in expositione capituli tertii patuit. (Art. xi, circa finem.)

Unum, id est præcipue quoddam, *est quod locutus sum,* supra disputando contra Eliphaz : et quid sit illud, subjungit, *et innocentem et impium ipse consumit :* quod tripliciter accipi potest. Primo, quia tam justi quam impii communiter mortem Sap. xvi, 13. patiuntur, quæ a Deo est, habente imperium seu potestatem vitæ et mortis, prout in Sapientia scribitur. Qui in Deuteronomio Deut. xxxii, 39. testatur : Ego occidam, et ego vivere faciam. Mors autem est viventis quædam consumptio. Secundo, quia tam justos quam pravos Deus in vita hac adversitatibus, pœnis, et tribulationibus attenuat et fatigat, ita ut et corpore per maciem consumantur, sicut sancto Job contigit. Tertio, quoniam Deus immensitate suæ justitiæ non vitiosos dumtaxat, sed et virtuosos superat infinite, ita ut comparatione Dei etiam innocentes inveniantur defectuosi, nec divinæ æquitatis possint ferre rigorem, nisi misceatur effectus clementiæ, prout clarius dictum est. Unde in Exodo Moyses lo- Exod. xxxiv, 7. quitur Deo : Nullus per se apud te innocens est. Ex quibus Job reprobat opinionem amicorum suorum pro sola culpa pœnam a Deo infligi dicentium : cujus oppositum asserit se dixisse, et adhuc firmiter sustinere.

Si flagellat, id est, quia Deus per quotidianas tribulationes justos incessanter in Ps. xliii, 22. hac vita exercet, ita ut fateantur, Quoniam propter te mortificamur tota die ; *occidat semel,* id est, justis brevem imponat adversitatis finem, et non tam diuturna eos Job vi, 9, 10. morte afficiat. Hoc enim (ut superius expositum est) justi aliquando licite orant desiderio futuræ quietis, et ex timore, ne pondere adversitatis ad impatientiam ruant, aut aliquo modo Deum offendant. Necesse est autem ad intelligendum verba beati Job, considerare proprietatem hominis in maximis constituti doloribus, qui cordis sui pandit affectum, tamen sub regula rationis, et sub conditione implicita, dummodo scilicet Deo sic placeat, quoniam afflictus, quantum in se est, ita cupit. *Et non de pœnis innocentium rideat,* id est,

A per modum ridentis se habeat, permittendo eos diu sine eorum culpa affligi, ac si Deus in ipsa eorum afflictione secundum se complacentiam quamdam haberet : quod tamen benignissimo Deo non competit, sed tyrannis sævissimis. Deo quippe innocentium pœnæ placent, non secundum se, sed propter fructum ex eis sequentem, et finem a supersapiente Deo intentum, qui diligentibus se electis omnia facit coope- Rom. viii, 28. rari in bonum. Verumtamen, quamvis Deus de innocentium pœnis non rideat, nihilo B minus orat Job, ut nec per modum ridentis se habeat, id est, ut eis finem cito imponat : quod intelligendum est juxta expositionem capituli tertii. Interdum nempe Art. xi, circa finem. hoc licite postulatur, sicut et Moyses dixit : Obsecro ut interficias me, ne tantis malis Num. xi, 15. afficiar.

Cur autem hæc dixerit, subdit. *Terra data est in manus impii,* id est, homines habitantes in terra traduntur diabolo ad tentandum, et impii ejus dominationi subduntur, quemadmodum ad Timotheum scri- C bit Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius II Tim. ii, 26. voluntatem. Unde diabolum Christus principem mundi appellat. Joann. xii, 31; xiv, 30. Apostolus quoque spiritus malignos vocat mundi rectores, id Ephes. vi, 12. est hominum mundanorum, qui diabolicas suggestiones sequuntur, et non Spiritu Dei, Rom. viii, 14. sed spiritu infernali aguntur. Hinc in Apocalypsi scribitur : Væ terræ et mari, quia Apoc. xii, 12. descendit diabolus ad vos habens iram magnam. Attamen non sic data est terra in manus impii, ut liceat diabolo pro libi- D tu suo homines infestare, sed tantumdem quantum a Deo permittitur.

Vultum, id est intellectum, qui est vultus interior hominis, *judicum ejus,* id est eorum qui judicant habitantes in terra, *operit,* id est, impius iste diabolus excæcat, ita quod judicando indiscrete et vitiose se habent. Excæcat quippe eos, tam per se ipsum, suis videlicet tentamentis eos a veritate et æquitate multipliciter abducendo, phantasiam perturbans, et varias deceptionis causas ministrans. Insuper, eos excæcat per

Digitized by Google

homines malos, quos instigat ad hoc, ut adulatione, comminatione, donis, dolis aut aliis modis judicum mentes corrumpant. Talibus judicibus dicitur in Sapientia : Audite et discite, judices terræ : quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur ; quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Postremo, his verbis sanctus Job suos notat amicos, quod quum judices essent hominum sibi subjectorum, veritatem tamen a se prolatam atque probatam, dæmone cooperante, non susceperunt, sed reprobaverunt, in suis erroribus pertinaces. (Sap. VI, 2, 4-6.)

Quod si ille non est, quis ergo est? Hoc dupliciter valet intelligi, secundum quod dictio hæc, Ille, duplicem potest facere demonstrationem seu relationem. Si enim referatur ad impium, cujus manui data est terra, iste est sensus : Si ille, puta diabolus, non est causa prædictorum malorum in judicibus terræ, quis ergo est causa illorum malorum? quasi dicat, Nullus. Non quia homines, dæmone secluso, errare non possent neque peccarent ; sed quia ad tantam impietatem non devenirent, ut asserit Origenes. Si vero quod ait, Ille, referatur ad Deum, de quo principalis sermo præcessit, qui et terram diabolo secundum sensum inductum donavit, iste est sensus : Si ille, scilicet Deus, non est gubernator vitæ humanæ et dator terræ in manus iniqui, quis ergo est qui innocentem et impium sic consumit? quasi dicat : Oportet primam horum causam ad Deum reducere, ita quod dæmon justum nequit affligere, nisi Deo sinente.

Sanctus Thomas, libri hujus expositor inclytus et subtilis, quantum ad litteralem pertinet sensum, verba nunc introducta ad sensum alium, isto (ni fallor) difficiliorem trahit et applicat, eo quod dicat amicos Job non posuisse vitam post hanc vitam. Quod quia non reor, ab expositione ipsius in multis declinare compellor, quanquam multa scholastica valde utilia scribat ad prosequendum suum intentum, videlicet ad declarandum, quod liber iste sic litteraliter possit exponi, ut amici Job dicantur non posuisse vitam post hanc vitam. Mihi tamen apparet, quod verius certiusque elucidari queat ad litteram, dato quod posuerunt vitam futuram, seu animam rationalem consistere immortalem. Porro, Lyra in expositione libri hujus in tantum sequitur Thomam, ut expositio ejus videatur quasi quoddam excerptum ex Thoma.

Consequenter tangit causam quamdam tædii hujus vitæ, ejusque labilitatem, et quod in ea non consistat felicitas. *Dies mei velociores fuerunt cursore,* id est, celerius præterierunt, quam cursor possit percurrere. Dies namque sine interpolatione pertranseunt ; cursor autem in cursu pedem figendo, quietibus cursum seu motum intercipit, quoniam inter duos motus semper mediat quies, ut probat Philosophus. *Fugerunt,* id est, continuo defecerunt : quia in tempore, sicut in ceteris successivis, idem est esse et fieri ; *et non viderunt,* visione perfecta et fruitiva, *bonum,* id est, id quod vere et per essentiam bonum est, scilicet Deum, cujus comparatione nil aliud bonum, quemadmodum Veritas ait : Nemo bonus nisi Deus. (Marc. X, 18.) Vel, Non viderunt bonum fixum et stabile in hac vita, in quo fuerit mihi vera felicitas. Porro tempori adscribitur, quod fit in eo, vel accidit his qui in tempore sunt : sicque nunc ait, Non viderunt bonum, id est, ego in eis exsistendo bonum non vidi. De qua visione loquitur Deus ad Moysen : Non videbit me homo, et vivet. (Exod. XXXIII, 20.) Et alibi scriptum est : Deum nemo vidit unquam. (Joann. I, 18.)

Pertransierunt quasi naves poma portantes, id est multum velociter, quoniam navis poma deferens, cum festinantia ducitur, ne et poma lædantur sive putrescant : et sicut hujusmodi navis bono odore ac fructibus plena est, sic utique dies Job

Digitized by Google

fructuosi fuerunt, ut sanctæ famæ odore
Sap. v, 9, 10. respersi. Sic in Sapientia inducitur : Transierunt omnia illa tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam : cujus quum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. *Sicut aquila volans ad escam :* quæ cito provolat ad cadaver dum fame urgetur.
Ibid. 11. Cui consonat illud Sapientis : Aut tanquam avis quæ transvolat in aere, nullum invenitur argumentum itineris illius. Et
Matth. xxiv, 28. Christus testatur : Ubi fuerit corpus, congregabuntur aquilæ.

Quum dixero, Nequaquam ita loquar, id est, quum ex aliquibus causis motus, proposuero non taliter loqui de mea calamitate, præsentique vitæ molestia, *commuto faciem meam,* id est, novam quamdam dispositionem vultus incurro : quia ex variis animæ considerationibus, affectionibus, atque propositis facies diversimode coloratur, disponitur, seu mutatur, nunc pallens, nunc rubens, nuncque albescens : quod in afflictis, contristatis, et plura cogitantibus solet accidere ; *et dolore torqueor :* quia ex hoc quod dolor interior per verba et signa aut gesta non exprimitur, nec erumpit, plus aggravatur, quoniam quasi intra se clausus violenter tenetur ; dum vero præfatis modis foris ostenditur, quasi per quamdam evaporationem minoratur. Nec immerito torqueor : nam *verebar omnia opera mea,* id est, in omnibus timorate me habui, et actus meos cum formidine feci, ne in eis te Deum offenderem, et pœnam incurrerem : *sciens quod non parceres delinquenti,* id est peccanti peccato omissionis sive commissionis, quia culpam non relinquis inultam, nec ignoscis peccanti nisi pœniteat. Pro omni autem peccato quædam pœna infligitur, quia et ipsa pœnitentia est dolor de peccatis interior, et pro peccato fit satisfactio. Hinc
II Par. xix, 7. secundo Paralipomenon scriptum est : Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia
Prov. xxviii, 14. cuncta facite. Et alibi : Beatus homo qui
Eccli. xviii, 27. semper est pavidus. Et : Sapiens in omnibus metuit. Quod de filiali ac casto timore
A potissime verum est. Christus quoque in Evangelio comminatur : Nisi pœnitentiam Luc. xiii, 3, 5. egeritis, omnes simul peribitis. Et in Josue libro habetur : Deus sanctus et fortis, æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris. Josue xxiv, 19.

Si autem et sic impius sum, id est tantæ impietatis, ut vos amici mei mihi imponitis, ita quod enormitate vitiorum meorum tantam plagam meruerim ; *quare frustra laboravi ?* id est, infructuose atque inaniter, tam sollicite peccare vitavi, adipiscendisque virtutibus studui : quod dici non
B potest, quia quicumque debitam diligentiam adhibet, faciens quod in se est, ut peccata devitet, gratiamque suscipiat, talis juvatur a Deo, et virtuosus efficitur, et quod petit a Deo, si perseveret in bono incepto, sortitur. Propter quod secundo libro Paralipomenon fertur : Non dissolvantur II Par. xv, 7. manus vestræ; erit enim merces operi vestro. Et in libro Sapientiæ : Bonorum la- Sap. iii, 15. borum gloriosus est fructus.

Sed ne ista jactanter et præsumptuose dicere videatur, seque coram Deo nimi-
C um justificare, proinde subdit, alloquens Deum : *Si lotus fuero quasi aquis nivis,* id est, quamvis valde diligenter me a peccatis meis per contritionem, confessionem, satisfactionem, et lamenta pœnitentiæ purgavero, sicut linteum aqua nivea clarius emundatur, quum aquæ nivis sint subtiles magisque penetrativæ, et bis ablutæ dicuntur ; *et fulserint velut mundissimæ manus meæ,* id est, actiones meæ præcipuo decore virtutum apparuerint splendidæ et ornatæ, ita ut in suo genere sint
D perfectæ ; *tamen sordibus intinges me,* id est, maculatum ostendes et multis imperfectionibus offuscatum, comparatione tuæ claritatis et æquitatis immensæ : ad quam comparata nostra justitia, velut injustitia reputatur, ut sæpius dictum est. Unde per Isaiam Dominus ait : Ego contaminavi prin- Is. xliii, 28. cipes sanctos. Venialibus quoque culpis viri perfecti quotidie aliqualiter inquinantur, et ipsis eorum actibus virtuosis multæ imperfectiones atque defectus miscentur. Denique, quantumcumque dilectionis

Digitized by Google

aut cultus Deo impenderint, infinite minus A est dilectione, veneratione et cultu, quibus Deus est dignus. Ideo judicium misericordia temperatum, eis est necessarium.

Et abominabuntur, id est, abominabilem reddent et demonstrabunt, *me vestimenta mea,* id est opera: quæ licet hominibus videantur pura, sublimia, et perfecta, tamen coram Deo imperfecta et contemptibilia comprobantur, si secundum immensitatem divinæ justitiæ judicentur, ut ex præhabitis innotescit. Præterea, opera hominis vestimenta ejus dicuntur, quoniam B ornamenta sunt animæ opera virtuosa, et instar vestis agentem circumdant et muniunt contra adversarias potestates. Unde

Cant. v, 3. in Canticis dicitur : Exui tunicam meam, quomodo induar illam ? Et in Apocalypsi

Apoc. III, 4. loquitur Christus : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis. Sic et Judas in sua scribit Canonica :

Judæ 23. Odientes eam quæ carnalis est, maculatam

Matth. VII, 15. tunicam. Sed et Salvator : Veniunt (inquit) ad vos in vestimentis ovium. Thomas, per vestimenta, intelligit opera exteriora, quæ C hominem abominantur quando exteriora opera virtuosa apparent, et tamen interiori puritati non correspondent, dum scilicet cor intus impurum est. Exteriora equidem opera virtutum, sunt velut signa interioris virtutis. Idcirco, si mens intus pura non est, exteriora opera quæ justitiam prætendunt, ei non competunt.

Neque enim viro qui similis mei est, respondebo : id est, idcirco coram Deo me justum asserere non præsumo, quamvis mihi de mortali non sim conscius culpa, D quia in divino judicio habeo respondere non homini mortali, mihi in natura, statu et culpa simili, sed Deo immortali et omnipotenti. Hinc ipso me sordibus intingente, non audeo reclamare, quamvis contra homines arguens, justum me asseram. *Nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri,* id est, non tali habeo respondere, qui simul mecum coram judice tertio altiore, illum et me judicante, possit adsistere, sed Deo, quem judicare nullus valet, quia nec auctoritate, nec sapientia altior illo quis est. Quum ergo a judicio Dei appellare non queam, restat ut me ei prorsus subjiciam. Ideo sequitur : *Non est qui utrumque valeat arguere,* scilicet Deum et me : quia licet ego argui possim, Deum tamen nullus potest arguere, quum ipse sit sapientior infinite; *et ponere manum suam,* id est potestatem, *in ambobus,* puta in Deo et me : quia nullus tantæ potentiæ est, ut Deum compescere possit, aut vincere seu impedire a prosecutione suæ sententiæ.

Auferat a me virgam suam, id est plagam istam pœnosam : *et pavor ejus* de futura percussione, vel timor reverentialis conceptus ex consideratione majestatis divinæ, *non me terreat* terrore dejiciente. *Loquar,* fiducialiter veritatem positionis meæ tuendo, *et non timebo eum* timore servili seu immoderato, actum rationis impediente, sed confidenter quod verum est defensabo ; nec Deum quasi adversantem seu increpantem formidabo, imo ut patrem amabo. Denique vehemens dolor corporis seu animæ, excessivusque timor, actum rationis impediunt, sicut et ceteræ passiones intensæ. Animam etenim inquietant ac turbant. Ad actus autem rationis interiores, quies et pax potissimum prosunt. Sed et vehemens occupatio mentis circa unum aliquem actum sive objectum, impedit atque diminuit eam circa alios actus. Hinc Job petit ut Deus auferat a se plagam inductam, et terrorem quo timuit Deum temperare dignetur, quatenus libera et tranquilla mente veritatis inquisitioni contemplationique vacet.

Propterea subditur : *neque enim possum metuens respondere,* id est, excessive timendo, per ipsum timorem, præsertim ut est passio appetitus sensitivi, a consideratione, et per consequens a rationabili locutione impedior, ita ut nec Deo nec homini respondere valeam expedite atque sagaciter. Nam et timor tremorem facit in corpore, qui cito monstratur in locutione. Imo tremor ex timore, est primo in corde, prout cor est quid corporale, quod dicitur pri-

Digitized by Google

mum vivens in animali et ultimum moriens. Deinde hic tremor maxime apparet in voce, propter vicinitatem cordis ac vocalis arteriæ. At vero corporalis transmutatio, quæ est in passione timoris, est contractiva spirituum et caloris, et retractiva eorum ad interiora. Unde in timentibus propter frigiditatem naturæ ipsi spiritus ingrossantur, calor quoque propter phantasiam debilitatis a corde dispergitur. Ob hæc timentes tremere solent; et si loquuntur, non fortiter, sed cum tremore loquuntur. Similiter est de his, qui in maximis sunt constituti doloribus, quibus multa loqui solet esse molestum. Verumtamen moderatus timor ad actum rationis disponit, et bene consiliativum facit, secundum Philosophum : quoniam parit diligentiam, et animum facit intentum, stultam quoque aufert securitatem et dissolutionem infrenem.

ARTICULUS XXIV

DE MORALITATE ET MYSTERIIS EJUSDEM CAPITULI NONI.

BONÆ ac docilis mentis est, veritati auditæ mox consentire. Perversi autem dum aliquid suis verbis contrarium audiunt, aut contra aliquem disputare exorsi sunt, reluctari non cessant; et sive verum sit sive rectum quod eis objicitur, illud reprobare nituntur : quia non ipsam quærunt ac diligunt veritatem et æquitatem, sed propriam potius voluntatem; et dum persona eis contraria per contrarietatem displicet, vera quæ dicit, non acceptant. Talis ergo sanctus Job non fuit; nec sapientes et justi per ipsum expressi, tales consistunt. Ideo in illorum persona sic ait adversario vera dicenti : *Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo*. Itaque, ad humiliandum nos ipsos plenissime, consideremus immensitatem sanctitatis, perfectionis atque justitiæ Dei nostri; et cernentes quod infinite deficiamus ab eo, pro nihilo reputemus quæ agimus, nec magni simus in oculis nostris.

Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Audiant et formident verba hæc audaces sibi placentes, seque excusare quam accusare paratiores. Advertant quod innumerabilia habent peccata occulta, quæ nec ipsi determinate valent agnoscere. Qui autem contra prælatos suos contendit, quum contra Dei contendat vicarios, sciat se contra Deum contendere. Ideo Deus tempore suo contendet cum eo, quemadmodum ait per Jeremiam : Ego judicio contendam tecum, eo (*Jer.* II, 35) quod dixeris, Non peccavi. Unde restat, ut perpendentes quod non valeamus unum respondere pro mille, reconciliari quæramus, misericordiam postulemus, nosque in omnibus reos, et plus quam comprehendere aut exprimere possumus reos humillime fateamur, dicentes : Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. (*Ps.* L, 5.) Et iterum : Peccavi super numerum arenæ maris. (Orat. Manassæ.) Ideo orat vir justus : Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. (*Ps.* CXL, 4.)

Sapiens corde est : idcirco cordium nostrorum occulta clarissime inspicit; *et fortis robore :* ideo cognita mala valenter ulciscitur, nec ejus potestati resistitur. Si ergo in nobis est vera atque infusa sapientia, debet ex ea in nobis oriri castus pudor, quo erubescamus in præsentia mentis divinæ omnia lucidissime intuentis, irreverenter et viliter conversari. Ejus quoque omnipotentiam sapienter formidare debemus, quoniam ejus vindictam evadere

Digitized by Google

nunquam valebimus in futuro, nisi jam A
I Petr. v, 6. ei nos humiliter subjiciamus, obediendo omni divino præcepto.

Quis restitit ei, et habuit pacem? Palam quod nullus. Etenim, eo ipso quo mens creata suo se Creatori opponit, ejusque dispositioni renititur, ejus voluntati dissentit, et contra divina præcepta erigitur : in se ipsa confunditur, inordinationi peccati subjicitur, omnique vera pace privatur, videlicet pace pectoris et pace æternitatis, quamvis interdum pacem carnalem aut temporalem mundanam sortiatur, per quam B ad æternam confusionem perducitur. Vera equidem pax creaturæ, est tranquillitas ordinis consistens in debita habitudine inferioris sub superiori, præsertim sub Deo : quam pacem efficit caritas Dei, juxta quod
Ps. cxviii, 165. scriptum est, Pax multa diligentibus legem tuam. Qui ergo a Deo aversus est, pace caret interna. Porro, qui Deo in cunctis obedit, omnemque suam affectionem, intentionem, actum et delectationem in ipso constabilit, pacem veraciter possidet. De
Coloss. iii, 15. qua ait Apostolus : Pax Christi exsultet C
I Cor. vii, 15. semper in cordibus vestris. Et rursus : In
Ephes. iv, 3. pace vocavit nos Deus. Itemque : Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Sic ergo Deo subdamur, in ipso simplificemur et quietemur, et quidquid occurrerit, aciem mentis in ipso figamus.

Qui transtulit montes : superbos namque et sæculi hujus magnates Deus de vita hac transtulit ad infernum; *et nescierunt hi quos subvertit in furore suo :* id est, montes hi divinam justitiam non attenderunt, nec suam prævideruut ruinam, qui in ri- D gore divinæ æquitatis subversi sunt per mortem et damnationem perpetuam. Insuper, Nescierunt, id est, causam suæ punitionis, videlicet propriam culpam, non adverterunt. Multi enim pro suis a Deo plagantur excessibus, qui tamen nec in ipsa sua percussione sua vitia recognoscunt, sicut per Isaiam de populo Judæo-
Is. xlii, 22, 24, 25. rum prædictum est : Facti sunt in ruinam; non est qui eruat. Quis dedit Israel vastantibus eum? nonne Dominus cui peccaverunt? Ipse combussit eum in circuitu, et non cognovit; succendit eum, et non intellexit. De talibus quoque scriptum est in Jeremia : Percussisti eos, Domine, et Jer. v, 3.
non doluerunt. Tales autem sunt omnes qui murmurant in adversis, et qui nec in extremis veraciter pœnitent.

Qui commovet terram de loco suo, id est, habitatores terræ, prædictorum montium subditos seu ministros, tollit de vita hujus mansionis terrenæ : qui majorum suorum negligentia pereunt, quorum mores sequendo damnantur. Impia namque conversatio prælatorum, maxima causa est damnationis inferiorum, quemadmodum in Jeremia fertur : Quia stulte egerunt pa- Ibid. x, 21.
stores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Et in Osee : Attendite hoc, sacerdotes, quo- Osee v, 1.
niam laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super montem Thabor. *Et columnæ ejus,* id est prælati et principes reprobi præfatæ plebis subjectæ ac pereuntis : qui columnæ merito essent, quamvis non sint; *concutientur* admiratione et pœna gravissima. Quum enim viderint in inferno, quam innumerabiles seu multi suo vitioso exemplo perierint, aut sua negligentia pereant in hoc mundo, admirabuntur de damnatione tantorum per suam ignorantiam, atque pro singulis patientur supplicia, quemadmodum Ezechieli Dominus contestatur : Sanguinem ejus Ezech. iii, 20.
(scilicet pereuntis) de manu tua requiram.

Qui præcipit soli, et non oritur. Sol in- Sap. v, 6.
telligentiæ atque justitiæ, Christus est : cui Pater, totaque superbeatissima Trinitas præcipit, secundum quod homo est. Secundum quod etiam in prima sua Canonica ait de Christo Joannes, Advocatum habe- I Joann. ii, 1.
mus apud Patrem, Jesum Christum justum : qui (Paulo testante) interpellat pro nobis. Rom. viii, 34.
Christus autem secundum humanitatem assumptam, habet in se gratiam capitis, per quam influit membris suis, puta fidelibus, charismata gratiarum : quia (ut Joannes ait) de plenitudine ejus accepimus Joann. i, 16.
omnes. Hanc autem gratiæ infusionem

Digitized by Google

Christus, ut homo, secundum superbenedictæ Trinitatis præordinationem æternam præstat et subtrahit. Unde nonnunquam exigentibus hominum culpis, ad Dei præceptum Christus, ut homo, injustis ac intimoratis non oritur, id est, gratiæ dona eis non impertitur, quam electis largitur, *Malach.* IV, 2, 3. juxta id Malachiæ : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, dicit Dominus. *Joann.* XIV, 31. Hinc Christus disseruit : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Et stellas claudit quasi sub signaculo,* id est, Sanctorum et Beatorum suffragia suspendit ab impiis propter eorum excessus, Sanctis inspirans aut jubens, ne orent pro pessimis, quemadmodum etiam loquitur Jeremias : *Jer.* VII, 16; XI, 14. Ne assumas laudem et orationem pro eis. Quod et Beatis in patria interdum inspirat. De quibus in Daniele legitur : *Dan.* XII, 3. Fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Præterea, nomine solis, donum sapientiæ ; per stellas, cetera sex dona inferiora et minus lucentia intelligi possunt. Soli ergo præcipit Dominus, et non oritur : quia et hi qui dono sapientiæ decorantur quantum ad habitum doni, aliquoties actu hujusmodi doni Deo dispensante destituuntur, ita ut non ad divinorum contemplationem atque saporem leventur, sed distractionibus involvantur. Habitus quippe virtutum et donorum, ad eliciendum actus meritorios non sufficiunt, nisi per actualem motionem Spiritus Sancti : quæ aliquando pio moderamine etiam electis subtrahitur, et tunc donum sapientiæ eis non oritur, id est, habitus hujus doni in actum suum præcipuum atque splendifluum non procedit. Similiter fit de stellis, id est inferioribus donis, quæ velut sub signeto clauduntur, dum actuum suorum fulgoribus animam non illustrant.

Qui extendit cœlos solus, id est, homines spirituales ac cœliformes, *Philipp.* III, 20. quorum conversatio est in cœlis, extendit mentaliter usque ad summum cœlorum, ut ament *Luc.* XII, 33. Altissimum, sitque thesaurus eorum in cœlis ; atque per omnia climata terræ, ut A diligant omnes habitantes in orbe terrarum. Caritate nempe quid latius, quæ et amicos et inimicos complectitur, per quam fit ista extensio ? Imo hæc ipsa extensio quid est, nisi actualis dilectio ? Quam extensionem non efficit nisi Deus, qui habitum caritatis creando infundit, et ad actus ejus elicitos voluntatem creatam movet, incendit et excitat. Nam et solus Deus dicitur immediate in ipsam agere voluntatem, illam ad nutum immutando et afficiendo. Sic quoque extendit ad se et ad B viatores ipsos cœlestes cives, quos incessanter tenet extensos et caritate succensos in se et ad omnes electos, etiam viatores. Porro ob hanc caritativam extensionem cantat Psalmista : Et ambulabam in latitudine ; et, Statuisti in loco spatioso pedes meos. *Ps.* CXVIII, 45; XXX, 9.

Et graditur super fluctus maris. Per mare, corda inquieta vitiis amaricata signantur, juxta illud Isaiæ : Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Is.* LVII, 20. Quorum fluctus sunt, perstrepentes cogi- C tationes carnales, instabiles et turbulentæ affectiones, operaque pomposa. Super quos fluctus graditur Deus dupliciter. Primo, per suam infinitam clementiam eos reformando, sedando, tollendo, dum scilicet gratiose mentem vitiosam reformat, convertens mare amarum ac turbidum in aquam quietam ac dulcem, quemadmodum scriptum est : Dixit Dominus, Ex Basan convertam, convertam in profundum maris. *Ps.* LXVII, 23. Secundo, per suam justitiam impiorum importunitatem, inquietudinem et D tumorem frenando, puniendo, damnando. De quibus scriptum est : Hi sunt in epulis suis convivantes, sine timore, arbores infructuosæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. *Judæ* 12, 13.

Qui facit Arcturum, et Orionas, et Hyadas.* Per Arcturum septem stellis fulgentem, Ecclesia septenario Spiritus Sancti radiosa, exprimitur, quæ instar Arcturi semper circa polum movetur, nec mergi-

* alias Oriona

tur : quoniam indesinenter circa Deum immobilem occupatur, ad ipsumque graditur ; et tribulationibus agitatur, nec tamen deficiendo occumbit, sed usque in finem sæculi perseverat. Porro, per Orionas hyeme apparentes, designati sunt martyres, qui ebulliente perfidorum tyrannide, ad fidei constantissimam prædicationem quasi sub frigore adversitatis splendide surrexerunt : quorum constantia signum fuit, quod tyrannorum persecutiva tempestas contra Christianos mox graviter desæviret. Insuper, per Hyadas verni seu Maii tempore orientes, et imbrem secum ferentes, intelliguntur confessores atque doctores, qui pacis redeunte quiete et tempestate persequentium mitigata, pluviam divinæ prædicationis fuderunt ; ac tanto liberius aqua sapientiæ salutaris corda rigabant fidelium, quo adversariorum insania magis fuit exstincta. Facit etiam Deus *et interiora austri,* id est sanctos occultos foris non apparentes ac solitarios, qui austro, id est Spiritus Sancti fervore, clariorique luce perfusi sunt, et in abscondito Domini commorantur, in locis secretis, solitariis et quietis. De quibus ait Psal-
Ps. xxx, 21. mista : Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum ; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Qui Deo experimentaliter gra-
Ibid. 20. ta affectuosaque mente proclamant : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Hos universos facit Deus in esse naturæ, in esse gratiæ, quos in patria facit in esse gloriæ.

Circa hunc locum scribit Gregorius : Nequaquam Scriptura vanas Hesiodi et Arati atque Callimachi fabulas sequitur, ut Arcturum nominans, extremam septem stellarum caudam Ursæ suspicetur, et quasi Orion gladium teneat, amator insanus. Hæc quippe astrorum nomina, a cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt : quibus Scriptura utitur, ut res quas insinuare appetit, usitatis appellationibus exprimantur.

Qui facit magna, et inscrutabilia, et
A *mirabilia, quorum non est numerus.* Divinæ potentiæ effectus tunc verius atque completius explicamus, dum nos hos non posse plene exprimere profitemur. Ideo
ait Psalmista : Laudate eum secundum Ps. CL, 2.
multitudinem magnitudinis ejus. Ille quippe Deum secundum multitudinem magnitudinis suæ laudat, qui se succumbere in ejus laudis expletione considerat, ut hic dicit Gregorius. Sed in consideratione rerum cur longe extra nos ducimur, qui hoc ipsum quod circa nos et intra nos agitur,
B sæpius ignoramus? Nam subditur : *Si venerit ad me, non videbo eum ; si abierit, non intelligam.* De quibus verbis præcedenti articulo satis dictum opinor. Quibus tamen verbis salubriter admonemur, ne unquam inaniter præsumamus, ne insensata securitate laxemur, ne pusillanimiter desperemus. Multi enim ad tempus in gratiarum eminentia fulgent, et paulo post damnabilius ruunt, quia incustoditi fuerunt. Quibus contigit illud Proverbiorum :
Prosperitas stultorum perdet illos. Alii ad Prov. I, 32.
C tempus tentationum duritia deprimuntur, et cito post hoc cautiores exsurgunt, juxta
illud Ecclesiastici : Qui non est tentatus, Eccli.
quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit xxxiv, 9, 10.
multa ; qui non est expertus, pauca recognoscit.

Si repente interroget, id est, inopinatos ac improvisos nos ad sui judicii districtionem vocet ; *quis respondebit ei,* id est, ad singula rationem reddere poterit? Denique Deus interrogat hominem, dum eum ad suæ conscientiæ considerationem redu-
D cit, vel interius illustrando, vel exterius per flagella aut beneficia provocando, juxta
id Psalmi : Dominus interrogat justum et Ps. x, 6.
impium. Tunc vero Deo sufficienter respondet homo, dum in eo nil invenitur, quod juste divinitus reprehendatur : quod nemini accidit, secundum illud Proverbio-
rum : Quis dicere potest, Mundum est cor Prov. xx, 9.
meum, purus sum a peccato? Itaque, Deus interrogat, dum duris nos percussionibus pulsat, ut dum mens nostra magna de se in tranquillitate æstimat, se ipsam qualis

Digitized by Google

sit veraciter in adversitatibus ac perturbationibus deprehendat. *Vel quis ei dicere potest, Cur ita facis?* Ideo opera Creatoris inconsulte discutere non debemus, sed humiliter admirari, certi quod injusta esse non possunt, nec mentis humanæ acies imbecillis penetrare aut capere valet secreta Divinitatis. Hinc ait Gregorius : Rationem de occulto Dei judicio quærere, nihil est aliud, quam contra ejus consilium superbire. Unde in Proverbiis habetur :
Prov. xxv, 27. Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

Deus cujus iræ resistere nemo potest. Quo major est divina justitia, et post vitam hanc inflexibilior ejus iracundia; quo item graviorem ac diuturniorem infligit vindictam : eo utique amplius formidare debemus Deum sublimem et benedictum, quanquam ob suam puram bonitatem, immensam amabilitatem, atque paternam ad nos caritatem, potissime sit timendus filiali timore, ne a nobis in aliquo offendatur. *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Si rectores mundi, omnesque angelici spiritus divinæ se majestati inclinant, quanto magis nos subditi et pusilli, Domino majestatis immensæ cum profunda humiliatione subdi debemus?

Quantus ergo sum ego ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Si sanctus Job homo tantæ perfectionis, hoc dixit, restat ut unusquisque nostrum tanto hoc humilius dicat, quanto se reputat sancto illo inferiorem ; et quo peccando viliores sumus effecti, eo ad alloquendum Deum indigniores nos jugiter arbitremur. Nec sine timore et reverentia, attentione ac diligentia, Deo loqui orando sive psallendo ullatenus præsumamus; sed in hujusmodi locutione simul pensemus eminentiam majestatis divinæ ac vilitatem fragilitatis conversationisque propriæ. Imo, quo major est defectuositas nostra et gravior culpa, eo timoratius cum Deo loquamur, quem-
Luc. xviii, 13. admodum publicanus, qui non audebat oculos levare ad cœlum. Hinc Abraham
A ait : Loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis. *Gen.* xviii, 27. *Qui, etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo,* quasi mea æquitate absque divina clementia quærens salvari; *sed* ut *meum judicem deprecabor,* ad solam ipsius confugiens pietatem. Non ergo de propriis meritis præsumamus. Hinc enim ait Salvator : Quum *Luc.* xvii, 10. feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Et in Psalmo cantamus : Sacrificate sacrificium justitiæ, et *Ps.* iv, 6.
B sperate in Domino. In Domino (inquit) sperate, non in opere vestræ justitiæ, in quo etsi spes aliquo modo habenda sit, principaliter tamen in Deo ponenda est, quemadmodum Osee scribit : Misericordiam et *Osee* xii, 6. judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.

In turbine enim, id est in tempestate mortis seu extremi judicii : juxta illud, Ignis in conspectu ejus exardescet, et in *Ps.* xlix, 3. circuitu ejus tempestas valida ; et, Domi- *Nahum* i, 3. nus, in tempestate et turbine viæ ejus. *Con-*
C *teret me,* id est damnabit, nisi jam eum ut judicem fuero deprecatus ; *et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* Posset hoc ex persona generis humani proferri, in quantum pro originali peccato animæ infantium quatuor vulneribus vulnerantur : quæ sunt, concupiscentia in vi concupiscibili, infirmitas in irascibili, ignorantia in ratione, malitia (id est pronitas ad malum) in voluntate. Gregorius vero exponit hoc ex persona infantium non baptizatorum, ante usum rationis morientium.
D De quibus ait : Unum vulnus eis est, corruptibiles nasci ; aliud, carnaliter mori. Sed quia post mortem æterna quoque mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt et qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Si autem Gregorius intelligit hoc, quod et pœnam sensus sustineant, consonat Augustino. Verius tamen, probabilius, atque communius dicunt doctores, quod non habeant nisi pœnam damni, videlicet pro

Digitized by Google

originali peccato, cui in eis non debetur A nisi divinæ visionis carentia. Præterea multiplicat Deus quotidie vulnera electorum sine causa, id est absque eorum culpa, dum eos tentari, tribulari, fatigari, infirmari permittit seu facit, ut magis proficiant, in gratia crescant, in felicitate abundent, aliosque sua patientia ac virtute ædificent. Unde et Paulo responsum est : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. II Cor. XII, 9.

Non concedit quiescere spiritum meum. Quamvis enim interdum justorum mens B aliquantulum conquiescat, consoletur et delectetur in Deo, cito tamen occurrent ei variæ causæ virtuosi doloris; nec a labore divini cultus diu quiescere permittimur, virtutum quoque profectui quotidie digne studere debemus.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; si innocentem me *ostendero, pravum me comprobabit.* Timeant hæc vani et excæcati, qui putant se aliquid esse quum nihil sint : qui accusati seu increpati, pertinaciter se excusant ; discipli- C nati autem, injuriam sibi conqueruntur illatam. O quam parum illuminata, imo quam multum obtenebrata est anima horum; quam modice attendunt suos quotidianos defectus et culpas, omissiones et commissiones culpabiles in cogitatione, affectione, verbo et opere, temporisque perditione ac negligentia agendorum ! Denique, quis nostrum valeat numerare distractiones, imperfectionesque suas tempore divinorum ? Hinc ergo diligentissime ista pensemus, et adhuc imperfecti ac pas- D sionati exsistentes, agamus quod scriptum est de viro perfecto : Justus in principio accusator est sui. Nam et Paulus indicibili humilitate fatetur : Venit Jesus Christus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Prov. XVIII, 17. I Tim. I, 15.

Etiamsi simplex fuero, id est virtuosus, *hoc ipsum ignorabit anima mea,* donec certificetur a Deo. Certitudinaliter enim scire non possumus, an simus in caritate et gratia, nisi revelatione divina. Verumtamen probabiliter seu conjecturaliter id scire valemus per aliqua signa, videlicet : si verbum Dei libenter audimus : qui enim ex Deo est, verba Dei audit ; si peccata ratione suæ turpitudinis, et quia offensiva sunt Dei, non solum timore pœnæ, odimus atque vitamus ; si ad ea quæ divini sunt cultus, paratos et alacres nos sentimus : quemadmodum enim vita naturæ agnoscitur operatione et motu, sic vita caritatis et gratiæ, præceptorum obeditione, bonorumque exsecutione ; postremo si experimur in nobis augeri mundi contemptum, exstirpationem passionum, et cordialem affectum ad Deum, ac zelum honorandi eum in omnibus, trahendique alios ad ejus amorem ac cultum. *Si flagellat, occidat semel,* id est, per flagella propriam voluntatem et passiones et vitia in nobis mortificet ; *et non de pœnis innocentium rideat,* id est, virtuosos non desinat sine ipsorum profectu affligi, ne per modum ridentis videatur in eorum afflictione secundum se complacentiam quamdam habere. Joann. VIII, 47.

Terra data est in manus impii. Videmus impios in bonis terrenis amplius abundare quam justos. *Vultum judicum ejus operit* impius, puta diabolus, sicut expositum est. Porro judices terræ, amore et odio potissime corrumpuntur ; interdum vero, timore seu comminatione potentiorum, seu adulatione aut donis injustorum. Sed qui aliorum est judex, debet esse tanquam lex viva, et quasi animata justitia, ut nequaquam ab æquitate et veritate declinet, sed uniformis et constans, regia semper via incedat. Hinc in Deuteronomio Moyses ait : Date ex vobis viros Deut. I, 13. sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. Jethro etiam loquitur Moysi : Provide de omni plebe viros poten- Exod. XVIII, 21, 22. tes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis qui judicent populum. Sed heu ! jam nimis impletur, quod Isaias asserit : Omnes diligunt munera, sequuntur retri- Is. I, 23. butionem.

Digitized by Google

Dies mei velociores fuerunt cursore. Secundum Thomam, tendentibus ad aliquem finem tria sunt necessaria. Primo, ut in nullo alio cor suum figant quo retardari possint a fine, sed in ipsum finem festinent. Secundo, ut ea acquirant, per quæ possint ad finem pertingere : quemadmodum volens sanari, necesse est ut quærat remedia quibus sanetur. Similiter qui vult ad Deum venire, oportet ut adipiscatur virtutes, quibus summum bonum consequi queat. Tertium restat, videlicet consecutio finis. Porro de vanitate, labilitate ac brevitate vitæ præsentis, dicta sunt plurima
Job VII, passim. in expositione capituli septimi.

Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Verbum hoc exhortationem magis quam explanationem requirit. Si ergo beatus Job opera sua tam virtuosa, quæ in volumine hoc scribuntur, sic verebatur, ne scilicet minus devote ac reverenter, minus amorose ac perseveranter ea exsequeretur : quid agendum est nobis, qui tam infirmi sumus in bonis, tam proni ad mala? Nonne tanto plus formidandum est nobis, quo imperfectiores atque ad casum procliviores et propinquiores nos esse cognoscimus? Denique ad hoc quod actio sit veraciter virtuosa, Deoque placita ac meritoria, non sufficit facere bonum, sed ut bene fiat exigitur, puta cum debitis virtutum circumstantiis, hoc est debito loco, suoque tempore, recta intentione, cum debita reverentia, ex di-
Jer. XLVIII, 10. vino amore. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter. Et qui quærunt proprium commodum seu humanum præco-
Matth. VI, 2, 5, 16. nium, suam receperunt mercedem. Itaque timeamus actus nostros etiam bonos, ne forte ex nostra imperfectione contemnantur a Deo, ne sine debita alacritate, puritate ac diligentia fiant. Hinc quippe in
Eccli. I, 22. Ecclesiastico scriptum est : Timor Domini
* sapientiæ corona justitiæ *. Quæ utique corona seu filialis timor, omni actui nostro superponenda est semper; et quo aliquis Deum sincerius atque ardentius diligit, eo in suis actibus eum inhonorare seu offendere plus veretur. Propter quod scriptum est : Ps. XXXIII, 10.
Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Hoc est quod in Proverbiis docetur : Omni custo- Prov. IV, 23.
dia custodi cor tuum. Et in Michæa : Indi- Mich. VI, 8.
cabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Delinquenti autem Deus non parcit, sed pœnitenti ac metuenti; nec culpa relinquitur impunita, quia aut homo pœnitens hanc in se punit, aut hanc Deus cum homine seu alio vindicante vindicans percutit. Hinc David post confessionem audire mox meruit, Dominus transtulit peccatum II Reg. XII, 13.
tuum : et tamen multis postea cruciatibus Ibid. 14-16. XV-XIX.
afflictus, ac fugiens, reatum culpæ quam perpetravit, exsolvit. Nam et Deus piissimus ab electis suis maculas vitiorum temporali solet afflictione detergere. Unde per Malachiam ait : Parcam timentibus me, sic- Malach. III, 16, 17.
ut vir parcit filio suo servienti sibi.

Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi ? Frequenter perversi, rancore aut alia passione vel impietate commoti, justos calumniantur, accusant, diffamant; et quantum valent, ad desperationem seu boni cessationem ac animi fractionem inducere moliuntur, gravia eis crimina objiciendo, quemadmodum in Proverbiis legitur : Ambulans recto itinere et timens Prov. XIV, 2.
Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Tunc ergo vir justus consolari et confortare in Domino potest se ipsum, vitæ suæ justitias ad memoriam reducendo, ad gloriam Dei et ad repulsionem peccati, ut dicat : Si autem sic impius sum ut mihi imponitur, quare frustra laboravi, custodiendo quæ Deo sunt placita cum labore, ambulans per arctam viam quæ ducit ad Matth. VII, 14.
vitam, et in actibus pœnitentiæ me exercens, ita ut Deo dicere possim, Propter Ps. XVI, 4.
verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras? Sicque loquitur justus, non quod se frustra æstimet laborasse, sed quia ex verbis calumniantium eum hoc sequitur. Quod quia dici non valet, sequitur illos

errare, quia ex vero non nisi verum concluditur.

Neque enim viro qui similis mei est, respondebo. Quoniam ergo Deo omnipotenti et supersapienti sumus in judicio responsuri, quemadmodum ait Apostolus, Omnes nos ante Christi tribunal oportet adstare : (*Rom.* XIV, 10; II *Cor.* V, 10.) quid nobis incumbit, nisi ut ad reddendum rationem de omnibus nos quotidie præparemus, vitam et mores incessabiliter emendemus, ad Dei clementiam confugiamus, apostolicum illud pensantes, Horrendum est incidere in manus Dei viventis? (*Hebr.* X, 31.) Risus ergo et levitas, torpor, præsumptio atque securitas immoderata, penitus abscindantur, et impleamus quod scriptum est : In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo. (*Prov.* XXIII, 17, 18.)

Auferat a me virgam suam, id est, rigorem æquitatis in dulcorem pietatis convertat, et disciplinam quam pro peccatis aut alia causa sustineo, in me mitigare dignetur, ne sub onere ruam. Hoc in afflictionibus petere aliquando possumus, præsertim dum diu aut graviter fuimus tribulati, ipsaque pœnæ seu adversitatis magnitudine a virtutum actibus impedimur. Nam, ceteris paribus, aptior est homo ad Dei obsequium ac profectum tempore sanitatis et roboris, quam infirmitatis. Verumtamen in hoc exspectanda est manus Domini longanimiter, patienter et confidenter. *Et pavor ejus non me terreat.* Moderatus timor diligentiam parit; immoderatus vero, anxietatem et scrupulum excessivum, inquietudinem et plurima proficiendi obstacula. Talem ergo pavorem tollat a nobis Deus, ne scilicet nimium insistamus considerationi divinæ justitiæ ac propriæ infirmitatis, sicque pusillanimes efficiamur; sed ad considerandum infinitam Dei bonitatem et pietatem mentem fideliter erigamus, caritatemque ejus ad nos, et quanta pro nobis Unigenitus Dei assumpsit, fecit ac pertulit : ex qua consideratione concipiamus ad Deum filialem fiduciam, caritativum affectum, fortitudinemque constantem. Nam et Deus potius vult a nobis ut clementissimus pater amari, quam ut rigorosus judex ac dominus formidari. Idque præsertim complacet sibi, ut in ipso filialiter confidamus, dicentes : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? (*Ps.* XXVI, 1.) Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Et item : Ego autem mendicus sum et pauper ; Dominus sollicitus est mei. (*Ps.* XXXIX, 18.) Hinc aliqui vituperabiliter scrupulosi, a vero profectu non parum retardant se ipsos, nec sinceram in Deo sortiuntur quietem contemplationisve gratiam.

Loquar ad eum confidenter et amorose, juxta id Psalmi : Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra ; Deus adjutor noster in æternum. (*Ps.* LXI, 9.) *Et non timebo eum* servili timore : de quo ait Joannes, Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. (I *Joann.* IV, 18.) Hinc scriptum est : Sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso. (*Luc.* I, 74, 75.) Et Apostolus ait : Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). (*Rom.* VIII, 15.) *Neque enim possum metuens respondere :* id est, habendo servilem timorem, Deo reddere rationem non valeo, nec ejus beneficiis vicem rependere, aut pietati et caritati ipsius per omnia respondere condigna. Qui enim solum serviliter timet, caritatem non habet ; nec aliquid meritorium agit, sed displicet Deo, atque damnatur si taliter moriatur. Quoniam ergo Deus prior dilexit nos, eum reamare tenemur. (I *Joann.* IV, 10, 19.) Nec aliter respondere valebimus in divino judicio, quum amor Dei sit vestis nuptialis, quam non habens, obmutuit, et ejectus, in tenebras corruit infernales. (*Matth.* XXII, 11-13.)

Digitized by Google

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : TÆDET ANIMAM MEAM VITÆ MEÆ.

Job IX, 27, 35. CIRCA præcedentis capituli finem aliqua dixit Job, ex quibus insinuavit causas quasdam, ex quibus inclinabatur ad loquendum de suis doloribus. Nunc ergo sumpta ex divina pietate loquendi fiducia, prosequitur inchoatum de suo dolore sermonem, et dispositionem suam internam, angustiamque declarat.

Tædet animam meam vitæ meæ in sæculo isto et corruptibili corpore meo, id est, tædet me vivere in hoc mundo. Non autem optavit anima sancti Job prorsus non esse, nec alicubi vivere, quia hoc impatientiæ et desperationis fuisset ; sed ob pœnarum suarum et adversitatum gravitatem ac multiplicitatem, itemque desiderio quietioris vitæ in limbo patrum, et ne ex magnitudine tribulationis tandem a patientia caderet ac Deum offenderet, desideravit separari a corpore et esse in limbo præfato, in exspectatione certa adventus Christi beatitudinisque supernæ. Sic namque tædium habere de vita præsenti, est licitum et aliquando laudabile. Nam et de
Marc. XIV, 33. Christo scriptum est : Cœpit Jesus pavere
Ibid. IX, 18. et tædere. Qui alio loco disseruit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu patiar vos ? Apostolus quoque :
II *Cor.* I, 8, 9. Supra modum (inquit) gravati sumus, ita ut etiam tæderet nos vivere ; sed et ipsi intra nos responsum mortis habuimus. Si quis autem propter adversa sic tristaretur, quod absolute et solum ex tristitia desideraret etiam secundum rationem non vivere : hoc impatientiæ esset, quum patientiæ sit passionem tristitiæ moderari, ne limites exeat rationis, vel hominem vincat. Absolute quippe loquendo, melius et desiderabilius est esse et vivere in tribulationibus vitæ præsentis, secundum quod æquanimiter tolerantur intuitu Dei propter felicitatem futuram, quam prorsus non esse nec vivere, imo et quam esse in purgatorio, saltem eo modo quo aliqui ibi sunt, quorum pœna omnem vitæ hujus pœnam transcendit ; nec dubium quin melius, quam in inferno. De hac re dictum est *Art.* XI *circa finem.*
plenius in expositione capituli tertii.

Dimittam adversum me eloquium meum, id est, verba effundam quæ sunt vitæ meæ contraria, quoniam dico me mortem (quæ vitæ contraria est) desiderare. *Loquar in amaritudine animæ meæ,* id est, amaritudine mea durante, et exsistens in ea, loquar ut loqui solent afflicti. Loquar quoque in amaritudine animæ meæ, id est, secundum quod amaritudo hæc me ad loquendum inclinat, dicamque verba meæ amaritudinis ostensiva, non tamen passionem irrefrenate sequendo, sed sub rationis directione manendo. Hoc est quod septimo dixit capitulo : Loquar in tribulatione spi- *Job* VII, 11.
ritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Sic et primo Regum sancta Anna dicebat : Ex multitudine doloris et I *Reg.* I, 16.
mœroris mei locuta sum usque in præsens.

Dicam Deo, suppliciter exorando : *Noli me condemnare,* ne de pœnis his temporalibus deducar ad pœnas graviores æternas. Consequenter causam suæ punitionis inquirit, alloquens Deum. *Indica mihi,* id est, per revelationem internam seu exteriorem, seu alio modo tibi placente, fac me cognoscere, *cur me ita judices,* id est, tuo judicio tantis pœnis addicas aut infestari permittas : hoc est, causam hujus pœnæ cupio scire, an scilicet pro culpa purganda, an pro virtute probanda, aut aliis ostendenda percussus sim.

Digitized by Google

Deinde fatetur, quod non ita quærit hanc causam, quasi putet quod Deus injuste hæc egerit. *Numquid bonum tibi* naturaliter bono ac sapienti, in quo nec malum, nec error esse potest, *videtur, si calumnieris* per astutiam sive malitiam, *et opprimas* per potentiam aut violentiam, *me opus manuum tuarum,* id est creaturam scientiæ tuæ practicæ, potestatisque omnium productivæ? quum causa intellectualis naturaliter diligat suum effectum, conservet et protegat, in quantum est suus effectus : quod etiam in irrationalibus cernitur. Et numquid bonum tibi videtur, ut *et consilium impiorum adjuves,* cooperando talibus in oppressione injuriationeque innocentium? Et per impios intelligi possunt tam invisibiles, quam visibiles justorum persecutores. Itaque, hæc atque sequentia sic quærit, ut neget.

Unde consequenter fatetur, quod non sit taliter judicatus, seu absque culpa percussus ex ignorantia Dei. *Numquid oculi carnei tibi sunt?* id est, non utique oculos habes carnales secundum divinitatis naturam. *Aut sicut videt homo, et tu vides* *? id est, non ita cognoscis et inspicis cuncta quæ fiunt, ut homo, qui quum sensibus utatur corporeis, interiora et secretissima intellectus et voluntatis non intuetur. Ideo judex homo ex defectu cognitionis veritatis aliquando innocentem condemnat, aut per tormenta veritatem ab eo extorquet : quæ Deo simplicissimo nequaquam conveniunt, quum ipse sit supersapientissima mens, in qua universorum rationes, ideæ et species certitudinalissime æternaliterque relucent. Propter quod omnia quantumcumque secreta, in se ipso superclarissime intuetur. Propter quod primo Regum ait : Non juxta intuitum hominis ego judico. Homo enim videt quæ parent; Dominus autem intuetur cor. Homo quoque per visum carnalem non bene discernit vel percipere nequit, quæ plurimum distant, aut in tenebris sita sunt; sed talia Deo certissime innotescunt, secundum quod per Jeremiam loquitur : Numquid Deus e vicino ego sum, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum?

* alias videbis

I Reg. XVI, 7.

Jer. XXIII, 23, 24.

Numquid sicut dies hominis dies tui? Non utique, quum dies hominis, id est, quibus homo subsistit, vivit, cognoscit, sint successivi, temporales et breves; sed dies Dei sunt æternales, imo unus dies æternus et ipsa æternitas, in qua nulla vicissitudo, nulla successio, sed unum nunc, æternum, fixum, non fluens : et omnia ista sunt unum, scilicet ipse Deus æternus, cujus mensura ponitur ipsa æternitas, secundum nostram considerationem, quum in re Deus benedictus sit omnium mensura, efficienter mensurans, non mensurata. *Et anni tui sicut humana sunt tempora?* id est, anni tui non assimilantur humanis temporibus ratione prædicta. Ponitur autem in Deo dies et annus, seu anni et dies, non quod in ipso consistat pluralitas, prius, posterius, majus aut minus; sed quia æternitas omnem diem omneque tempus complectitur, comprehendit seu continet. Hinc ait Psalmista : Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ps. CI, 28.

Quoniam autem dies et anni hominum sunt successivi, homines quoque successive in eis ad cognoscendum veritatem proficiunt, quod immutabili ac perfecto Deo non congruit; ideo subditur, *ut quæras iniquitatem meam* in Deum commissam, per flagella seu testes, *et peccatum meum* in proximum, *scruteris,* per discursum et inquisitionem, quasi non omnia uno simplicissimo videres intuitu. *Et scias,* per hujusmodi vias, *quia nihil impium fecerim,* id est tam enorme atque mortale, quo tam gravem plagam meruerim; facias quoque ista libera quadam tyrannide, *quum sit nemo qui de manu tua possit eruere,* id est, qui me de tua potestate queat eripere, quum sis omnipotens et potestatis immensæ. Quasi dicat : Hoc tibi non competit, nec sic in innocentium suppliciis delectaris, præsertim quum sint opera tua tibi naturaliter dilecta : prout in Sapientia scriptum est, Diligis omnia quæ sunt, et nihil Sap. XI, 25.

Digitized by Google

odisti eorum quæ fecisti. Siquidem quantum ad id quod habent a Deo, amantur ab eo.

Hinc subditur : *Manus tuæ,* id est sapientia et potentia tua : quæ licet sint idem in re atque in te, tamen pluraliter manus dicuntur, quoniam ratione distinguuntur, et propter diversitatem effectuum; vocanturque manus, quoniam sunt principia operationis ad extra : sapientia, tanquam dirigens; potentia, tanquam exsequens. Propter quod scriptum est : Omnia in sapientia fecisti. Et in Jeremia : Domine Deus, ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna. *Domine, fecerunt me:* quia animam meam creaverunt, imo et corpus meum, quantum ad primordialem materiæ ejus productionem. Prima namque materia non nisi per creationem producta est. *Et plasmaverunt me totum in circuitu,* id est, undique in corporis gyro seu superficie formaverunt, membra aptando, corpus organizando, et usque ad debita incrementa ac lineamenta perducendo. Quemadmodum enim res differunt formis specificis, ita et suis figuris, ut asserit Commentator : ideo utrumque Deo adscribitur. Hanc tamen formationem facit Deus per causas secundas naturales et medias. Propter quod ait Philosophus : Homo generat hominem et sol. Corpora namque cœlestia materiam ad formæ receptionem suis influentiis motibusque disponunt : quod tamen (ut tactum est) Deo tanquam primo causali principio principaliter debet adscribi. Sic secundo Machabæorum libro, legitur venerabilis illa septem fratrum mater, filiis suis dixisse : Nescio quomodo in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego compegi; sed est mundi Creator, qui formavit hominem, quique omnium invenit originem. Denique bona dispositio corporis, donum est Dei, et magna præparatio ad virtutes : quia (ut ait Albertus, sequens in hoc Averroem) commensuratio apta membrorum, indicat habilitatem ad justitiam; bona complexio, habilitatem ad temperantiam ; robur corporis, habilitatem ad fortitudinem; spiritus vigor et claritas sensuum, habilitatem ad prudentiam.

Ps. ciii, 24. Jer. xxxii, 17. II Mach. vii, 22, 23.

Et sic repente præcipitas me? Hoc admirando profatur, tanquam dicat : Quum tam sapienter ac diligenter effeceris me secundum corpus et animam, mirum quod tam improvise et subito a vigore, sanitate et prosperitate, quibus præfulsi, me dejicis, et per pœnas ita consumis. Unde infra ait : Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Denique ista atque sequentia profert se humiliando, ut Dei ad se clementiam provocet.

Memento, quæso, o Domine, qui proprie nunquam oblivisceris, neque de novo reminisceris : sed per modum reminiscentis, precor, te habe, fragili creaturæ misericorditer succurrendo, cujus quasi oblitus videris, quum eam tam dire flagellas; *quod sicut lutum feceris me.* Lutum enim fit ex terra humori contemperata, dum scilicet aqua terræ miscetur. Sic corpus humanum ex elementis terræ et aquæ consistit, et sua mollitie, immunditia, humiditate non parum luto assimilatur. Rursus, quemadmodum lutum res exstat fragilissima, sic et caro humana. Idcirco Apostolus corpora nostra vocat vasa fictilia, quæ sunt valde fragilia : Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus. His insuper verbis, sanctus Job tangit primam hominis constitutionem, alludens ei quod scriptum est in Genesi : Formavit Deus hominem de limo terræ. Hinc quoque Isaias ait : Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Sed et in Jeremia Dominus loquitur : Sicut lutum in manu figuli, ita et vos in manu mea. Itaque carnis fragilitatem divinæ objicit pietati, dicendo : Memento, etc. Tanquam dicat : Carnis infirmitatem considera, et sic culpam dimitte, pœnamque relaxa.

Job xvi, 13. II Cor. iv, 7. Gen. ii, 7. Is. lxiv, 8. Jer. xviii, 6.

Et in pulverem reduces me, id est, corpus exanimatum per resolutionem convertes in pulverem. In ea enim fit resolutio, ex quibus est compositio. Ideo corpus

Digitized by Google

sumptum ex terra, in minutissimas terræ partes naturaliter resolubile exstat : quod tamen Deo adscribitur tanquam primæ causæ et institutori totius naturæ, præsertim quum in hominibus mors corporis et resolutio ejus sint pœnæ originalis peccati, dicente Apostolo : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Et alibi : Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors. Unde primo parenti post transgressionem Dominus dixit : Pulvis es, et in pulverem reverteris.

I Cor. xv, 22. — Rom. v, 12. — Gen. iii, 19.

Consequenter tangit ordinem in naturali hominis generatione. *Nonne sicut lac mulsisti me?* In hominis enim generatione, primo est resolutio seminis, quod est superfluum alimenti, sicut et lac, estque album instar lactis. Circa quod scribit Albertus : Semen quum sit superfluum quartæ digestionis, primo est sicut lac, et mulgetur per vim generativæ potentiæ de omnibus membris. Itaque operationem naturæ, videlicet generativæ virtutis, attribuit Deo, quemadmodum actio instrumenti adscribitur principali agenti : et quantum ad corporis propagationem in seminis destitutione, dicit quod Deus mulserit eum ; quia videlicet ordinatione divina hoc fit, quod natura quasi mulgendo eliciat semen ex suis latibulis.

Et sicut caseum me coagulasti? In hominis namque generatione, occurrit secundo ipsa compactio massæ corporeæ in utero mulieris ; et ita se habet semen viri ad materiam quam femina administrat in generatione hominis, aliorumque animalium, sicut se habet coagulum ad lac in formatione casei. In semine autem viri ponitur vis activa seu formativa. Hinc ait Albertus : Gutta viri conjuncta guttæ feminæ, vaporabiliter ingreditur eam sicut spiritus in corpus ; et virtute formativa comprehendit eam atque coagulat, sicut coagulum vaporabiliter ingreditur in lac, et coagulat ipsum, prout sextodecimo de Animalibus ait Philosophus. Unde in Threnis, ubi nostra translatio habet, Nitidiores A lacte, Septuaginta transtulerunt, Sicut lac coagulati sunt. Sic ergo, quoad corporis formationem, me, o Deus, per naturæ operationem quasi caseum coagulasti, id est, quasi lac uniri coegisti. Coagulum quippe a cogendo nomen sortitur, quoniam cogit lac coadunari seu coagulari.

Thren. iv, 7.

Pelle et carnibus vestisti me. In hominis generatione, tertio occurrit membrorum distinctio, quorum robur et consistentia ex nervis ossibusque dependet. Membra autem vitalia interiora, ut hepar, cor, B stomachus, pelle et carnibus velut vestibus operiuntur, ne effluant, aut eorum appareat fœditas : imo et caro ob hanc causam tegitur pelle, secundum Hieronymum super Ezechielem. Propterea dicit Albertus : Tertium opus seminis viri in gutta feminæ, est pellem circumducere, ne spiritus evaporet, sed lustrans universo per circuitum operator spiritus pulset ad vitam. In carne autem quartum opus est, quam vis formativa circumducit, ut sensus diffundatur in ea. Porro, de his in quibus robur C corporis est, et per quæ cetera sibi cohærent, subjungit : *Ossibus et nervis compegisti me,* id est, membra mea pariter conjunxisti. Ossa enim carnem sustentant, ne per suam mollitiem decidat. Nervi vero per totum corpus expansi sunt.

Vitam, id est formam vitalem, videlicet animam rationalem vitæ meæ conjunctam [tanquam] formale principium, *et misericordiam,* id est supernaturalia munera gratiarum seu varia beneficia gratiæ gratis et misericorditer datæ, *tribuisti mihi :* quo- D niam corpore sufficienter disposito, Deus animam rationalem creando infundit. Thomas et alii quidam, per misericordiam loco hoc intelligunt naturale seminarium virtutum et scientiarum nobis innatum, de quo in regula sua scribit Basilius : Innatus enim est animæ habitus principiorum tam speculabilium quam operabilium. Et ex seminario tali quidam naturaliter dispositi sunt ad hanc virtutem, quidam ad illam. Job vero ad pietatem eminenter dispositus fuit, prout infra testatur : Ab Job xxxi, 18.

infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum. *Et visitatio tua,* id est beneficiorum tuorum largitio, gratiarum influxio, clemens conservatio, *custodivit spiritum meum,* id est, animam meam conservavit in vita hucusque et necessaria victui tribuit; me quoque a peccatis retraxit, et in gratia conservavit. Quod etiam Deus partim per angelorum facit custodiam. Quemadmodum autem in Scripturis dicitur Deus a quibusdam recedere, quoniam gratiam abstrahit eis, sic fertur visitare atque accedere dona sua præstando.

Omnia hæc sanctus Job introduxit, ad insinuandum quod omnia quæ in homine sunt, Deo sint nota, et ad impetrandum misericordiam ejus ex propriæ fragilitatis et imperfectionis confessione. Itemque, ad innuendum quod homo tam fragile vas, sustinere non valet regulam indeclinabilis justitiæ; sed, ut quinto Ethicorum docet Philosophus, Hominum rectorem necesse est uti regula ædificationis Lesbiæ: quæ est terra, in qua nullus lapis dolabilis est ad regulam rectam. Incolæ vero illius, ne careant ædificiis, faciunt plumbeam regulam, ut ubi lapis non dolatur ad regulam, regula curvetur ad lapidem; et ubi non fuerit enormis curvitas, sustineatur. Sic inter homines oportet leges regiminis remitti ad infirmitatem humanam, et quod enormiter distortum non est, tolerare.

Deinde fatetur in Deo oblivionem proprie dictam non esse. *Licet hæc celes in corde tuo,* id est, notitiam horum quæ jam commemoravi, quasi intra te abscondas, dum eam verbis non pandis, nec per opera monstras; sed ita me affligi permittis, quasi creatura tua non essem, aut quasi dire peccassem, vel quasi tantæ fragilitatis naturaliter non consisterem; *tamen scio quia universorum memineris,* id est, omnium actualem notitiam habes, nec præteritorum immemor usquam efficeris.

Si peccavi: quod ait, vel ad insinuandum quod enormiter non peccavit, vel ad fatendum quod venialibus non caruit: A quoniam tertio Regum Salomon loquitur, Non est homo super terram, qui faciat bonum et non peccet; *et ad horam pepercisti mihi,* id est, non statim quum peccassem, me punivisti, sed paternaliter distulisti donec correxi; *cur ab iniquitate mea* olim commissa, cujus dilata fuerat pœna, *mundum me esse non pateris?* id est, cur me nunc tanquam justum non desinis impunitum, sed peccata quæ ego deflevi et emendavi, mihi modo imponis, et me quasi maculosum per tantam plagam ostendis? Per hoc B probat, quod pro suis peccatis non sit ita percussus. Quod etiam probat deinceps, quia justis atque injustis communiter adversa vitæ præsentis eveniunt. *Et si impius fuero, væ mihi est:* quia tunc damnationem promereor, et juste hæc patior; *et si justus* fuero, *non levabo caput,* id est, adversitatibus istis non sublevor, et (ut apparet) non relevabor, nisi forte in morte. Vel, Non levabo caput, id est, me contra tuam æquitatem et dispositionem non erigam, me justificando in tuo conspectu, C teque reprehendendo. *Saturatus afflictione et miseria,* id est pœnis et calamitate repletus multiplici, quia despectus ab omnibus, et rebus nudatus ac sobole.

III *Reg.* VIII, 46; *Eccle.* VII, 21.

Et propter superbiam meam, si me opposuero tuo judicio, *quasi leænam capies me,* id est, retiaculis suppliciorum me undique angustabis atque circumdabis, quemadmodum leæna in foveam lapsa, per industrias capitur. Quia (ut narrat Gregorius) in ejus via fit fovea, in qua pecus ponitur: quod videns leæna, desiderio ejus se in D foveam projicit. Fovea autem facta est profunda et angusta, ut in eam leæna cadere queat, sed exsilire non valeat. Sicque venatoribus eam desuper ictibus lanceisque vexantibus, ipsa in arcam seu caveam prope foveam a venantibus factam seu positam, vectibus fortissimis circumpositam ac ligatam, cogitur fugere et se ipsam comprimere, quia resistere nequit: sicque conclusa, cum vectibus elevatur et capitur. *Reversusque,* non per tuam mutationem, sed per pœnarum mearum innova-

Digitized by Google

tionem, *mirabiliter me crucias* doloribus animæ et corporis, et in somno atque vigilia, diu quoque continuando meas afflictiones.

A

Instauras, id est, renovas et confortas, *testes tuos contra me,* id est amicos meos, qui videntur et esse se jactant testes tuæ veritatis : quoniam contra me tuam defendunt justitiam velut contra blasphemum, et per pœnas meas videris testimonium verbis eorum conferre, eosque in suo contra me exercitio confirmare. *Et multiplicas iram tuam,* id est punitionem quæ esse videtur ira tua, seu ex rigore tuæ justitiæ emanare. Hanc enim multiplicem facis in me. *Et pœnæ militant in me,* id est, pœnæ istæ te permittente mihi inflictæ, me impugnant et vulnerant, sicut milites hostes invadunt. Hoc plenius elucidatum recordor in expositione sexti capituli, ubi Job ait : Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum ; et terrores Domini militant contra me. In hoc equidem libro, quia rhetorice scriptus est, et disputative procedit, eadem sententia frequenter aliis verbis repetitur, sicut in disputationibus rhetoricisque fieri solet codicibus ; et præsertim in sermonibus dolorosis et affectuosis, in quibus amor et dolor renovant spiritum ad resumendum quæ dicta sunt. Tales autem sunt sermones beati Job. Quod etiam ex passu immediate sequenti fit evidens. Nam subditur :

B

Job VI, 4.

C

Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Hoc enim est quod supra ait : Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Sic quoque quod subditur, *Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum,* ibidem aliis verbis ita exprimitur : Sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Quoniam ergo verba hæc tertio capitulo diffuse atque prolixe exposita sunt, et prætacta nunc hujus capituli verba ad intelligendum plenarie difficillima sunt, nec paucis verbis

Ibid. III, 11.

D

Ibid. 16.

ibi præhabita hic repeti possunt ; idcirco prolixitatem devitans, ad expositionem tertii capituli legentem remitto : nam et Gregorius ita facit. Verumtamen verbum istud, Fuissem quasi non essem, non tam clare patet ex eo, quod tertio capitulo dicitur, Sicut abortivum absconditum non subsisterem, sicut quod ait hic, Quare de vulva, etc., ex eo quod scribitur ibi, Quare non in vulva mortuus sum? Idcirco particula ista jam exponenda est breviter. Fuissem quasi non essem : id est, si in utero matris obissem, nec vivus inde fuissem eductus, fuissem quasi non essem, id est, esse meum tam breve et occultum, fuisset pro nihilo reputatum ; nec mala hæc sustinerem, imo immunis essem a vitæ hujus miseriis, quasi nunquam fuissem, seu quasi prorsus non essem. Sed quomodo hæc licite ac rationabiliter dici possint, in expositione tertii capituli requiratur. Art. XI. circa finem.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? id est, utique dies mei restantes, qui pauci sunt, præsertim comparatione perpetuitatis sequentis, cito finem habebunt, præteribunt seu defluent. Unde septimo capitulo dixit : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Et iterum : *Job* VII, 16. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt *Ibid.* 6. absque spe. Ad litteram quoque hoc dixit, quoniam propter acerbitatem dolorum suorum putavit se protinus moriturum, nec naturaliter longa sibi vita in sæculo isto restabat.

Dimitte ergo me, id est, paulisper me respirare concede, et ab afflictionis hujus magnitudine modicum cessa, eamve tempera, *ut plangam paululum dolorem meum,* id est, adversitates et pœnas quæ mihi evenerunt et insunt, aliqualiter seu moderanter deplorem, quum et fletus sit alleviativus interni doloris, ut sæpe expositum est. Quasi dicat : Tanta est plagarum mearum acerbitas, ut præ pœnarum vehementia lacrimas fundere nequeam. Hinc ait Gregorius : Sicut moderata afflictio lacrimas exprimit, ita immoderata subducit :

quæ mentem afflicti absorbens, sic ejus considerationem impedit, ut flendo æstimare non possit quid ferat : mentem namque quasi insensibilem reddit ac induratam.

Antequam vadam per mortem de sæculo et corpore isto, *et non revertar* ad statum vitæ præsentis corruptibilem ac mortalem : secundum quod septimo dixit capitulo : Non revertetur oculus meus ut videat bona; nec adspiciet me visus hominis. Et infra : Semitam (inquit) per quam non revertar, ambulo. *Ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine,* id est infernum : ad quem ante Christi passionem omnes etiam justi descenderunt, secundum quod infernus late accipitur, prout comprehendit limbum patrum, in quo justi in tenebris, non tamen in sensibilibus pœnis, fuerunt. Unde et Jacob ait in Genesi : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et infra beatus Job : In profundissimum infernum descendent omnia mea. Porro infernus dicitur terra tenebrosa ex utriusque lucis carentia, scilicet spiritualis et corporalis, secundum Albertum; vel ex carentia claritatis visionis beatificæ ac divinæ. Dicitur demum operta mortis caligine, id est ipsa caliginosa morte, puta æterna damnatione, quæ in Apocalypsi dicitur mors secunda. Estque contraria vitæ gloriæ, imo et vitæ gratiæ, quamvis non vitam perimat naturæ. Vel, Mortis caligo, est teterrima illa obscuritas, mortem corporalem secuta, videlicet mœror, desolatio, seu desperatio sempiterna. Thomas autem, per caliginem mortis, intelligit originale peccatum, mortem inducens, quod in damnatis manet, quoad hoc quod damnum patiuntur illius peccati.

Job VII, 7, 8. *Ibid.* XVI, 23. *Gen.* XXXVII, 35. *Job* XVII, 16. *Apoc.* XX, 14.

Terram miseriæ, per abundantiam, quia in ea est plenitudo totius calamitatis, et sensibilium pœnarum acerbitas perhorrenda, *et tenebrarum* horribiliorum ac palpabiliorum quam fuerunt tenebræ Ægypti, de quibus scriptum est in Exodo : Factæ sunt tenebræ horribiles atque palpabiles in terra Ægypti. Denique aer qui in inferno

Exod. X, 21, 22.

A est, spissus, teter, inconvenientissimusque consistit; et ignis infernalis (secundum Gregorium) calorem habet et concremat, lucem non habet nec radiat. Nam de reprobo præcipit Christus : Projicite eum in tenebras exteriores. Verumtamen, aliqui satis probabiliter dicunt, et Thomas super quartum Sententiarum hoc tenet, quod ignis inferni modicum luminis habet, lucens tantumdem, ut in miseriis exsistentes possint se mutuo videre corporaliter, scilicet resumptis corporibus : B quod non ad pœnæ relevamen, sed ad ingens calamitatis spectat gravamen, quia et corpora reproborum horribilissimi, turpissimi, atque mœstissimi erunt adspectus. Nihil ominus, in aliquibus locis inferni potest esse mera obscuritas. Insuper, infernus terra tenebrarum vocatur, propter actualia peccata quibus involvuntur damnati.

Matth. XXII, 13; XXV, 30.

Ubi umbra mortis, id est mœstissima habitudo mortiformisque vita, quæ similitudo est mortis, quoniam sic affliguntur, C ac si jugiter morerentur : propter quod mortem exoptant, et Deum vitæ fontem blasphemant. Vel, Umbra mortis, secundum Albertum, designat imagines timidis occurrentes in pœnis, juxta id Sapientis : Personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præbebant.

Sap. XVII, 4.

Et nullus ordo virtutum, sed conturbatio conscientiæ et confusio vitiorum. Nam omne bonum honestum detestantur ac odiunt, suntque prorsus aversi a Deo ordinis auctore fontano, atque totius honestatis fontem D supermundissimum indicibiliter odiunt, et ejus beatitudini inæstimabiliter invident. Idcirco, inter eos nullus est ordo laudabilis, sed inordinatio consummata. Verumtamen objici potest, quoniam (teste Apostolo) quæ sunt a Deo, ordinata sunt. Damnatorum autem supplicia a Deo infliguntur. Denique quod inordinatum est per culpam, ordinat Deus per pœnam, et dedecus injustitiæ ordinat et reformat decore suæ justitiæ, et juxta mensuram peccati est mensura supplicii, juxta quod scriptum est in libro

Rom. XIII, 1.

Digitized by Google

Sap. VI, 9. Sapientiæ : Fortioribus fortior instat cruciatus. Et in Apocalypsi : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Quanto equidem voluntas creata plus sibi ipsi contra divinam voluntatem indulsit et satisfecit, tanto plus sustinere compellitur contra propriam affectionem. Sed jam ad ista est data responsio. Non enim idcirco in inferno dicitur nullus ordo, quia tormenta eorum ordinata non sint secundum dictamen sapientiæ, exigentiamque justitiæ Dei excelsi ; sed quoniam mentibus damnatorum summa inest pravitas, confusio, vitiosa aversio, inordinatissima ac turbulentissima vita. Propter quod divinus Dionysius scribit, quod in dæmonibus sit amens furor, irrationalis concupiscentia et phantasia proterva. Hinc ait Gregorius : Ipsa supplicia per Dei justitiam ordinata, in mentibus damnatorum ordinata non sunt. Dum enim damnatus quisque foris igne succenditur, intus cæcitatis igne voratur, et in dolore positus, interius exteriusque confunditur, ut sua confusione deterius crucietur.

Apoc. XVIII, 7.

Sed sempiternus horror inhabitat : quoniam pœnas quas sciunt se in æternum passuros, dolorose sentiunt ut præsentes, et pœnaliter horrent ut futuras : sed et se ipsos abhorrent, et corporum suorum deformitatem turpitudinemque cernentes, resurrectione peracta, vehementer stupebunt atque horrebunt : turpiora siquidem corpora illa erunt, quam fuerunt quando pro media parte a vermibus erant corrosa. Præterea, dæmonum adspectus horribilissimus erit damnatis, et unus alteri gravis erit ad intuendum. Hinc super Apocalypsim ait Albertus : Damnati non tantum affligentur in corpore ab igne inferni, quantum eorum mens affligetur ex hoc quod damnationem illam mœstissimam perpendet æternaliter duraturam. Gregorius quoque hic ait : In hoc sæculo flamma quæ succendit, illuminat ; in inferno autem ignis qui cruciat, obscurat. Hic metus amittitur, quum tolerari cœperit quod timebatur ; illic vero dolor dilaniat, et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Quamvis autem Gregorius supra jam dixerit ignem infernalem nequaquam lucere, jam tamen post verba inducta subjungit, et verba præhabita quasi exponit : Illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces [suos] secum in tormentis reprobi, flamma illustrante, visuri sunt, ut amplius torqueantur.

Postremo, cordibus imprimenda et vehementer timenda sunt ista, sicque vivendum est nobis, ne ad tantam miseriam pertrahamur, ne ad tristissimam illam mansionem perpetuo deputemur, ne intolerabilissima illa tormenta æternaliter tolerare cogamur. Unde ad evadendum illa supplicia, patiamur libenter quidquid molestiæ, quidquid adversitatis in isto sæculo occurrit sive infligitur. Pensemus quam male sit eis, qui ibi jam detinentur ; et Deo præcordialissime regratiemur, quod toties atque tam diu nobis pepercit, nec dudum in tartarum nos projecit, quum jam multos damnaverit, qui minus quam nos peccaverunt. Idcirco, quidquid potest manus nostra, instanter ac fervide operemur. Eccle. IX, 10.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI DECIMI INTELLECTU.

DUM menti nostræ divinæ dulcedinis
sapor gratiosus infunditur, ipsaque
mens summæ, puræ, ac immensæ boni-
tatis amore ignitur, omne mox desiderium
vitæ præsentis exstinguitur, delectatio car-
nalis in tædium vertitur. Vir itaque affli-
Philipp. I, 23. ctus et justus, cupiens dissolvi et esse
cum Christo, dicat : *Tædet animam meam
vitæ meæ,* in hac corruptibili carne, ubi
a divinæ lucis beato ac desideratissimo
Sap. IX, 15. adspectu impedior. Corpus enim quod cor-
rumpitur, aggravat animam, quoniam cen-
tena millia contemplationis obstacula in-
Rom. VII, 24. gerit. Hinc clamavit Apostolus : Infelix
ego homo ! quis me liberabit de corpore
Ps. CXLI, 8. mortis hujus? Et Psalmista : Educ de cu-
stodia animam meam ad confitendum no-
mini tuo. Tot quoque defectus culpabiles
omni die illabimur, quibus Deum aliqua-
liter inhonoramus, ut non immerito de
vita hac tanto plus attædiemur, quanto
plus in Divinitatis sancto amore fervemus.
Et quid mirum, si esse in vita et exsilio
attædiemur, atque ad patriæ accendamur
ingressum, si tamen veraciter viatores
consistimus?

Denique, dum gratia operante cœperit
ita præsens vita vilescere, Creatorisque
amor menti dulcescere, restat ut quidquid
in se reprehensibile perpendere poterit,
fortiter arguat et accuset ac corrigat. Ideo
sequitur : *Dimittam adversum me elo-
quium meum,* id est, in omnibus repre-
Jacob. III, 2. hendam me ipsum. In multis enim of-
Prov. XVIII, 17. fendimus omnes ; et justus in principio
Ps. XXXI, 5. accusator est sui. Scriptum est : Dixi, Con-
fitebor adversum me injustitiam meam
Domino. Ei autem qui culpam suam ex-
Jer. II, 35. cusat, Dominus ait per Jeremiam : Judicio
contendam tecum, eo quod dixeris, Non
A peccavi. Prima etenim via post culpam
redeundi ad Deum, est propriam iniqui-
tatem cognoscere, quam in confessione
debemus præcipue adversum nos manife-
stare, non sine pudore peccati, et cum in-
terno dolore quod inhonoravimus Deum.
Ideo additur : *Loquar in amaritudine ani-
mæ meæ :* id est, in pœnitentiali dolore et
ex vera contritione peccata mea fatebor,
non nudis verbis me accusando, ut illi qui
ex consuetudine quadam mente arida con-
fitentur, et lugenda quasi lætantes aut fa-
B bulam recitantes pronuntiant. Quo autem
confitens majorem habet de suis peccatis
pudorem et cordialiorem dolorem, eo plus
dimittitur ei, etiam de pœnis peccati, plus-
que sortitur de gratia ad vitandum dein-
ceps peccata, et prosequendum opera bona.

Dicam Deo supplici mente : *Noli me
condemnare,* sed peccatis ignosce, gratiam
tribue, confer salutem. Si autem quis oret
non condemnari ex privato amore, quo
sicut amat delicias, sic fugit tristitias, seu
solo servili timore pœnarum, non est ma-
C gnum, imo nec meritorium, quum radix
merendi sit caritas Dei infusa, supernatu-
ralis, gratuita, ita quod nullus actus est
meritorius, nisi imperetur a caritate, quæ
vita est animæ. Si autem quis postulet
non damnari desiderio felicitatis æternæ,
meritorium quidem est, si ex caritate pro-
cedat, ita quod plus quæratur ac intenda-
tur Dei honor et gloria, quam proprium
præmium ; sed non est perfectum, quia
mens reflectitur ad se ipsam, propter
quod non est ibi purus et non reciprocus
D amor, sed partim reflexus. Porro si quis
poscat non condemnari, solo sincero amo-
re exsistendi cum Deo et laudandi eum,
[cum] filiali timore separandi ab ipso,

Digitized by Google

maxime meritorium est atque perfectum. Tali ergo affectu hoc deprecemur : alias magnum non esset. Siquidem nullus tam vitiosus est, qui non cupiat non damnari. *Indica mihi,* id est, revela mihi, o Deus, omnium judex justissime, *cur me ita judices* in hac vita, id est, quare me nunc tot adversitatibus imples, tribulationibusque circumdas : an scilicet hoc fiat ad meum profectum, et ut per præsentis vitæ flagella evadam futura supplicia; an forte idcirco mecum occulto sic agis judicio, quatenus hæc mea tribulatio sit futuræ damnationis inchoatio. Nempe (ut ait Gregorius) duobus modis judicat Deus hominem in hac vita : quia aut per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia præsentibus flagellis exstinguit. Rursus, quibusdam justis contingit, ut exemplo beati Job, omni se diligentia coram Deo custodiant, et de mortalibus sibi conscii non sint, nihilo minus graviter tribulentur. Illi ergo verba hæc dicere queunt eo sensu, quo præcedenti articulo de sancto Job litteraliter fuerunt exposita. Iterum, si quis justus dire afflictus, quamvis aliquando se peccasse testetur, nesciat tamen pro quo excessu specialiter puniatur, Deum potest orare ut sibi indicare dignetur, cur seu pro qua causa culpabili taliter visitetur.

Præterea, si quis nimia pusillanimitate tentetur, aut immoderata scrupulositate laboret, aut desperatione tangatur : quasi periturus sit, etiamsi fecerit quod in se est, et debita sua impleverit; aut quod prædestinatus non sit, ideo salvari non valeat : talis confortet se ipsum, et animetur in Deo, fiducialiterque loquatur ad ipsum : *Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris et opprimas me opus manuum tuarum?* quasi dicat, Non utique. Imo spero in tua pietate, o Domine, quod quum sim opus tuum, et ad tuam imaginem similitudinemque creatus, quantum in te est, non velis nec permittas me perire, sed speranti, timenti et invocanti paternaliter
Is. LXIV, 8, 9. subvenire digneris. Sic et Isaias orat : Ecce,
A respice, opera manuum tuarum, et populus tuus omnes nos. *Et consilium impiorum adjuves?* id est, non utique bonum tibi videtur, ut adversarios meæ salutis, qui sunt præsertim invisibiles hostes, adjuves ad perdendum me; sed gratiam tribues resistendi, per angelum meum mihi succurres, per meritum passionis Christi, per preces Sanctorum, nec ultra vires me tentari permittes. Invisibilium autem hostium incessabile consilium, studium, exercitium est, animarum impedire salutem, et
B nos suæ damnationis consortes peragere. Quibus tanto ferventius ac robustius reniti debemus, quo noscimus eos contra nos malitiosius, invidiosius, incessabiliusque conari. Hæc vero resistentia quid est, nisi Deum jugiter invocare, se ipsum in omnibus penitus humiliare, et quæ Deus requirit, obedientialiter observare?

Præterea, si post grandem in spiritualibus profectibus prosperitatem, post præcipuam aliquam devotionem aut anagogicam contemplationem, ferventissimamve affe-
C ctionem in Deo, contigerit nos subito gratiæ dispensativam suspensionem incurrere, gravem tentationem incidere, magnam animi ariditatem pati, aut forte (quod absit) per culpam graviter labi; redeundo ad cor, dicamus Creatori, quasi pie conquerendo, fiducialiter blandiendo, humiliter exorando, pristinam gratiam implorando, quod sequitur : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu,* id est, quidquid sum et habeo in corpore ejusque membris, in anima ejus-
D que viribus, tu mihi dedisti; *et* tamen *sic repente præcipitas me* ab alto contemplationis ac spiritualis perfectionis in ima vanæ imaginationis, internæ sterilitatis, diabolicæ tentationis? aut labi permittis in vitia propriæ fragilitatis, quasi factura tua non essem, et quasi tibi non esset cura de tuis effectibus? quasi dicat : Istud mirum videtur, non tamen injustum censetur. Sic et Psalmista affirmat : Poculum meum *Ps.* CI, 10, 11.
cum fletu miscebam a facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. Istud

Digitized by Google

etiam dici posset ab eo, qui in magnam corporis infirmitatem rerumque damna, et a statu sublimi ad inopiam deveniret. Ex litterali autem sensu istorum, impiissima impuri Manichæi confutantur figmenta, dicentis, hæc inferiora operaque naturæ in corporum productione ac formatione, nequaquam esse a bono Deo, quem nominat Deum lucis, sed a principio tenebrarum, puta diabolo.

Deinde videndum quomodo quæ sequuntur, de interiori homine (scilicet anima) possint exponi. *Memento, quæso,* id est, paternaliter ignoscendo, celeriter succurrendo, ostende te memorem seu immutabiliter cognoscentem, *quod sicut lutum feceris me,* id est, animam meam luto assimilasti, gratiæ tuæ fluenta in eam fundendo, ut spiritualiter irrigata fructificet, sicut in terram funditur imber de cœlo ut germinet. Anima quoque ad Sancti Spiritus influxionem se habet, quemadmodum terra ad pluviæ perfusionem. Propter quod Ps. cxlii, 6. ait Psalmographus : Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Nam sicut terra sine aqua seu pluvia sicca exstat et infructuosa, sic anima sine influentia Spiritus Sancti. Insuper, sicut lutum a Deo facta est anima, quoniam intellectualitas non est pura in ea, sed terrenæ sensualitati permixta, quemadmodum flamma candelæ superius clara est, inferius autem fumosa. Rursus anima, ob ejus ad carnalia concupiscentias ac vitia carnis, non immerito similis fertur luto. *Et in pulverem reduces me.* In pulverem reducitur anima, non quod substantialiter corrumpatur, aut vitam naturæ amittat; sed quia nonnunquam post divinorum charismatum irrigationem, propriæ infirmitati relinquitur et siccatur, vel peccando spiritualiter moritur vitam gratiæ amittendo. Hoc ergo vir justus loquitur, non simpliciter asserendo, sed caute timendo : quia dum homo in donis gratiæ prosperatur, timere debet de casu, I Cor. x, 12. quemadmodum ait Apostolus : Qui stat, videat ne cadat. Ecclesiasticus quoque di- Eccli. xi, 27. cit : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.

Nonne sicut lac mulsisti me? id est, sicut extrahitur lac de corpore bruti, sic animam meam eduxisti de vanis mundi affectibus ad novam conversationem teneritudinis spiritualis, ut spiritu mentis renovata, vetera vitia deserat, atque in donis Ephes. iv, 23. Spiritus Sancti quotidie recenter crescat ac floreat : juxta illud ad Corinthios, Licet II Cor. iv, 16. is qui foris est noster homo, corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. Hinc Petrus hortatur in prima sua Canonica : Deponentes omnem mali- I Petr. ii, 1, 2. tiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. *Et sicut caseum me coagulasti :* id est, caritatis coagulo menti meæ infuso, animam meam spiritualiter adunasti, constrinxisti, firmasti ut caseum, ne per multa vagetur, et peccando pereffluat, sed tibi summo bono, quod solum necessarium est, simplifi- Luc. x, 42. cata firmiter semper inhæreat, in te suos affectus omnesque actus reducat et figat. Hoc facit Deus electis, qui grata mente ei decantant : Tenuisti manum dexteram Ps. lxxii, 24. meam, et in voluntate tua deduxisti me. Hinc anima amorosa fatetur in Canticis : Ordinavit in me caritatem. Nam et hæc Cant. ii, 4. divinæ pietatis munera gratiosa justus sibi narrat a Deo collata, humiliter, non jactanter, ut gratias referat, custoditus consistat, seque beneficiorum Dei memorem esse declaret. Hoc quippe ad perfectionem requiritur, ut homo dona sibi præstita recognoscat, dicente Apostolo : Non spiritum I Cor. ii, 12. hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Postremo, est et coagulatio mala, quæ est induratio in peccato, quemadmodum ait Scriptura de impiis : Coagu- Ps. cxviii, 70. latum est sicut lac cor eorum.

Pelle et carnibus vestisti me : quoniam anima ad cœlestia ac divina suspirans, corruptibili corpore ejusque necessitudinibus ac motibus circumvallatur. *Ossibus,* id est

Digitized by Google

virtutum firmitatibus, *et nervis,* id est virtutum et donorum connexionibus, *compegisti me:* id est, animam meam confortasti, et tibi junxisti, ac mystico Christi corpori cohærere fecisti. Virtutes namque et dona Spiritus Sancti sunt concatenata, ac animam in Deo firmantia, incorporantia quoque corpori electorum. *Vitam* gratiæ *et misericordiam,* id est supernaturalia varia dona, *tribuisti mihi,* in Baptismo, et post lapsum in Pœnitentia, imo quotiescumque post peccatum mortale conversus sum. Quoniam enim ad supernaturalem finem (qui est visio Dei per speciem) creatus est homo, indiget supernaturalibus mediis, quibus finem hunc sortiatur, quum necesse sit fini media proportionari. Hæc autem supernaturalia media sunt, gratia gratum faciens, virtutes infusæ ac dona: quæ rite misericordiæ appellantur, quoniam ex supermunificentissima Dei pietate penitus gratis ac misericordissime dantur, quemadmodum ad Titum ait Apostolus: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit; et ad Ephesios: Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

[Tit.] iii, 5. — [Ep]hes. ii, [8].

Et visitatio tua custodivit spiritum meum. Non solum indigemus gratia præveniente, sed etiam subsequente et consummante. A Deo namque est omnis boni inchoatio, conservatio et consummatio. Vitam virtuosam ipse in nobis incipit, prosequitur, terminat. Itaque, Visitatio tua, id est tu ipse clementer me visitans, seu pietatis tuæ subsidium, custodivit spiritum meum: quia quamdiu mansit in esse vitaque gratiæ, hoc fuit, te eum custodiente, tuaque dona in eo conservante ac perficiente. Non enim minus, sed plus dependent omnia gratiæ dona, spiritualiaque charismata a Deo, quam dies a sole, seu splendor a luce: et tamen, si ad momentum sol cessaret diem, aut lux fusam claritatem conservare, nonne dies et claritas talis subito esse desinerent? Sic si per momentum Deus conservationem seu custodiam suam abstraheret, quidquid spiritualis fuerit perfectionis, subito disperiret. Hinc orat Psalmista: Custodi me, Domine, ut pupillam oculi; et: Visita nos in salutari tuo. Rursusque asserit: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Ex quo clarissime innotescit, quantum nos humiliare, quantum Deo regratiari, quantum inanem et fatuam in nobis ipsis gloriationem aspernari debemus, præsertim quum ipsemet beatissimus Jeremias testetur: Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.

Ps. xvi, 8. — Ps. cv, 4. — Ps. cxxvi, 1. — Jer. x, 23.

Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris. Quum Deum pro aliqua gratia speciali deposcimus, et diversa quæ eum ad miserendum ac audiendum inclinent, orando commemoramus, videlicet quæ ad propriam pertinent fragilitatem, præcedentia quoque beneficia pietatis divinæ, nec tamen ad libitum exaudimur, imo diu differimur; tunc Deus quasi celat in corde suo quæ dicimus, quoniam instar non advertentis se habet. Sed tunc nequaquam frangamur aut diffidamus, sed perseveranter precemur, dicentes quod subditur: Scio quia universorum memineris, qualiter scilicet sperantibus et constanter orantibus promisisti: Petite, et dabitur vobis. Itaque cuncta advertis, nec minima affectio aut verbi prolatio tuam effugit memoriam: ideo fiducialiter usque in finem te invocabo, præsertim quum in Evangelio Christus locutus sit: Si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Denique ipse jubet se exorari: et hoc quare, nisi quia paratus est exaudire?

Matth. vii, 7. — Luc. xi, 13.

Si, pro quia, *peccavi* tibi, id est ad tuæ sanctitatis injuriam, ad tuæ majestatis inhonorationem, et contra tuam voluntatem. Siquidem, tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Quod utique non sine cordiali dolore fateri et fari debemus, eo quod tam immensæ celsitudinis Dominum, tam su-

Ps. l, 6.

Digitized by Google

perclementissimum Patrem, tam incompa-
rabilem benefactorem, toties et tam dire
offendimus. *Et ad horam pepercisti mihi,*
non statim te ulciscendo : juxta illud Joe-
Joel II, 13. lis, Benignus et misericors est Dominus, et
præstabilis super malitia. Et in Psalmo :
Ps. CII, 10. Non secundum peccata nostra fecit nobis,
neque secundum iniquitates nostras retri-
buit nobis. *Cur ab iniquitate mea mun-
dum me esse non pateris?* id est, cur per-
mittis me nunc recidivare? cur gratiam
abstinendi a culpis non tribuis? cur me
præteritorum vitiorum impuris memoriis
aut delectationibus desinis inquinari? Quod
totum non divinam pietatem reprehenden-
do, sed propriam calamitatem deflendo
profertur, et eo quod Deus permittit nos
a dæmonibus impugnari ac superari. Pati
tamen Deo improprie seu metaphorice con-
stat adscribi. In tantum quoque puritas
nostra, omnisque virtus ac meritum de-
pendent a Deo, ut quum vitiis sordidamur,
nec pœnitemus, dicamur a Deo indurari,
et ipsum non pati ut puri simus, dicamus.
Is. LXIII, 17. Sic nempe Isaias scribit : Tu, Domine, qua-
re nos errare fecisti de viis tuis, indurasti
corda nostra, ne timeremus te?

Et si impius fuero, væ mihi est : id est,
æterna damnatio imminet, nisi pœniten-
Ibid. III, 11. tiam egero, secundum illud Isaiæ : Væ im-
pio in malum ; retributio enim fiet ei. *Et
si justus* fuero, *non levabo caput,* id est,
mentem superbiendo, præsumendo, inani-
ter gloriando, non erigam, sed tibi tanto
subjectior ero, quo gratiosius egeris me-
cum, et tibi gratus esse conabor, Aposto-
I Cor. XV, 10; IV, 7. licum illud attendens : Gratia Dei sum id
quod sum. Et denuo : Quid habes quod
Ps. CXXVI, 2. non accepisti? Ideo ait Psalmista : Vanum
est vobis ante lucem surgere. Et Baruch :
Baruch II, 18. Anima quæ tristis est super magnitudine
mali, et incedit curva, dat gloriam Domi-
no. Vel, Non levabo caput, quoniam justi
variis adversitatibus in hac vita premun-
II Tim. III, 12. tur, dicente Apostolo : Omnes qui volunt
pie vivere in Christo, persecutionem pati-
Thren. III, 54. entur. Hinc in Threnis scriptum est : Inun-
daverunt aquæ super caput meum ; et in

A Psalmo : Veni in altitudinem maris, et Ps. LXVIII, 3.
tempestas demersit me. Sciens equidem
Deus quam fructuosum sit ferre adversa,
tribulationibus exerceri, donat hæc suis
electis in vita præsenti. Ideo subditur, *sa-
turatus afflictione,* id est dolore interno
de propriis ac proximorum peccatis, de
exsistentium in purgatorio pœnis, de im-
perfectione animæ meæ, de gloriæ dilati-
one. Itemque, Saturatus afflictione, id est
adversitatum angustiis. De qua saturatio-
ne fertur in Psalmo : Fuerunt mihi lacri- Ps. XLI, 4.
B mæ meæ panes die ac nocte. Et iterum :
Cibabis nos pane lacrimarum. Itemque Ps. LXXIX, 6.
tertio Regum libro : Sustentate Michæam III Reg. XXII, 27.
pane tribulationis et aqua angustiæ. *Et
miseria,* qua plena est vita ista. Miseria
tamen magis proprie competit malis cul-
pæ, quibus plena est vita impiorum, quam
malis pœnæ, quibus plena vita est bono-
rum, quemadmodum in Threnis perhibe-
tur : Sedebit solitarius et tacebit, quia Thren. III, 28, 30.
levabit se super se. Dabit percutienti se
maxillam, saturabitur opprobriis.

C *Reversusque* ad me per gratiæ conforta-
tionem, per caritatis inflammationem, per
mentis meæ illuminationem, *mirabiliter
me crucias* desiderio te videndi clare, si-
cuti es in te ipso, qui in propriæ lucis pu-
ritate pulchritudinis es immensæ, et se-
renitatis supergratissimæ, dulcedinisque
prorsus interminatæ. Ideo, quanto te nunc
ardentius amo, clariusque contemplor, eo
plus provocor, æstuo, suspiro te videre
per speciem, ita ut amore jam langueam :
qui languor cruciatum habet mirabilem,
D et inexpertis frigidisque ignotum. Insuper,
quo Deum sincerius contemplamur, et ejus
amore plus inflammamur, eo de nostris
peccatis, id est de Dei offensa, præcordia-
lius mirabiliusque torquemur : qui dolor
omnem pro temporalibus damnis ortum
excedit dolorem. Et mirum quod cor no-
strum non rumpitur præ dolore, quod
Deum creatorem nostrum unquam offen-
dimus, imo et quotidie heu! toties miserri-
mi inhonoramus. Potissime autem cruciari
debemus (si tamen vera caritate ardemus)

Digitized by Google

de malo statu, casu, divisione Ecclesiæ, A de prælatorum ejus impia conversatione, de multorum religiosorum, sacerdotum et clericorum detestabili vita scandalis plena; Deumque jugiter, affectuosissime ac devotissime implorare pro piissima reformatione in omnibus, ad gloriam Salvatoris. Adhuc mirabiliter cruciantur electi, Christo mentaliter compatiendo, ejus vestigia cruciformiter imitando, in actibus se pœnitentiæ exercendo, in jejuniis, disciplinis, vigiliis.

Instauras testes tuos contra me. Quam- B vis testes Dei sint angeli sancti, et prædicatores electi, doctoresque virtuosi, et omnes qui fide et opere pro Deo, pro fide et æquitate loquuntur, quemadmodum per Isaiam Dominus ait, Vere vos testes mei; et in Actibus Christus Apostolis loquens, Eritis (inquit) mihi testes usque ad ultimum terræ : tamen hoc loco, testes intelligi possunt spiritus maligni, qui contra iniquos testimonium perhibent veritati, et aliquando ad accusandum electos justitiam Dei allegant. Hos testes Deus contra C bonos instaurat, dans eis licentiam impugnandi electos : in qua pugna dum vel in toto vel partim triumphant, ad accusandum bonos instaurantur. Imo, quantum Deus nos peccare permittit, tantum illi contra nos instaurantur. *Et multiplicas iram tuam,* gratiam tuam multis justo judicio subtrahendo : propter quod intime doleo, secundum quod subditur, *et pœnæ militant in me,* id est invalescunt. Quo enim anima corpore dignior est, eo de ejus periculo amplius quam de corporis quali- D bet infirmitate contristari debemus. Præterea, quoniam multæ tribulationes justorum, multiplicatio iræ et militatio pœnarum in homine virtuoso, intelligi possunt varia ejus afflictio : quanquam talis afflictio in electis non proprie ira Dei dicatur, sed opus clementiæ ejus, aliqualiter tamen ira est, in quantum est in ultionem peccati, et quoniam propter pœnæ acerbitatem ira videtur. Unde et Christus ait in Psalmo ad Patrem : In me transierunt iræ tuæ.

Is. XLIII, 10, 12; XLIV, 8. *Act. I, 8.* *Ps. XXXIII, 20.* *Ps. LXXXVII, 17.*

De animabus in purgatorio detentis.

Denique, principium hujus capituli quidam in persona animæ in purgatorio exsistentis exponunt, præsertim quum lectiones Officii defunctorum ex hoc loco partim sumantur. Verumtamen littera ad hoc proprie applicari non valet, saltem pro magna parte; nec oportet ideo ista de anima tali exponi, quia pro eis leguntur, sicut et psalmi qui pro defunctis leguntur, in illorum persona non proprie exponuntur, et pro maxima parte exponi non possunt. Nihilo minus lectiones et psalmi hujusmodi pro defunctis leguntur, quoniam specialiter tractant de animabus, et his quæ earum causam necessitatemque respiciunt, et de fragilitate conditionis humanæ, quæ commemoratur ad impetrandam Dei pietatem ac veniam. Aliqua quoque continentur in eis, quæ in defunctorum persona seu animæ in purgatorii potestate *, congrue exponuntur ac proferuntur. Præterea, quod in capituli hujus exordio scribitur, Tædet animam meam vitæ meæ, anima in purgatorio non proprie loquitur de se ipsa, nisi forte loqui dicatur in persona defuncti, cujus anima fuit ipsa. Sæpe enim totum pro parte, et econtrario ponitur : ut quum dicimus, Petrus apostolus est in cœlo; vel, Sancte Petre, ora pro nobis. Breviter ergo tangam hujusmodi expositionem, quoniam quosdam delectat : quæ tamen ex præhabitis elucescit.

* in purgatorio positæ

Tædet animam meam vitæ meæ, id est, animam quæ ego sum, seu me quæ anima sum, tædet in his vivere pœnis, propter earum acerbitatem, et desiderio gloriæ, a qua nihil retardat me nisi reatus culpæ, id est obligatio ad tormenta propter peccata, quia nondum condignas sustinui pœnas. *Dimittam adversum me eloquium meum,* id est, ea intellectualiter dicam seu cogitabo, quæ me ipsam contristant, affligunt, culpabilemque demonstrant; me quoque accusabo atque deflebo. Pœnitet enim in purgatorio exsistentes, quod peccaverunt, quoniam inavertibiliter manent in caritate. *Loquar in amaritudine animæ meæ,* id est in propria hac mea affli-

Digitized by Google

ctione me ad loquendum intellectuali locutione movente. Dolor enim incitat ad loquendum, quia per verba evaporando seu erumpendo, quodammodo minoratur; et tanto minus anima percipit unum, quo plus intendit ad aliud.

Dicam Deo : Noli me condemnare. Hoc videtur animabus in purgatorio non convenire, quum sint certæ de gloria ; quædam tamen (ut dicitur) sunt incertæ de hoc, quia sic pœnis addictæ sunt, ut nesciant an finaliter sint salvandæ an condemnandæ : quæ utique optant non condemnari, idque precantur secundum quod oratio est interpres desiderii. Proprie tamen orare eis non competit, prout oratio est meritoria seu impetrativa, quum non sint in statu merendi, sed viam finiverunt, nec valent juvare se ipsas. Verum quod ait, Noli me condemnare, potest sic improprie explanari, id est, noli me in pœnis his tam dire punire, quasi essem damnata. *Indica mihi, cur me ita judices,* id est, tam graviter punias. Dicunt aliqui, quod animæ purgatorio deputatæ, interdum ex magnitudine suæ pœnæ arbitrantur se ultra condignum et sine admixtione misericordiæ cruciari, quoniam plus attendunt acerbitatem pœnæ quam sentiunt, quam peccati sui enormitatem seu quantitatem. Ideo petunt sibi indicari divinitus, pro qua culpa sic torqueantur. Sed non videtur, quod æstiment Deum esse injustum, vel ejus judicium esse perversum : quod sequeretur, si putarent eum punire ultra condignum. Verumtamen esse potest, quod magnitudo pœnæ impediat aliqualiter in eis rationis judicium, et scientiæ usum diligentemque considerationem, ita ut eis appareat, quod Deus nimis seu plurimum rigorose puniat eas, sic quod admirative dicant verba inducta, quærendo sibi causam apertius insinuari. Tanquam dicant : Mirum videtur, o Domine, quod tam horribiliter nos affligis.

Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris et opprimas me opus manuum tuarum, etc. ? Quidam exponunt hoc per modum quæstionis et affirmationis, quasi anima in purgatorio sita, ad tantum per pœnas devolvatur errorem, ut putet Deum sui esse calumniatorem et oppressorem : quod nequaquam putandum est. Ideo sciscitatur hæc atque sequentia, ita ut neget sic esse, sicut expositum est. Itaque dicit hæc ad provocandum misericordiam Dei, juxta expositionem inductam. Denique subditur, *et consilium impiorum adjuves ?* id est, numquid tibi bonum videtur, ut dæmonum coopereris consilio, qui me ad hoc tentaverunt, quatenus me ad pœnas istas perducerent, imo et ad infernales, si potuissent et permisisses ? Verumtamen, istud aliquo modo affirmative potest exponi. In hoc enim Deus consentit illis tortoribus, ut peccatrix anima puniatur; sed non eo modo consentit id fieri, quo dæmones illud exoptant. Ipsi enim crudeliter perversoque fine hoc exsequuntur seu cupiunt, quod Deus juste et fine laudabili præcipit fieri.

Numquid oculi carnei tibi sunt ? Istud usque ad id, *quum sit nemo qui de manu tua possit eruere,* interrogat ac denegat anima, ut fateatur Deum perfectæ infallibilisque scientiæ, nec posse in judicando errare, secundum intellectum expositum.

Insuper ait : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu.* Jam litteralis et mystica expositio lectionis istius præhabita est. Quomodo autem animæ in purgatoriis pœnis detentæ ista conveniant, ex præinductis expositionibus satis reor patere. Sed percurrendo, modicum addam. Itaque anima seu spiritus rationalis, quum sit simplex et incorporeus, non est aliquod totum integrale, nec corporalem habet circuitum ; sed est quid totum essentiale in suo ordine, et totum potestativum quantum ad naturales vires, seu potentias quas habet in se permanentes : sicque se totum dicit creatum a Deo, et in circuitu spirituali formatum, quia ejus essentia est finita, atque a Deo determinata seu limitata, qui in numero, pondere et mensura constituit universa. Sap. xi.

Et sic repente præcipitas me? id est, per mortem corporalem a terra in locum purgatorii projicis, et igni alligas ad torquendum, variisque vilitatibus pœnalibus subjicis, quem ad tuam imaginem condidisti. Tanquam dicat : Hoc miserabile est, mirabile, miserationeque dignum.

Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me. Quomodo totum residuum hujus lectionis de anima exponitur, quantum ad dona gratiæ sibi collata, jam patuit : in qua expositione B. Gregorium pro magna parte secutus sum. Potest quoque totum exponi in persona spiritus seu animæ rationalis in purgatorio constitutæ, quantum ad dona naturæ sibi collata. Itaque anima talis ad provocandum Dei clementiam, propriam allegat declivitatem et fragilitatem, ex qua inerat sibi magna proclivitas ad peccandum, magna demum infirmitas ad resistendum : ex quibus alleviatur culpa et excusatur, etsi non in toto, tamen a tanto. Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, id est similem vili materiæ. Ut enim philosophi dicunt, præsertim Averroes, sicut se habet materia prima in ordine entium, ita intellectus animæ rationalis in ordine intellectualium substantiarum. Unde quemadmodum materia prima secundum se est infimum entium et pura potentia, atque principium transmutationis et motus, sic anima rationalis in ordine intellectualium substantiarum est infima, et in principio sui est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum. Estque naturaliter multum instabilis, vaga et labilis. Propter quod Deus piissimus magnam cum ea patientiam habet in vita ista, atque in purgatorio misericorditer agit cum ea, tam per se ipsum quam per comprehensores ac viatores multipliciter ei subveniens.

Et in pulverem reduces me, id est, per pœnas has ad nihilum rediges, non ut essentialiter non sim, sed ut pœnis oppressa pro nihilo me reputem, meque profunde humiliem ac tibi prosternam in locis istis terrenis pœnalibus. Juxta quem modum

A pro parte ait Psalmista : Humiliata est in pulvere anima mea. *Ps. XLIII, 25.* Et rursus : Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. *Ps. LXXII, 22.* Præterea, quasi in pulverem reducitur anima talis, quando post consolationem et altam considerationem, quas habet interdum ex visitatione angelica aut Sanctorum, ut pie putatur, mox visitatione tali cessante, ad cogitationes affectionesque varias quasi ad pulverem rapitur : non tamen ab ultimo fine unquam suum avertit affectum, sed cogitando prorsus instabilis est, et varia
B cupit remedia.

Nonne sicut lac mulsisti me? id est, ad esse novum ac tenerum quasique lacteum, eduxisti de utero simul cum corpore, cui me per creationem infudisti : in quo sub infantilibus annis tam imperfectæ exsistentiæ fui, quod ob corporis indispositionem, fluxibilitatem, mollitiem, ratione uti non potui ; *et sicut caseum me coagulasti,* tempore pueritiæ, dando mihi tunc aliqualem rationis et virtutum corroborationem, quum cœpi inter bonum et malum, inter
C verum et falsum discernere, sicque instar casei a pristina instabilitate ad cohærentiam boni ac veri attingere. *Pelle et carnibus vestisti me,* ita quod fui forma, motor, ac habitator infectæ ac fragilis carnis, ex qua ad multa illicita inclinabar, a spiritualibus sæpius impediebar ; *ossibus et nervis compegisti me.* Ossa ista, intelligi possunt fortiores animæ vires, in quibus superbenedictæ Trinitatis imago relucet, videlicet intellectus, voluntas, memoria ; nervi autem, vires organicæ, quæ manent
D in anima separata tanquam in radice. Istis compingitur anima, id est conjungitur, in quantum est totum potestativum, continens in se vires has, tanquam quasdam partes.

Vitam intellectualem, non vegetativam aut sensitivam dumtaxat, *et misericordiam tribuisti mihi,* id est cetera quibus in naturali vita indigui, de quibus mihi in corpore misericorditer providisti ; in purgatorio quoque hoc, quo affligor, mihi clementer multoties subvenisti. *Et visita-*

Digitized by Google

tio tua, id est adsistentia gratiosa, *custodivit spiritum meum,* id est superiorem animæ portionem, scilicet intellectum et voluntatem : præsertim in hora mortis, quando gravior periculosiorque tentatio solet accidere ; quando et anima propriis viribus minime valet resistere, etiam ob corporalem illum dolorem gravissimum, rationis judicium debilitantem non parum, nisi gratiæ adsit auxilium. Unde tunc amplius indiget divinitus adjuvari, ne tentationibus superetur, et in mortali culpa decedat, sed in gratia tunc persistat ac separetur. Hæc autem custodia summe necessaria est, et maxime fructuosa, quia in ea dispositione seu affectione, qua per mortem anima recedit a corpore, permanet in æternum. Hinc si in caritate et gratia separetur, manet inavertibiliter conversa ad Deum ; si vero in mortali culpa quis moriatur, manet anima ejus inconvertibiliter a Deo aversa. Propter quod asserit Damascenus : Quod angelis est ruina, hoc hominibus est mors. Angeli namque æternaliter manent in eo affectu, in quo vel ceciderunt, vel Deo in principio adhæserunt. Quod in Ecclesiaste Salomon in-

Eccle. xi, 3. nuens : Si ceciderit (inquit) lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Quotidie igitur Deum devotissime deprecemur, quatenus in illa hora visitatio ejus paterna atque piissima spiritum nostrum custodiat, ne succumbat tempore mortis.

Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Lectio ista minus proprie, quam præcedentes, videtur de anima purgatorio adjudicata, posse exponi. Animæ enim quæ ibi sunt, quum sint in certa beatitudinis exspectatione, quam indicibiliter cupiunt, non optant non esse, nec eis competit de utero ferri ad tumulum, sicut mox subditur : *Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.* Sed et dies vitæ earum perpetui sunt, ut dicere eis non congruat, quæ post pauca sequuntur : *Numquid non paucitas dierum meorum finie-* A *tur brevi?* Denique certæ sunt, quod ad infernum nunquam devenient, sicque eis non competit quod postremo adjicitur : *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam,* etc. Verumtamen, auxiliante Spiritu Sancto, quantum ipse donaverit, exponenda sunt de hujuscemodi anima.

Itaque, spiritus rationalis in purgatorio constitutus, querula voce ad insinuandum pœnarum suarum acerbitatem, loquitur B Creatori : *Quare de vulva eduxisti me?* Quod ait, non quasi anima sit educta de potentia materiæ, ut dixit Alexander peripateticus, vel quasi sit ex traduce, ut finxit Apollinaris hæreticus ; sed quoniam corpori intra maternum uterum clauso per creationem infunditur, et simul cum eo inde educitur. Itaque ait : Quare de vulva eduxisti me ? tanquam dicat : Melius mihi esset non esse, quam in pœnis his æternaliter permanere. An vero animæ in gravioribus purgatorii pœnis detentæ, aliquando C tormentorum suorum vehementia sic opprimantur, vincantur, obtenebrentur, ut quantum in ipsis est, potius velint prorsus non esse, æternamque beatitudinem nunquam acquirere, quam taliter diu seu absque scitu finis sui supplicii cruciari, affirmare non audeo. Idcirco sequentia textus verba ad hunc sensum non applicabo.

Qui utinam consumptus essem : non amittendo esse et vivere naturale, aut vitam caritatis et gratiæ, in qua sum ; sed amittendo quod per culpam effectus sum, D ut scilicet consumatur et pereat in me id, quo a gloria differor : quod est reatus seu obligatio ad pœnam. Sic namque dicitur aliquis abnegare, relinquere, mortificare se ipsum, non exstinguendo in se esse naturæ, sed malum culpæ, quemadmodum etiam Christus jubet manum, pedem, ocu- *Marc.* ix, 42, 44, 46. lum scandalizantem, eruendum et projiciendum. Atque Apostolus : Mortificate (inquit) *Coloss.* iii, 5. membra vestra quæ sunt super terram. Sic in Evangelio ait Salvator : Qui perdiderit *Luc.* ix, 24. animam suam propter me, salvam faciet

Digitized by Google

Prov. xii, 7. illam. Salomon quoque : Verte impios, et A non erunt. Præterea, Apostolus sic consum- Galat. ii, 20. ptus : Vivo, ait, jam non ego, vivit vero in me Christus. *Ne oculus me videret,* id est, ne quis me in tantis suppliciis cerneret.

Fuissem quasi non essem : id est, si malum culpæ seu debitum sustinendi purgatorii pœnas, fuisset ante mortem consumptum in me, ita quod a culpa et pœna absolutus fuissem ac liber; tunc utique fuissem in gloria statim post egressum a corpore ; quasi non essem, id est, sic quod non essem in pœnis : ut Quasi, dicat B veritatem, non similitudinem tantum ; et quod sequitur, *de utero translatus ad tumulum,* non separatim, sed conjunctim legatur cum clausula præcedente, qua di- * Essem citur, Fuissem *, ut sit sensus : Fuissem in gloria, sic quod non essem translatus de utero, id est de terra (secundum quod Job i, 21. supra ait Job : Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc; Eccli. xl, 1. sicque Ecclesiasticus dicit : Grave jugum super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem se- C pulturæ in matrem omnium), *ad tumulum,* id est ad subterraneum seu bassum ac tetrum purgatorii latibulum, quo abscondor, detineor et affligor. Sic quippe Luc. xvi, 22. Salvator asserit divitem in inferno sepultum. Et in Ezechiele reproborum sepulcra in inferno posita referuntur, quum dicitur : Ezech. xxxii, 21, 22, 24. Loquentur potentissimi robustorum de medio inferni. Ibi Assur et omnis multitudo ejus ; in circuitu illius sepulcra ejus, cum his qui descenderunt in lacum.

Numquid non paucitas dierum meorum D *finietur brevi ?* Hoc anima loquitur sciscitando ac desiderando, ut dies quibus in purgatorio erit, qui respectu æternitatis in patria breves sunt, celeriter finiantur, quatenus concupitam beatitudinem sortiatur. *Dimitte ergo me,* id est, relevamen aliquod mihi pœnæ hujus concede. Aliquoties enim animæ in purgatorio exsistentes, aliquam consolationem suscipiunt ex visione angelica, et per suffragia eis exhibita, seu alio modo. *Ut plangam* spirituali ploratu *paululum*

dolorem meum, quem habeo, non solum ex pœna sensus qua crucior, sed et ex pœna damni qua a gloria dividor. Porro, ut tactum est, ex vehementia acerbitatis pœnarum purgatorii, animæ consistentes in eo, frequenter a libero usu rationis seu diligenti proprii status consideratione impediri creduntur : ex quo fit, ut ex immoderato dolore, planctum (ut patuit) impediente, se ipsas expedite ac ordinate nequeant deplorare, magnitudine tormentorum quasi absorptæ. Hinc cupiunt, ut pœnis quas patiuntur, clementer per intervallum aliquod relevatis, deflere propriam queant calamitatem. Unde ob defectum usus rationis in condemnatis, Salomon in Ecclesiaste hortatur : Quodcumque potest ma- Eccle. ix, 10. nus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos quo tu properas. Hujuscemodi tamen rationis defectus, longe minor est in purgatorio quam inferno. Siquidem in purgatorio positæ animæ, jugiter manent in caritate, et per consequens habent septem dona Spiritus Sancti, omnesque virtutes caritati connexas. Quicumque enim habet caritatem, habet et dona Spiritus Sancti, saltem secundum aliquem gradum, quemadmodum Thomas et Bonaventura ceterique doctores concorditer scribunt. Propterea, in purgatorio sitæ, per donum sapientiæ, in aliqualem divinorum considerationem, et per donum scientiæ, in proprii status attentionem possunt utcumque, pœnis earum moderatis, procedere.

Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, etc. Hoc anima in purgatorio collocata precatur, non quod post fletum præfatum sit unquam in infernum lapsura, sed quoniam certum est, quod post hujusmodi planctum nunquam in tartarum ruet : sicut a Matthæo narratur, quod Joseph non cognovit beatissimam Christi- Matth. i, 25. feramque Mariam, donec peperit Filium suum primogenitum. In Psalmo quoque Pater loquitur Christo : Sede a dextris Ps. cix, 1. meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Digitized by Google

Postremo, verba hæc quibus infernalis A locus describitur, diligentissime sunt pensanda ac intime formidanda. Itaque oculis mentis proponamus teterrima illa tartari loca, horridum chaos inferni, profundissimas foveas gehennales; desperationis illius ineffabilem amaritudinem perpendamus, sempiterna tormenta, inexstinguibilem, æstuantissimum ignem. Imaginemur quam intolerabile nobis esset, per unum diem in ardenti fornace jacere : quomodo ergo poterimus gehennale incendium æternaliter tolerare? Væ infelicissimis amatoribus sæculi hujus. Beati vero qui in hoc mundo *Matth. v, 5.* lugent se ipsos. De his infernalibus pœnis scriptum est in Apocalypsi : Cruciabitur *Apoc. xiv, 10, 11.* iniquus igne et sulfure, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum. Et, ut loquitur Isaias, ignis damnatorum *Is. lxvi, 24.* non exstinguetur, et vermis eorum non morietur. Ibi, ut ait Salvator, erit fletus et *Matth. viii, 12; xiii, 42, 50; xxii, 13; xxiv, 51; xxv, 30.* stridor dentium. Taliter ergo vivamus, ac si per diem jam in inferno adfuissemus, pœnasque illas experti essemus : imo sic eas frequenter imaginemur, quasi eas præsentialiter intueremur.

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT.

FORTI pugili et victorioso athletæ, contra quem successive plures congrediuntur, eo quod priores dejecerit, sanctus Job comparatur. Unde nunc quum duos contra disputando pugnasset, tertius contra eum procedit, atque ab increpatione et contumelia exorditur. *Respondens autem Sophar Naamathites, dixit : Numquid qui multa loquitur, non audiet?* id est, decet ut multiloquus verbis suis superfluis finem imponens, curet audire et informari. *Aut vir verbosus justificabitur?* id est, non decet loquacem reputari justum; imo nec justus, C nec sapiens est, quum scriptum sit : Vi- *Prov. xxix, 20.* disti aliquem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correctio. *Ibid. x, 19.* Et iterum Salomon ait : In multiloquio non deerit peccatum. Itemque : To- *Ibid. xxix, 11.* tum spiritum suum profert stultus; sapiens differt et reservat in posterum. Denique his verbis quasi in communi prolatis, Sophar notat et pungit beatum Job, innuens quod in disputatione hac multiloquus fuerit et verbosus.

Tibi soli tacebunt homines? quasi dicat : D Non es tantæ auctoritatis, ut tibi nullus B contradicat, aut erroribus tuis resistat. *Et quum ceteros irriseris,* id est, cum derisu seu aspernatione redargueris, quasi virtuosior ac sapientior eis (disputationes autem rhetoricæ, cujusmodi istæ sunt, cum irrisione adversarii fiunt, secundum Albertum), *a nullo confutaberis?* tanquam dicat : Nequaquam hoc decet, quum non sis tantæ sapientiæ et virtutis, quin possis confundi, reprobari et vinci : et ego te confutabo. Sophar autem duos amicos et socios suos reputavit derisos a Job, quoniam dixit ante : Considerate semitas The- *Job vi, 19, 20, 25, 26.* man, itinera Saba, et exspectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. Quare detraxistis sermonibus veritatis, quum e vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. Sed talia atque similia dixit non ex elatione aut cum culpabili derisione, sed ex caritate, zeloque veritatis, vel cum justa etiam ironia. Subinde equidem licet errantem ac pertinacem deridere, ut corrigatur, ne ceteri decipiantur, quum rationabiliter informari ac corrigi dedignatur.

Digitized by Google

Consequenter proponit, cur debeat confutari. *Dixisti enim : Purus est sermo meus,* id est a falsitate et iniquitate alienus et mundus. Quamvis Job formaliter hoc non dixit, æquivalenter tamen aliquid Job vi, 30. tale asseruit supra : Non invenietis, inquiens, in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. *Et mundus sum in conspectu tuo,* id est immaculatus coram te, Deus. Hoc (secundum Gregorium) Sophar false imponit beato Job : imo Job dixit oppositum. Nam ait in superio- Ibid. vii, 20. ribus : Peccavi, quid faciam tibi, o custos B Ibid. ix, 20. hominum ? Et : Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Verumtamen, aliqua protulit Job, ex quibus Sophar interpretabatur eum dixisse verbum textus inductum æquivalenter. Superius namque Ibid. vi, 25. (sicut jam dictum est) dixit : Quare detraxistis sermonibus veritatis, quum e vobis nullus sit qui possit arguere me ? Et Ibid. ix, 28. alibi : Verebar, ait, omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Sed videtur Job ita sensisse ut Sophar sibi imponit. Ibid. xxxi, 7. Nam infra affirmat : Si in manibus C meis adhæsit macula : et capitur ibi *si* Ibid. xxvii, 6. pro *non*. Et denuo : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Et respondendum, quod Job non se dixit venialibus culpis prorsus immunem, imo in illis se fassus est esse culpabilem ; sed a talibus se excusat peccatis, qualia sibi amici sui imposuerunt, putantes eum tam graviter excessisse, quod tantam meruerit adversitatem et plagam.

Deinceps Sophar ostendit se ista loqui non ex rancore, sed amore cum desiderio D correctionis ipsius Job, ex zelo quoque divini honoris. *Atque utinam Deus loqueretur tecum,* id est, te intus instrueret : juxta Ps. lxxxiv, 9. illud, Audiam quid loquatur in me Domi- Ps. xciii, 12. nus Deus. Et rursus : Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. *Et aperiret labia sua tibi,* id est, per se ipsum tibi aperte et clare panderet veritatem : sicut in prima sua epi- I Joann. ii, 27. stola scribit Joannes, Unctio ejus docet vos de omnibus. Apostolus quoque ad Timo- A theum, Dabit tibi Dominus de omnibus II Tim. ii, 7. intellectum. Labia autem Deo metaphorice adscribuntur, sicut lingua et os : quæ in Deo spiritualiter sunt sumenda, et indivise sive identice, suntque intellectus divinus, seu sapientia ejus. Vel, labia Dei sunt opera ejus, in quibus divina relucet perfectio, sicque per ea revelantur divina hominibus.

Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ suæ, id est veritates seu notitias sapientiales, quæ naturali ratione investigari et sciri non queunt ab homine. Invisibilia etenim Dei Rom. i, 20. naturaliter cognoscere non valemus nisi per creaturas : quæ quum in infinitum deficiant ab excellentia Creatoris, certum quod plurima nobis incognita manent, quæ in Dei sapientia continentur, et circa Deum consideranda occurrunt : et ita dicuntur secreta sapientiæ Dei, quæ quibusdam ad hoc desuper electis supernaturaliter revelantur. Unde et David Deo humiliter, gratoque animo confitetur : Incerta et occul- Ps. l, 8. ta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Amos quoque ait : Non faciet Dominus verbum, Amos iii, 7. nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.

Et quod multiplex sit * *lex ejus.* * esset Lex Dei dupliciter consideratur. Primo exemplariter, prout in Deo accipitur ratio sapientialis, qua disponit, regit et regulat cuncta creata : et hæc lex quamvis sit prima, universalis et simplicissima, scilicet omnium comprehensiva et ordinativa, nihilo minus multiplex, distincta et propria appellatur, quoniam usque ad omnia etiam infima ac minima se extendit, universa ordinans et complectens. Unde quidquid inordinate fit et cum culpa quantumlibet parva, a divina lege sic sumpta recedit, dissentit, seu aliquo modo contrariatur, quamvis homo sæpius non attendat. Secundo accipitur lex Dei pro lege divinitus impressa et data, videlicet pro lege naturali et scripta seu evangelica : quæ et ipsa multiplex dicitur, quantum ad particularia præcepta sub ea contenta, et quoniam virtualiter continet multa. Omne quoque

peccatum, quantumcumque parvum, prohibet vel dissuadet et punit. Hæc enim lex primo et maxime est de caritate Dei et proximi, in qua utique caritate omnes virtutes virtualiter ac radicaliter continentur. Quum itaque peccatum sit transgressio legis divinæ, non potest plene cognosci, nisi agnoscatur lex Dei : quam qui cognoscit, scit quam difficile et quam impossibile sit purum esse a culpa, quum omne peccatum quantumlibet modicum, sit recessus a lege Dei, quæ omnem inutilem cogitationem, inordinatam affectionem, otiosam locutionem, illicitam operationem, omnemque omissionem culpabilem reprehendit, [et] quum difficillimum sit in nullo horum deficere seu peccare. Quoniam ergo Job dixit sermonem suum purum et vitam innocentem, conclusit Sophar, quod proprietates legis divinæ non nosceret. Ideo optando disseruit : Utinam Deus loqueretur tecum, ut ostenderet tibi quod multiplex sit lex ejus. Tanquam dicat : Tunc, o Job, cautius loquereris, et non ita te coram Deo justificare præsumeres. Sicque verba Sophar sunt valde subtilia, profunda et vera, quoad hoc quod legem Dei dicit multiplicem ; sed male hoc applicat ad
Osee VIII, 12. Job. Hinc et per Osee Dominus ait : Scribam eis multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.

Et intelligeres, id est, ex allocutione instructioneque Dei, et ex intelligentia multiplicis legis ejus cognosceres, *quod multo*
* ab eo *minora* supplicia pati *exigaris a Deo*, quam meretur iniquitas tua,* id est, citra condignum a Deo plagatus es, et minora tibi induxit adversa quam meruisti. Et in hoc Sophar apertissime contradicit verbis
Job VI, 2, 3. Job, quibus ante jam dixit : Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera ; quasi arena maris hæc gravior appareret. Frequenter quoque se dixit sine suis percussum demeritis.

Insuper, quod Job secreta sapientiæ Dei perscrutari nequiverit, Sophar deducit. *Forsitan vestigia Dei comprehendes ?* Deridendo atque negando hoc dicit. Quemadmodum autem vestigia appellamus signa euntis per viam, ex quibus transitus transeuntis et species ejus noscuntur ; sic vestigia Dei sunt quædam proprietates vel signa, seu naturæ in creaturis inventæ, ad Creatoris notitiam deducentes, juxta illud Sapientis : Vani sunt omnes homines, qui- Sap. XIII, 1, 5.
bus non subest scientia Dei, et de eis quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est. A magnitudine enim speciei et creaturæ poterit Creator cognoscibiliter videri. Propter quod ad Romanos ait Apostolus : Invisibilia Dei per ea quæ facta Rom. I, 20.
sunt, conspiciuntur, sempiternaque virtus ejus et divinitas. Nempe effectus suam causam ostendit, quum sit participata similitudo propriæ causæ, eo quod agens simile sibi producat. Prædicta autem Dei vestigia homo in vita hac comprehendere omnia plene non valet : imo nec de vilissimis rebus potest perfectam habere notitiam, ut cur arboris folium sit taliter figuratum, tantæ quantitatis, talis distinctionis, formationis, virtutis. Ideo scriptum est in Ecclesiaste : Cunctæ res dif- Eccle. I, 8.
ficiles ; non potest eas homo explicare sermone. Et in Sapientiæ libro : Difficile Sap. IX, 16.
invenimus quæ in terra sunt ; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlo sunt, quis investigabit ? Sed et in Ecclesiastico habetur : Quis Eccli. XVIII, 2, 5.
sufficiet enarrare opera Dei ? Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.

Et usque ad perfectum Omnipotentem reperies, id est, ad plenam et comprehensivam Dei cognitionem perscrutando devenies. Quasi dicat : Impossibile hoc est, quia si etiam cuncta creata perfecte cognosceres, adhuc a plena Creatoris notitia infinite distares. Creaturæ enim in tantum ad Dei perducunt notitiam, quantum de divina perfectione in eis resplendet. Quum ergo a perfecta perfectionis divinæ immensæ repræsentatione deficiant infinite, certum quod ad plenam Dei contemplationem non ducant. Nec Deus in vita hac

Digitized by Google

reperibilis aut cognoscibilis est, quoad A
quid est, seu comprehensive et per essentiam. Propter quod ait ad Moysen : Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, et vivet. (Exod. xxxiii, 20.) Denique, illud perfecte cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Quum ergo Deus incomparabilis, superessentialis, immensus, sit purus et incircumscriptibilis actus, ipsaque veritas illimitata, et ipsum esse plenum, perfectum, interminatum, constat quod sit infinitæ cognoscibilitatis : ideo non nisi ab intellectu infinitæ B
capacitatis, perspicacitatis seu intellectivitatis, potest perfecte ac comprehensive cognosci secundum hunc modum.

Excelsior cœlo est, et quid facies contra eum, quum cœperit te (nisi pœnitueris) condemnare? *Profundior inferno, et unde cognosces?* id est, ex qua creatura eum perfecte reperies? *Longior terra mensura ejus, et latior mari.* His verbis immensitatem majestatis divinæ et incomprehensibilitatem Dei metaphorice sub corporalium rerum nominibus innuit et fatetur. C
Idcirco ista intelligenda non sunt, quasi in Deo sit aliqua corporalis dimensio aut quantitativa extensio, vel materialis mensura, quum Deus supergloriosus et sanctus sit supersimplicissimus spiritus, mundissima mens, primum et simplicissimum esse. Sed per prædicta insinuatur, quod Deo conveniat incomparabilis celsitudo, omnipotens virtus, spiritualisque magnitudo sine limitante mensura. Propter quod ab homine perfecte cognosci non potest, sed cunctis infinite præeminet, nec mundi D
hujus circumscribitur aut finitur limitibus. Possent autem per cœlum, infernum, terram et mare, contenta in eis intelligi. De infinitate vero Dei et intelligentia verborum istorum, multa superius dicta sunt. (Job v, 9; ix, 4 et passim.)

Si subverterit omnia, id est, ad nihilum redegerit, sicut ex nihilo ea fecit : quod utique posset secundum absolutam suam potentiam, per solam suæ conservationis subtractionem. Omnia enim incessanter et maxime ab ipso dependent. Propter quod a Sapiente dicitur ei : Quomodo autem (Sap. xi, 26.) posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Unde primo Timæi Plato inducit summum Deum, quem patrem opificemque appellat, loquentem : O dii deorum, natura quidem corruptibiles, mea autem voluntate incorruptibiles! Aristoteles quoque : Ab hoc, inquit, ente dependent cœlum et terra, et tota natura universi. *Vel in unum coarctaverit,* id est, ad confusum seu inordinatum chaos ea reduxerit : prout aliqui exponunt principium Genesis de mundi creatione, quod primo omnia corporalia fuerunt indeterminata, postea per intervalla dierum distincta; *quis contradicet ei?* id est, nullus efficaciter contradicere poterit, quia et contradictorem Deus in instanti annihilare posset. Hinc Sapiens dicit Deo : Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti? (Ibid. xii, 12.) *Vel quis dicere ei potest : Cur ita facis?* id est, nullus reprehendere potest opus ipsius. Quum enim Deus sit omnipotens, nullus ei valet resistere ; quum sit essentialiter ipsa sapientia, errare non potest, nec emendari, increpari seu corrigi ; quum sit substantialiter virtus et sanctitas, ipse est principium et mensura omnis virtutis et sanctitatis. Ideo eo ipso quo ipse quid facit, sequitur quod illud sit bene et irreprehensibiliter factum. Unde Isaias asserit : Væ qui contradicit factori suo. (Is. xlv, 9.)

Ipse enim novit hominum vanitatem, id est facta inania, per quæ a vero ac ultimo beatifico fine impediuntur. Vanitas quoque interdum accipitur, non pro culpa, sed pro quadam generali conditione, concomitante creaturam seu esse creatum, in quantum ex nihilo est. Sic enim ex se competit ei quidam defectus a vero, stabili et incommutabili esse, qui vanitas dicitur. Unde in Ecclesiaste habetur : Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. (Eccle. i, 2.) Et Psalmista : Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. (Ps. xxxviii, 6.) Porro, de vanitate culpabili, quæ est inordinatus recessus ab æquitate

et veritate, Dominus ait per Jeremiam :
Jer. II, 5. Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Et videns iniquitatem, nonne considerat* eam ad judicandum et ulciscendum? quasi dicat : Utique, quia sapientia et justitia Dei id exigunt. Ideo
Soph. I, 4, 6. per Sophoniam testatur : Disperdam eos qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non exquisierunt Dominum.

Vir vanus, id est mente aversus a summo, vero et invariabili bono, caducis inhærens, virtutibus carens, vitiis deditus, qui omni luto et stercore vilior est, *in superbiam erigitur,* id est, mente extollit se ipsum ultra proprium gradum atque mensuram, quasi Creatori suo subdi obligatus non esset, oblitus propriæ infirmitatis, et pericula quibus expositus est, non perpendens. Quum enim a Deo aversus est, vitiorum caligine obtenebratur; et ea quæ habet et quod est, sic adspicit quasi ea a Deo non essent, menteque cæcus, sua et se plus reputat quam sit verum : qui si adverteret quantum per solam suam superbiam vilificetur, sciret et fateretur se indignum a terra portari aut inter homines conversari. *Et quasi pullum onagri,* id est fetum silvestris asini, qui in deserto, silva seu campo genitus, libere discurrit, nec servire compellitur, nec loro compescitur; *se liberum natum putat,* id est non obligatum subjici Deo, loro disciplinæ frenari, jugo legis divinæ constringi, sed in propria voluntate libere vult vagari, vivere et peccare : qui etsi verbis dicat se Deo subdi debere, aut per scientiam id agnoscat, operibus tamen negat, quia sic conversatur, ac si se instar pulli onagri liberum arbitretur. De talibus Dominus loquitur in
Jer. II, 20. Jeremia : A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti, Non serviam.

His verbis notat, pungit et reprobat sanctum
Job IX, 34, 35. Job, quia supra jam dixit : Auferat a me Deus virgam suam. Loquar, et non timebo eum. Quod Sophar sic sumpsit, quasi Job de pari vellet cum Deo contendere. Ideo subdit : *Tu autem firmasti,* id

A est indurasti, *cor tuum* in malitia, quoniam pertinaciter manes in tua præsumptione, propriique erroris defensione; *et expandisti ad eum manus tuas* in oratione, quasi innocens esses. Quasi dicat, Talis expansio sive oratio exstat inutilis : prout per Isaiam Dominus ait : Quum extende- Is. I, 15.
ritis manus vestras, avertam oculos meos; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Qui ergo vult exaudiri a Deo, studeat opera verbis conformare, docilis esse, divinæ voluntati se subdere.

B Hinc Sophar subjungit congruum modum orandi, pœnitendi et redeundi ad Deum. *Si iniquitatem, quæ est in manu,* id est operatione *tua,* vel in potestate tua, quantum ad hoc quod libere potes eam dimittere, *abstuleris a te,* pœnitendo atque cessando a malo præterito seu præsenti, et bonum habendo propositum emendandi in posterum; *et non manserit in tabernaculo tuo injustitia,* id est, bona injuste acquisita restitueris. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Vel per
C tabernaculum, designatur familia, quam paterfamilias debet in æquitate servare : nam et pro domesticorum delictis dominus domus quandoque divinitus flagellatur, quoniam negligens est in correctione suorum. *Tunc levare poteris faciem tuam* corporalem ad cœlum in prece, faciem quoque spiritualem, videlicet intellectum, ad Deum, *absque macula* culpæ : quæ dividit inter Deum et hominem, et precem facit inexaudibilem, juxta illud Threnorum :
Nos inique egimus, et te ad iracundiam Thren. III, 42.
D provocavimus, idcirco tu inexorabilis es; *et eris stabilis,* mente Deo fortiter adhærendo; nec a medio virtutis tam cito recedes, sed in oratione gratiam te intus corroborantem suscipies : sicut ait Apostolus
ad Hebræos, Optimum est gratia stabiliri Hebr. XIII, 9.
cor. Peccatum autem menti instabilitatem inducit, et ad illicita pronam facit. Ideo
scriptum est : Peccatum peccavit Jerusa- Thren. I, 8.
lem, propterea instabilis facta est. Sophar tamen (ut æstimatur) intellexit istud etiam de stabilitate in bonis terrenis, quæ non

Digitized by Google

putavit cuiquam auferri nisi pro culpa. *Et non timebis* adversariorum incursus. Vel, Non timebis Deum timore servili. In die quoque judicii eris securus : secundum Soph. iii, 15. illud Sophoniæ, Dominus in medio tui est, non timebis malum ultra.

Miseriæ quoque, id est prioris calamitatis et plagæ, quam usque nunc sustines, *oblivisceris* præ abundantia prosperitatis : Gen. xli, 51. quemadmodum Joseph testatur, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei. Et hæc oblivio dupliciter intelligi potest. Primo, quod prioris adversitatis non erit memoria in gravamen, sed magis in gaudium : quia jucundum est patientibus sustinuisse adversa, Ps. lxxxix, 15. dicente Psalmista : Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Secundo, quod memoria talis absorbebitur, ac cessabit per occupationem in abundantia prosperitatis : sicque videtur Sophar jam loqui. Nam subditur : *et quasi aquarum quæ præterierunt, non recordaberis,* id est, memor non eris prioris adversitatis : sicut homo faciliter obliviscitur pluviæ quæ cecidit, vel fluvii qui cursim transfluxit. Juxta hunc modum Joann. xvi, 21. loquendi ait Christus : Mulier quum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus ; quum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium.

Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Claritas solis in meridie fortissima est, totumque implet hemisphærium. Per hunc ergo fulgorem notatur status floridus, præcipue prosperitatis in bonis animæ et corporis, quem Sophar disseruit Job præfata agenti, in vespera, id est in senectute sua, donandum. Quod consequenter quasi exponit. *Et quum te consumptum putaveris,* id est per infirmitatem et adversitatem jam defecisse, et protinus moriturum, *orieris ut lucifer,* id est, grandi decore temporalium fulcieris, et spiritualiter renovaberis, et quasi de novo splendiflue surges ac reflorebis : Prov. iv, 18. juxta illud Proverbiorum, Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit

A usque ad perfectam diem. *Et habebis fiduciam,* id est cordis certitudinem, certamque confidentiam de futuro bono seu præmio post mortem, *proposita tibi spe* hujusmodi boni, seu spe pietatis ac liberalitatis divinæ : prout ad Hebræos dicit Apostolus, Firmissimum habemus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem. Hebr. vi, 18.

Deinceps subjungit de mercede æquitatis post mortem. *Et defossus,* id est sepultus, *securus* ab hostium afflictione *dormies* re-
B quie Sanctorum in limbo patrum, donec per Christum ad patriam Beatorum devenias. *Requiesces* in spe, donec fruaris et re, et in bonis Dei tandem æternaliter requiesces; *et non erit qui te exterreat,* quia Beatis et glorificatis nulla potest pœna accidere, suntque perpetuo assecurati de sua felicitate. *Et deprecabuntur faciem tuam plurimi,* id est, multi tuum patrocinium invocabunt, et te ut intercessorem rogabunt : secundum quod viatores soliti sunt Sanctorum implorare auxilium. Unde
C et supra Eliphaz dixit ad Job : Ad aliquem Job v, 1. Sanctorum convertere.

Oculi autem impiorum deficient, id est, oculi eorum interiores, bonum optatum post mortem non obtinebunt, quia non pure et vere illud intendebant, sed præsentia præposuerunt futuris ; *et effugium peribit ab eis,* id est, damnationem non valebunt evadere, quemadmodum loquitur Isaias : Quid facietis in die calamitatis Is. x, 3. de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium? Et secundo Machabæorum libro ait
D vir timoratus : Manum Omnipotentis neque vivus, neque defunctus effugiam. II Mach. vi, 26. *Et spes illorum* vana et falsa, qua speraverunt non in Deo, sed in re creata, et bonum caducum finaliter quæsierunt. Hæc spes non est theorica virtus, imo nec virtus, sed fallax fiducia : de qua dicitur in Sapientiæ libro, Spes impii tanquam lanugo est, quæ Sap. v, 15. a vento tollitur, et tanquam spuma. Hæc itaque spes illorum, est *abominatio animæ,* id est, abominabilem Deo atque damnabilem efficit animam, estque omni animæ

Digitized by Google

bonæ abominanda. Potest quoque exponi de spe quæ est virtus theologica, loquendo de spe informi, secundum quod impii sperant salvari, quum tamen vivant injuste. Definitio autem spei, qua dicitur, Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et bonis operibus seu meritis proveniens, datur de spe formata.

Postremo, ex præinductis eloquiis Sophar clarissime patet, quod posuit vitam post hanc vitam. Ei enim qui nec corpore nec anima vivit, non competit secure dor- A mire, nec ei promittitur non terreri, nec competit ei ut alii eum exorent; nec Sophar dixisset ad Job, quod post mortem suam plurimi faciem ejus essent deprecaturi, nisi sensisset animam post corpus subsistere, vivere, coronari. Illi quoque qui asserunt, amicos Job non posuisse vitam futuram, exponunt hanc litteram non parum (ut reor) extorte, quemadmodum provide intuenti scripta eorum constabit. Porro S. Gregorius et Albertus Magnus vir ingeniosus, exponunt ista, ita quod Sophar posuit animam immortalem.

ARTICULUS XXVIII

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI UNDECIMI INTELLIGENTIA.

R*ESPONDENS Sophar Naamathites, dixit : Numquid qui multa loquitur, non audiet? aut vir verbosus justificabi-*
Is. v, 21. *tur?* Per Sophar signantur sapientes in
Rom. x, 2. oculis suis, zelumque Dei habentes, sed
non secundum scientiam : qui verba increpatoria, instructoria, et dictis suis obviantia æquanimiter audire non valent; sed pauca verba justorum, quibus ipsi redarguuntur, quasi multa atque superflua criminantur; et prolatores verborum talium reputant vitiosos, atque ut eos juste reprehendere videantur, verba authentica contra eos proponunt. Unde et verba hæc Sophar, in se ipsis vera, notabilia atque moralia sunt, sed indebite applicantur adversus moralem ac sapientem. Itaque, vir verbosus non justificatur, Psalmista
Ps. cxxxix, 12. dicente, Vir linguosus non dirigetur in
terra : quia dum quisque per verba defluit, perdita gravitate silentii, custodiam mentis amittit, secundum Gregorium. Hinc
Prov. xxi, 23. scriptum est in Proverbiis : Qui custodit
os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Et alibi Salomon
Ibid. xiii, 3. ait : Qui inconsideratus est ad loquendum, B sentiet mala. Et denuo : Qui moderatur *Prov.* xvii, 27.
sermones suos, doctus et prudens est. In
Ecclesiastico quoque scriptum est : Odibi- *Eccli.* xx, 5
lis est, qui procax est ad loquendum; et :
Qui multis utitur verbis, lædit animam *Ibid.* 8.
suam. Denique, sicut vas carens operculo, *Num.* xix, 15.
immunditiis deturpatur; sic anima quæ ori suo virtutem silentii non superponit, nec illud tempore congruo clausum tenet, vitiis inquinatur. Porro religiosis et maxime solitariis attendenda sunt ista, quum
Jacobus dicat : Si quis putat se religiosum *Jacob.* i, 26.
C esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est reli-
gio. Et Isaias ait : Erit cultus justitiæ, si- *Is.* xxxii, 17.
lentium. Præterea, verbo Sophar quo ait, Numquid qui multa loquitur, non audiet?
consonat illud Jacobi : Sit omnis homo *Jacob.* i, 19.
velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.

Denique, impatientes, vitiosi et scioli, eos a quibus reprehenduntur, superbos et sui irrisores frequenter existimant. Idcirco in persona cujuslibet talis, reprehensorem D suum impie redarguentis, subjungitur : *Tibi soli tacebunt homines? et quum ce-*

Digitized by Google

teros irriseris, a nullo confutaberis? quasi dicat : Non es talis aut tantus, ut deceat me tacere. Ubi Gregorius ait : Quum vera vox justorum pravorum se auribus admovet, memoriam culpa mordet, et in redargutione vitiorum, quo intus cognitione mens tangitur, foris ad contradictionis studium provocatur. Ferre vocem non valet, quia tacta in vulnere sui reatus dolet; et per hoc quod generaliter contra perversos dicitur, se impeti specialiter suspicatur. Hinc quoque sæpe correptori falsa imponit, sicut et Sophar ait ad Job : *Dixisti : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.* Quod Job non dixit eo modo quo sibi objicitur.

Insuper, vitiosi ficteque boni, ne ex passione loqui putentur, bona verbo tenus suo correptori aliquando imprecantur, sicut et Sophar ait ad Job : *Utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi.* Hoc utique nos ex vera caritate optare, orare et dicere his debemus, quos a veritate et æquitate deviare, nobisque improperare videmus. Optare namque debemus, ut eorum corda Deus gratiose illuminet, sanet et salvet. Denique, Deus supersapiens et excelsus, frequenter secretissime et interne loquitur his, qui sinceriter et ardenter diligunt eum ; qui toto affectu ei intenti sunt, et ejus amore penitus aspernantur quidquid a Deo impedit mentem ; quorum purificata ac stabilita est mens ; quorum voluntas in serenum bonitatis affectum conversa est tota ; quibus viluit mundus, et quidquid mundanum est ; qui in dono sapientiæ fulgent, divinæque lucis radiis perfunduntur, atque ad mysticam theologiam deveniunt, in qua Deus ostendit se menti simplificatæ in ipso, secundum capacitatem illius ad supernaturalem divinitatis contemplationem erigens eam : in qua indicibiliter
I Petr. II, 3. Deo unitur et fruitur, gustans veraciter quam dulcis sit Deus.

Hinc subditur, *Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ.* Secreta sapientiæ, intelligi possunt, vel occulti et imperscrutabiles effectus sapientiæ Dei, vel ipsa Dei sapientia infinita, incomprehensibilis, supersecretissima, quoad quid est nobis ignota. Quæ licet sit simplex et una, tamen pluraliter designatur, quum dicitur, Secreta sapientiæ, id est sapientiam in qua omnium secretorum secretissimæ ac sapientissimæ rationes idealiter atque fontaliter continentur : sicque ob diversitatem scitorum seu objectorum creatorum, pluraliter nominatur, sicut in Deo dicuntur plures ideæ.

Itaque secreta sapientiæ suæ Deus nobis revelat dupliciter. Primo, ad suæ sapientiæ contemplationem nos elevando. Secundo, occultorum suorum effectuum secretas rationes in ipso originaliter consistentes, nostræ menti aperiendo, quemadmodum varias rationes incarnationis Christi et ceterorum mysteriorum ejus, sanctis patribus revelavit. Hinc ait Gregorius : Secreta sapientiæ supernæ sunt opera : quum Deus quos creavit, deserit ; quum bona quæ præveniendo cœperat, nequaquam prosequendo consummat; quum claritate nos suæ illustrationis illustrat, et tamen permissis carnis tentationibus, cæcitatis tenebris pulsat ; quum dona quæ contulit, non custodit ; quum et mentis nostræ ad se desideria excitat, et tamen occulto judicio difficultate nos nostræ imbecillitatis angustat. Quæ secreta sapientiæ ejus pauci valent inquirere, sed nullus invenire : quia quod super nos de nobis ab immortali Sapientia non injuste disponitur, justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur. Hinc Paulus exclamat :
O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Rom. XI, 33.
Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Et in
Sapientia habetur : Sensum tuum, Domine, Sap. IX, 17.
ne, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis? Jere-
mias quoque ait : Quis adfuit in consi- Jer. XXIII, 18.
lio Domini, et vidit et audivit sermonem ejus?

Et quod multiplex sit lex ejus. Præter expositionem verbi hujus præcedenti articulo positam, potest hoc ipsum exponi

Digitized by Google

de legis divisione in varias leges. Est enim lex æterna, lex naturalis, lex humana, lex divina seu supernaturalis, quæ dividitur in legem evangelicam atque Mosaicam. Lex quippe æterna, est ratio gubernationis rerum in divina mente consistens. Hæc etenim lex est ratio divinæ sapientiæ, in quantum est directiva actuum ac motuum omnium creaturarum. Unde in libro Sapientiæ scriptum est : Quum sis justus, o Domine, omnia juste disponis. Porro lex naturalis, est quædam participatio legis æternæ, naturis rerum creatarum naturaliter indita, per quam unaquæque tendit in proprium finem naturalem, sibi a divina sapientia præstitutum. Sed quoniam rationalis creatura ad supernaturalem felicitatem creata est, indigemus lege supernaturali, per quam de vera et supernaturali beatitudine instruamur, atque de præceptis et actibus perveniendi ad eam, illuminemur. Hæc ergo lex supernaturalis, dicitur lex divina, quæ est mensura et regula actuum humanorum in ordine ad beatitudinem supernaturalem æternam. De qua lege divina ait Psalmista : Lex Domini immaculata, convertens animas. Lex autem humana, est quoddam rationis dictamen, quo diriguntur actus humani in ordine ad finem boni communis. Et hæc lex ex naturali lege progreditur, estque quasi determinatio et explicatio legis naturalis, circa particulares hominum status atque negotia, casus et opera. Quemadmodum enim ratio speculativa ex primis et indemonstrabilibus principiis per se notis elicit varias diversarum scientiarum conclusiones, sic ratio practica ex primis principiis operativis, quæ ad jus seu legem naturalem respiciunt, tendit ad particulariora, inquirendo ac discutiendo quid in certis negotiis sit agendum. Hæ vero particulares dispositiones per rationem inventæ, vocantur leges humanæ. Denique, contingit hominem contra quamlibet harum legum peccare, propter quod fragilitati humanæ difficile est omnem culpam vitare. De hac materia loquitur Thomas pulcherrime in prima secundæ : secundum quem præfata distinctio est inducta.

Sap. XII, 15. — Ps. XVIII, 8.

Et intelligeres, ex consideratione multiplicis legis Dei, *quod multo minora exigaris a Deo, quam meretur iniquitas tua.* Hoc utique verificatur in nobis. Quo enim legem naturalem, humanam ac evangelicam clarius consideramus atque cognoscimus, eo nos culpabiliores damnabilioresque invenimus. Unde agnoscimus et fatemur, quod minus flagellamur seu quibuslibet adversitatibus exercemur, quam peccando meruimus. Hoc ergo semper pensemus, et in omni tribulatione quantumlibet gravi, constanter et humiliter fateamur, præsertim quum uno peccato mortali æternam meruerimus pœnam inferni. Sicque non murmurabimus in adversis, pensantes illud Judith : Non ulciscamur nos pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini (quasi servi qui corripimur) ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. Hinc infra dicitur, quod quilibet nostrum ex corde jugiter dicere habet, præsertim dum corripitur aut plagatur : Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi.

Judith VIII, 26, 27. — Job XXXIII, 27.

Forsitan vestigia Dei comprehendes? Per vestigia Dei, Gregorius intelligit visitationes Dei benignas, quibus ad supernorum contemplationem atque amorem erigimur : quas comprehendere non valemus, quia ubi et quomodo veniant, ignoramus. De hoc dicta sunt plurima super illud, Si venerit ad me, non videbo eum, etc. Unde et Salomon ait : Quis hominum potest intelligere viam suam ?

Ibid. IX, 11. — Prov. XX, 24.

Et usque ad perfectum Omnipotentem reperies. Secundum beatissimum Dionysium (quibusdam mysticæ theologiæ capitulis et in aliis pluribus locis), dupliciter Deum in hac vita cognoscimus, videlicet per positionem, et per ablationem. Modus autem cognoscendi Deum per positionem, est quidquid perfectionis in creaturis consistit, Deo adscribere tanquam totius perfectionis primo principio. Modus vero co-

Digitized by Google

gnoscendi per ablationem, est quidquid in A creaturis invenitur, negare de Deo, tanquam ab ente omnia in infinitum excedente, et superposito universis per eminentiam infinitam, cui cum creaturis nihil univoce competit. Idcirco, secundum Dionysium, iste cognoscendi modus in divinis est potior primo, ita quod melius veriusque cognoscimus quid Deus non est, quam quid est : imo, quid est, penitus ignoramus. Unde in mysticæ theologiæ theorica visione, quæ est altissima Dei cognitio in hac vita possibilis, mens conjungitur B Deo tanquam omnino incomprehensibili et ignoto, ita quod Deum tanto perfectius cognoscimus, quanto clarius cernimus quod ipse sit penitus invisibilis, incomprehensibilis et ignotus.

Hoc quoque elegantiores noverunt philosophi : scilicet, Plato, prout in libris de Civitate Dei recitat Augustinus. Proclus etiam Platonicus in Elementatione sua theologica subtiliter probat hoc. Sed et auctor libri de Causis, affirmat hoc ipsum. Ideo Omnipotentem perfecte invenire non C possumus, sed aliqualiter tantum. Unde in primo Timæi : Genitorem opificemque universi tam difficile invenire, inventum autem impossibile digne profari. Et auctor libri de Causis : Causa prima est super omne nomen quo nominatur, et non pertinet ei diminutio neque complementum. Ea quippe quæ Deo adscribimus, conveniunt ei per modum infinite excellentiorem, quam capere seu comprehendere in vita hac possumus.

Excelsior cœlo est : quia incircumscri- D ptus, et angelicis spiritibus incomprehensibilis comprehensione perfecta; *profundior inferno :* quia hunc subvehit, et malignorum spirituum versutias longe subtilius, quam ipsi putaverant, judicans, damnat. *Longior terra mensura ejus :* quæ est ipsa æternitas, quæ longior est spiritualiter, quam terra materialiter; et longanimitatem habitantium in terra, patientia suæ longanimitatis exsuperat; *et latior mari :* quoniam temporalium rerum fluctus sua potestate coercet, circumdat, et cunctis limitibus claudit.

Si subverterit omnia. Interdum, per omnem creaturam, seu per omnia, solus homo seu genus humanum exprimitur, quemadmodum Christus ait : Prædicate *Marc.* XVI, 15. Evangelium omni creaturæ; et : Si exaltatus *Joann.* XII, 32. fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Itaque sensus est : Si subverterit omnia, id est, homines universos in terra gratia privaverit, ita quod spiritualiter moriantur, et nihil sint quantum ad esse meritorium, eosque perire seu damnari permiserit. *Vel in unum coarctaverit,* id est, simul collectos, et in unam congeriem adunatos, simul in infernum projecerit, sicut in die judicii projiciendi sunt reprobi; *quis contradicet ei ?* id est, nullus reprehendere posset, quia Deus per suam justitiam nos omnes posset relinquere. *Ipse enim novit hominum vanitatem,* id est proclivitatem ad malum, atque multiplicem defectuositatem et impietatem. Propter quod ait Psalmista : Filii *Ps.* IV, 3. hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Itemque : Verumtamen vani filii ho- *Ps.* LXI, 10. minum.

Tu autem firmasti cor tuum in malitia. Hæc est confirmatio prava et falsa, quia iniquitas non est firmitas, sed defectus atque debilitas. Virtus vero est animi fortitudo. Ideo vera cordis confirmatio, est virtutum possessio, constantiaque mentis in Deo, sicut ait Apostolus : Optimum est gratia *Hebr.* XIII, 9. stabiliri cor. Et ad Ephesios : Confortamini *Ephes.* VI, 10. (inquit) in Domino et in potentia virtutis ejus. Hinc ait Scriptura : Non roboratur *Prov.* XII, 3. homo ex iniquitate. Et Anselmus disseruit : Qui hoc potest quod sibi non expedit, quanto plus hoc potest, tanto infirmior est. Denique, quicumque peccat ex deliberatione, ex certa scientia, ex habitu vitioso, confirmat cor suum in malo, et preces ipsius Deo indignæ sunt, quemadmodum scriptum est in Proverbiis : Qui declinat *Ibid.* XXVIII, 9. aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.

Digitized by Google

Si iniquitatem abstuleris a te, vere A
Matth. III, 8. pœnitendo, dignosque pœnitentiæ fructus agendo, *et non manserit in tabernaculo tuo,* id est cordis cubiculo, conscientiæ domo, vel in corpore tuo, quod quasi tabernaculum animæ est, *injustitia,* id est, si ab omni inquinamento carnis et spiritus te purgaveris ; *tunc levare poteris faciem tuam absque macula,* id est, Deo mente pura, decora ac splendida te præsentabis, et eris acceptus. Deus namque requirit animam sine peccato, quod solum inimicitiam parit inter Creatorem et creaturam. B
Et eris stabilis, in judicio rationis : quæ vitiis excæcatur, nutat et ruit. Passiones namque et vitia mentem efficiunt vagam. Eris quoque stabilis in bonitatis affectu in oratione, meditatione, contemplatione : in quibus omnibus tanto stabiliores efficimur, quo amplius, vitiis eradicatis, in caritate et gratia crescimus. *Et non timebis* timore inordinato, carnali, sæculari,
Prov. XXVIII, 1. servili : secundum illud Proverbiorum, Justus quasi leo confidens, absque timore erit. Et tamen eodem capitulo scribitur : C
Ibid. 14. Beatus homo qui semper est pavidus. Sed hoc de timore ordinato, præsertim casto et filiali, asseritur. Qui enim Deum pure pleneque metuit, nil nisi ipsius offensam et separationem ab ipso veretur, quamvis naturali timore affici possit. Hinc scriptum
Eccli. XXXIV, 16. est : Qui timet Deum, nihil trepidabit.

Miseriæ quoque oblivisceris, id est priores animi tui inquietudines, perturbationes, vitiositates trades oblivioni, ita quod eas per complacentiam animo non revolves, nec talia sicut ante admittes. Deni- D
que, Sancti in patria dicuntur malorum vitæ præsentis oblivisci, non quod eorum prorsus immemores sint, sed quia non complacent neque molestant. Unde Isaias
Is. LXV, 16. loquitur : Oblivioni datæ sunt angustiæ priores. *Et quasi meridianus fulgor,* id est doni sapientiæ splendor ceteris donis candidior, sicut sol ceteris astris atque planetis præfulget, *consurget tibi ad vesperam,* id est hora adversitatis, tribulationis seu tentationis : quoniam his malis occurrentibus, per donum sapientiæ te contra ea armabis et prævalebis. Per sapientiam nempe, qua homo sapit quam dulcis est I Petr. II, 3
Deus, ac divina degustat, spiritualis vitæ suavitatem experiens, repellit peccata, parvipendit adversa, et constans manet in omnibus. Ideo in libro Sapientiæ inducitur : Per sapientiam sanati sunt quicumque Sap. IX, 19
placuerunt tibi, Domine, ab initio. Et Ecclesiasticus : Homo (inquit) sanctus in sa- Eccli.
pientia manet sicut sol ; nam stultus mu- XXVII, 12.
tatur ut luna. *Et quum te consumptum putaveris,* id est, præ multitudine tentationum et angustiarum animi tui, te quasi jam victum et gratia evacuatum censueris, utpote a pusillanimitate spiritus et tempe- Ps. LIV, 9
state jam pene dejectus ; *orieris ut lucifer,* id est, ingenti divinæ confortationis perfunderis fulgore, et tangente te intus Spiritu Sancto, virtutum indueris decore : ita quod major tibi erit mentis ornatus, morum venustas, ædificationis exemplaritas post tribulationem et tentationem, quam ante, faciente Deo cum tentatione proven- I Cor. X, 13
tum, et post tempestatem faciente tran- Tob. III, 22
quillum. Hinc in Isaia promittitur justo : Requiem dabit tibi Dominus, et implebit Is. LVIII, 11.
splendoribus animam tuam.

Et habebis fiduciam, non solum retributionis æternæ, beatitudinisque supernæ, sed et in omni eventu, in omni adversitate et prece cor tuum fiducialius ad Deum confugiet, constantius stabit, et tutius erit, innitendo pietati divinæ, et de providentia dispositionis ejus sperando. *Proposita tibi spe* hujusmodi boni a te ipso vel ab alio, ita quod non corrues a spe. Quo enim quis virtuosius vixerit, et pro justitia duriora pertulerit, tanto fit ei major fiducia ac solidior spes de Deo : quia et bona conscientia parit fiduciam, spemque robustam, sicut et mala conscientia est gravida. Propterea in Sapientiæ libro legitur : Ingrati spes Sap. XVI, 29.
tanquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua. Et sequenti ibi capitulo : Quum sit timida ne- Ibid. XVII, 10.
quitia, dat testimonium condemnata. In Prov.
Proverbiis quoque : Fugit impius nemine XXVIII, 1.

Digitized by Google

persequente; justus ut leo confidit. Hinc A Aristoteles ait, quod melioris sunt spei qui bene se habent in divinis. Et Jeremias fa- Jer. XVII, 7. tetur: Benedictus qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.

Et defossus securus dormies obdormitione mentis in Deo per fruitionem beatificam ejus. Hæc dormitio est perfecta et gloriosa mentis in Deo pausatio, contentatio, quietatio. *Requiesces* quiete beata in patria, quantum ad animam, corpus vero interim requiescet in monumento: quemadmodum breviter et dulciter tangit Psal- B Ps. IV, 9. mista, In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Hinc S. Cassianus a beatissimo Germano episcopo ad ipsius sepulcrum progresso interrogatus, Quid agis, o frater Cassiane, respondit: Dulci somno perfruor, et adventum Salvatoris securus exspecto. *Et deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Viatores enim communiter Beatorum subsidia flagitant saltem in generali, quia et una est generalis Sanctorum festivitas. Nominatim vero non invocamus defunctos, nisi quos canonizavit Ecclesia: nisi forte Deo revelante, aliunde constet esse beatos et in patria coronatos.

Oculi autem impiorum deficient ab intuitione gloriæ Dei, quemadmodum scriptum est: Tollatur impius ne videat gloriam Is. XXVI, 10. Dei. Deficient quoque oculi illorum interiores, quoniam tenebris erroris erunt repleti, ita ut Deum in æternum blasphement, injustumque reputent. Deficient etiam tristia jugiter intuendo, videlicet dæmones in inferno. Oculi autem eorum exteriores, mœstissima habebunt objecta ineffabiliter afflictiva: imo proprii corporis turpitudo erit eis horrenda. Hinc Isaias fatetur: Do- Ibid. 11. mine, exaltetur manus tua ut non videant. Ad quod Deus respondet sanctis, zelo justitiæ illud petentibus: Videant, et confun- Ibidem. dantur zelantes populi. Unde Daniel dicit de injustis: Evigilabunt in opprobrium, Dan. XII, 2. ut videant semper, haud dubium quin suas miserias.

ARTICULUS XXIX

DECLARATIO CAPITULI DUODECIMI: RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

RESPONDENS *autem Job, dixit: Er-* C *go vos soli estis homines?* Job sciens tres suos amicos contra se concordare, respondendo in hujus capituli principio ipsi Sophar, omnes tres pariter atque æqualiter reprobat, dicens: Ergo vos soli estis homines? id est, tam sapientes estis in oculis vestris, tamque jactanter loquimini, quasi ceteri homines comparatione vestri bruta consisterent, vobisque tantum veritas esset nota. *Et vobiscum morietur sapientia?* quia si vos soli estis homines, sequitur quod morientibus vobis, non per- D manebit sapientia in hoc mundo. Unde hoc verbo Job non intendit asserere, quod homine moriente, ejus sapientia moriatur, sed manet in anima immortali, quamvis forte in damnatis diu non maneat. Nec obstat illud Apostoli, Sive scientia I Cor. XIII, 8. destruetur. Non enim intelligitur hoc de destructione habitus scientialis, aut cujuslibet actus ejus, sed de modo sciendi. Aliqui textus habent, Moratur, vel, Moretur sapientia: et tunc interrogative exponitur, ut sit sensus: An vobiscum manet seu maneat sapientia, quæ est divinorum cognitio? Et intendit quod non. Unde infra testatur, Absit ut sapientes vos reputem: quod Job XXVII, 5. intelligendum videtur de sapientia erroribus non permixta. Quamvis enim amici Job fuerint viri plurimum eruditi, et in Dei notitia quadam instructi, nihilo minus

Digitized by Google

in aliquibus erraverunt circa divina, et circa providentiam atque justitiam Dei, videlicet quod Deus non puniret quempiam, nisi pro sua culpa, et quod justis in vita hac temporalis prosperitas semper divinitus donaretur. Ea quoque si in communi vere et sine errore cognoverant, ad sanctum Job erronee applicabant.

Porro, secundum Thomam, sicut ex verbis amicorum Job perpenditur, tota eorum intentio circa tria versatur. Primo enim studebant sublimia loqui de Deo, extollendo ejus sapientiam, potentiam, æquitatem, ut per hoc eorum causa rectior videretur. Secundo, talia dogmata ad quædam falsa applicabant, quod scilicet propter justitiam homines temporaliter prosperarentur, et propter peccata hic tribularentur. Tertio, ex his redarguebant Job quasi iniquum, eo quod fuit tam dire percussus.

Et mihi est cor, id est intellectus, *sicut vobis:* ideo vos soli non estis homines, sed etiam ego. *Nec inferior vestri sum* in divinorum notitia, in virtute et vita. Non præsumptuose hoc ait, sed zelo veritatis ex caritate, ut amicorum exstirpet errorem, reprimatque jactantiam. Virtuosi enim sua interdum bona commemorant ad gloriam Dei, utilitatemque proximi. Sic et Paulus ait: Non arbitror me aliquid minus fecisse a magnis Apostolis. Itemque: Plus omnibus laboravi. David quoque absque superbia dixit ad Dominum: Fecisti me spectabilem præ cunctis hominibus super terram. Imo Job verba hæc cum magna protulit discretione, dicente Gregorio: Quis nesciat quantum beati Job vita atque scientia, amicorum ejus vitam scientiamque excedat? Sed ut eorum superbiam corrigat, inferiorem esse se negat, et ne humilitatis suæ limitem transeat, superiorem esse se tacet. *Quis enim hæc quæ nostis, ignorat?* Nonne multa alta ac difficilia sciverunt et protulerunt amici Job, quæ communis homo ignorat? Et respondendum, quod Job non intendit asserere, quod omnia amicis suis cognita essent et aliis omnibus nota, sed principalia ista, quæ jam de excellentia Dei et aliis quibusdam similitudinibus et proprietatibus naturalium fuerunt locuti. Idcirco notanter ait, Quis hæc quæ nostis, etc. Omnibus enim faciliter constare potest, quod Deus sit in omni perfectione altissimus. Vel Job loquitur non de omnibus absolute, sed de omnibus disputationi huic præsentibus.

(II Cor. xi, 5. — I Cor. xv, 10. — I Par. xvii, 17.)

Qui deridetur ab amico suo, sicut ego a vobis tribus meis amicis derideor, quasi ista ignorem quæ omnibus patent, et quasi divinæ justitiæ derogem, *invocabit Deum,* ut sibi clementer adsistat, et ne per impatientiam cadat. Qui enim se conspicit despici, quasi impellitur ut ad Deum confugiat, qui mœstorum et afflictorum ac pauperum est misericordissimus patrocinator, quemadmodum scriptum est: Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. Et quod ait, Invocabit Deum, non loquitur asserendo, quasi omnes derisi sic faciant, quum multi tales per impatientiam indignentur et irascantur. Sed dicit hoc exhortando seu consulendo, ut sic faciant. Quo enim videmus nobis plura aut fortiora peccandi incitamenta occurrere, eo seriosius ad Deum debemus recurrere, ipsum deposcere, in ejus protectione quiescere.

(Ps. ix, 35.)

Et exaudiet eum: quia tanta est misericordia superbenignissimi Dei, ut quo orator fuerit despectior, infirmior, indigentior, eo plus inclinetur hunc exaudire. Propterea dicit: Invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. Rursus, quo Deus videt hominem plus contemni, irrideri, opprimi, injurias pati, eo pronior est ei succurrere, secundum quod ait: Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum. Ideo dicit Gregorius: Hos elegit Deus, quos despicit mundus. Imo ipse Apostolus fassus est: Quæ stulta sunt (inquit) mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi et contemptibilia elegit Deus. Denique, ubi deest auxilium hominum, potissime solet adesse divinum, præsertim si fideliter et constanter quæratur, dicente Psalmista: Quoniam

(Ps. xlix, 15. — Ps. xc, 15. — I Cor. i, 27, 28. — Ps. xxvi, 10.)

pater meus et mater mea dereliquerunt A me; Dominus autem assumpsit me. Amici autem qui vere amici sunt et virtuosi, amicum suum non derident, sed erranti condolent; et si valent, succurrunt. Hoc enim exigit caritas, et sapientia docet hoc, quum
I Cor. x, 12. dicat Apostolus : Qui stat, videat ne cadat.
Rom. xv, 1. Et denuo : Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum portare, et non nobis placere. Alium vero, et præsertim amicum, ex contemptu aut superbia deridere, non est parvum peccatum. Sed et qui proprium imperfectum considerat, non faci- B liter quemquam deridet.

Deridetur enim justi simplicitas, id est simplex et innocens conversatio, a callidis et dolosis præsentia et terrena æternis et futuris bonis præferentibus. Quemadmo-
I Cor. III, 19. dum enim sapientia sæculi, stultitia a Deo et ejus electis fidelibus reputatur; sic vera sapientia electorum et Dei, ab amatoribus hujus mundi insipientia judicatur. Hinc religiosi a carnalibus contemnuntur, et qui mundo renuntiant, religionemque intrant, vel humili vestitu inter homines C gradiuntur, mundanis cordibus delirare videntur. Unde quarto Regum, principes Israel, viso filio prophetarum ab Eliseo ad Jehu directo, dixisse leguntur ad Jehu :
IV Reg. IX, 11. Quid venit insanus iste ad te? Idcirco, in
Prov. XIV, 2. Proverbiorum libro scribitur : Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Sed aliud est judicium Dei, aliud hominum, prout in
Ibid. III, 32. Proverbiis tangitur : Abominatio est Domino omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Postremo, sicut justorum sim- D plicitas a dolosis et callidis deridetur, sic ceteræ virtutes ab his qui contraria habent vitia, irridentur, ut a lubricis castitas, a cupidis liberalitas. Unde in Ecclesiastico
Eccli. XIII, 24. fertur : Abominatio superbo humilitas, et exsecratio diviti pauper.

Hinc subditur : *Lampas contempta apud cogitationes divitum,* id est simplicitas justi : quæ lampas vocatur per claritatem suæ virtuositatis, et quoniam aliis lucet præbendo exemplum, ardet quoque per caritatem accensa, sicut lampas oleo infusa; quæ tamen apud cogitationes divitum spernitur, quia ab his qui in temporalibus finem sibi constituunt, tanquam stulta inutilisque contemnitur. Tales enim non reputant ea, nisi ad quæ ipsi potissime afficiuntur; eos vero qui talia spernunt, abominantur ut insensatos. Unde in Evangelio scriptum est, quod Scribæ et Pharisæi, prædicante contra avaritiam Christo, deridebant eum, dicentes : Insanit; quid eum Joann. x, 1, 8, 10, 12, 13, 20.
auditis? *Parata ad tempus statutum,* id est disposita revelari et coronari a Deo in die judicii particularis seu universalis divinitus præordinato, quemadmodum ait Apostolus : Nolite ante tempus judicare, I Cor. IV, 5.
quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. Hinc in Sapientiæ libro scriptum est : In tempore erit respectus illo- Sap. III, 6.
rum, puta justorum. Nunc enim est tempus meritorum et demeritorum; postea erit tempus præmiorum.

Abundant tabernacula prædonum, quoniam domos suas spoliis implent et opibus, *et audacter provocant Deum,* id est, sine timore et remorsu Deum offendunt, alios opprimendo ac spoliando. Tales enim, quum in profundum venerint peccatorum, Prov. XVIII, 3.
contemnunt et indurantur; sicque consuetudine peccandi seu vitiosis habitibus excæcantur, ut malum judicent bonum, et bonum reputent malum. Ideo, Audacter provocant Deum, quia sine conscientiæ suæ remorsu perpetrant mala. Isti potissime sunt, a quibus deridetur justi simplicitas. Quibus dicit Isaias : Væ qui dicitis Is. v, 20.
bonum malum, et malum bonum. Ad quos itidem Dominus increpatorie loquitur : Quare atteritis populum meum, et facies Ibid. III, 15.
pauperum commolitis? *Quum ipse dederit omnia in manibus* eorum.* Hoc ideo dicit, * manus
quia tam potestas qua prædantur, quam opulentia sequens, sunt a Deo. Potestas quippe nocendi non est nisi a Deo; sed mala voluntas et potestatis abusio sunt a se ipso. Propter quod dixit Salvator Pilato :

Digitized by Google

Joann. XIX, 11. Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi esset datum desuper. Vel ideo dicitur Deus omnia dedisse in manus prædonum, quia frequenter Deus per tales ulciscitur peccata prædatorum, ita quod tradit eos et bona eorum prædonibus; sed prædones nihilo minus peccant, quoniam impio fine et ex cupiditate crudeliter agunt. Præterea, verbis his Job aperte reprobat errorem amicorum suorum, dicentium opes dari merito justitiæ, quum sceleratissimi abundent divitiis.

Consequenter ostendit non esse difficilia, quæ amici pro magno jactabant se scire de Deo, et specialiter alloquitur ipsum Sophar, qui præcedenti capitulo arguit contra Job. *Nimirum interroga,* id est, diligenter considera, *jumenta, et docebunt te,* id est, materiam sciendi tibi præbebunt; materialiter inducendo te ad veritatem agnoscendam de Creatore : juxta quem modum irrationalia et inanimata dicuntur Deum benedicere atque laudare. Dan. III, 57-81; Ps. CXLVIII, 3-5, 7-10. Interroga quoque *et volatilia cœli* aerei, in quo volant, *et indicabunt tibi,* materialiter tibi veritatem monstrando, ut dictum est de jumentis. Proprie autem jumenta vocantur domestica bruta, hominum necessitati servientia. Jumenta quippe quasi juvamenta dicuntur. *Loquere terræ,* eam considerando et de ea disputando, *et respondebit tibi,* sicut de aliis dictum est. *Et narrabunt pisces maris :* imo et ipsum mare, omnisque creatura, si fuerit considerata, testabitur quod ipsa sit ens per participationem, ideoque necesse sit ponere ens per essentiam, a quo fluxerint universa : quod Deum vocamus.

Propter quod subditur : *Quis ignorat,* si ordinem universi rerumque naturas ac proprietates, modum, speciem, ordinem, seu numerum, pondus et mensuram consideret, *quod hæc omnia manus Domini,* id est omnipotentia Dei, *fecerit?* Omnia nempe confitentur, pandunt, respondent Ps. XCIX, 3. se facta, atque concorditer clamant : Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Quid enim est quælibet creatura, nisi radius Creatoris, in A qua tanquam in effectu causa et artifex Deus relucet? Propter quod Isaias dicit : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Is. XL, 26. Et in Ecclesiastico : Gloria Domini plenum est opus ejus. Eccli. XLII, 16. *In cujus manu,* id est potestate, est *anima omnis viventis* sub homine. Deus enim omnia in esse conservat, omnibus providet; et dum voluerit, mori seu deficere quævis permittit. Ideo cantat Psalmista : Avertente te faciem tuam, turbabuntur; Ps. CIII, 29. auferes spiritum eorum, et deficient, et in B pulverem suum revertentur. *Et spiritus universæ carnis hominis,* id est, omnis anima rationalis in manu est Dei, quantum ad esse naturæ, gratiæ et gloriæ. Unde Daniel impio dicit : Deum qui habet flatum tuum in manu sua, non glorificasti. Dan. V, 23. Et Daniel rursus dixit de Deo : Juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ. Ibid. IV, 32.

Deinde ostendit, quod ex sensibilium cognitione, et per experientiam quamdam homines ad Dei cognitionem deveniant. C *Nonne auris verba dijudicat?* id est, aures per vim auditivam in eis plantatam verba audiendo, ea discernunt, voces et sonos distinctim percipiendo. Nam et delectantur in sono convenienti ac dulci, et affliguntur in objecto disconvenienti. Hinc ait Gregorius : Quinque sensus corporis in omne quod sentiunt et discernunt, virtutem discretionis et sensus a cerebro trahunt. Basilius quoque : Concava, inquit, est auris, ut profunde recipiat; sordibus cholericis infecta viscosis, ut teneat; tympano arido perfecta, ut facile sentiat; qui- D eto aere plena, ut nullus tumultus impediat. *Et fauces comedentis,* in quibus est sensus gustus, *saporem* dijudicant. Cibum enim contritum et undique tactum, quantum ad saporem, discernunt. Facit autem mentionem de auditu et gustu, quia auditus est sensus disciplinæ, secundum Philosophum. Per auditum enim plura discuntur, quam per alium sensum. Gustus vero est perceptivus alimentorum, quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt.

Digitized by Google

Job xxxiv. 3. Hoc idem Eliu infra dicit : Auris verba dijudicat. A

In antiquis est sapientia : quod potissime verum est de sapientia acquisita per studium et laborem. Antiqui enim plura audierunt, legerunt, consideraverunt ; nec ad sapientiam naturalem et philosophicam addiscendam aptus est homo, nisi prius addiscat scientias naturales inferiores. Sapientia autem ad contemplationem, prudentia vero ad practicam pertinet. Hinc subditur, *et in multo tempore,* id est, in his qui longe vixerunt, *est prudentia,* quæ B est recta ratio agibilium, et per experientiam longam addiscitur. Unde et juvenes quum sint passionum sectatores, ad prudentiam minus sunt apti : quia non bene judicant de agendis, passione rationem obnubilante. Hinc in Ecclesiastico habe-
Eccli. xxv. 7, 8. tur : Quam speciosa veteranis sapientia et consilium ! Corona senum multa peritia.
Ibid. xxxiv. 10. Et alibi : Qui non est expertus, pauca recognoscit. Hinc quoque insipientia in senibus maxime vituperabilis indecensque consistit, sicut prætacto Ecclesiastici ca- C
Ibid. xxv. 3, 4. pitulo fertur : Tres species odivit anima mea : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum. Porro secundum Albertum, Job tacet de scientia : quia scientia est de rebus necessariis ac demonstrabilibus, ad quas unum est medium ; et hoc juvenes facilius vident quam senes.

Insuper tangit Job quid homines ex sensatis atque expertis de Deo addiscant. *Apud ipsum est sapientia et fortitudo,* id est, in Deo est sapientia, qua se ipsum et cuncta D cognoscit, ceteraque disponit ac ordinat, et ipse est sapientia sua. Ipse quoque est sua potestas, qua cuncta creavit, et quæcumque placent, exsequitur. *Et ipse habet consilium.* Secundum Damascenum, consilium est ignorantis naturæ, quia consilium proprie sumptum, includit alicujus non sciti inquisitionem : sicque non competit Deo. Sed quum ei adscribitur, secluditur a ratione consilii quidquid est imperfectionis ; et quod perfectionis in eo est, Deo superexcellenter adscribitur. Consilium ergo competit Deo, in quantum nil agit præcipitanter et sine idonea ratione, sed cuncta agit cum provida dispositione. Unde secundum Gregorium, consilium Dei est immobilis definitio de agendis : et sic in Scripturis frequenter adscribitur Deo, sicut in Psalmo : Consilium autem Domini Ps. xxxii, 11.
in æternum manet. Et in Isaia Deus testatur : Consilium meum stabit. In Actis quo- Is. xlvi, 10.
que Petrus affirmat, Christum consilio et Act. ii, 23.
præscientia Patris traditum. *Et intelligentiam,* id est purum simplicemque intuitum universorum. Vel, Intelligentiam, id est cognitionem eorum quæ non fuerunt, nec sunt, nec unquam erunt. Theologi enim ponunt in Deo duplicem notitiam, utpote notitiam simplicis visionis, qua noscit ea quæ fuerunt, sunt, vel erunt ; et notitiam simplicis intelligentiæ, qua inspicit infinita quæ facere posset, nec tamen unquam fecit, facit aut faciet.

Si destruxerit, auferendo ab homine esse naturæ vel gratiæ, aut regna seu alia quælibet dissipando, *nemo est qui ædificet,* id est, nullus destructa poterit reparare, Deo nolente, aut non cooperante, seu virtutem non dante. *Si incluserit hominem* carcere captivitatis, seu cujuslibet molestia adversitatis : unde superius Job dixit ad Dominum, Circumdedisti me car- Job vii, 12.
cere ; *nullus est qui aperiat* contra Dei voluntatem. *Si continuerit aquas* pluviales aut fluviales, ne terram humectent, *omnia siccabuntur,* id est, terrarum spatia in superficie sicca fient, et fructus arescent. Aliquæ autem terræ rigantur aqua pluviali, aliquæ aqua fluviali. Propter quod in Deuteronomio Moyses ait ad Israelem : Ter- Deut. xi, 10, 11.
ra quam ingredieris, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ ducuntur irriguæ ; sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluviam. *Si emiserit eas* super terram cum impetu et abundantia nimiis, ut in diluvio, *subvertent terram,* habitatores ejus interimendo, terræ nascentia corrumpendo, et glebas plurimas consumendo, vel etiam ædificia dirimen-

Digitized by Google

do. Itaque guttatim quasi per rivulos facit aquam moderanter descendere. In quibus omnibus sapientia et potestas Dei monstrantur. Hinc infra habetur : Qui ligat (*Job* xxvi, 8.) aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum.

Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Hoc sequitur atque concluditur a posteriori ex memoratis effectibus. Hinc Daniel : Sit (*Dan.* ii, 20.) nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum, quia sapientia et fortitudo ejus sunt. *Ipse novit et decipientem,* et omnem ejus astutiam, pravitatem atque processum, *et eum qui decipitur,* qua simplicitate vel ignorantia decipiatur. Aliter enim judex hominum justus et perfectus non esset, nisi inter virtuosos ac vitiosos discerneret. Hoc (ut apparet) Job interserit, quoniam vidit amicos suos partim a dæmone, partim a se ipsis deceptos, in tantum ut sic arguerent contra eum.

Adducit consiliarios in stultum finem. Dupliciter facit hoc. Primo, quia nonnunquam acutos consules justo judicio privat industria consiliandi, ita ut fini ab eis intento contraria veniant. Sicque Isaias dicit : Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt (*Is.* xix, 11.) consilium insipiens. David quoque secundo Regum precatus est : Obsecro, Domine, infatua consilium Achitophel. (II *Reg.* xv, 31.) Secundo, exponitur de consiliariis impiis et obtusis, qui suis vitiis divina directione privantur, prout tertio Regum legitur accidisse filio Salomonis, qui inexpertorum juvenum (III *Reg.* xii, 8-19.) sequens consilium, finem sortitus est stultum. *Et judices in stuporem,* ita ut quid agere debeant, non advertant, nec inquirere valeant. Deus enim variis modis considerationem rationis in eis impedire juste sapienterque potest, ita ut ipsi de sua hebetudine obstupescant, et in stuporem versi, ad judicia proferenda inepti sint. Hinc Isaias dicit : Dat scrutatores secretorum (*Is.* xl, 23.) quasi non sint; judices terræ velut inane facit.

Circa hæc Thomas scholastice scribit, quod sicut Deus scit principia speculativarum scientiarum, et conclusiones ordinemque eorum ad invicem; non tamen ex principiis cognitionem conclusionum accepit, sed omnia puro ac simplici intellectu cognoscit : ita in operativis scit finem, et ea quæ sunt ad finem, et quæ viæ ad diversos fines obtinendos expediant ; non tamen vias seu media ex finibus exquirit, sicut nos dum consiliamur. Quemadmodum ergo in Deo dicitur esse ratio, in quantum cognoscit ordinem principiorum ad sequentia, non tamen ei convenit investigare per modum rationis, ut in nobis ratio facit ; ita apud Deum dicitur esse consilium, non per modum inquisitionis, sed per modum absolutæ ac simplicis cognitionis. Denique, profunditas consilii ex duobus perpenditur. Primo, dum quis subtilitate sui consilii adversarios suos consiliarios ad hoc deducit, ut ad inconvenientem finem deveniant : et quantum ad hoc, ait de Deo, Adducit consiliarios in stultum finem. Secundo, dum quis subtilitate sui consilii adversarios suos ducit ad hoc, ut ignorent quid agere debeant : sicut efficax disputator respondentem ducit ad hoc, sicque convincit, ut contradicere seu respondere nil queat. Et quoad hoc, ait de Deo : Et judices in stuporem. Quod consequenter quasi exemplariter manifestat.

Balteum regum dissolvit, id est, reges expugnari facit, ita quod regali balteo spolientur ; *et præcingit fune renes eorum :* quia adversarii qui eos vicerunt, vili cingulo eos præcingunt virtute divina, sicut in Isaia Deus Cyro promisit : Ego, inquiens, (*Is.* xlv, 2.) ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. *Ducit sacerdotes inglorios,* id est, solita gloria quam habere solent a populo, eos privat, dum et ipsi simul cum regibus seu alias, voluntati hostium exponuntur, quemadmodum scripsit Osee : Attendite hoc, sa- (*Osee* v, 1, 5.) cerdotes, quia vobiscum judicium est ; et : Ruent in iniquitatibus suis. Sic et Amos in libro suo loquitur Amasiæ sacerdoti : Tu (*Amos* vii, 17.) in terra polluta morieris. Jeremias quoque : Propheta, inquit, et sacerdos abierunt (*Jer.* xiv, 18.) in terram quam ignoraverunt : quando videlicet in Chaldæam captivi abducti sunt.

Digitized by Google

Et quam irreverenter Chaldæi tractaverunt
Thren. iv, sacerdotes Judæorum, Jeremias in Threnis
passim. deplorat. *Et optimates*, id est superiores
in plebe, melioresque consules, *supplantat*, ita quod inutilia promunt consilia, et
vincuntur, prout Amos de Deo asserit :
Amos v, 9. Qui deridet vastitatem super robustum, et
depopulationem super potentem affert ;
Ibid. vi, 1, 7. itemque : Optimates capita populorum, nunc
migrabunt in capite transmigrantium.

Commutans labium veracium, id est, linguam eorum mutans a veritate ad loquendum mendacia : quod Deus non facit directe et effective, sed permissive, dum eos falli permittit, vel lumen naturale in eis propter eorum culpam obtenebrat, vel gratiam tollit : quemadmodum de philosophis ait Apostolus ad Romanos, quod
Rom. i, 19. Deus illis revelavit, videlicet lumen naturalis rationis præstando, per quod ad Dei notitiam ex creaturis perducti sunt ; et
Ibid. 22. postea addit, quod dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt, quia videlicet propter eorum elationem, vanamque gloriam, naturale lumen in eis Deus offuscari per-
Ibid. 23-28. misit, ita quod innaturalissima docuerunt atque fecerunt, sicut ibidem Apostolus scribit. Denique, in Regum libro ait Michæas
III Reg. xxii, propheta, quomodo spiritus dixit : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, scilicet regis Israel. Illi tamen non reputantur fuisse veraces. Juxta hunc modum loquens Dominus in Ezechie-
Ezech. xiv, le : Propheta (inquit) quum erraverit, ego Dominus decepi prophetam illum. *Et doctrinam senum auferens*, dum senes propter eorum demerita vera sapientia privat,
III Reg. xi, sicut et cor Salomonis tempore senectutis legitur infatuatum. Aliquando etiam propter subditorum peccata, tollit ab eis doctrinam senum, juxta quod ait Ezechieli :
Ezech. iii, Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.

Effundit despectionem super principes, id est, contemptos efficit eos, et honore
Dan. iv, 28- præsidentiæ privat sæpe propter eorum excessus, prout in Nabuchodonosor factum

A legitur. Et in Isaia fertur : Ecce dominator Is. iii, 1-3.
Dominus auferet a Jerusalem judicem et principem. In libro Numerorum quoque
Dominus ait ad Moysen : Suspende cun- Num. xxv,
ctos principes tribuum Israel in patibulis. 4.
Et Ecclesiasticus ait : Sedes ducum super- Eccli. x,
borum destruxit Deus, et sedere fecit mites 17.
pro eis. *Et eos qui oppressi fuerant* per violentiam a potentioribus, *relevat* a sua
angustia, juxta id Nahum : Bonus Domi- Nahum i, 7.
nus, et confortans in die tribulationis. Item
in Psalmo : Dominus solvit compeditos ; Ps. cxlv,
B Dominus erigit elisos. Quandoque enim 7, 8.
Deus hoc facit corporaliter et ante mortem : quemadmodum secundo Paralipomenon
legitur, Manassen regem de carcere II Par.
liberasse. Interdum agit hoc spiritualiter, xxxiii, 13.
dando patientiam in adversis, ut cum gaudio
patiantur : sicut Apostoli ibant gau- Act. v, 41.
dentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Nonnunquam vero permittit electos usque ad mortem adversitatibus opprimi, ut in martyribus constat ; sed tanto hos
C gloriosius relevat et coronat in patria, quo durius permisit flagellari in via, juxta il-
lud libri Sapientiæ : In paucis vexati, in Sap. iii, 5.
multis bene disponentur.

Qui revelat profunda de tenebris, id est, occulta et mystica per revelationem clare facit cognosci : quæ manifestantur de tenebris, id est occulto quo latent. Hinc scri-
ptum est in Daniele : Ipse revelat profunda Dan. ii, 22.
et abscondita, et novit in tenebris consti-
tuta. Et alibi legitur : Est Deus in cœlo Ibid. 28.
revelans mysteria. Sic docuit Salomonem.
D *Et producit in lucem umbram mortis* : quia dispositos ad interitum, reducit ad sanitatem ; et quæ ita sunt clausa ut mortis umbra, Deo illustrante, fiunt clara et
certa. Unde et Christus ait Apostolis : Vo- Matth. xiii,
bis datum est nosse mysteria regni Dei ; 11 ; Luc. viii,
ceteris autem in parabolis. Et rursus : 10.
Quod dico vobis in tenebris, dicite in lu- Matth. x, 27.
mine. Hoc etiam efficit Deus, dum radiante gratia ejus, peccata diu abscondita in confessione lucide aperiuntur, seu infideles ad fidei claritatem ac gratiam convertun-

Digitized by Google

tur, quemadmodum per Isaiam Pater loquitur Christo (*Is.* xlii, 6, 7.): Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Unde et Thomas dicit: Umbra mortis, ignorantia vel stultitia esse videtur, quum per cognitionem viventia a non viventibus maxime distinguantur. Producit ergo umbram mortis in lucem, dum ignorantibus sapientiam tribuit, vel sapientes, quorum sapientia fuit ignota, sapientes esse ostendit.

Qui multiplicat gentes, per nativitatem quotidie, juxta illud in Psalmo (*Ps.* xi, 9.): Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Multiplicat quoque gentes per diversitates nationum, terrarum, linguarum, quemadmodum post diluvium in constructione turris Babel, confudit labium universæ carnis, prout in Genesi legitur (*Gen.* xi, 5-8.): Descendit Dominus ut videret civitatem et turrim quam ædificaverant filii Adam, et dixit: Ecce unus est populus et labium unum omnibus. Venite ergo, et confundamus ibi linguam eorum. Et divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras. *Et perdit eas,* per diversa genera mortis, puta per pestilentiam, famem, gladium, et per bestias terræ, seu aliam speciem mortis. De quibus ait in Ezechiele frequenter (*Ezech.* xiv, 21.): Quod si misero in eos quatuor judicia mea pessima, id est quatuor pœnas has judiciales et malas malitia pœnæ, non culpæ, imo et pessimas, quia valde acerbas. *Et subversas in integrum restituet* *, id est, ad priorem statum numerumque reducet, non easdem numero, sed specie. Propter quod ait in Deuteronomio (*Deut.* xxxii, 39.): Ego occidam, et ego vivere faciam. Et in Baruch scriptum est (*Baruch* iii, 19.): Exterminati sunt, et alii in loco eorum surrexerunt.

* alias *restituit*

Qui immutat cor principum populi terræ, id est, intellectum et voluntatem dominorum et principum ad libitum suum movet, alterat, afficit et disponit, vertendo et inclinando corda illorum ad omne complacitum sibi, ita ut cogitent et velint quæ Deus inspirat, quidquid antea aliter disposuerint atque decreverint, juxta illud Proverbiorum (*Prov.* xxi, 1.): Cor regis in manu Dei est; quocumque voluerit, vertet illud. Ex quo innotescit, sapientiam Dei intima cordium intueri. Unde primo Regum de Saule conscribitur (I *Reg.* x, 9.): Immutavit ei Deus cor aliud. *Et decipit eos,* id est, falli permittit, illuminationem suam juste subtrahendo, sicut in Ezechiele scriptum jam retuli; *ut frustra incedant,* id est, inaniter tendant ad finem intentum, *per invium,* id est per falsitatis et impietatis opera atque consilia, per quæ ad finem non perducuntur optatum, sicut per Jeremiam dicitur Sedeciæ regi (*Jer.* xxxviii, 22.): Seduxerunt te, et prævaluerunt adversus te omnes viri pacifici tui.

Palpabunt, id est, periculose, timide et dubiose incedent, quasi certum ac sanum consilium non habentes, *quasi in tenebris* ignorantiæ, in quibus vere sunt, *et non in luce* veritatis atque justitiæ. Vel, Quasi in tenebris, id est, sicut ambulantes in tenebris solent palpare, ne se lædant aut pedem offendant. Hoc dicitur quantum ad eos, qui ex ignorantia errant et peccant. Quantum vero ad eos, qui errant seu peccant ex passione judicium rationis ligante et contenebrante circa particularia agenda vel omittenda, ne cognitionem universalem quam habebant vel habent, ad talia applicent, sed mala judicent bona, juxta illud Proverbiorum (*Prov.* xxi, 2.), Omnis via viri recta sibi videtur: quantum (inquam) ad hos, subditur, *et errare eos faciet* a luce veritatis et rectitudine æquitatis, *quasi ebrios,* in quibus ratio per ebrietatem et passiones eam sequentes, maxime impeditur. Hoc autem facit Deus, quia permittit, ut loquitur Isaias (*Is.* lxiii, 17.): Quare nos errare fecisti de viis tuis? Itemque Psalmographus (*Ps.* cvi, 27.): Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Unde in Proverbiis inducitur (*Prov.* iv, 19.): Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruunt.

Ex omnibus istis effectibus probatur profunditas sapientiæ atque subtilitas consilii Dei, qua omnia quæ in rebus humanis reputantur excelsa, perducuntur in stul-

Digitized by Google

tum finem sive stuporem. Quod ex libris A historialibus sacræ Scripturæ, præsertim ex libris Judicum, Regum et Paralipomenon, clarissime potest pensari ex his, quæ ibi de regibus ac principibus, eorumque præliis recitantur : quæ, nisi quis providentiam Dei attenderet, incredibilia viderentur.

ARTICULUS XXX

DE TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI INTELLIGENTIA.

R*ESPONDENS autem Job, dixit : Ergo vos soli estis homines?* Job contra veritatis a se prolatæ adversarios disputans, figurat quemlibet justum ac sapientem, vera ac justa disputando seu alio modo tuentem, et culpabiles increpantem : qui si viderit aliquos nimis de suo ingenio confidentes, de sua scientia præsumentes, et ceteros velut indoctos superbe seu aspernanter affantes, zelo Dei increpatorie dicere potest eis : Ergo vos soli estis homines? Quod etiam quilibet devotus abbas, prior, decanus, dicere potest, si in C suo conventu viderit aliquos proprio sensui nimium innitentes. Tanquam dicat : Nolite tantum præsumere de vestra industria, ratione, scientia. Nam, ut ait Gregorius, Quisquis præire se ratione omnes existimat, scilicet omnes de suo consortio, vel omnes simpliciter, quid aliud quam solum se esse hominem putat? Per rationem quippe homo a brutis secernitur. Hinc vere sapientes et humiles, alieno magis quam proprio credere solent judicio, et præsertim superiorum suorum judicio con- D tradicere perterrentur. Unde Romanos mo-
Rom. XII, 16. net Apostolus : Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. Itaque, dociles ac dirigibiles simus, propriæ mentis imbecillitatem pensemus; et quam modica sunt quæ scimus, respectu eorum quæ ignoramus, sagaciter ponderemus. Alioqui formidandum, ne ve-
Is. XLVII, 10. rificetur in nobis illud Isaiæ : Sapientia tua et scientia tua decepit te.

Insuper, talibus sciolis subsannatorie dici potest ex caritate, ut corrigantur confu- B si : *Et vobiscum morietur sapientia?* hoc est, nolite ita de vobis sentire; nolite putare, quod vos solos Deus illuminet, quod intra vos tantum loquatur, quod Sol sapientiæ alibi quoque non splendeat : præsertim quum dicat Apostolus, Quis scit quid aga- I Cor. II, 11.
tur in homine, nisi spiritus hominis? Et denuo : Per humilitatem superiores invi- Philipp. II, 3.
cem arbitramini. Postremo, etsi quis doctior sit aliis eruditione humana, nihilo minus pie credat, quod alii plus eo abundant sapientia atque scientia, in quantum sunt dona Spiritus Sancti : quæ tanto plus abundant in unoquoque, quanto perfectior exstat in caritate et humilitate. *Et mihi est cor sicut vobis.* Hoc præsertim superior dicere potest inferiori superbienti de sua scientia. *Nec inferior vestri sum :* imo superior tanquam Christi vicarius : idcirco mihi credere et deferre tenemini propter ejus, cujus circa vos gero vices, reverentiam et personam. Contra rebelles equidem potest et debet prælatus suo tempore auctoritatem prætendere, ut refrenetur eorum elatio, et formident.

Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. Hujus verbi recordemur, si contigerit nos a confratre et proximo, præsertim ab aliquo specialiter caro, derideri. Tunc itaque non irascamur, non indignemur, non reddamus malum pro malo; sed indulgeamus ex animo, et erranti condoleamus : quod si culpabiles fuerimus, emendemus. Itaque Deum tunc invocemus, orando pro irrisore et pro nobis, ut simul in vera caritate

Digitized by Google

crescamus. Denique, alium deridere non A est leve peccatum, quum scriptum sit in Prov. III, 34. libro Proverbiorum : Illusores Deus deludet. *Deridetur justi simplicitas.* Quo aliquem virtuosiorem et Christo in omni paupertate, persecutione, patientia, abjectione, humilitate et sancta simplicitate conformiorem adspicimus; eo hunc cordialiter plus amemus, reputemus ac veneremur, tanquam Dei electum, et Sancti Spiritus templum. Nec eos qui sæculo sunt abjecti, vilipendamus : imo potius eos qui in mundo hoc prosperantur, deliciantur, et impie B conversantur, secundum quod tales sunt, justo zelo spernamus ; personam tamen amemus, et pro ipsa affectuose precemur, pensantes nos quoque tales dudum potuisse fuisse, nisi Dei nos prævenisset clementia: qua abstracta, adhuc tales efficeremur. Hoc plane spectat ad virum justum, secundum Ps. XIV, 4. id Psalmi : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus ; timentes autem Dominum glorificat.

Lampas contempta. Recte justus seu ejus simplicitas lampas vocatur, propter virtu- C tum splendorem. Nam et Apostolis loqui- Matth. v, 14. tur Christus : Vos estis lux mundi. Et ad Philipp. II, 15. Philippenses scribit Apostolus : In medio nationis perversæ lucetis sicut luminaria mundi. De Christo quoque Isaias inducit : Is. LXII, 1. Egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Sic Christi justi justorum simplicitas a Judæis de- Matth. XI, 19. ridebatur, dicentibus : Homo vorax, potator vini, amicus peccatorum. Quem et Herodes Luc. XXIII, 11. illudens, induit veste alba, milites purpu- Marc. XV, 17. ra. Sed hi justorum contemptores, in die D judicii dicturi sunt illud libri Sapientiæ : Sap. v, 4, 5. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem sine honore : quomodo ergo computati sunt inter filios Dei ?

Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum. Prædo intelligi potest omnis peccator, præsertim superbus, qui gloriam et honorem soli Deo debita ac solvenda, appetit et usurpat. Omnis quoque peccator debitum Deo subtrahit cultum ; et quæ Dei sunt, in suum redigit usum ac commodum, quasi a Deo creata sibique data ab illo non essent. Nam, ut ait S. Hilarius, Sicut a Deo est quidquid habemus et sumus, ita in Dei honorem et cultum expendere omne illud debemus. Qui ergo pro libitu proprio utitur membris suis et sensibus, viribus, rebus et opibus, magnam committit fraudem, grande furtum, vitiosam rapinam. Verumtamen tales temporalibus sæpe abundant ; sed vitiis magis exuberant, et audacter provocant Deum, sicut et omnes intimorati et vitiosi, divini judicii rigorem non perpendentes : quorum contenebrata est mens, ut immensa pericula, quibus circumdati sunt, non advertant, nec caveant, neque formident. De quibus dicit Ecclesiastes : Quia non ci- Eccle. VIII, 11. to profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. De quorum quolibet fert Psalmista : Dixit injustus ut delinquat in semetipso ; Ps. XXXV, 2. non est timor Dei ante oculos ejus. Hi sunt qui quum Deum offenderint, et concupiscentiæ damnandæ satisfecerint, pro eo quod pœnitere et erubescere mox deberent, gaudent, jactant, propalant talia se fecisse : quod est peccatum gravissimum. De quibus scribitur in Proverbiis : Lætan- Prov. II, 14. tur quum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. Isaias quoque : Peccatum Is. III, 9. suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.

Hæc ergo faciunt, non obstante quod *ipse* Deus *dederit omnia* quæ habent et sunt *in manibus eorum*, id est in eorum libertate ac potestate, ut de his Creatori suo sponte servirent, propter quod eum merito amarent et honorarent in omnibus; sed ingrati et excæcati sunt prorsus. Quod etiam in divitibus magis contingit, quia superbiores esse consueverunt, et sensualitatem foventes, Deum ac spiritualia non advertunt, secundum illud Deuteronomii : Incrassatus est dilectus, et recalcitravit ; Deut. XXXII, 15. dereliquit Deum factorem suum.

Interroga jumenta, id est ingenio tardiores, *et docebunt te; et volatilia cœli,* id est contemplativos, doctos, ingeniosos. *Lo-*

Digitized by Google

quere terræ, id est carnalibus terrena sapientibus, *et respondebit tibi. Et narrabunt pisces maris,* id est animo vagi, curiosi, instabiles. Omnes hi concorditer sciunt, dicunt, respondent quod subditur : *Quis ignorat, quod hæc omnia manus Domini fecerit?* Quod enim unum sit omnium rerum causale principium, omnes jam boni et mali, litterati et simplices, norunt.

Nonne auris verba dijudicat? Hoc de interioribus auribus accipi potest, quæ verba vocalia, mediante sensu exteriori et sensu communi ac imaginatione, percipiunt, noscunt et judicant. Verba autem mentalia, quæ intellectus intra se profert, immediate advertunt atque discernunt. Verba vero interna, quæ Deus per se ipsum vel per angelos loquitur animæ, per illuminationem supernam audiunt, noscunt, dijudicant, juxta illud Zachariæ : Angelus loquebatur in me. Et in Psalmo : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Sed, proh dolor ! multi sunt qui internam Dei et angeli allocutionem advertere nolunt ; qui divinæ inspirationi resistunt ; qui bonis inclinationibus ac admonitionibus reniluntur, diabolicis vero suggestionibus præbent consensum. *Et fauces comedentis, saporem.* Fauces sunt angustæ fistulæ gutturis, per quas jam gustus signatur. Est autem et gustus interior, qui est ipsemet intellectus, cui omnium exteriorum sensuum nomina adscribuntur et competunt, secundum diversas rationes, ut ex verbis Basilii * patuit præcedenti articulo. Hic ergo gustus intellectualis sapit, discernit et masticat spiritualem saporem veritatis atque virtutis ; gustat et experitur, quam dulcis est Dominus, secundum quod veritas prima ac bonitas summa se ei ostendit, infundit, conjungit magis aut minus. Ad quam degustationem ac gustus dijudicationem hortatur, qui ait : Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. Quum vero hic gustus sic sapit et judicat, experimentaliter sciens, quantum spiritualis dulcedo omnem carnalem transcendat ; tunc intellectus reficitur, cujus cibus est

Zach. II, 3. — Ps. LXXXIV, 9. — * Gregorii — Ps. XXXIII, 9.

A veritas, virtus, omnisque spiritualis perfectio. De qua comestione et refectione ait Sponsus cœlestis : Comedi favum meum cum melle meo ; et rursus : Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, carissimi.

In antiquis est sapientia. Sapientia vero spiritualis interna, et quæ donum est Spiritus Sancti, dicitur in antiquis : quia eo ipso quo habent hanc cum eminentia seu abundantia quadam, ita ut per eam vitam suam et mores in omnibus ordinent et B componant, senes rite vocantur, etiamsi tempore juvenes sint : senes, inquam, probitate atque valore, juxta illud libri Sapientiæ : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Unde de S. Agnete scribit Ambrosius : Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. *Apud ipsum est sapientia et fortitudo.* Nam apud Patrem est Verbum et unigenitus Filius ejus, de quo loquitur C Paulus, Prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ; de quo ait Joannes, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. *Ipse habet consilium* quo disponit sua, *et intelligentiam* qua inspicit nostra.

Si destruxerit, nemo est qui ædificet. Destruit Deus intellectualem creaturam, spiritualiter quidem, non essentialiter, dum vel gratiam non infundit, aut infusam non conservat, sed perdi permittit, sicut de impiis et dolosis ait Psalmista : Destrues il- D los, et non ædificabis eos. Qui autem ita destructus est, reparari non potest, nisi a Deo, qui solus gratiæ est collator atque creator. *Si incluserit hominem,* id est, intra cæcitatis impietatisque suæ caliginem angustari permiserit, vel peccati ac dæmonum captivitati tradiderit, seu intra conscientiæ suæ remorsum ac carcerem comprehensum tenuerit, ita ut vitia sua abscondat, et confitendo non exeat ; *nullus est qui aperiat* infelicissimam hanc clausuram, id est, qui mentem de captivi-

Cant. V, 1. — *Ibidem.* — *Sap.* IV, 8, 9. — I *Cor.* I, 23, 24. — *Joann.* I, 1. — *Ps.* XXVII, 5.

Digitized by Google

tate ista educat ad libertatem virtutum, ad gratiæ lucem, ad latitudinem caritatis, ad patriam felicitatis. Hæc enim non efficit nisi Deus. Unde in Apocalypsi legitur :
Apoc. III, 7. Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : qui claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit. Postremo, si incluserit quempiam in inferno, nunquam poterit salvandus educi.

Si continuerit aquas, id est gratiarum charismata, doctrinæ fluenta, prædicationisque verba. De quibus loquitur Isaias :
Is. XII, 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus
Prov. XVIII, 4. Salvatoris. Salomon quoque : Torrens inundans, fons sapientiæ. Itemque : Aqua
Ibidem. profunda, verba ex ore viri. *Omnia siccabuntur*, id est, omnium corda spiritualiter arefient, infecundaque erunt. Si enim Deus ista abstraxerit, omnis decor, ubertas et fructus mentis humanæ depereunt. Pro-
Ps. CXLII, 6. pter quod ait vir sanctus Deo : Anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Si emiserit eas, id est, si dona hæc gratiarum infuderit mentibus, *subvertent terram*, id est, corda terrena vincent, et quantum ad esse impietatis, destruent, peccata expellent. Hæc est subversio bona et annihilatio desideranda, ut homo desinat esse sui, et incipiat esse Dei, exstirpato amore privato, atque divino amore sibi infuso.
Matth. x, 39; Joann. XII, 25. Unde ait Salvator : Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet illam. Vel sic : Si emiserit eas, id est, cum magna abundantia dona ista infuderit, subvertent terram, id est, facient hominem a se ipso deficere, viribus suis destitui, ut patet in raptu et ecstasi. Pro-
Ps. LXXII, 26. pter quod ait Psalmista : Defecit caro mea
Jer. XX, 8, 9. et cor meum. Et Jeremias : Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, et defeci, ferre non sustinens. Interdum quoque contingit, ut quis ex nimia copia gratiæ sibi clementer infusæ spiritualiter intumescat, præsumat, incautus reddatur, et alios spernetur : sicque terra subvertitur, quia homo in terra degens, ex subita gratiarum abundanti infusione occasionaliter labitur. Ideo Deus non semper dat statim quod petitur, sciens quid nobis magis expediat; vultque ut paulatim crescamus, ne postea gravius corruamus.

Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. Justos atque electos Deus noscit notitia non solum simplicis intuitionis, sed etiam approbationis. Reprobos vero et pravos nescit notitia approbationis, quos noscit notitia intuitionis, prout talibus ait Salvator : Nescio vos; discedite a me, operarii Luc. XIII, 27.
iniquitatis. Præterea, invisibilem hostem nos quotidie decipientem Deus agnoscit, attendens ejus fortitudinem, calliditatem, experientiam, crudelissimam intentionem, infatigabilem importunitatem, et quod videns nos, a nobis videri non possit. Noscit autem et nos, qui ab illo decipimur, pensans quam fragiles, infirmi, ignarique simus : ideo non permittit nos ultra vires I Cor. x, 13.
tentari. Paratus est suffragari, deceptis pronus est misereri, calamum conquassa- Is. XLII, 3.
tum non conterit, linumque fumigans non exstinguit. Si ergo tentatione dejecti fuerimus, non pusillanimes efficiamur, non desperemus; sed ad Dei clementiam protinus cum omni humilitate atque fiducia properemus, imperfectum nostrum pensantes, et in sola Dei clementia jugiter confidentes.

Adducit consiliarios in stultum finem. Invisibiles hostes multiformiter inter se consulunt, quomodo hominem, præcipue qualiter justum quemquam decipiant : quorum consilia Deus adducit ad stultum finem, quia sive prævaleant, sive succumbant, totum cooperatur eis in majorem miseriam. Et frequenter per studia quibus conantur justum ad damnationem pertrahere, occasio sunt præclarioris profectus in eo, beatitudinisque majoris. Diligenti- Rom. VIII, 28.
bus equidem Deum electis omnia cooperantur in bonum. Insuper, consiliarii intelligi possunt prædicatores atque doctores, salutis consilia proponentes : qui, dum exigentibus suis culpis, in tantum divinitus relinquuntur, ut propriis perversitatibus contenebrati, spiritualia, divina, æterna prædicent doceantque propter terrena, temporalia et caduca, in finem utique stul-

Digitized by Google

tum ducuntur, media fini, vilia optimis A
præferentes. *Et judices in stuporem.* Hoc
fit, dum Deo juste sinente, principes et
prælati alios judicaturi, non rationem, sed
passionem sequuntur, vel gratia discer-
nendi inter bonum et malum privantur,
aut alio modo a rectitudine justitiæ obli-
quantur : sicut Michæas dicit de quibus-
Mich. III, 11. dam, Principes ejus, puta Jerusalem seu
Israel, in muneribus judicabant, et sacer-
dotes ejus in mercede docebant.

Balteum regum dissolvit. Reges, spiri-
tualiter omnes sunt qui rationis aguntur B
imperio, et carnem cum sensualitate ratio-
nis in cunctis subdunt judicio : quorum
balteus est castitas seu continentia. De ca-
Luc. XII, 35. stitate enim loquitur Christus : Sint lumbi
vestri præcincti. Et de Christo vaticinans
Is. XI, 5. Isaias : Erit (inquit) justitia cingulum lum-
borum ejus. Dum ergo continentes seu ju-
sti, propter inanem suam gloriam, aut spi-
ritualem superbiam vel aliam causam, a
continentia ad vitia carnis vel consensum
ad ea, delectationemve de eis in cogitatio-
ne conceptam labuntur, vel a justitia ad C
injustitiam dejiciuntur, balteus regum dis-
solvitur. Denique, per spiritualem super-
biam inanemque gloriam, meretur homo
potissime a castitate ad immunditiam car-
nis, et ab æquitate ad iniquitatem corrue-
re. Hinc humilitas castis præcipue neces-
saria est atque servanda, dicente Ambrosio:
Necesse est ut quanto castior virgo, tanto
humilior sit. *Et præcingit* permissive *fu-
ne,* id est vili carnis delectatione ac fœ-
tido iniquoque opere, *renes eorum,* id est
corporis membra, ita ut interior et occulta D
ipsorum impuritas, foris per facta obscena
omnibus innotescat. Ad quod illud Isaiæ
Ibid. III, 24. spiritualiter pertinet : Erit pro zona funi-
culus. Et de impio Salomon ait in Prover-
Prov. V, 22. biis : Funibus peccatorum suorum con-
stringetur. Porro S. Thomæ de Aquino, in
adolescentia sua angeli sancti locuti sunt:
Præcingimus te cingulo castitatis.

Ducit sacerdotes inglorios. Heu ! quam
dolorose et copiose hoc modo impletur,
dum multi sacerdotes et clerici propter vi-
tiosissimam suam ac lubricam vitam ab
omnibus contemnuntur, diffamantur, et
debita bonis sacerdotibus, imo et ordi-
ni sacerdotii gloria privantur ac inhono-
rantur ! Denique, gloria sacerdotum est
spiritualis profectus subditorum suorum,
quemadmodum discipulis suis Thessaloni-
censibus scribit Apostolus : Quæ est spes I Thess. II, 19.
nostra et gaudium aut corona gloriæ? Non-
ne vos in adventu Domini ? Dum igitur sa-
cerdotes subditos suos verbo et opere non
informant, nec ad salutem quantum in eis
est, pertrahunt, inglorii fiunt, et detesta-
biles Deo ; nec faciem ejus feliciter intue-
buntur, quemadmodum Joseph in persona
Christi locutus est fratribus suis Patriar-
chis, pastorum personam gerentibus : Non Gen. XLIV, 23.
videbitis faciem meam, nisi adduxeritis
fratrem vestrum minimum vobiscum. O
quam despectissimi tales coram summo
Judice apparebunt ! Præterea, bonis sacer-
dotibus ac prælatis potissima gloria est,
subditorum vita salubris, sicut in tertia
sua Canonica scribit Joannes : Majorem ho- III Joann. 4.
rum gratiam non habeo, quam ut audiam
filios meos in veritate ambulantes. Verum-
tamen qui veraciter sapiens est, præser-
tim si de subditorum aut laicorum seu
inferiorum sit numero, sacerdotibus ho-
norem et gloriam sacerdotio debita debet
impendere intuitu Dei, et pro reverentia
sacramentali, juxta illud Ecclesiastici : In Eccli. VII, 31.
tota anima tua time Deum, et sacerdotes
illius sanctifica. Nam et Paulus ad Roma-
nos ait : Omnis anima potestatibus subli- Rom. XIII, 1.
mioribus subdita sit. Et Petrus admonet
etiam dyscolis dominis obedire. Postremo, I Petr. II, 18.
Paulo testante, qui bene præsunt presby- I Tim. V, 17.
teri, duplici honore digni sunt.

Et optimates supplantat, dum justo judi-
cio desinit eos de primatu seu præsidentia
inaniter gloriari, voluptatibus subjici, vi-
tiis superari, atque ob hæc æternæ eos
deputat pœnæ, juxta illud Sapientiæ : Ju- Sap. VI, 6, 7.
dicium durissimum in his qui præsunt,
fiet. Exiguo enim conceditur misericor-
dia; potentes autem potenter patientur tor-
menta. Et Jeremias ait : Adspergite vos Jer. XXV, 34.

Digitized by Google

cinere, optimates gregis, quia completi sunt dies vestri ut interficiamini, et cadetis quasi vasa pretiosa.

Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant, relevat. Hoc specialiter exponi potest de populo Judæorum atque gentilibus. Judæi enim ante Christi adventum præ cunctis populis præclariores et principales fuerunt, gentiles vero innumerabilibus vitiis erroribusque oppressi. Unde secundo Regum David loquitur Deo : Quæ est gens in terra ut populus tuus Israel? Et Moyses ait ad plebem Israel : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Super hunc populum, quoniam Christum negavit et crucifixit, effudit Deus despectionem, auferendo eis spiritualia gratiæ bona, ita quod permanent excæcati usque in finem mundi, dicente Apostolo : Pervenit super eos ira Dei usque in finem. Quod et David prænuntians : Furor, inquit, iræ tuæ comprehendat eos. Insuper abstulit eis corporalia bona, videlicet propriam terram, regnum et maximam partem eorum interimens per Romanos, secundum illud Danielis : Non erit ejus (videlicet Christi) populus, qui eum negaturus est ; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio. Gentiles autem Deus per evangelicam prædicationem a suis erroribus relevavit, gratia decoravit, et Christo incorporavit, quemadmodum in Isaia Pater ait de Christo : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Talibus namque scribit Apostolus, loquens Ephesiis : Vos qui aliquando longe fuistis a Deo, nunc prope facti estis in sanguine Christi. Præterea oppressos adversitate, mœrore, angustia, Deus communiter relevat, per internæ consolationis infusionem, per angelicam inspirationem, per piorum hominum allocutionem, per tribulationis terminationem, seu alio modo, sicut in Tobia dicitur : Et post fletum consolationem infundis. Et in Psalmo : Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.

(Margin: II *Reg.* VII, 23. — *Deut.* VII, 6. — I *Thess.* II, 16. — *Ps.* LXVIII, 25. — *Dan.* IX, 26, 27. — *Is.* LV, 4. — *Ephes.* II, 13. — *Tob.* III, 22. — *Ps.* XXXIII, 19.)

A *Qui revelat profunda de tenebris.* Occulta namque et difficillima legis ac Prophetarum oracula, Christus per se et per apostolica documenta nobis lucide patefecit, tenebras (id est varias veritatum circumvolutiones) detegens et illustrans : ad quod designandum tempore Passionis scissum est velum templi a summo usque deorsum. *Et producit in lucem umbram mortis,* id est, rigorem legis, mortem corporalem pro peccato infligi jubentis, in

B lucem miserationis et mansuetudinis serenitatem convertit. In lege enim sæpissime scribitur : Qui fecerit hoc vel hoc, moriatur seu lapidetur. Christus autem peccatoribus confessionem præcepit, confitentibus remissionem gratiamque promisit.

(Margin: *Matth.* XXVII, 51. — *Exod.* XIX, 12; XXI, passim : *Lev.* XX, passim.)

Qui multiplicat gentes, augendo Ecclesiam seu plures convertendo ad fidem vel vitam virtuosam : quod in primitiva Ecclesia maxime implebatur, juxta illud Actuum : Dominus augebat quotidie qui salvi fierent

C in id ipsum. Unde et Christus ait in Psalmo : Annuntiavi, et locutus sum ; multiplicati sunt super numerum. *Et perdit eas :* quod dupliciter accipi potest. Primo, de optima perditione, qua electos suos variis permisit necari suppliciis. De qua perditione in Isaia legitur : Justus perit, et non est qui recogitet ; et viri misericordiæ tolluntur, et non est qui intelligat. Secundo, de perditione mala, qua occulto et justo judicio permisit credentes variis vitiis atque erroribus deperire. *Et subversas in*

D *integrum restituit :* quia vel eos qui corruerunt per culpam, reduxit ad gratiam et vitæ integritatem; vel loco pereuntium posuit alios, quos per suam salvavit clementiam, et reparavit ac reformavit Ecclesiam.

(Margin: *Act.* II, 47. — *Ps.* XXXIX, 6. — *Is.* LVII, 1.)

Qui immutat cor principum populi terræ : vel effective inclinando illud a malo ad bonum, secundum illud Apostoli : Deus operatur in vobis et velle et perficere. Tertio quoque Regum Salomon orat : Inclinet corda nostra post se, ut ambulemus in omnibus viis ejus. Vel permissive facit hoc

(Margin: *Philipp.* II, 13. — III *Reg.* VIII, 58.)

Digitized by Google

Deus, dum cor subverti permittit atque corruere a bono in malum, vel a malo in pejus : quod etiam in ceteris hominibus inferioribus efficit Deus, secundum sapi- A entiæ suæ inscrutabilem profunditatem, unum pie convertens, alterum juste relinquens. Cetera patent ex præcedenti articulo.

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ECCE OMNIA HÆC VIDIT OCULUS MEUS, ET AUDIVIT AURIS MEA.

NUNC particularius sanctus Job descendit ad reprehensionem et informationem amicorum suorum. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea :* id est, prædictos in præcedenti capitulo divinæ sapientiæ ac omnipotentiæ effectus circa homines, corporalibus oculis vidi in se vel in aliquo signo, vel per visum exteriorem ad eorum cognitionem deveni ; auribus quoque ea ex aliquorum relatu, fama vel instructione percepi ; *et intellexi singula,* per diligentem mentis considerationem, imo potius per divinam illuminationem. *Secundum scientiam vestram et ego novi, nec inferior vestri sum.* Hoc est quod circa
Job xii, 3. præcedentis capituli principium ait, Et mihi est cor sicut vobis, nec inferior vestri sum : quod qualiter non superbe aut præsumptuose, sed humiliter ac discrete sit dictum, ibi expositum est.

Sed tamen ad Omnipotentem loquar, ipsum laudando, orando, causamque meam ei ut judici proponendo, et cor meum coram eo cum debita modestia effundendo :
Thren. ii, 19. juxta illud Threnorum, Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.
Gen. xviii, 27. Sic et Abraham disseruit : Loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis. *Et disputare cum Deo cupio :* non ejus gesta seu judicia temerarie dijudicando, sed veritatem humiliter inquirendo, et percussionis meæ causam plenius investigando, de modo quoque providentiæ ejus, et processu regiminis vitæ humanæ loquendo. Sic B quippe discipulus disputat cum magistro, non ut reprehendat, sed ut informetur ; et rationes se moventes proponit, ut a magistro solvantur. Sic etiam Jeremias ait : Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Jer. xii, 1. *Prius vos ostendens fabricatores,* id est artificiosos compositores, *mendacii,* id est falsi sermonis : quoniam multa mihi crimina imposuistis, ut vestras defendatis erroneas opiniones circa providentiam Dei, putantes nullum puniri a Deo, nisi pro sua culpa. Sic et in Jeremia dicitur de quibus- C dam : Docuerunt linguam suam loqui mendacium ; ut inique agerent, laboraverunt. Ibid. ix, 5. *Et cultores,* id est amatores, tractatores, seu veneratores, *perversorum dogmatum,* quibus asseritis non infligi pœnam, nisi pro culpa, et justis temporalem prosperitatem in vita hac tribui, impiis autem adversa : cujus oppositum sæpe contingit, et supra partim probatum est, infra vero a beato Job clarius efficaciusque probatur. Art. xiv et xv.

Atque utinam taceretis, cessando a defensione errorum vestrorum : quia quo ma- D gis loquimini, eo insipientiam majorem ostenditis. Ideo subditur, *ut putaremini esse sapientes.* Sapientis enim est, docilem, taciturnum, corrigibilem esse, non loquacem aut in sensu proprio pertinacem. Ideo, si taceretis, videremini sapientes, sapientioresque essetis quam nunc ; et tamen non essetis simpliciter sapientes, propter vestras erroneas opiniones. Hinc in Proverbiis legitur : Qui moderatur sermones Prov. xvii, 27, 28.

Digitized by Google

suos, doctus et prudens est. Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.

Audite ergo correptiones meas. Quia ex caritate vos arguo de excessu verborum, de falsitate intellectus, de pravitate affectus. Sic et Sapientia ait in Proverbiis :
Prov. 1, 23. Convertimini ad correptionem meam ; en proferam vobis spiritum meum. *Et judicium labiorum meorum,* id est, judicium reprobationis, quo per veram prudentiam errare vos judico, idque per labia mea denuntio, *attendite,* non statim ex indignatione verba mea more impatientium aversando, sed ea sapienter pensando. Porro, secundum Gregorium, bene primo ponit correptionem, deinde judicium : quia nisi per correptiones primus* stulti tumor deprimatur, nequaquam per intelligentiam judicium justi cognoscitur.

* prius

Numquid Deus indiget vestro mendacio? id est, ad defensionem suæ justitiæ non ei necesse est ut vos proferatis mendosa, asserendo nullum a Deo flagellari, nisi pro propria culpa : ex quo ultra proceditis ad falsam innocentium atque justorum accusationem, quum tales adspiciatis affligi ; *ut pro illo loquamini dolos,* id est versutas ac fraudulentas propositiones ad colorandum vestra mendacia. Denique, veritas non eget mendacio, sicut nec virtus peccato ; et quod probari non valet nisi per falsas præmissas, verum non est. Quum vero quis aliquam falsitatem probare et defensare conatur, fraudulentis uti mediis solet. Ita amici Job, ut suam assertionem defenderent, ipsumque Job comprobarent injustum, cautelose egerunt, extollendo divinam perfectionem, et ostendendo humanam defectuositatem : ex quibus concluserunt beati Job impietatem, quasi Deus per gratiam præservare hominem non posset a ruina per culpam.

Numquid faciem ejus accipitis? id est, in judicio isto, quo inter Deum et me judicatis, illum laudando, me condemnando, faciem Dei seu Deum ubique præsentem et omnia intuentem, approbatis et justificatis per inordinationem in judicio devitan-

A dam, quæ vocatur personarum acceptio, et fit, dum quis manifestam alicujus justitiam negat seu despicit, intuitu magnitudinis alterius partis. Quum ergo amici Job manifestam ejus justitiam negarint, eumque damnarint solo intuitu divinæ justitiæ, quoniam secundum dogmata sua videre non poterant, quomodo salva divina justitia, ipse Job juste a Deo flagellaretur nisi culpæ suæ demerito ; videbantur faciem seu personam Dei accipere. Nam et præinducta magnifica de majestate, æquitate et sapien-
B tia Dei, quasi blandiendo, propter hoc disserebant, ne Deus videretur injustus innocentes plagando. Hinc subditur : *et pro Deo judicare nitimini,* id est, judicando conamini Deum justificare per quæcumque media et falsa? quod Deo non placet, quoniam falsitas displicet ei jugiter propter se ipsam, quum sit obliquatio atque recessus a veritate.

Porro Gregorius exponit hæc aliter, dicens : Faciem Dei accipere, est auctoritatem ipsius in judicando assumere, hoc est,
C quasi divina auctoritate seu in persona Dei, per modum quo judicat Deus, ferre judicium. Deus enim sic judicat, quod ipse nil reprehensibile in se habet, quod ab aliquo judicetur : sicque. secundum Gregorium, amici Job ejus opera reprehenderunt, ac si ipsi reprehensibile nihil haberent. Insuper, pro Deo judicare, est alterius defectus sine compassione discutere et damnare : quod amici Job videntur fecisse, quia dure et invective locuti sunt contra eum. Dicit autem Gregorius :
D Illius solius est peccata hominum sine compassione discutere, qui ex naturæ suæ omnipotentia nescit peccare. Homines vero justi quum pravorum facta redarguunt, suæ semper infirmitatis conscii, eos etsi exterius sæviendo, tamen interius compatiendo redarguunt.

Aut placebit vester inordinatus processus in judicando, *ei quem celare nihil potest,* id est Deo omnia infallibiliter cognoscenti? Interdum enim alicui placet causæ suæ defensio, quamvis sit injusta, vel

Digitized by Google

quamvis fiat per media inordinata, quoniam nescit causam suam esse injustam, aut media illa quibus defenditur, esse distorta : quod in Deo omnia contuente locum nequit habere. *Aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis,* id est callidis contra me processibus, ut putet vos ordinate suam causam contra me defensare? sicut interdum aliquis simplex putat suam causam esse injustam, ideoque non cupit eam defendi; sed ab advocatis persuadetur ei, quod causa sua sit justa, sicque petit ut
s. cxlvi, 5. defendatur. Sed Deus cujus sapientiæ non est finis aut numerus, sic falli non potest.

Ipse vos arguet de vestra inordinata disputatione adversum me : sicut et infra ultimo capitulo patet. Qui enim Deum per falsa commendat, non solum ei non placet, sed insuper displicet, pœnam meretur, et Deo qui veritas est, adversatur, quemadmodum ad Corinthios scribit Apo-
I Cor. xv, 15. stolus : Invenimur (inquit) et falsi testes Dei (videlicet si resurrectio mortuorum non est), quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitavit Christum : quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nempe quidquid veritati contrariatur, divinitus reprobatur. *Quoniam in abscondito,* id est cordis occulto, *faciem ejus accipitis :* secundum sensum præhabitum; ita quod vobis conscii estis, vel saltem essetis, si advertere veritatem velletis, quod judicando inter Deum et me, accipitis faciem ejus : quia justitia mea vobis et omnibus nota fuit, sicque per falsam mei accusationem defenditis Dei justitiam.

Statim ut se commoverit, non per suæ naturæ aliquam variationem, sed per potestatis suæ processum in actum exteriorem, id est, mox quum exercere cœperit ultionem. Juxta hunc modum loquendi, Plato dixit primum motorem moveri. Et Aristoteles Platonem super hoc arguens, verba ejus, non mentem, impugnat. Nam et beatissimus Dionysius ait primo de Divinis nominibus capitulo : Omnes Patre moto illuminationes descendunt. Vel humano modo loquitur Job de Deo, quoniam homo

A vindicaturus, ira seu aliqua affectione intra se movetur, et sic in ultionem progreditur. *Turbabit vos,* per pœnam infligendam, ita quod pacem et tranquillitatem, in qua nunc esse et contra me disputare videmini, ex levi etiam percussione perdetis, qui reprehenditis me quod propter plagam hanc maximam sum turbatus. *Et terror ejus,* id est timor quem ex consideratione Dei et suæ vindictæ concipietis, vel terribilis ejus majestas, *irruet super vos,* id est, corda vestra deprimet ita, quod alia seu
B graviora tormenta timebitis : et hoc dicitur, nisi pœnituissent, sicut sequentia.

Memoria vestra comparabitur cineri, id est, cito cessabit et auferetur, quemadmodum cinis faciliter tollitur, cessat et perit. Sed quomodo verum est hoc, quum usque in præsens per totum mundum tam communis sit virorum istorum memoria, præsertim quum liber hic legitur? Et respondendum, quod loquitur eis tanquam errantibus : sicque eorum memoria cito deperiit, non quasi omnino non manserit,
C sed quia non mansit ad bonum seu ad laudem eorum, quomodo justorum memoria dicitur permanere, juxta illud Proverbiorum : Memoria justi cum laudibus; nomen Prov. x, 7.
impiorum putrescet. Et in Psalmo : In memoria æterna erit justus. Et de impiis : Ps. cxi, 7.
Periit (inquit) memoria eorum cum sonitu. Ps. ix, 7.
Et redigentur in lutum, id est vilem materiam, *cervices vestræ,* anima a corpore separata, quando corpora vestra putrefient et incinerabuntur.

Consequenter Job contra amicos dispu-
D taturus, et eorum falsa dogmata destructurus, audientiam petit. *Tacete paulisper :* quia diu tacere, impatientiæ vestræ esset molestum; ego quoque non inordinate protraham verba; *ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit,* id est, quod ratio dictaverit esse dicendum, non ad quod inclinaverit passio : et ita succinctus ero in verbis.

Quare lacero carnes meas dentibus meis? id est, cur corpus meum dire affligo instar eorum qui præ fame carnem suam man-

Digitized by Google

ducant? Ut enim præhabitum est in expo- A
sitione secundi capituli, pœnam plagæ sibi
Job II, 8. inflictæ Job auxit, saniem testa radendo,
quod fuit quædam corporis laceratio, at-
que in sterquilinio residendo. Juxta hunc
Ps. XXVI, 2. modum David concinit : Dum appropiant
super me nocentes, ut edant carnes meas.
Mich. III, 3. Et in Michæa Dominus ait de impiis : Qui
comedunt carnem populi mei. *Et animam*
meam porto in manibus meis, id est, mor-
ti expono me ipsum, et animam meam se-
parationi a corpore, quemadmodum quod
fertur in manibus, exponi videtur raptori- B
bus. Job autem (ut sæpius patuit) mortem
optavit. Porro, per hoc quod anima alicu-
jus dicitur esse seu portari in manibus,
designat Scriptura aliquod magnum seu
manifestum mortis periculum, seu propin-
quitatem aut dispositionem ad necem. Un-
Judic. XII, 3. de Jephthe reversus de bello : Posui, in-
quit, animam meam in manibus meis. De
David quoque primo Regum, Jonathas di-
I Reg. XIX, 5. xit : Posuit animam suam in manibus suis,
et percussit Philistæum.

Ad hanc quæstionem respondet : *Etiamsi* C
occiderit me, corporaliter usque ad mor-
tem vexando, *in ipso sperabo,* quod mise-
rebitur animæ meæ, et per præsentes tri-
bulationes a futuris æternis eripiar atque
salvificer. Ac si dicat : Præinducta verba
de carnium laceratione non dixi, nec me
ita afflixi mortemque petii, ex desperatio-
ne, ut mihi imponitis, quum propter nul-
lam adversitatem quantumlibet gravem et
magnam, sim desperaturus. Nam, ut ait
Rom. V, 5. Apostolus, Spes non confundit. Et Psalmi-
Ps. IX, 11. sta loquitur Deo : Sperent in te qui nove- D
runt nomen tuum, quoniam non dereliqui-
sti quærentes te, Domine. Vel, Si occiderit
me, id est, spiritualiter occidi permiserit
me : quod fit, dum Deus sinit hominem
mortali obrui culpa ; in ipso sperabo,
Rom. V, 20. quod pœnitenti indulgeat, gratiamque fa-
ciat abundare, ubi abundavit iniquitas :
nec ex præsumptione hoc dico, vel sine
meritis me vere atque salubriter sperare
existimo. Ideo subditur : *Verumtamen vias*
meas, id est cogitationes, affectiones, locu-
tiones et opera, quibus quasi per medium
iter tendo ad ultimum finem ac patriam,
in conspectu ejus arguam, id est, coram
Deo examinabo ac reprehendam, detestan-
do ac emendando quidquid in eis repre-
hensione dignum conspexero. Imo, etsi sine
peccato notabili fuerint viæ hæ, tamen
comparatione sanctitatis ac majestatis di-
vinæ, nullius momenti sunt, nihilque satis
rectum est, secundum Albertum.

Hujus felicis reprehensionis fructum sub-
jungit : *Et ipse erit salvator meus,* id est
dator veræ salutis, quam non tollit nisi pec-
catum. Propter quod ait Isaias : Iste omnis Is. XXVII, 9.
fructus, ut auferatur peccatum. Qui enim
cordialiter se accusat, pœnitet et emenda-
re proponit, remissionem culpæ, infusio-
nem gratiæ, adeptionem gloriæ promere-
tur. Hinc ait Psalmista : Dixi, Confitebor Ps. XXXI, 5.
adversum me injustitiam meam Domino :
et tu remisisti impietatem peccati mei.
Apostolus quoque : Si nos ipsos dijudica- I Cor. XI,
remus, non utique judicaremur. Hoc itaque 31.
vere, non ficte, agam. *Non enim veniet in*
conspectu ejus, id est, Deo per complacen-
tiam non apparebit, non ei placebit, neque
ab eo consequetur salutem, veniendo ad
clarum Dei conspectum, *omnis hypocrita :*
qui aliud intus est, utpote impius, aliud
foris ostendit, quia virtuosum se simulat :
id est, nullus talis in conspectu Dei sic
veniet, nisi pœniteat. Unde Christus tam
sæpe ait in Evangelio : Væ vobis, hypocri- Matth.
tæ. Itemque : Nolite fieri sicut hypocritæ. XXIII, 13, 15,
Amen dico vobis, receperunt mercedem 23, 25, 27,
suam. Et in hoc verbo notat Job suos ami- 29; VI, 16.
cos, qui foris justitiam videbantur defen-
dere ac zelari, quum intus pleni essent
erroribus.

Audite auribus mentis et corporis *ser-*
monem meum, et ænigmata, id est obscuri-
tates seu difficultates in meis latentes ser-
monibus, *percipite auribus vestris :* quæ
diligentissimam considerationem requirunt.
Vel, Ænigmata, id est figurativas locutio-
nes vel similitudines, quibus probo quæ
dico. Hoc etenim spectat ad sapientem, se-
cundum illud Proverbiorum : Animadver- Prov. I, 6.

Digitized by Google

tet parabolam et interpretationem, verba A sapientium et ænigmata eorum.

Si fuero judicatus a Deo vel quocumque judice justo, *scio quod justus inveniar.* Hoc (secundum Thomam et quosdam) non dicit Job de justitia vitæ, quia jam dixit, Job XIII, 15. Vias meas in conspectu ejus arguam; sed de veritate doctrinæ, de qua judicialiter contendebatur. Deus autem infra ultimo capitulo, dat sententiam pro Job, ipsum Ibid. XLII, 7, 8. laudando, quod recta et recte locutus sit coram se. Verumtamen intelligi potest de justitia vitæ, præsertim quum tantæ jus- B titiæ in conversatione fuerit Job, ut Deo Ibid. I, 8. teste non fuerit ei similis in terra, homo simplex et rectus. Ad hoc autem quod homo justificetur a Deo, non oportet quod nunquam peccatum mortale incurrerit, aut nullum habeat veniale: quum et Paulus Act. VIII, 3; IX, 1. tam dire peccaverit, et Spiritu Sancto recepto postea, non prorsus ab omni veniali fuit immunis; sicut nec ceteri Apostoli, nec Joannes Baptista, propter quod dixit Matth. III, 14. ad Christum: Ego a te debeo baptizari. Sed sufficit quod sine mortali peccato sit, et C de venialibus saltem in communi doluerit. Talis autem fuit beatus Job. Unde et nunc dicit se certum, quod justus invenietur, præsertim ab his peccatis, quæ sibi ab amicis suis imponebantur. Sed quomodo potuit certus esse de isto, quum superius Job IX, 20, 21. jam dixerit: Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea? Sed hujus solutio ex dictis ibidem est evidens. Deo enim revelante scire hoc potuit; et variis modis dicitur aliquis justus seu D justificari, ut patet ex dictis. Denique injustus pœnitendo fit justus.

Quis est qui judicetur mecum, id est, contra me disputans, judicetur a Deo an ipse veram justamque teneat partem, an ego? *Veniat,* id est, me accedat. Sic et in Is. L, 8. Isaia dicitur: Quis est adversarius meus? accedat ad me. Quis contradicit mihi? stemus simul. *Quare tacens,* falsitati non contradicendo, *consumor,* id est, graviter intus affligor, et morti propinquo? Justo equidem zelo contra amicorum errores atque mendacia incitabatur, atque ad defendendum veritatem accendebatur: ita quod dolor intus manens inclusus, amplius augebatur; per verba autem quasi evaporans, alleviabatur. Sic ait et Isaias: Væ Is. VI, 5. mihi, quia tacui. Tempus enim loquendi, Eccle. III, 7. et tempus tacendi, ut Salomon protestatur. Defendenda autem est veritas atque justitia, juxta illud Ecclesiastici: Pro anima Eccli. IV, 24, 33. tua non confundaris dicere verum. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia.

Duo tantum ne facias mihi, id est, duo mala pœnalia et disputationis ac responsionis impeditiva, non mihi, o Deus, infligas; *et tunc a facie tua non abscondar,* id est, a collatione tecum disputativa non me abscondam, nec abstraham, sed tecum fiducialiter disputabo. Porro, quod ait, Non abscondar, non ita intelligit, quasi aliquis (absolute loquendo) possit se a Deo abscondere, qui æternaliter, invariabiliter et superclarissime omnia intuetur; sed quoniam homo, quantum in se est, se conatur abscondere Deo, dum ei apparere seu loqui refugit et formidat. Unde et Adam loquitur Deo: Vocem tuam audivi, et timui, Gen. III, 10. et abscondi me. Jonas quoque surrexit ut Jonæ I, 3. fugeret a facie Domini in Tharsis. *Manum tuam longe fac a me,* id est, potestatis tuæ hanc quam patior plagam seu pœnam aufer a me, *et formido tua,* id est timor de te conceptus, timor, inquam, de futuris suppliciis, *non me terreat.* Siquidem duo hæc, scilicet dolor vehemens de malo præsenti, et formido intensa de malo pœnali futuro, actum impediunt rationis. Hoc est quod supra dixit Job: Auferat a me virgam Job IX, 34, 35. suam, et pavor ejus non me terreat; neque enim possum metuens respondere. Præterea quod ait, A facie tua non abscondar, consonat ei quod in Joanne scriptum est: Qui facit veritatem, venit ad lucem, Joann. III, 21. ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Siquidem veritas non quærit angulum, sed falsitas et peccatum. Hinc qui bonæ conscientiæ securitate aut confi-

Digitized by Google

dentia est armatus, non se subtrahit aut abscondit a Deo ac luce virtutis*, sed quem conscientia sua remordet, secundum illud Joannis : Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

* veritatis

Joann. III, 20.

Consequenter ostendit se paratum in disputatione cum Deo habenda ad actum opponentis, et insuper ad actum respondentis, quasi indifferens ad utrumque, et Deo quasi dans optionem : non quod velit objicere ad reprehendendum, sed ad veritatis notitiam adipiscendam, ut dictum est plenius. Unde ista sunt verba bonæ fiduciæ et familiaritatis cum Deo, non ex superbia aut præsumptione, quasi velit de pari cum Deo contendere. *Voca me,* id est, jube me apparere ad respondendum, *et ego respondebo tibi* pro posse, rationem pro veritate reddendo, et vera quæ dixi defendendo ; *aut certe loquar,* proponendo et inquirendo quæ movent me, *et tu responde mihi,* me instruendo ac certificando de dubiis.

Responde mihi, *quantas habeo iniquitates et peccata ; scelera mea atque delicta ostende mihi.* Hic sanctus Job, in disputatione quam cum Deo aggreditur ut instruatur ab eo, assumit personam proponentis seu opponentis. Præterea, quoniam amici ejus sibi a principio imposuerunt, quod pro suis peccatis esset percussus, imo pro gravibus excessibus esset tam graviter cæsus, ideo Deum primo deposcit, ut eum de hac re plenius doceat. Responde mihi, id est, mihi te, o Deus, sciscitanti ostende per inspirationem occultam seu angelicam revelationem, *quantas,* id est quam intensas, graves seu magnas, *habeo iniquitates,* ut amici mei calumniantur. Quasi dicat : Si, ut illi affirmant, pœna non infligitur nisi pro culpa, ita quod ista supplicia pro meis peccatis sustineo, tunc utique valde graves habeo iniquitates : quia pro majori culpa infligitur major pœna ; ego autem gravissime sum plagatus. Hæc ergo humiliter sciscitatur, ad excludendum falsam suæ flagellationis causam, quam amici ejus asserebant esse ipsius iniquitatem ; et

A etiam, ut clarius desuper illustretur. *Et peccata.* Quædam peccata fiunt in proximum, quæ hic designantur per iniquitates ; quædam in se ipsum, ut vitia gustus et tactus, quæ ipsius peccantis personæ et corpori maxime nocent, quæ jam per peccata notantur ; quædam fiunt directe in Deum, quæ sunt contra tria præcepta primæ tabulæ, ut sunt infidelitas, blasphemia, sacrilegium, odium Dei : et ista vocantur *scelera,* quasi accusatione dignissima. Rursus, præcepta divina duplicia sunt, scilicet

B affirmativa : et contra hæc sunt peccata omissionis, quæ hic dicuntur *delicta,* quasi derelicta, quia in eis homo omittit et negligit quod Deus fieri jubet. Alia sunt præcepta negativa : contra quæ sunt peccata commissionis, in quibus homo agit quæ fieri Deus prohibuit, ut quum ait : Non occides. Petit itaque Job, ut si hujusmodi mala habuerit, vel de eis (si quæ habuit) non pœnituerit, sibi a Deo pandatur.

Exod. XX, 13; Matth. V, 21.

Deinde ex caritatis fiducia querulose interrogat :

C *Cur faciem tuam abscondis ?* id est, pietatis tuæ respectum, consolationem relevamenque subtrahis, quantum ad hoc quod permittis me gravissimis animæ corporisque doloribus affici, nec me pro relevamine deprecantem exaudis. Hinc infra etiam ait : Sto, et non respicis me ; clamo ad te, et non exaudis me : mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Hinc subdit, *et arbitraris me inimicum tuum ?* id est, ita affligis me, quasi impius essem, et per consequens

Job XXX, 20, 21.

D inimicus tuus, qui odisti omnes qui operantur iniquitatem : juxta illud Sapientiæ, Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Hoc est quod supra jam dixit : Quare posuisti me contrarium tibi ? Verumtamen, absolute loquendo, Deus tempore afflictionis hujus non abscondit faciem suam a Job, nec eum sibi adversarium arbitrabatur : imo gratiosissime eum adspexit ac conservavit in anima, paternaliter castigavit in corpore, illuminavit et spiritu prophetico decoravit in mente. Sic loquitur more affli-

Ps. V, 7.

Sap. XIV, 9.

Job VII, 20.

Digitized by Google

ctorum, qui verba doloris sui expressiva A solent effari.

Deinceps ad provocandum clementiam Dei, hoc est ad impetrandum ejus auxilium, inducit verba humanam fragilitatem infirmitatemque signantia. *Contra folium quod vento rapitur,* id est in me et ad meam afflictionem, qui folio quod vento impellitur, similis sum : quia res sum labilis atque infirma ; et ut folium vento movetur, sic ego variis cogitationibus, affectionibus, tentationibusque impellor et
Is. LXIV, 6. feror seu moveor ; juxta id Isaiæ : Cecidi- B mus quasi folium universi ; iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos ; *ostendis potentiam tuam,* qua me faciliter dejecisti atque vicisti. Quasi dicat : Potestas tua quum sit immensa, importabilis mihi est ; nec decens videtur, ut eam in tam infirma ac fragili creatura ostendas. Ista sunt verba misericordiæ provocativa, non reprobativa operationis seu dispositionis divinæ.

Et stipulam siccam persequeris, id est, me veteranum instar stipulæ per ætatem et infirmitatem siccatum, graviter impetis C et invadis, continuando plagas tuas in me. Denique homo in juventute assimilatur herbæ virenti, in senectute autem stipulæ siccæ. Quemadmodum vero Job, ita et alii viri virtutum, præsertim in tribulationibus constituti, infimis ac vilibus rebus se comparant, prout primo Regum David ait
I Reg. XXIV, 15. ad Saul : Quem persequeris, rex Israel ? quem persequeris ? Canem mortuum persequeris, et pulicem unum. Sic quoque secundo libro Regum, Miphiboseth loqui-
II Reg. IX, 8. tur David regi : Quis ego sum servus D tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei ? Certum est autem, quod homines tribulati ea libenter allegant, quæ aliquo modo possint eis pro relevamine cooperari. Ita et Job divinam potentiam atque humanam imbecillitatem commemorat, ut quasi ratiocinando concludat, quod deceat Deum homini misereri : sicut si robustissimus pugil aut gigas projecisset puerulum in terram sub pedibus suis, deceret ut eum pie erigeret.

Scribis enim, id est, memoriter tenes, sicut quod scriptum est firmiter manet, *contra me,* id est ad mei gravamen, *amaritudines,* id est culpas diu præteritas, quæ ad amaritudinem ultionis perducunt, et suo remorsu quem pariunt, mentem affligunt. Nam et animus inordinatus sibi ipsi solet esse pœnalis. Vel, Amaritudines, id est pœnas amaras, quas mihi (sicut præordinasti) inflixisti ; quas in me quoque efficis perdurare, quemadmodum durat verbum scriptum, non dictum. Unde et infra loquitur Deo : Signasti quasi in sacculo Job XIV, 17.
delicta mea. Et dixit supra : Sagittæ Do- Ibid. VI, 4.
mini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.

Præterea advertendum, quod Job loquitur affectu dolentis, qui vocabulis sæpe improprie utitur, magisque loquitur secundum id quod ratione doloris aut foris apparet, quam secundum id quod in occulto veritas habet. Unde flagellatio Job, a Deo pie pro illius profectu permissa, non fuit proprie persecutio, sed exercitatio atque probatio, purgatio, gratiarumque auctio. Similiter Deus non scripsit contra eum ipsius peccata, de quibus pœnituit : quin quoad culpam ea pœnitenti statim indulsit. Sed pœnam interdum reservat in posterum : sicque (ut ante aliqualiter tactum est) una causarum percussionis Job fuit, ut a pristinis culpis, etiam quoad pœnam, eriperetur in sæculo isto. Illa tamen causa non fuit principalis, neque præcipua : quia et ipse Job satisfecisse ante percussionem suam credendus est, quamvis forte non penitus plene. Propter quod subdit : *et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ,* id est, per infirmitatem hanc meam vis me (ut videtur) usque ad mortem affligere, propter peccata mea in adolescentia mea commissa, tanto tempore mihi pœnam reservans. Quod nimis rigorosum apparet, eo quod adolescentia fluxibilis sit, instabilis ac lasciva : propter quod in Ecclesiaste habetur, Adolescentia Eccle. XI, 10.
et voluptas vana sunt. Hinc peccatis illius ætatis facilius indulgendum censetur.

Digitized by Google

Posuisti in nervo pedem meum, id est, spirituales pedes meos, videlicet cordis affectum et intentionem, operumque processum, tua lege frenasti, et sub jugo disciplinæ ligasti, ne huc illucque libere ac injuste vagarer et prævaricarer, sicut pedes incarceratorum ligantur in nervo atque compedibus. Hæc est maxima misericordia Dei, qua suos electos a pravis itineribus retrahit, a peccatis refrenat, et per semitas sibi placentes deducit, juxta illud Sa-
Sap. x, 10. pientis : Justum deduxit Dominus per vias
Ps. LXXII, 24. rectas. Et in Psalmo : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. O quam beati sunt, qui hoc ex sententia dicere habent, horumque verborum gustant virtutem ! qui utique omne bonum quod habent, Deo devotissime gratissime-
Ps. XXII, 3. que adscribunt, dicentes id Psalmi : Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum, id est ob sui ipsius propriam benignissimamque bonitatem. Verumtamen verbum hoc aliter potest intelligi, eritque sensus : Posuisti, etc., id est, plaga tua gressus meos velut quodam nervo seu cippo arctasti, ita quod præ infirmitate progredi
Job VII, 12. nequeo. Unde superius dixit : Circumdedisti me carcere.

Et observasti, id est, diligenter considerasti ad judicandum ac præmiandum, *omnes semitas meas,* id est interiores actus animæ meæ in cogitando, appetendo, atque similibus ; *et vestigia,* id est exteriora opera seu processus, *pedum meorum,* tam corporalium quam spiritualium, scilicet affectionum et intentionum seu consiliorum, ex quibus opera proficiscuntur, *considerasti.* Quum enim semitæ dicantur strictiora itinera, recte per eas actus interiores signantur, qui subtiliores sunt, efficaciusque atque directius ducunt ad Deum, quam opera exteriora, in quibus non est ratio meriti neque demeriti, nisi ex interioribus actu
Ps. XXXII, 15. et habitu. Hinc de Deo ait Psalmista : Qui intelligit omnia opera eorum. Et rursus :
Ps. VII, 10. Scrutans corda et renes, Deus. In Prover-
Prov. V, 21. biis quoque habetur : Respicit Dominus viam hominis, et omnes gressus illius con-

A siderat. Imo, tam distincte atque plenissime Deus universos hominum actus perpendit, judicat, numerat, ut et corporalium pedum, ceterorumque membrorum usum, progressum, cunctaque gesta observet, in quantum ex deliberata ratione procedunt. Sic enim sunt vel meritoria, vel demeritoria, præsertim quum secundum probabilem positionem, quam et Thomas defendit, in actibus humanis non sit indifferens, ita quod omnes actus hominis, qui ex rationis deliberatione procedunt, qui proprie actus

B humani vocantur, sunt vel meritorii vel demeritorii : sicque singuli sub providentia cadunt divina. Propterea Jeremias inducit : Fortissime ; magnus consilio et
incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi Jer. XXXII, 18, 19.
aperti sunt super omnes filios Adam.

Grandis ergo et maxima nobis ratio est bene vivendi, quum ante oculos strictissimi Judicis cuncta cernentis, nilque impræmiatum relinquentis, cuncta agamus, et quæ agenda sunt omittamus. Ideo ait Psalmista : Servavi mandata tua et testimonia Ps. CXVIII,

C tua, quia omnes viæ meæ in conspectu 168.
tuo.

Qui quasi putredo consumendus sum, id est instar putredinis redigendus in vermes et in cineres, quantum ad corpus meum : secundum illud Ecclesiastici, Quum mori- Eccli. X, 13.
etur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes. *Et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Quemadmodum enim tineæ de vestimento nascuntur, et illud corrodunt : sic corpus ante mortem consumitur a naturali calore velut a tinea ; post mor-

D tem vero de ipso corpore vermes gignuntur, a quibus corroditur, juxta quod in Isaia legitur : Subter te sternetur tinea, et Is. XIV, 11.
operimentum tuum erunt vermes. His verbis denuo suam fragilitatem fatetur, ut tanto sit ei Deus clementior, quanto ipse se fragiliorem veraciter recognoscit. Quasi dicat : Pene mirum videtur, quod creaturam tam fragilem sic indesinenter observas, tam districte judicas ac graviter punis.

Qui autem a judice est percussus, appetitque ab eo curari, omnia illa libenter

Digitized by Google

commemorat et ei proponit, ex quibus aliqua videtur posse persuasio elici aut ratio sumi, ad obtinendam judicis propitiationem atque optatam salutem aut sanitatem. Denique, juxta industriam hanc subjungit, pandendo hominis fragilitatem, defectuositatem, miserabilitatem in ejus ingressu, progressu, egressu : ingressu, inquam, in mundum hunc per nativitatem ; progressu, per vitæ extensionem seu continuationem ; egressu de mundo, per mortem.

Itaque quod de se singulariter dixit, de homine communiter seu ipso genere humano prosequitur atque ostendit, subdendo : *Homo,* quicumque sit ille, *natus de muliere,* infirmo et fragili vasculo. Mulier enim a molliendo quasi mollis aer dicitur. Et quod de homine nato asseritur, de feminis quoque, non de viris tantum, accipitur, quamvis adjectiva sequentia masculina, videantur ad masculos homines determinare. Denique, omnis homo de muliere est natus, demptis primis parentibus. Nam et de Christo ait Apostolus ad Galatas : Misit Deus Filium suum, factum sub lege, natum ex muliere. Cui et Christus dixit in passione : Mulier, ecce filius tuus. In quibus sermonibus mulier sexum, non connubium, notat. Quum ergo homo de muliere nascatur, mollis et tener est, ad bona virtutum debilis ex se ipso, fortis ad ea ex Deo : cujus electi, quantum ad esse naturæ, nati sunt ex muliere, non autem quantum ad esse gratiæ. Propter quod a Joanne de eis inductum est : Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Gen. I, 27; II, 21, 22. *Galat.* IV, 4. — *Joann.* XIX, 26. — *Ibid.* I, 13.

Brevi vivens tempore. Nam et naturalis periodus vitæ humanæ est brevis, sicut in Psalmo habetur : Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Multorum autem irrationalium animalium naturalis vivendi periodus, duratio seu mensura, multo diuturnior est periodo vitæ humanæ. Porro, quod aliqui ante diluvium vel etiam postea tam diu vixerunt, miraculo magis adscribitur quam naturæ. Quidam vero homines brevissimæ vitæ sunt, qui vel in infantia, A vel in adolescentia aut in pueritia moriuntur. Postremo, quantumlibet vitæ hujus duratio protendatur, nihilo minus comparatione æternitatis quæ restat, momentanea comprobatur. De brevitate quoque vitæ præsentis tot dicta et allegata sunt, ut ea repetere vel plura adjicere, superfluum judicetur.

Ps. LXXXIX, 10.

Repletur multis miseriis, id est malis pœnæ et culpæ, defectuositatibus naturalibus, adversitatibus, morbis, angustiis. Maxime autem misera reputanda est vita hæc B propter peccata, quæ omni die abundanter innumerabiliterque incidimus, juxta illud Proverbiorum : Miseros facit populos peccatum. Hinc et Christus testatur in Psalmo : Quia repleta est malis (scilicet pœnalibus) anima mea. Et in Ecclesiastico legitur : Jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventiones exspectationis, et dies finitionis ; a præsidente super sedem gloC riosam, usque ad humiliatum in terram et cinerem ; ab eo qui utitur hyacintho et portat coronam, usque ad eum qui cooperitur lino crudo. Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, timor mortis, fames, flagella et mors. Sic et Salomon : Vidi, inquit, cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.

Prov. XIV, 34. — *Ps.* LXXXVII, 4. — *Eccli.* XL, 1-4, 9. — *Eccle.* I, 14.

Qui quasi flos egreditur et conteritur : id est, quemadmodum flos exit de terra, et primo viret, deinde cito marcescit; sic homo in infantia de ventre parentis progrediD tur, et in flore ætatis apparens ad modicum, deinde statim deficit et decrescit, siccatur, arescit : sicut in Psalmo cantamus, Homo sicut fœnum dies ejus, et tanquam flos agri sic efflorebit. Hinc in Isaia fertur : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri. *Et fugit velut umbra,* id est, indesinenter tendit, propinquat, imo et currit ad mortem. Propter quod primo Paralipomenon libro loquitur David : Dies nostri sicut umbra super terram, et nulla est mora. Itemque in Psalmo : Homo vani-

Ps. CII, 15. — *Is.* XL, 6. — I *Par.* XXIX, 15. — *Ps.* CXLIII, 4.

Digitized by Google

tati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt. Unde in Sapientiæ libro, *Sap.* II, 5. etiam impii hoc testantur : Umbræ transitus est tempus nostrum.

Et nunquam in eodem statu permanet, id est, in una dispositione fixus non manet per tempus notabile, et forte nec per momentum omnifarie. Licet enim secundum mentem ad tempus stabiliter Deo inhæreat et intendat per contemplationem interioresque actus virtutum theologicarum ac donorum et latriæ seu pœnitentiæ; in corpore tamen continua alteratio, variatio seu motio esse cognoscitur. Sed et mens dum sic Deo fixe et amorose intenta est, in pristino statu non manet, sed crescit et proficit : et in actu hujusmodi diu non figitur, sed ad propriam defectuositatem cito relabitur. Quumque debitam diligentiam non adhibuerit ad vitandum Dei offensam, ad complendum ejus voluntatem, ad profectum virtutum, mox a pristino statu cadens, decrescit. Ideo dicit Bernardus : In via Dei non proficere, est deficere; non progredi, est regredi; non crescere, est decrescere. Unde verissimum est illud Ec- *Eccli.* XXVII, 4. clesiastici : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est, conscientia tua lædetur, mensque tua a summo cadet ad infima. Hinc, *Mich.* VI, 8. juxta Michæam prophetam, oportet cum Deo sollicitum ambulare; et juxta Salo- *Prov.* IV, 23. monem, omni custodia cor custodire. Quocirca Gregorius pulchre scribit : Hoc ipsum, inquiens, nostrum vivere, quotidie a vita transire est. Nam postquam homo deliquit, in quodam se temporalitatis lubrico posuit : quam mobilitatem etiam interius patitur, dum ad opera surgere meliora conatur. Mens etenim mutabilitatis suæ pondere ad alia semper impellitur; et nisi in statu suo arcta disciplina custodiæ teneatur, semper ad deteriora dilabitur.

Denique, affectiones animarum nostrarum sunt valde mutabiles. Jam enim lætamur, jam contristamur; jam ira nos pulsat, jam mititas afficit; jam tranquillitate fungimur, jam inquietudine agitamur :

A nunc timor, nunc securitas; nunc dolor, nunc sospitas; jam devotio, jam distractio; nunc mentis ubertas, nunc cordis sterilitas. Ex quibus omnibus patet, quasi immensa imperfectio nostra atque distantia a primo, summo, perfecto et incommutabili ente : in quo non est transmutatio, *Jacob.* I, 17. nec vicissitudinis obumbratio.

Itaque, considerata Dei altitudine et hominis vilitate, sanctus Job miratur diligentiam providentiæ Dei ad hominem, quodque Altissimus tantam de re fragili habet

B curam. Ideo subdit : *Et dignum ducis super hujuscemodi* creaturam tam imperfectam *aperire oculos tuos*, id est curam ejus habere, ei de necessariis providere, omnia ejus considerare, legem ac præcepta præbere, ejusque jugiter memorem esse? juxta id Psalmi : De cœlo respexit Dominus; vi- *Ps.* XXXII, 13, 14. dit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Denique in isto apparet immensa dignatio Dei, velut si potentissimus rex, infimos subditorum suorum tam

C provide curet ac dirigat. Quo enim major est Dei celsitudo et dignitas, et major imperfectio nostra, eo major in istis ostenditur Dei dignatio. *Et adducere eum tecum in judicium*, id est eum ad judicandum tibi adsistere, et de universis judicare ac præmiare? Hoc utique exigit sapientia atque justitia Dei. Non enim frustra contulit homini rationem, sed ob debitum finem, ut scilicet ea utatur, et Deo fideliter obsequatur. Unde qui ita se habet, laudem et gloriam promeretur; qui aliter, pœnam.

D Propterea in Ecclesiaste dicitur : Cuncta *Eccle.* XII, 14. quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum. Per Jeremiam quoque : Ego sum, inquit, *Jer.* XXIX, 23. judex et testis. Atque in Psalmo : Judica- *Ps.* XCVII, 9. bit orbem terræ in æquitate; judicabit populos in justitia.

Deinde ostendit qua virtute homo salvetur in Dei judicio. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* id est, quis potest hominem ex immundo infectoque semine patris conceptum, a pec-

Digitized by Google

catis purgare, virtutibus decorare? *Nonne* A *tu?* qui per essentiam mundus, sanctus, virtuosusque es; qui solus peccata dimittis, gratiam creas, virtutes infundis. Imo, secundum Augustinum, majus miraculum est justificatio impii, quam creatio mundi, quum in justificatione tali sit aliquid quasi resistens, scilicet mala voluntas, in creatione autem nihil resistit. Et quamvis sacramenta et homines dicantur aliquem purgare, gratiis adornare, perficere et salvare, hoc tamen [non] propria potestate, nec auctoritative ac principaliter agunt, B sed virtute divinitus data, et dispositive ac instrumentaliter. Porro semen (secundum Augustinum) immundum vocatur propter annexam libidinem, quæ fomes et nutrimentum est improbæ voluntatis ad culpam: quæ libido in semine ante animæ infusionem, dicitur esse quasi in radice.

Qui solus es: id est, solus omniformiter ac quomodolibet perfectum esse habes, in quo nihil est de non esse, nihil de imperfecto esse; sed tu es ipsum supersimplicissimum esse, plenum, perfectum, immensum: in quo est omnis beatitudo, perfectio, sanctitas, gloria, pulchritudo, voluptas cum plenitudine penitus infinita, sine omni limite et mensura. Itaque dicitur Deus solus esse, quoniam comparatione sui esse, creatum esse est magis non esse, quam esse, utpote ab illo deficiens infinite, sicut comparatione Dei nemo bonus, nullus sapiens, *Marc.* x, 18.
nullus sanctus. Hinc, *esse* ponitur nomen Dei, ipsomet Deo sublimi et benedicto, superessentiali et superglorioso, dicente ad Moysen: Ego sum qui sum. Hæc dices fi- *Exod.* III, 14.
liis Israel: Qui est, misit me ad vos. Hinc ait Hilarius: Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis vel rei generis proprietas.

ARTICULUS XXXII

DE TROPOLOGIA EJUSDEM CAPITULI TERTIIDECIMI.

Si aliquoties ratio exigat, ut contra ve- C ritatem protervientis, garrientis ac disputantis pompam ac præsumptionem sagaciter retundamus, ne veritas patiatur jacturam, non superbe aut impatienter loquamur; sed beati Job sequamur modestiam: qui quum valde sapientior esset disputantibus secum, non passionate se extulit, nec præsumptuose locutus est, Plus scio quam vos; sed modeste effatur: *Secundum scientiam vestram et ego novi.* Etenim qui minus dicit, majus non negat, sicut et numerus minor non excludit ma- D jorem. Aliquando autem necesse seu utile est, ut homo gratiam sibi concessam aperiat ad Dei honorem, ad veritatis atque justitiæ defensionem, ad spei confortationem, ad tentationis repulsionem, ad aliorum

ædificationem, quum dicat Salvator: Lu- *Matth.* V, 16.
ceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Sed tamen ad Omnipotentem loquar. Non sic propriæ vilitatis, vitiositatis et contemptibilitatis intuitu dejiciamur, pusillanimesve reddamur, ut ad Omnipotentem loqui non audeamus: imo consideratione superinfinitæ bonitatis, caritatis et misericordiæ ejus, consolemur, confidamus, inflammemur et invalescamus, atque cum Omnipotente loquamur, cum filiali timore, grandi reverentia, ferventi amore, ipsum laudando, orando, jugiterque circa ipsum nos mentaliter occupando. Præterea, secundum philosophos, actio dignificatur, nominatur, speciemque sortitur ab objecto seu termino

Digitized by Google

ad quem. Quum ergo Deus superbeatissimus, sit prorsus in infinitum universis et singulis melior atque præstantior, nonne dignitatis præclaræ est circa ipsum sic occupari, in ipsum tendere et moveri, in ipso actum finire ac mentem defigere? Itaque deliciosius valde sit nobis, Omnipotentem affari, cum Christo miscere colloquia, in Domino occupari, quam cum hominibus fabulari, et tempus infideliter perdere.

Et cum Deo disputare cupio : non divinæ sapientiæ profunditatem præsumptuose scrutando, vel divinæ justitiæ judicia reprobando; sed incomprehensibilium operum ejus aliqualem rationem quærendo, et quidquid ad promerendam misericordiam Dei facere potest, diligentius proponendo. Sic disputavit cum Deo Jeremias, dicendo:
Jer. xiv, 8. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Ha-
Habac. i, 13. bacuc quoque propheta : Mundi sunt, inquiens, oculi tui, Domine, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non potes. Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justiorem se? *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.* Hoc contra hæreticos, qui de cordibus suis vanissima sibi idola fingunt, mendacia artificiose componunt, et propria documenta tanquam simulacra venerantur, dicere nos oportet. Itemque contra boni communis hostes, contra religiosorum adversarios, contra voluntarie et ex industria mentientes, dicenda sunt hæc ab eo cui incumbit ratione officii seu debito caritatis. Qui etiam loquacibus, quorum ad se spectat correctio, dum ad loquendum sunt immoderati, dicere potest : *Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.* Sermo enim est cordis ostensor. Et qualis vir, talis oratio, id est locutio, ut Seneca ait. Ideo immoderantia fandi, latentem cordis pan-
Matth. xii, 34. dit stultitiam, quum dicat Salvator : Ex abundantia cordis os loquitur. Et in Pro-
Prov. xv, 2. verbiis habetur : Os fatuorum ebullit stultitiam. Quum enim refrenatio linguæ sit signum sapientiæ, juxta illud Proverbiorum,
A Qui moderatur labia sua, prudentissimus Prov. x, 19.
est : taciturnitas prætendit prudentiam, facitque hominem reputari prudentem. Loquacitas vero, insipientiæ exstat indicium,
quemadmodum Salomon contestatur : To- Ibid. xxix, 11.
tum spiritum suum profert stultus; sapiens differt et reservat in posterum. Ecclesia-
sticus quoque ait : Homo sapiens tacebit Eccli. xx, 7.
usque ad tempus; lascivus et imprudens non servabunt tempus.

Audite ergo correptiones meas. Hoc singuli impleamus, dum a superioribus nostris,
B vel a quocumque caritative corripimur. Hoc enim est boni ac docilis viri, et sapientiæ ac humilitatis indicium. Superbi equidem correcti, mox indignantur, parvipendi nolentes. Unde in Proverbiis scribi-
tur : Qui odit increpationes, insipiens est. Et Prov. xii, 1.
alibi : Vir sapiens non murmurabit corre- Eccli. x, 28.
ptus. Itemque : Qui acquiescit arguenti, glo- Prov. xiii, 18.
rificabitur. *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Hoc testimonio contra eos utamur, qui hypocrisi pleni sunt; contra simulatores et
C callidos; contra falsitatis magistros, qui se ipsos justificare et alios reprehensibiles ostendere cupientes, ut veraces et justi putentur, sublimia dicunt de Deo intentione dolosa, et falsa vera esse probare conantur per veritatum assumptiones, seu Scripturarum allegationes, juxta illud Apostoli ad
Romanos : Qui commutaverunt veritatem Rom. i, 25.
Dei in mendacium. De quibus in Isaia ha-
betur : Posuimus mendacium spem no- Is. xxviii, 15.
stram, et mendacio protecti sumus. Porro, qui verax et justus est, non in sui defen-
D sionem et opem assumit mendacium; nec veritas, quum sit res firmissima, sicut in
apocryphis Esdræ habetur, quod super om- III Esdr. iii, 12.
nia veritas vincit, eget mendacio, quod infirmissimum judicatur. Unde in secunda
ad Corinthios epistola dicit Apostolus : Non II Cor. xiii, 8.
possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Ex hoc verbo discamus immobiliter, firmissime, filialiterque semper in Deo sperare, in omni eventu, adversitate, infirmi-

Digitized by Google

tate, etiam quando non exaudimur ab eo ad libitum, certi quod ipse sit bonitatis atque clementiæ infinitæ, caritatis ac veritatis immensæ. Idcirco impossibile est, ut in se confidentem relinquat. Imo speranti in se omnia convertit in melius, et firma in ipso spes maxime placet ei; estque meritoria valde. Deus quoque sperantibus in se auxilium suum in Scripturis uberrime polli-
Ps. xc, 14. cetur. Etenim ait : Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Ad Jeremiam quo-
Jer. xxxix, 18. que : Eruens liberabo te; et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti
Eccli. ii, 11. fiduciam. Hinc Ecclesiasticus monet : Respicite, filii, nationes hominum; et scitote quia nullus speravit in Domino, et confu-
Prov. iii, 5. sus est. In Proverbiis quoque : Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Merito ergo ait
Ps. lxxxiii, 3. Psalmista : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Hinc jugiter propriam fragilitatem, infirmitatem, insufficientiam, atque ad omne malum deplorandissimam proclivitatem pensantes, et Dei benedicti immensam potentiam, infinitamque pietatem considerantes, non in nobis, sed in Deo speremus, gloriemur et quiescamus. Sicque veraciter erimus fortes, secundum
I Mach. ii, 61. illud Machabæorum : Omnes qui sperant in Domino, non infirmantur. Et Psalmista :
Ps. xxv, 1. In Domino sperans non infirmabor.

Circa hæc scribit Gregorius : Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere est patiens, qui quum adversis atteritur, nec tamen a spei suæ rectitudine incurvatur. De reprobo etenim scriptum est:
Ps. xlviii, 19. Confitebitur tibi quum benefeceris ei. In hoc itaque mens justa ab injusta discernitur, quod omnipotentis Dei laudem et inter adversa confitetur; quod adversis non frangitur.

Postremo, si sapienter perpendimus, quanta sit bonitas, caritas, clementia Dei in semetipso, quantam insuper nobis caritatem clementiamque ostendit, præsertim in Verbi incarnatione, passione, et Sancti Spiritus missione, diffidere non valemus.

A Imo, si occiderit nos, in ipso sperabimus. Nam et Deus tanquam benignissimus pater, potentissimus dominus, fidelissimus quoque adjutor, præcipit et requirit ut in ipso jugiter confidamus : quod cur facit, si desperatio sibi summe non displicet? Sperantem vero in Domino misericordia Ps. xxxi, 10.
circumdat.

Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam : id est, non sic in Deo sperabo, ut nuda informique spe me arbitrer posse salvari; sed pœnitentiæ actibus ad-
B hærebo, coram Deo me in omnibus accusabo, peccata mea pure mala fatebor. Si boni quid egero, imperfectiones adjunctas mihi adscribam; quidquid autem virtutis exstiterit, Deo attribuam. Præterea, decet et expedit quemlibet Christianum, potissime religiosum, quotidie bis ad minus, scilicet mane et sero, cor suum intra se revocare, colligere, atque ad Deum erigere: ut de mane commemoret, Deoque fateatur, ac defleat, quidquid culpæ in nocte incurrerit; similiter sero faciat pro culpis tota die habitis
C seu commissis : et post talem sui reprehensionem satagat detestata peccata corrigere ac vitare, humiliter de se sentire, omnem elationis motum abjicere. *Et ipse erit salvator meus.* Ideo de sperantibus dicit
Psalmographus : Adjuvabit eos Dominus, Ps. xxxvi,
et liberabit eos, et salvabit eos; quia spe- 40.
raverunt in eo. Itemque : Voluntatem ti- Ps. cxliv,
mentium se faciet, et deprecationem eo- 19.
rum exaudiet, et salvos faciet eos. Nempe eo ipso quod nostra piacula reprehendimus, confitemur, deflemus, ipse tanquam
D misericordissimus mox indulget, gratiamque refundit et gloriam præparat.

Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. Hypocritæ virtuosos se simulant, vel aliud repræsentant quam sunt. Hypocritæ nempe dicuntur fictores, simulatores, repræsentatores aliarum personarum. Isti coram Deo vias suas non arguunt, nec conscientiam suam examinant, non mentem simplificant, nec animam purgant; sed duplices sunt et sophistæ, simplicissimo Deo præcipue difformes ac displi-

Digitized by Google

Eccli. xxxvii, 23, 24. centes. Unde Ecclesiasticus scribit : Qui sophistice loquitur, odibilis est. Non est illi data a Domino sapientia. In talibus præ- *Prov. xiv, 9.* sertim impletur illud Proverbiorum : Stultus illudit peccatum. Dum enim alios fallere quærunt, se ipsos gravius infeliciusque decipiunt. Ideo fugiamus, detestemur, odiamus hypocrisim, et mente pura ac simplici Deum semper et ubique in cunctis quæramus. *Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.* Hoc dicere possunt, qui ex speciali revelatione sciunt se esse in caritate. In quorum persona ait Apostolus : *Rom. viii, 35.* Quis nos separabit a caritate Dei? *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.* Hoc juxta expositionem præhabitam orare possumus, quando graviter valde affligimur : optare namque debemus mentem tranquillam, securam, imperturbatam.

Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata ; scelera mea atque delicta *Jacob. iii, 2.* *ostende mihi.* Quia in multis offendimus omnes, in tantum, ut pene vel prorsus innumerabilia sint peccata nostra tam omissionis quam commissionis, quæ latent nos ipsos ; nec universa et singula ad memoriam revocare valemus sine illuminatione divina : hinc necessario orare habemus, ut Deus sua unctione piissima, illuminatione angelica, prælatorum instructione paterna, lectione aut aliis modis dignetur nobis respondere sive ostendere, quanta habeamus peccata ; imo, quæ, quanta et qualia, ut enormitatem eorum noscentes, quælibet ut oportet pœnitentialiter emendemus. Hinc etiam confessurus præmeditari diligentissime debet, in quibus aut quomodo Deum offendit : pro illuminatione quoque compunctionisque gratia exorare, attendentes *Ps. xviii, 13, 14.* illud in Psalmo : Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Denique, dum ab aliquo, potissime a superiore, arguimur, in Domino gratulemur, gratias ei agentes, quia respondet nobis quantas habeamus iniquitates et peccata. Quod si in illis quæ nobis objiciuntur, nobis conscii non fuerimus, nihilo minus patienter feramus, attendentes quam innumerabilia sint peccata, quibus latenter obnoxii sumus.

Cur faciem tuam abscondis? Quo quis justior est, Deumque ardentius diligit, eo cordialius illi cupit uniri. A tali autem suo amatore Deus interdum in vita hac consuetam contemplationis gratiam, solitæ consolationis suavitatem, pristinæ gratiositatis experimentalem præsentiam, ad tempus dispensative suspendit propter varias rationes. Verum devotus amator superdilectissimi Dei occultationem perpeti æquanimiter nequiens ex amoris sancti ardore, conqueritur amorosa querela, dicendo : Cur faciem tuam abscondis? id est, noli eam diutius mihi abscondere : juxta illud Canticorum, Ostende mihi faciem tuam, *Cant. ii, 14.* sonet vox tua in auribus meis. Quæ licet sint Sponsi ad Sponsam, tamen ibidem post pauca Sponsa æquivalenter eidem loquitur Sponso : Revertere, inquiens ; dilecte *Ibid. 17.* mi, similis esto capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.

Et arbitraris me inimicum tuum? Non tam asserendo, quam blandiendo, hoc dicitur in viri justi persona. Quasi dicat : Ita te a me te desiderante, et super omnia diligente, abscondis, quasi tibi displicens et inobediens essem. Verumtamen hæc in persona peccatoris, sed pœnitentis ac incipientis, possunt exponi : qui dum ad libitum non exauditur, nec proficit, videtur ei quod Deus suum ab eo vultum abscondat, et se velut adversarium habeat. Sed in his non cessemus Dei gratiosam implorare præsentiam, splendidam contemplationem, stabilem inhabitationem, pensantes illud Psalmistæ : Lætetur cor *Ps. civ, 3, 4.* quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini ; quærite faciem ejus semper. Itemque : Tibi dixit cor meum, ex- *Ps. xxvi, 8.* quisivit te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram.

Insuper, quomodo quæ sequuntur, in persona cujuslibet justi afflicti, pœnitentis, aut aliunde virtuose dolentis, per sanctum Job figurati, queant exponi, nullam

Digitized by Google

habent difficultatem, si præcedentis articuli expositio rite pensetur ; sed in omnibus quæ hic scribuntur, nostram defectuositatem, fragilitatem, vilitatem debemus perpendere, humillimi esse, atque ad Deum in cunctis affectuose semper confugere.

De animabus in purgatorio detentis. Denique, quoniam in Officio defunctorum ex capitulo isto quædam lectiones sumuntur, breviter reor tangendum, quomodo lectiones hæ in persona animæ defuncti possint interpretari. Itaque anima in purgatorio sita, suppliciorum suorum finem scire et experiri desiderans (talis enim B præscientia finis pœnarum, magna est consolatio afflictorum), loquitur Deo : *Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata,* ut ex consideratione culparum mearum perpendam mearum durationem pœnarum. *Cur faciem tuam abscondis ?* id est, a conspectu gloriæ tuæ, a beatifica visione sapientiæ atque essentiæ tuæ me differs, et te quasi iratum mihi nunc exhibes. Ideo subdit, *et arbitraris me* spiritum defuncti *inimicum tuum?* id est, quasi hostis essem, me punis, quum tamen in caritate C sim tua. Quasi dicat : Noli te mihi abscondere, noli me ut hostem habere, sed clementer indulge, succurre et redime. Tali animæ, quum fuerit liberata, dicet Deus

Is. LIV, 8. illud Isaiæ : In momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.

Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris : id est, contra me imperfectam atque instabilem, pœnis exustam, ostendis quanta sit justitiæ tuæ potestas, qua per D pœnas me istas infestas. Tanquam dicat : Decet, o Domine, ut ignoscas. Præterea Christus, sapientia Patris, lignum vitæ est; de qua Salomon ait in libro Proverbio-

Prov. III, 18. rum : Lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Christus enim saluberrimos fructus producit, quibus mentes feliciter reficiuntur. Hujus autem arboris velut folia sunt animæ christianæ, in Christo per caritatem manentes. Unde et ipse ait disci-

Joann. XV, 5. pulis : Ego sum vitis, vos palmites. Quemadmodum vero per ventum folium ab arbore abjectatur, sic anima a Christo vento superbiæ, tentationis, vanitatis, et passionum impulsibus separatur : ideo vocat se folium vento raptum. Ob quam a Christo separationem punitur : quia etsi de mortali pœnituit, non tamen plenarie in vita hac satisfecit.

Præterea, Christus comparat se grano frumenti, dicendo : Nisi granum frumenti *Joann.* XII, 24, 25.
cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ipse etenim (secundum Augustinum) exstitit granum mortificandum perfidia Judæorum, et vivificandum fide credentium. Unde homo seu anima consistens in caritate et gratia, est velut culmus seu calamus hujus grani, trahens ab eo spiritualis alimenti humorem et gratiæ rorem, quem peccando amittit, et velut stipula sicca efficitur : quoniam stipula dicitur herba a trunco abscisa atque siccata. Et juxta hunc sensum, possunt hæc verba de homine viatore ac peccatore exponi.

Postremo, quo homo seu anima naturaliter imperfectioris est intellectualitatis, eo naturaliter instabilior est atque mobilior, et minus de sapientiæ habens dulci ac refectivo humore : ideo rite folio ac stipulæ comparatur.

Scribis enim, id est, tenaciter infers et retines, *contra me,* id est ad meam desolationem, *amaritudines,* id est pœnas quas patior præamaras, *et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ,* id est, propter peccata mea in illa ætate commissa, tam acerbe me crucias, quasi velles me prorsus consumere. Constituti autem in magnis doloribus, solent cum quadam excedentia loqui, ad insinuandum magnitudinem sui affectus atque doloris. *Posuisti in nervo pedem meum,* id est, in loco isto pœnali me arctasti et arctas, ut quo cupio, ire non queam, nec manum tuam evadere. Denique omnem animam electam seu ejus pedem, id est affectum, Deus ponit in nervo, id est in legis suæ custodia, caritatisque vinculo, antequam separetur a corpore, ita quod caritatis præceptum adimplet, se ad

Digitized by Google

Deum convertendo, atque in ejus amore suam voluntatem figendo. *Et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti.* Anima quæ in vita hac negligenter se habet, nec Dei præsentiam providentiamque perpendit ut decet, in purgatorio experitur, quam distinctissime ac diligentissime Deus omnia ejus in via ista pensaverit, quoniam ibi pro minimis cruciatur. *Qui* spiritus defuncti *quasi putredo consumendus sum :* non consumptione essentiæ, sed eo modo, quo dictum est, Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, etc. Verba lectionis hujus, in per- A sona animæ exsistentis in purgatorio, congrue exponi non valent. Nec anima talis de se ea pronuntiat ; sed a viatore leguntur pro hujuscemodi anima : quæ etiam ea de homine, cujus ipsa forma et spiritus fuit, potest proferre, profitendo humanæ conditionis fragilitatem atque multiplicem defectuositatem, divinam insuper providentiam, quatenus Deus ad propitiandum et redimendum velocius inclinetur, id est, promptum se præbeat. Sic et mendici divitibus suas ostendunt penurias, vulnera B et defectus, ut divites ad subveniendum mox moveantur. Quo enim quis imperfectum suum Deo humilius confitetur, eo Deus copiosius miseretur.

ARTICULUS XXXIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : BREVES DIES HOMINIS SUNT.

INCHOATAM humanæ conditionis descriptionem, quantum ad ejus calamitatem, vanitatem et vilitatem multiplicem, capitulo isto Job sanctus prosequitur. *Breves dies hominis sunt.* Hoc, quantum ad sensum, sæpe præhabitum est. Iste equidem liber rhetoricus, instar rhetorice scriptorum voluminum, eamdem sententiam sub aliis verbis frequenter continet repetitam. Unde quod nunc ait, paulo ante sic protulit : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore.

Denique quo aliquis magis a Spiritu Sancto illuminatur, et in dono sapientiæ atque scientiæ abundat, eo non solum certius et clarius, sed insuper saporosius intuetur et noscit, quam breve, imo quam momentaneum sit omne tempus vitæ nostræ in sæculo isto. Hinc viri sancti, vitæ hujus tempus pro nihilo reputaverunt. Siquidem, per donum sapientiæ, rectum et saporosum sortitur homo judicium de divinis, hoc est de Deo ejusque æternitate ac C ceteris attributis seu proprietatibus ejus. Porro, per donum scientiæ, recte saporoseque judicat de creatis, puta de tempore ac ceteris creaturis, quomodo in eis non sit finis ultimus constituendus. Qui ergo tam de æternitate quam de tempore taliter judicat, et utrumque ad invicem comparat, clarissime conspicit quam breve sit hominis tempus. Aliquibus tamen dies quibus vivunt, multi ac longi videntur, quia videlicet exercitiis laboriosis intenti sunt, vel doloribus afficiuntur, seu delectationibus D in his quæ agunt, non relevantur. Alii cuncta cum delectatione prompte et alacriter peragunt, ideo tempus eis breve videtur. Unde (secundum Albertum in libro de IV Coæquævis) voluptuosis, itemque divinis hominibus tempus est breve. Illi enim carnalibus, isti spiritualibus abundant deliciis.

Numerus mensium ejus apud te est, id est tibi certitudinaliter cognitus est, quot scilicet mensibus vivet, quanquam aliqui

Digitized by Google

primo suæ nativitatis mense decedant. *Constituisti terminos ejus,* id est, ultimum diem suæ vitæ, et ultimam horam, imo ultimum minutum, ultimumque momentum, quo unusquisque vivit in mundo, tu (o Deus) in tua sapientia prævidisti, præordinasti, et præfixisti : quemadmodum Act. xvii, 26. in Actis loquitur Paulus, Deus fecit ex uno homine omne humanum genus inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum.

Qui præteriri non poterunt, id est variari, minorari, seu prolongari, secundum quod cadunt sub immobili et infallibili providentia Dei, cujus respectu seu comparatione omnia quantumcumque mutabilia, successiva, incerta, invariabiliter et infallibiliter cognoscuntur, imo et certe proveniunt. Divina nempe providentia complectitur universa, estque certus ordo causarum per comparationem ad eam. Nihilo minus res aliquæ, per comparationem ad proprias, naturales et immediatas causas, contingentes variabilesque consistunt et prorsus incertæ. Divina namque providentia non tollit a rebus, quod eis naturaliter competit ; sed secundum suæ divinæ eminentiæ infinitæ modum ac perfectionem cognoscit, prævidet ac disponit res modo sublimiori, quam illæ in se ipsis sint. Unde etiam (secundum Boetium) cognitio fit secundum modum cognoscentis, non cogniti. Hinc etiam periodus seu duratio vitæ hominis, si comparetur ad causas naturales ac proprias, videlicet ad complexionem, potest quidem variis modis abbreviari, quamvis non prolongetur, absolute loquendo. Aliquo tamen modo prolongatur, occurrendo causæ suæ abbreviationis. Sed et supernaturaliter certum est eam posse ad Dei beneplacitum prolongari.

Recede ergo paululum, etc. Hoc dupliciter explanatur. Primo, secundum Gregorium et Albertum. *Recede,* id est, potentiæ tuæ flagellationem amove, *paululum ab eo,* id est ab homine tribulato, *ut quiescat* a doloribus suæ adversitatis, ne supra vires gravetur, vel per impatientiam ruat. Unde non orat ut totaliter sic recedat, sed paululum : quoniam moderata adversitas sive afflictio perutilis est, et a multis malis præservans. Propter quod Jeremias dicit : Corripe me, Domine ; verumtamen in ju- Jer. x, 24. dicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. In Apocalypsi quoque Dominus protestatur : Ego quos amo, ar- Apoc. iii, 19. guo et castigo. Hinc supra habetur : Beatus Job v, 17. qui corripitur a Domino. Secundo, exponitur juxta Thomam. *Recede paululum ab eo,* id est, vitæ conversationem abstrahe ei, et mori eum permitte, *ut quiescat,* id est, per mortem obdormiat, et a vitæ hujus doloribus liber sit. Sicut enim sol est causa diei, sic Deus est auctor vitæ. Ideo, sicut sole recedente dies finitur, sic Deo conversationis influentiam abstrahente, vita hominis terminatur. Sicque Job mortem precatur homini a Deo inferri eo modo, quo supra frequenter oravit se a vita hac tolli, videlicet desiderio majoris quietis, et ne in vita ista Deum amplius inhonoret, aut peccati pericula incidat ; atque ob id ut a præsentibus tribulationibus eripiatur, secundum modum quo id licite affectatur : qui modus sæpe jam tactus est.

Donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus, id est, donec adveniat dies suæ retributionis a te : quam diem optavit, cupiens præmium felicitatis æternæ. Quæ dies est sicut dies mercenarii, qui pro mercede laborat, cupitque diem in qua se novit accepturum mercedem. Sic homo justus desiderat diem glorificationis suæ a Deo. Porro, ante Christi adventum, justi optabant aliquando quietem in limbo patrum, sicut et Simeon ait : Nunc dimittis servum Luc. ii, 29. tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Verumtamen illam quietem imperfectam retulerunt finaliter ad perfectam patriæ cœlestis quietem, cujus consolationis respectu, quies in limbo patrum quasi desolatio fuit. Propter quod a Zacharia dicitur Christo : Tu quoque in sanguine te- Zach. ix, 11. stamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Ubi per lacum, intelli-

gitur limbus patrum; per aquam, consolatio seu beata refectio.

Deinde ostendit quod homo post mortem ad statum hujus vitæ non redeat, et quantum ad hoc, sit etiam infimis rebus vilioris proprietatis. *Lignum habet spem,* id est, arbor naturalem habet aptitudinem seu exspectationem ut reviviscat, si præcidatur aut vetustate deficiat. Itaque, lignum habet spem materialiter sive causaliter, quia in se habet unde spem homo concipiat de ligni renovatione. Hinc subditur: *Si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant.* Hoc videmus ad oculum, quia si arbor usque ad terram præcidatur, nova exsurgunt virgulta. Ramusculi quoque abscisi, alibi rite plantati, crescunt et germinant. Hoc itaque dicitur de ligno, quantum ad ejus defectum qui per violentiam sibi infertur, sicut et homo interdum violenta deficit morte.

Quantum vero ad ligni naturalem defectum, quem incurrit ex hoc, quod ex defectu naturalis suæ virtutis vegetativæ non valet attrahere alimentum, subjungitur: *Si senuerit in terra radix ejus,* id est, si senectute confecta per pororum obstructionem aruerit, *et in pulvere emortuus fuerit truncus illius,* vegetativam vitam perdendo, deficiente radice; *ad odorem aquæ germinabit:* id est, humore aquæ sibi infuso, vim pristinam recuperabit, et fructificabit, juxta illud Jeremiæ: Lignum ad humorem mittit radices suas. *Et faciet comam,* id est congeriem ramorum et florum seu frondium ad similitudinem capillorum, *quasi quum primum plantatum est,* id est, sicut in prima sua egit plantatione. Siquidem in putrefacta ligni materia, manet vis seminativa seu ratio seminalis, per quam reparatio ista infuso fomento peragitur. Denique, secundum Albertum, tangitur hic opus rusticanum, quod Aristoteles quoque in libro de Plantis, atque Palladius in libro de Agricultura tangunt, videlicet quod [fit] in arbore vetusta, in cujus radice cortex induratus, et in poris suis obstructus, humorem ad intima mittere nequit, propter

Jer. XVII, 8.

A quod arbor aret et infructuosa efficitur. Si autem majores radices nudentur ac securi findantur, lapisque in fissura ponatur, ne rursus valeat claudi, et stercora circumponantur, terra quoque cooperiantur; in fissuris incipit humorem attrahere, et redit ad ipsam juventus, comatur, foliis ornatur, et fructibus fecundatur. Simile quid loquitur Christus, dicens: Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio. Succide ergo illam. Dixit autem cultor vineæ: Domine, dimitte eam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.

Luc. XIII, 7, 8.

B *Homo vero, quum mortuus fuerit, et nudatus* tegumentis, quibus corpus exanime solet obvolvi ac sepeliri, quæ sub terra putrefiunt, *atque consumptus,* per corporis resolutionem, *ubi, quæso, est?* id est, ad oculum seu sensibiliter nihil ipsius manet. Nam anima insensibiliter egreditur ac recedit; nec homo, quomodo lignum, habet spem redeundi ad pristinam juventutem in statu sæculi hujus: quod consequenter per simile aperit. C *Quomodo si recedant aquæ de mari,* ita ut alveus prorsus siccetur, *et fluvius vacuefactus arescat,* dum scilicet totaliter deficit, sicut in fabula Phaethontis per diluvium ignis factum asserit Plato; *sic homo quum dormierit* moriendo: de qua dormitione in Scripturis toties dicitur, Dormivit cum patribus suis; *non resurget,* ita ut revertatur ad statum vitæ præsentis, ut quidam philosophi æstimabant; naturali quoque potentia nunquam resurget a morte.

D *Donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Hoc dupliciter exponitur. Primo, ut superiori consonet verbo, eritque sensus: Donec atteratur, etc., id est, quemadmodum cœlum quod incorruptibile est, nunquam atteretur seu destruetur substantialiter, sic homo mortuus præfato modo nunquam resurget, nec de somno mortis taliter evigilabit. Secundo exponitur sic: Donec atteratur, etc., id est, tunc, puta in fine mundi, per supernaturalem resurget potentiam, quando

Digitized by Google

cœlestia corpora atterentur, quantum ad modum essendi accidentalemque dispositionem, et quoad officium quod modo exercent, ad generationem et corruptionem movendo : quia tunc stabunt. Hinc ait Sal-
Luc. XXI, 33. vator : Cœlum et terra transibunt. Et Psal-
Ps. CI, 26, 27. mista : Opera manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt. In Apocalypsi quoque ait
Apoc. XXI, 1. Joannes : Vidi cœlum novum et terram novam ; primum enim cœlum et prima terra abiit. Tunc ergo homo mortuus evigilabit, resuscitatus ad vitam animalem et rationalem, ut vivat, non super terram, ac denuo moriatur, sed in loco sibi debito æternaliter collocetur, vivat et maneat, prout de se ipso Unigenitus Dei Patris fa-
Joann. V, 28. tetur : Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Porro, vigilia (secundum Albertum) est expansio spiritus caloris et virtutis ad organa sensuum.

Consequenter beatus Job clarissime protestatur, quid ipse de animarum immortalitate, et corporum sentiat resuscitatione. *Quis mihi tribuat,* id est, vehementer cupio mihi donari, *ut in inferno,* id est in limbo patrum : qui aliquando infernus vocatur,
Gen. XXXVII, 35. sicut in Genesi Jacob, Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum ; *protegas me* a locis pœnalibus damnatorum atque molestia dæmonum, qui mihi in vita hac tam infesti consistunt ; *et abscondas me* a malis vitæ præsentis, ne videam ea ac patiar. Sic enim quarto Regum legitur
IV Reg. XXII, 20. Deus promisisse Josiæ sanctissimo : Jam colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui mala Jerusalem, scilicet pœnas ejus. *Donec pertranseat furor tuus,* id est tempus tuæ districtæ ultionis, quo, propter primi parentis peccatum, omnes electi impediebantur a gloria, et genus humanum innumerabilibus miseriis, vitiis atque erroribus plenum fuit, et quotidie plurimi perierunt. Hoc autem tempus duravit usque ad Christi adventum ac passionem, quando ira Dei in misericordiam
Ephes. II, 16. versa est, et rigor justitiæ in dulcorem clementiæ, juxta illud ad Ephesios : Chri-
A stus per crucem dissolvit inimicitias in semetipso. Hinc ad Romanos inducitur : Quum adhuc inimici essemus, reconciliati Rom. V, 10.
sumus Deo per mortem Filii ejus.

Et constituas mihi tempus in quo recorderis mei, id est, tempus glorificationis seu liberationis mihi præfigas, quo per Christum me de limbo educas atque glorifices. Hoc nempe novit Job sanctus futurum, ut omnes electi in limbo patrum detenti, per Christum educerentur. De quo a Zacharia fuit prædictum : Tu quoque in sanguine testamen- Zach. IX, 11.
B ti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Unde in Osee Christus prædixit : De manu mortis liberabo eos ; de Osee XIII, 14.
morte redimam eos. Ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne. De hoc Apostolus verba Psalmistæ allegans, sic ait de Christo : Ascendens in altum, captivam du- Ephes. IV, 8 ; Ps. LXVII, 19.
xit captivitatem. Christus quoque de se ipso : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia Joann. XII, 32.
traham ad me ipsum. Quidam autem per tempus, de quo loquitur Job, intelligunt tempus resurrectionis futuræ ; sed prior
C expositio aptior est. Non enim Job petiit in inferno abscondi usque ad illud tempus, nec tam diu Deus electorum in limbo olim exsistentium oblitus visus est ; sed tunc ostendit se memorem horum, quando per Christum præfato modo educti sunt : imo eodem momento quo anima Christi venit ad eos in limbum, beatificati sunt, et Deum per speciem beatifice videre cœperunt, secundum doctores. Christus namque in sua morte pro originali peccato, ob cujus reatum illi a gloria differebantur, ple-
D nissime satisfecit. Idcirco causa non fuit dilationis a gloria longioris.

Putasne mortuus homo rursus vivat per resuscitationem in die novissimo? quasi dicat : Hoc tu, o Deus, possibile censes. Et hoc futurum esse, tenendum est. Ideo subdit : *Cunctis diebus quibus nunc milito,* id est omni tempore quo in terra vivo, et contra adversarios meæ salutis pugno. Unde superius dictum est : Militia est vita Job VII, 1.
hominis super terram. *Exspecto donec veniat immutatio mea* ad immortalitatem, id

Digitized by Google

est resuscitatio ad vitam corporalem meliorem, quam sit vita hæc præsens. Immutatio quippe, mutationem dicit in melius.
I Cor. xv, 51. Hinc ad Corinthios scribit Apostolus : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur : quia videlicet electi immutabuntur, non reprobi, dicente Apostolo,
Ibid. 52. Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Denique, quod ait, Exspecto, etc., non est intelligendum, quod tam diu insinuaverit se victurum in corpore, et exspectaturum in eo, quousque immutatio illa veniret; sed quia exspectatio sua in corpore hic incepit, et usque ad mortem duravit. Postea vero mansit et manet in anima, donec adveniat. Verumtamen, per immutationem forte intelligi posset translatio sancti Job seu animæ ejus de sæculo isto ad limbum patrum, in quo melius habuit quam dum verba hæc protulit.

Vocabis me, id est, resuscitari jubebis ac resurgere facies, corpus ex cineribus reparando famulatu angelico, et animam meam corpori reuniendo. Hinc ait (quod nunc
Joann. v, 28, 25. commemoravi) Salvator : Qui in monumentis sunt, audient vocem ejus ; et qui audierint, vivent. Paulus quoque :
I Cor. xv, 52. Canet enim tuba, et mortui resurgent. *Et ego respondebo tibi,* id est, imperio tuo obediam, ad tuum placitum resurgendo. *Operi manuum tuarum,* id est mihi tuæ creaturæ, ceteris quoque hominibus operibus manuum tuarum, id est tuæ scientiæ practicæ et operativæ potentiæ, *porriges dexteram,* id est auxilium et virtutem resurgendi : quia non naturali, sed divina virtute resurrectio fiet.

Tu quidem gressus, id est omnes actus, *meos* interiores et exteriores, quibus gradior vel ad miseriam, vel ad beatitudinem, *dinumerasti,* id est, diligenter attendisti, ut pro quolibet actu dignam rependas mercedem. Dinumeramus autem, quorum diligentiam quamdam habemus. Hinc paulo
Job xiii, 27. ante disseruit : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. *Sed parce peccatis meis,* sine quorum pia indulgentia nemo nostrum ad

A gaudia pertingit æterna. Unde patet, quod Job non intendit se omni a culpa excusare, sed a talibus vitiis, qualia sibi imposuerunt sui amici, puta enormibus, non autem a venialibus. Propterea addit : *Signasti quasi in sacculo delicta mea,* id est, in abscondito sapientiæ et scientiæ tuæ diligenter notasti, sicut quæ curantur, in sacco clauduntur ne amittantur. Hinc in Deuteronomio Dominus ait : Nonne hæc condita Deut. xxxii, 34.
sunt apud me, et signata in thesauris meis? *Sed curasti iniquitatem meam,* id est, a
B vulneribus animæ meæ quibus læsa fuit peccatis, me per gratiam pie sanasti, et per pœnitentiam reformasti. Sic orat et Jeremias : Sana me, Domine, et sanabor ; Jer. xvii, 14.
salvum me fac, et salvus ero. Et Psalmista : Sana me, Domine, quoniam conturbata Ps. vi, 3.
sunt ossa mea. Quamvis ergo Deus peccata nostra diligenter observet, nihilo minus ad ignoscendum, durante hac via, est pronus. Per flagella quoque et pœnas curat cœlestis medicus culpas.

Deinde vitæ humanæ quotidianum mon-
C strat defectum per quædam similia. *Mons cadens defluit,* id est, cadendo paulatim deficit. Omne enim generabile, corruptibile est. Ideo montes quamvis sint magni, tamen per causam naturalem et violentiam possunt deficere. *Et saxum transfertur de loco suo,* id est, lapides quamvis sint duri, tamen exciduntur, et ad alia loca portantur. *Lapides excavant aquæ.* Frequenti enim incidentia stillicidiorum perforantur, juxta illud :

D Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.

Ad quam cavationem præcedentes guttæ disponunt, et quamdam perforationem inducunt, secundum Philosophum. *Et alluvione,* id est inundatione aquarum et consumptione riparum ex aquis, *paulatim terra consumitur :* unum enim elementum agit in aliud et ipsum corrumpit, quia contrarias habent inter se qualitates. *Et homines ergo similiter perdes,* id est, a vita hac abstrahes, et consumptione humidi radicalis a calido naturali deficere facies,

Digitized by Google

quum homo naturaliter sit res mollior saxo, minorque montibus, et instabilior lapide, habens in se qualitates contrarias, in se invicem agentes, atque ab invicem patientes.

Roborasti eum paululum, id est, dedisti ei virtutem subsistendi in vita hac ad modicum tempus : sicut jam dictum est, Breves dies hominis sunt. Complexio etenim hominis exigit brevem esse periodum vitæ humanæ. *Ut in perpetuum pertransiret,* id est, sic de vita ista per mortem abiret, quod nunquam ad hujus vitæ statum revertitur. Sicque *ut,* tenetur hic consecutive, non causaliter. Unde inferius dicit :
Job xvi, 23. Semitam per quam non revertar, ambulo. Præterea S. Thomas exponit hæc aliter, asserens beatum Job per hæc futuram resurrectionem probare ex comparatione hominis ad inferiora, quæ totaliter consumuntur absque spe reparationis, ut montes et lapides. Sicque quod ait, Homines ergo similiter perdes, interrogando et negando legendum est, quasi dicat : Non decet rationalem creaturam sic corrumpi absque spe reparationis seu resurrectionis, ut illa infima corrumpuntur. Sic quoque exponit quod ait, Roborasti eum paululum, ut in perpetuum pertransiret : id est, non decet, ut ita ad modicum tempus confirmaveris eum in tanta excellentia donorum naturæ, ut moriendo omnino desinat esse, nec unquam resuscitetur.

Immutabis faciem ejus : id est, in morte eam atteres et marcescere facies ; in vita quoque variis modis alteratur atque disponitur, secundum varietates affectionum atque eventuum animæ, juxta illud Prover-
Prov. xv, 13. biorum : Cor gaudens exhilarat faciem. Et
Eccli. xiii, 31. Prov. xii, 25. iterum ait Scriptura : Cor hominis immutat faciem ejus ; et de sermone bono lætifica-
A bitur. *Et emittes eum,* id est, de terra tolles per mortem : quemadmodum Jeremias dixit ad Hananiam, Ecce Dominus emittet Jer. xxviii, 16.
te a facie terræ.

Sive nobiles fuerint filii ejus nobilitate sæculari atque carnali, *sive ignobiles, non intelliget* pater eorum post mortem. In quo etiam imperfectio hominis declaratur, quod post mortem nescit quid agant, aut quomodo se habeant filii ejus, nisi quantum fuerit ei revelatum, vel per species in anima remanentes, seu ex prævia cognitione
B in communi scire seu conjicere poterit. Quocirca scribit Gregorius : Sicut viventes ignorant quo loco mortuorum animæ habeantur, ita mortui vitam in carne viventium nesciunt, quomodo disponatur : quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quæ quoniam intus omnipotentis Dei claritatem conspiciunt, nil foris exsistens ignorant. Denique verbo Job consonat illud Isaiæ, Abraham nescivit nos, et Is. lxiii, 16.
Israel ignoravit nos : quod de Abraham et Jacob accipitur pro tempore quo erant in
C limbo, et de naturali eorum notitia. Animæ vero mortuorum quæ in purgatorio sunt, per angelicam revelationem, et item per animas de sæculo hoc illuc advenientes aliqua noscunt. De hac re plenius scripsi super Isaiam, et alibi.

Et tamen caro ejus dum vivit, dolebit, id est, quamdiu animata est, variis subjacet corporalibus pœnis, spirituales quoque dolores animæ in corpus redundant ; *et anima ejus super semetipsam lugebit,* id est, propriam calamitatem, angustiam, imper-
D fectionem et culpam in vita hac deplorabit, si tamen sensata sit. Ex quibus omnibus miseria hominis innotescit, quodque beatitudo ipsius, vera et consummata non sit, nisi in Deo post vitam hanc.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIV

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI.

LIGNUM *habet spem*. Teste Gregorio, In A Scripturis nomine ligni, aliquando crux designatur, ut quum in Jeremia impii di-
Jer. xi, 19. cunt de Christo : Mittamus lignum in panem ejus. Interdum, per lignum homo justus sive injustus exprimitur, ut quum per Eze-
Ezech. xvii, 24. chielem Dominus loquitur : Humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile : quoniam per lignum, incarnata Patris Sapientia figuratur, Salomone de ea dicen-
Prov. iii, 18. te, Lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Itaque hoc loco dum lignum homini præfertur, nomine ligni homo ju- B stus significatur. Per hominem autem, homo carnalis notatur, eo modo, quo ait
I *Cor.* iii, 3. Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? Itaque *Lignum,* id est vir justus, *habet spem* retributionis æternæ felicitatis. *Si præcisum fuerit,* id est, pro fide seu justitia occiditur, *rursum virescit* in patria, luce gloriæ immarcescibiliter hilariterque perfusus ; *et rami ejus,* id est imitatores ejus ex ipso spiritualiter prodeuntes, *pullulant,* id est, virtuosis insistunt operibus, ejus exemplo C
Coloss. i, 10. accensi, juxta Apostolum : In omni opere bono fructificantes.

Si senuerit in terra radix ejus, id est, virtus qua alios spiritualiter generare consuevit, in hujus peregrinationis exsilio aliquando (Deo permittente) peccati vetustatem incurrerit; *et in pulvere,* id est terrenis infimisque affectibus, *emortuus* morte peccati *fuerit truncus,* id est corpus *illius.*
Rom. vi, 13. Quod fit, quando membra exhibentur arma iniquitatis peccato; peccatorum autem carnalium est corpus præcipue instrumentum D atque subjectum, saltem quoad materiale hujusmodi vitiorum. *Ad odorem aquæ germinabit,* id est, per irrigationem et infusionem donorum Spiritus Sancti, vivificabitur vita gratiæ et virtutum, et æquitati fructuosæ deserviet, *et faciet comam,* id est ornamentum bonarum cogitationum sanctarumque affectionum in capite animæ, puta in mente. De hujusmodi coma loquitur Sponsa, Sponsum describens : Comæ ejus sicut elatæ palmarum. *Quasi* *Cant.* v,
quum primum plantatum est, id est, sicut in prima sua conversione ad Deum. Justus *Ps.* xxx
enim electus, ut ait Psalmista, quum ceci- 24.
derit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Imo talis frequenter post casum cautior surgit, atque humilius vivit, propriam infirmitatem expertus et magis perpendens, aliis quoque magis compatiens.

Homo vero carnalis, arbor infructuosa, aridum lignum, *quum mortuus fuerit* per peccatum mortale : de qua morte loquitur Christus, Dimitte mortuos sepelire mortuos *Matth.* vi
suos; *et nudatus* vestimentis innocentiæ ac 22.
virtutum : de quibus ait in Apocalypsi Joannes, Beatus qui vigilat, et custodit ve- *Apoc.* xv
stimenta sua, ne ambulet nudus ; *atque* 15.
consumptus pœnalitatibus culpam sequentibus, omnique esse gratiæ gratum facientis privatus, sicque spiritualiter annihilatus, ita ut de eo dicat Apostolus : Qui se *Galat.* vi, 3
putat aliquid esse quum nihil sit. Siquidem peccatum nihil est, et nihil fit homo peccando. *Ubi, quæso, est?* quasi dicat : Infeliciter fluctuat, miserabiliter evagatur, quia in Creatore suo non quietatur, et ab eo qui vere est, aversus, in regione dissimilitudinis sub jugo peccati et dominatu diaboli, hinc inde jactatur, de iniquitate ad iniquitatem ruendo. Hinc Adæ post culpam divinitus dictum est : Adam, *Gen.* iii, 9
ubi es?

Digitized by Google

Quomodo si recedant aquæ de mari, sic homo quum dormierit somno peccati. De quo loquitur Paulus : Surge, qui dormis, Ephes. v, 14. et exsurge a mortuis. Itemque : Tempus Rom. xiii, 11. est nos jam de somno surgere. Hæc est dormitio vitiosa, cui pervigil mentis custodia, et actuale virtutum exercitium contrariantur. Quemadmodum enim somnus naturæ, est ligatio sensuum et suspensio eorum ab actibus suis ; sic somnus culpæ, est virtuosæ actionis cessatio in commissione illiciti, vel omissione præcepti. *Non resurget* per pœnitentiam a peccato : quod de reprobo induratoque homine dicitur. De quo Eccli. iii, 29. Ecclesiasticus ait : Peccator adjiciet ad peccandum. Unde legitur in Psalmo : Ideo non Ps. i, 5. resurgunt impii in judicio : quod de judicio discretionis accipitur, quo homo inter bonum malumque judicans, et pretiosum a vili discernens, detestatur culpam quam incidit, per pœnitentiamque resurgit. De qua resurrectione ad Colossenses scriptum est : Si consurrexistis cum Christo, quæ Coloss. iii, 1. sursum sunt quærite. *Donec atteratur cœlum, non evigilabit* ad virtutum vigiliam. Quum enim homo in mortali decesserit, nunquam ad gratiam reducetur, sicut et cœlum nunquam substantialiter destruetur.

De animabus in purgatorio detentis.

Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei ? Istud cum verbis sequentibus in Officio legitur defunctorum : quod prima facie non faciliter videtur posse exponi in persona animæ in purgatorio constitutæ. Quidam enim hæc verba ita intelligunt, quod tantus erit rigor et terror Christi in die judicii, quod animæ defunctorum mallent, durante judicio, in inferno abscondi, quam irati vultum Judicis intueri. Sed non videtur hoc generaliter stare posse. Animæ enim in purgatorio consistentes, sciunt se in die judicii nequaquam damnandas, imo interim vel saltem ante prolationem sententiæ omnino purgandas. Christus autem in die judicii electis non apparebit terribilis, maxime his qui de sua salvatione interim seu tunc certi sunt. Verumtamen, reprobis judex tam metuendus parebit, quod pœna inferni eis pro tunc tolerabilior videretur.

Nihilo minus ista de anima in purgatorio sita queunt intelligi. Infernus quippe quatuor modis accipitur, scilicet pro loco damnatorum : de quo ait Salvator, quod dives epulo sepultus est in inferno ; et Luc. xvi, 22. Psalmista : Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Ps. lxxxv, 13. Secundo, pro limbo patrum : sicque Christus ad infernum dicitur descendisse. Tertio, pro purgatorio : unde in Missa cantatur, Domine Jesu Christe, libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni. Quarto, pro limbo puerorum. Tanta autem est acerbitas suppliciorum purgatorii, quod animæ ibi detentæ, mallent esse in inferno, secundum quod sumitur pro limbo patrum et puerorum, ubi pœna sensus non fuit nec est, quam in purgatorii sensibilibus pœnis. Imo, in inferno damnatorum mallent esse, et ab ejus sensibilibus pœnis divinitus protegi, atque ibidem a purgatorii tormentis abscondi, donec pertransiret furor Dei, id est, tempus divinæ ultionis, quo in purgatorio affliguntur, seu affligendæ sunt, finiretur, et tunc Deus recordaretur earum, perducendo ipsas ad patriam.

Itaque juxta hunc sensum loquitur anima purgatorio deputata : *Quis mihi tribuat,* id est, utinam mihi (o Deus) donetur, *ut in inferno protegas me :* secundum sensum prætactum. Denique etiam de inferno, id est purgatorio, potest exponi, ut sit sensus : In inferno protegas me, id est, in purgatorio isto quo crucior, mihi clementer obumbres, supplicia releves, a tam intensis doloribus me defendas. *Et abscondas me* ita sub tua miseratione a tam districta punitione, *donec pertranseat furor tuus,* id est, quousque mihi prorsus ignoscas, et a pœnali loco ad felicitatem deducas, *et constituas mihi tempus in quo recorderis mei,* id est, horam miserendi, redimendi, beatificandique me, mihi ostendas, præfigas, acceleres : quia hoc relevamen est pœnæ, præcognitio termini ejus.

Digitized by Google

Putasne mortuus homo rursus vivat? A Hoc anima loquitur, insinuans se optare sui corporis resuscitationem et resumptionem, ut simul cum illo glorificetur. Quasi dicat : Tu (o Deus) nosti, quod defuncti resurgent. Ergo ad beatam resurrectionem celeriter opto pertingere. Hinc subdit : *Cunctis diebus quibus nunc milito,* id est, contra pœnas quibus affligor, quodammodo pugno, quoniam naturali appetitu eas abhorreo atque refugio, quamvis ratio dictet quod ad satisfaciendum divinæ justitiæ sint patienter ferendæ ; *exspecto donec* B *veniat immutatio mea,* id est translatio a miseria ista pœnali ad gloriam, resurrectio quoque futura, quam vehementer affecto, in quantum erit pro felicitatis augmento. *Vocabis me* tempore a te præordinato a purgatorii pœna ad thronum cœlestem, et in fine sæculi me corpori reuniri jubebis ; *et ego respondebo tibi,* tuæ voluntati obediendo. *Operi manuum tuarum porriges dexteram :* quia tua omnipotenti virtute hæc fient ; et nunc in purgatorio mihi (ut spero) manum porriges adjutricem, citra C condignum puniendo, et per aliorum suffragia succurrendo, tempus et vehementiam punitionis meæ misericorditer minorando.

Tu quidem gressus meos dinumerasti : quod nunc experimentaliter scio, dum pro omni actu illicito quantumlibet modico, non satisfactorie emendato, pœnam sustineo ; *sed parce peccatis meis,* pœnam nunc mitigando. Nam quantum ad culpam, in vita ista dimissa sunt eorum peccata, qui in purgatorio statuuntur : qui etiam orant D pro venia, secundum quod oratio est desiderii nuntius et interpres, non prout est meritoria impetrativaque indulgentiæ, quum se ipsos juvare non queant. Non enim sunt in statu merendi aut demerendi, quoniam status ille finitur in termino viæ præsentisque vitæ, puta in morte. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Pensandum ac formidandum hoc nobis est, quod scilicet Deus omnia nostra peccata tam diligenter conservat, signat, atque commemorat, ut tempore suo nobis ea objiciat, nisi jam pœnitentiam veram egerimus. Hinc ait in Psalmo : Existimasti inique, quod *Ps. xlix. 21.* ero tui similis? Arguam te, et statuam contra faciem tuam. Porro, pœnitentibus pie indulget. Propter quod additur, *sed curasti iniquitatem meam.* Varia namque sunt remedia contra peccata, et medicamina quibus curantur, quia et sacramenta novæ legis (secundum Hugonem) sunt vasa medicinalia gratiæ contentiva, vitiorumque curativa. Insuper, per opera satisfactionis, per adversa et lacrimas, vel potius per patientiam in adversis et internum dolorem de Dei offensa, curantur præsertim peccata.

Mons cadens defluit, etc. *Et homines ergo similiter perdes?* quasi dicat : Quamvis, o Deus, homo (quantum ad corpus corruptibile) inanimatis rebus sit similis, quantum ad corruptibilitatem, non tamen decet ut eum perire permittas per culpam, quem ad tuam imaginem similitudinemque creasti, sicut inanimata destruuntur seu pereunt per naturam. Porro, secundum Gregorium, Mons cadens defluit, *et saxum transfertur de loco suo,* dum hominem justum, qui est per sapientiam altus, et virtutibus firmus ac solidus, repentina et improvisa tentatio invadit et concutit et prosternit, ita ut non nisi post ruinam, tentationem suam perpendat. *Lapides* vero *excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur,* dum justus paulatim tentatione inficitur, et levibus motibus successive dejicitur, non tam nimietate, quam assiduitate tentationis, qua impugnatur. Exemplum primi, in adulterio David cum *II Reg. xi, 2-4.* Bethsabee. Exemplum secundi, in Salomone, quoad incontinentiam ejus. *III Reg. xi, 1-3.*

Roborasti eum paululum, donis gratiæ in præsenti, *ut in perpetuum pertransiret,* id est de vita hac ad perpetuam cœlestis paradisi mansionem, atque ad dona gloriæ æternaliter perveniret. Parva autem sunt omnia vitæ præsentis, comparatione beatitudinis sempiternæ. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Hoc valet ad increpationem et informationem

Digitized by Google

parentum carnalium, qui superflue pro filiorum nobilitatione, prosperitate, promotione sollicitantur et occupantur : quia quum venerint ad tormenta, nil sciunt de statu vitæ præsentis et consistentia filiorum suorum, nisi per modum præcedenti articulo scriptum. Imo, frequenter mortuorum parentum augentur supplicia ex vita carnali filiorum, quam adjutorio parentum suorum adepti sunt.

ARTICULUS XXXV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTIDECIMI : RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT.

HIC jam inchoatur secundus circulus disputationis inter amicos Job et ipsum beatum Job. Et ista eorum disputatio est replicatio quædam contra responsiones, quibus Job respondit primis illorum instantiis. In principio ergo hujus capituli, Eliphaz invective profatur adversum Job, quasi superbe, præsumptuose, jactanter, et iracunde seu impatienter locutus sit. Præterea, secundum quosdam, amici Job non posuerunt homini vitam aliam quam præsentem, ita quod animam rationalem dixerunt mortalem ; et secundum eos, Job disputat contra hoc. Sed, ut sæpius jam ostendi, illa non fuit opinio virorum illorum. Quod etiam conjici potest ex hoc, quod nullus eorum arguit contra verba Job, quibus asserit animæ immortalitatem et resurrectionem futuram : quod tamen (ni fallor) diligenter fecissent, si talis fuisset eorum opinio.

Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens ? quasi dicat : Ad sapientem non pertinet inaniter loqui, et jactanter atque inutiliter respondere aut fari non ad veritatem et rem, sed solum ad aerem, loquacitati superfluæ insistendo, ne victus aut indoctus putetur ; imo sapientis est, verba sententiosa humiliter et modeste proferre, ordinateque loqui, et respondere succincte, multiloquia devitando. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Verba sapientium statera ponderabuntur. (Eccli. xxi,) Et rursus : In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. (Eccli. xxi, 29.) Fatui enim quidquid corde conceperint, mox proferunt ore. Sapientes vero os suum aperiunt secundum rectæ rationis censuram. Hinc quoque Proverbiis dicitur : Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est. (Prov. xvii, 27.)

Et implebit ardore, id est fervore et impetu iræ, indignationis seu impatientiæ, *stomachum suum,* id est animum suum vel mentem ? quæ metaphorice stomachus appellatur. Nam sicut in stomacho cibaria digeruntur, sic meditationes quibus anima pascitur, in mente tractantur. Rursus, sicut ex stomacho ardore impleto fœtidus fumus eructatur, ita ex animo passionum ardore succenso, verba prodeunt vitiosa. Verumtamen ardor iræ, seu ira quæ fervor quidam est, subjective est in appetitu sensitivo, non in superiori animæ portione, nisi per consensum et affectum, in quantum mens passioni consentit, et ea obruitur. Ira autem per zelum, est in ratione seu mente, etiam per causam, quoniam ratio illam sponte assumit. Vult itaque dicere, quod sapientis non est, ira aut impatientia inflammari, quum scriptum sit : Ira in sinu stulti requiescit ; (Eccle. vii, 10.) et : Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ? (Prov. xviii, 14.) Mansuetudo nempe et patientia sunt signa sapientiæ, juxta illud Jacobi : Quis sapiens et disciplinatus inter vos ? (Jacob. iii, 13.) Osten-

dat operationem suam in mansuetudine A
sapientiæ. In Proverbiis quoque scribitur :
Prov. xiv, 29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.
Ibid. xix, 11. Et alibi Salomon ait : Doctrina viri per patientiam noscitur; et gloria ejus est iniqua prætergredi. Sapientiæ quippe est, ordinare et irrationabiles motus compescere. His vero verbis Eliphaz arguit sanctum Job de elatione, inanique gloria et iracundia, quoniam aliqua dixit ad suam laudem et perfectionem spectantia, amicos quoque suos dure corripuit. B

Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, id est, verbis tuis præsumptuosis derogas Deo, ejusque judicium reprehendis, asserendo te absque tua culpa a Deo plagatum, qui major est te infinite. Hoc Eli-
Job xiii, 18. phaz ait, quia Job superius dixit : Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. Et multa similia dixit. Sed Eliphaz non recte intellexit sermones Job, nec originem unde processerunt, attendit. Sicut quum Job as-
Ibid. 3. seruit, Disputare cum Deo cupio, Eliphaz intellexit, quod vellet quasi discutiendo C
opera ejus et contentiose disputare cum ipso, quasi ambigeret, an justa essent Dei judicia. *Et loqueris quod tibi non expedit.* Minus dicit, et magis intendit. Tanquam dicat : Verba tuæ saluti contraria profers.

Quantum in te est, evacuasti timorem, id est, a timore Dei reverentiali ostendis te alienum ac nudum. Imo ostendis quantum in te est, Deum a nullo esse curandum, aut formidandum, dum tam irreverenter alloqueris eum, et faris de eo. Hinc
Ibid. iv, 6. superius Eliphaz loquitur ipsi Job : Ubi D
est timor tuus? *Et tulisti,* id est abstulisti, *preces coram Deo,* id est, per impietates tuas fecisti te indignum exaudiri ab eo :
Prov. xxviii, 9. secundum illud Proverbiorum, Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. *Docuit enim iniquitas tua os tuum,* id est, ex impia conversatione et interioris malitiæ abundantia didicisti tam impie loqui de Deo : prout
Matth. xii, 35. asserit Christus, Malus homo ex malo thesauro cordis sui profert mala; itemque, Ex abundantia cordis os loquitur. Matth. xii, 34.
Et imitaris linguas blasphemantium, id est, verba blasphemiam includentia profers, affirmans quod sine tuo demerito te Deus plagaverit. Hoc enim Eliphaz reputavit derogare divinæ justitiæ, et ex consequenti blasphemiam continere, præsertim quia Job dixit de Deo : Si flagellat, occidat se- Job ix, 23.
mel, et non de pœnis innocentium rideat. Quod Eliphaz sic accepit, quasi Job insinuaret Deum esse crudelem, atque in punitione justorum ac perditione hominum gloriantem.

Condemnabit te os tuum, et non ego : id est, tam vitiosa et impia tua sunt verba, ut ipsa te reprobatione damnationeque dignum monstrent ac statuant, nec opus est ut ego vel alter te condemnet; *et labia tua respondebunt tibi,* id est, verba labiorum tuorum per modum causæ meritoriæ, vicissitudinem tibi reddent, hoc est, causa erunt, quod pro tanto verborum excessu adhuc debite punieris. Sicque Dominus ait per Joelem : Cito velociter reddam vicissi- Joel iii, 4.
tudinem super caput vestrum. Vel, Labia tua respondebunt tibi, id est, materiam tibi respondendi præstabunt : juxta illud, Ex ore tuo te judico, serve nequam. Vel, Luc. xix, 22.
Respondebunt tibi, id est, causam ejus quod quæris, videlicet causam tuæ flagellationis tibi ostendent, eo quod sua pravitate pandant te esse nimis culpabilem, ideoque percussum.

Consequenter per multa ostendit excellentiam Dei super Job, ad probandum quod non decuit ipsum Job tam audenter alloqui Deum, aut fari de eo, ita ut diceret, Disputare cum Deo cupio. *Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus? Numquid consilium Dei audisti, aut inferior te erit ejus sapientia?* tanquam Job xiii, 3.
dicat : Tam superbe profaris, quasi primus et eminentissimus hominum esses, sicque competeret tibi pro toto genere humano disputare cum Deo, et quasi Dei consilio interfuisses, aut Deo in sapientia esses æqualis ; quum tamen non sis hominum primus, nec Dei consilio interfuisti, sed

Digitized by Google

ejus sapientia inferior es infinite. Unde Jer. xxiii, 18. Jeremias dicit : Quis adfuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermonem ejus ?

Denique consilium Dei, prout in ipso Deo est, nullus perfecte scire aut comprehendere valet : nihilo minus partim et aliqualiter hominibus innotescit dupliciter. Primo, per suos effectus, ut quum in re ipsa completum est, quod Deus suo decrevit se facturum consilio. Sicque per Je- Ibid. 20. remiam populo Judæorum testatur : In novissimis diebus intelligetis consilium meum. Secundo, per revelationem, qua divinitus revelatum est sanctis quibusdam hominibus, et per illos ceteris. Sic enim Christus secundum formam assumptam Is. ix, 6; vocatur magni consilii Angelus, id est nun- Jer. xxxii, 19. tius, qui divinæ sapientiæ secreta ac dispositionem circa hominum salvationem nuntiavit hominibus, sicut ait Apostolis : Joann. xv, 15. Quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Paulus quoque loquens discipulis : Act xx, 27. Non subterfugi, inquit, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Hoc etiam modo beatus Job aliqua divini consilii mysteria per revelationem interiori auditu audivit magis, quam Eliphaz æstimavit. Quomodo autem consilium Deo con- Job xii, 13. veniat, supra expositum est.

Porro, quod ait, Numquid primus homo tu natus es? diligenter oportet advertere. Si enim de prioritate temporis sermo sit, primus homo non est proprie natus, sed Deo Gen. ii, 7. agente formatus. Si vero de prioritate dignitatis sit sermo, iste est sensus : Numquid primus, id est excellentissimus, homo tu natus es, ut sic te præferas ceteris ?

Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus? In hoc patet superbia Eliphaz. Job enim amicis suis illuminatior ac sapientior fuit, et rectius sensit de providentia Dei, quam illi. Denique, quod ait, Quid nosti? accipi potest de notitia humanorum, vel de notitia ex instructione aliorum, vel de notitia fidei; quod vero subjungit, Quid intelligis? de scientia divinorum, vel ex consideratione propria cognitorum, vel eorum quæ per naturalem

A rationem noscuntur. *Et senes,* morum probitate, seu mentis canitie, *et antiqui,* temporum longiturnitate, seu experimentorum acceptione, *sunt in nobis,* a quibus instructi, vel etiam propagati sumus, *multo vetustiores quam patres tui,* a quibus doctus et genitus es. Ideo plura quam tu scire valemus. Unde superius dictum est : In an- Job xii, 12. tiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. Talibus ergo cedendum, credendum, attendendumque est, juxta illud Ecclesiastici : Non te prætereat narratio se- Eccli. viii, 11, 12. B niorum; et ipsi enim didicerunt a patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum. Et alibi : In medio presbyterorum sapien- Ibid. vi, 35. tium sta, et ex corde conjungere sapientiæ illorum.

Numquid grande est, id est, magnum atque insolitum aut arduum Deo est, *ut consoletur te Deus* in tanta pœna ac desolatione? quasi dicat : Non utique, quum Deo velut consuetudinarium facillimumque consistat, afflictorum angustiam relevare, desolatorum mœstitiam mitigare, om- C nique pœnitenti et justo consolationem in adversis conferre : sicut ait Apostolus, Be- II Cor. i, 3, 4. nedictus Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Qui per Isaiam ait : Quomodo si cui mater blandia- Is. lxvi, 13. tur, ita et ego consolabor vos. *Sed verba tua prava,* quibus te exaltando, derogas Deo, *hoc prohibent,* id est, consolatione divina te indignum efficiunt. Peccata etenim nostra inter Deum et nos inducunt distantiam, impediuntque a nobis Dei consola- D tionem et gratiam, sicut in persona peccatorum in Jeremia habetur : Iniquitates Jer. v, 25. nostræ declinaverunt hæc, et peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis.

Quid te elevat cor tuum ? id est, cur te supra proprium gradum et humanæ fragilitatis mensuram sic erigis? Superbia enim est velut tumor, atque erectio cordis cæca, inordinata et stulta, juxta illud Abdiæ : Superbia cordis tui extulit te. Et Isaias : Abd. i, 3. Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt Is. iii, 16. collo extento. *Et quasi magna cogitans,* id

Digitized by Google

est mirabilia, divina et alta contemplans, *attonitos,* id est signum interioris superbiæ prætendentes foris in apertione et erectione, *habes oculos.* Nempe, qui talia sublimia intuetur, in stuporem adducitur, ab exterioribus quoque abstractus, oculos habet quasi pavefactos sive attonitos. Interior enim dispositio animæ, in exterioribus, præsertim in visu, cognoscitur ac relucet, juxta quod legitur in Ecclesiastico : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. (*Eccli.* XIX, 26.) Itaque Eliphaz intendit, quod Job ex superbia talem assumpsit oculorum qualificationem, qualem solent habere sapientes magnis contemplando intenti, quatenus ipse putaretur sublimia considerare. Et sic etiam notat eum hypocrisis.

Quid tumet contra Deum, id est ad Dei contumeliam atque injuriam et contra ipsius justitiam, *spiritus tuus?* quia ita te laudas, ut divinam justitiam neges, et cum Deo quasi cum pari contendere seu disputare usurpas. Ideo addit, *ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones :* quos nefas est mente tractare; concepti autem, sunt reprimendi, ne foris erumpant. Hinc eos sine pavore proferre, intolerandæ est arrogantiæ. Sic Eliphaz æstimavit Job reprehendendum, quia nimis se justificaverit, ut Eliphaz apparebat. Unde adjecit : *Quid est homo ut immaculatus sit?* id est, homo non est tam excellentis naturæ, ut inculpabiliter conversetur. *Et justus appareat* homo, qui *natus* est *de muliere?* propter quod fragilis est naturæ, præsertim in adolescentia pronus ad vitia, et debilis ratione, videlicet sapientia et virtutibus nondum perfecte armatus. Propter quod sine peccatis non vivit, sicut et Salomon loquitur : Non est homo super terram qui faciat bonum, et non peccet. (*Eccle.* VII, 21; III *Reg.* VIII, 46.) Sed, ut patet ex dictis, nec Job ista negavit, et Eliphaz cum ceteris condisputantibus, verba magis quam mentem Job multoties reprobarunt. (*Job* VII, 21; IX, 20.)

Ecce inter sanctos ejus : sive sint comprehensores, ut cives cœlestes; sive viatores, ut viri heroici, divini, perfecti; *nemo,* A id est nullus, *immutabilis.* Quod dupliciter verum est. Primo, quoniam omnis creatura aliquam habet variabilitatem, imo et variationem : quia in Beatis etiam post resurrectionem erit successio apprehensionum circa quædam inferiora objecta, secundum Augustinum; corpora quoque hominum glorificata, erunt mobilia loco. Hinc (secundum Apostolum) solus Deus habet immortalitatem, (I *Tim.* VI, 16.) id est omnimodam incommutabilitatem, secundum Augustini interpretationem. Secundo, quoniam omnis in- B tellectualis creatura, etiam angelica, quia ex nihilo est, et distans a suo fine, secundum se accepta ac libera, naturaliter flecti potest sive in bonum, sive in malum. Confirmationem autem in bono sortitur per gratiam; obstinationem in malo per malitiam propriam. Hoc idem Eliphaz dixit supra : Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, (*Job* IV, 18.) et in angelis suis reperit pravitatem : de quorum intelligentia plenius dictum est ibi. *Et cœli non sunt mundi in conspectu ejus,* id est, nec cives nec orbes cœlorum C mundi sunt comparatione Dei, qui infinitæ est puritatis, sicut comparatione ejus nemo bonus aut sapiens. (*Marc.* X, 18.) In omni quoque creatura est aliquid potentialitatis, defectibilitatis ac indigentiæ : propter quod indiget indesinenter conservari a Deo. De hoc dictum sæpe atque diffuse.

Quanto magis abominabilis per graviora peccata, *et inutilis* per peccata minora, *homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* id est, per consensum eam intra se trahit et glutit tam immoderate, abundanter et D prompte, ut bibitur aqua : quæ cara non est, propter quod sine difficultate accipitur. Et per hominem hunc, intelligit ipsum Job : quem ex detestatione non exprimit, quemadmodum nec Judæi Jesum Christum coram Pilato, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. (*Joann.* XVIII, 40.) Et iterum : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. (*Luc.* XXIII, 2.) Similiter infra Eliu ait : Quis est vir ut Job, qui bibit subsannationem quasi aquam? (*Job* XXXIV, 7.) In his atque similibus considerare et imitari debemus persecutiones, derisiones et patientiam san-

Digitized by Google

cti Job, et ex levibus causis non instar A canum ad impatientiam agitari.

Ostendam tibi veritatem et tuum errorem ; *audi me,* ut decet reprehensibilem a correptore audire intente ; *quod vidi* oculis mentis seu corporis, et ex rerum processu consideravi, *narrabo tibi. Sapientes confitentur* vera esse quæ dico, et veritatem in omnibus ipsi fatentur : juxta illud Prov. x, 21. Proverbiorum, Labia justi erudiunt pluri- Eccli. xx, 32. mos. Nam et Ecclesiasticus dicit : Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? *Et non abscondunt patres suos,* a quibus generati sive instructi sunt, sed eos allegant, laudant, cognitos faciunt : Ibid. xliv, 15. secundum illud Ecclesiastici, Sapientiam patrum narrant populi, et laudem eorum nuntiat ecclesia. *Quibus solis data est terra,* id est, terrenorum dominativa possessio solis sapientibus est collata : quoniam sic possident terram, quod non possidentur ab ea ; utunturque sensibilibus rebus salubriter, referendo eas ad debitum finem. Porro insipientes ac impii possidentur a terra, et abutuntur terrenis, victi illorum inordinato amore, secundum quod Sap. xiv, 11. in Sapientiæ libro fertur : Creaturæ factæ sunt in odium, et in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insi- Matth. v, 4. pientium. Hinc mitibus possessio terræ promittitur.

Et non transibit alienus per eos, id est, insipientes et impii cum sapientibus sortem et societatem non obtinebunt, sicut inter electos reprobi non annumerabuntur. Alienus quoque a sapientia non transit per sapientes, id est per viam illorum, videlicet per divinorum observantiam præcepto- Is. xxxv, 8. rum, juxta illud in Isaia : Via sancta voca- * pollutus bitur, et non transibit per eam alienus *. Eccle. ii, 13. Hinc in Ecclesiaste habetur : Vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Quibus II Cor. vi, 14, 15. consonat illud ad Corinthios : Quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?

Cunctis diebus suis impius superbit : non omnibus diebus suæ vitæ, quia non ante usum rationis ; sed cunctis diebus suæ impietatis. Quicumque in mortali peccato est, superbus censetur : quia divinis præceptis rebellis, et Deo non subditus. Sic fertur in Psalmo ad Deum : Superbia eorum Ps. lxxiii, 23. qui te oderunt, ascendit semper. Præterea, electi aliquoties ad tempus errant atque superbiunt : imo interdum de speciali sibi data gratia seu bonis operibus extolluntur. Sed quia electi sunt, ante vitæ terminum ad humilitatem per pœnitentiam rever- B tuntur. *Et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus,* id est, quamdiu in vita manebit, et tyrannidem exercere sinetur, ignorat. Potestatem enim qua abutitur, habet a Deo, et nescit quando tolletur ab eo. Tyrannus autem (ut dicit Boetius, quem ad hoc allegat Albertus) est, qui regimen rei publicæ in nocumentum populi et utilitatem sui malitiose convertit. Unde ait Gregorius : Tyrannus proprie dicitur, qui in communi re publica non jure principatur. Verumtamen, tyrannus in Scripturis ali- C quando aliter sumitur, sicut in Daniele et Dan. i, 3; iii, 2, 3; Esther vi, 9. Esther.

Ex his generaliter dictis, descendit ad increpationem beati Job, qui supra frequenter asseruit se in angustiis et timore doloreque positum : in dolore, propter mala præsentia ; in timore futurorum. *Sonitus terroris semper in auribus illius,* id est, ad quemlibet strepitum improvisum metuit sibi aliquid mali jam imminere : quia de nullo confidit, metuitque sic sibi ab aliis fieri, quomodo ipse eis fecit ; *et* D *quum pax sit,* id est, nemo sibi adversetur, *ille insidias suspicatur.* Quidquid enim contra proximos cogitat, hoc contra se a proximis excogitari formidat ; et conscius sibi propriæ crudelitatis, veretur semper sibi instare quod meruit, sciens se dignum odio, non amore ex se, quamvis propter Deum amandus sit. Hinc in libro Sapientiæ dicitur : Quum sit timida nequitia, dat te- Sap. xvii, 10. stimonium condemnata ; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Et in Proverbiis : Fugit impius nemine perse- Prov. xxviii, 1.

Digitized by Google

quente ; justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Siquidem conversatio virtuosa parit fiduciam, et fortitudinem tribuit cordi. Ideo Salomon protestatur : In timore Domini fiducia fortitudinis. (*Prov.* xiv, 26.) Et de justo loquens Psalmista : Ab auditione, inquit, mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino. (*Ps.* cxi, 7.) Hinc dicit Gregorius : Nil simplici corde felicius : quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod ab aliis pati formidet. At contra mens prava semper in laboribus est : quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferantur ; et quia semper agit dolose, contra se agi metuit insidiose.

Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, id est de adversitatibus atque periculis ad securitatem et pacem, quia de nullius ope et fidelitate confidit, *circumspectans undique gladium,* id est ex omni parte suspicans sibi gladium imminere hostilem : intelligendo per gladium, omne prælii instrumentum, sicut per panem intelligitur quilibet cibus. Unde subjungitur : *Quum se moverit ad quærendum panem,* id est, cibum sumere voluerit, *novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies,* id est hora mortis, quia et tunc metuit infici et veneno aut aliquo modo perire, secundum quod novit se meruisse : unde nec in domesticis suis confidit. *Terrebit eum tribulatio,* quam apprehendit sibi instare ; *et angustia,* id est timor cor premens, *vallabit eum,* id est, circumdabit intus, *sicut regem qui præparatur ad prælium* vallat exercitus vel premit angustia. Nam metuit plurimum ne vincatur, aut a suis derelinquatur, seu proditus occidatur ab hostibus.

In omnibus his atque sequentibus Eliphaz notat, tangit et pungit beatum Job, quod scilicet ita pavidus fuit ex mala conscientia et præcedente superbia atque sævitia, ideoque desperaverit de cura suæ percussionis, et angustiatus sit undique.

Tetendit enim adversus Deum manum suam, id est, actus suos exhibuit divinæ legi et voluntati contrarios : juxta illud

A Osee, Extendit manum suam cum illusoribus. (*Osee* vii, 5.) *Et contra Omnipotentem roboratus est,* id est, potentia sibi data abusus est, ad illicita utens ea, atque ad operandum iniqua se variis modis armavit, fraude, ferro, insidiis, auxiliariis, consiliariis.

Cucurrit, id est, ad impietates processit cum fervore peccandi, et sine obstaculo, *adversus eum,* id est contra Dei prohibitionem, *erecto collo* ex interiori pompa inflato, *et pingui cervice armatus est,* id est, crapulose se habuit, et carnalitate contra

B justitiam se munivit. Pinguedo autem ex abundantia humorum causatur. Tales quidam fuisse in Scripturis leguntur, ut Pharao, qui ait in Exodo : Quis est Dominus, ut dimittam Israel ? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. (*Exod.* v, 2.) Sennacherib quoque rex Assyriorum, qui (ut in quarto Regum libro et in Isaia legitur) scripsit ad Ezechiam : Non te decipiat Deus tuus, quia non poterit te liberare de manu hac. (IV *Reg.* xix, 10; *Is.* xxxvii, 10, 11.) Denique Daniel loquitur Balthasar regi : Adversus Dominatorem cœli elevatus es, et

C Deum qui habet flatum tuum in manu sua, non glorificasti. (*Dan.* v, 23.) Sed et secundo Machabæorum fertur : Nicanor extendens manum ad templum, juravit : Nisi Judam vinctum mihi tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam. (II *Mach.* xiv, 32, 33.) Et sequenti ibi capitulo interrogavit, si est potens in cœlo, qui jussit agi diem sabbatorum. Et respondentibus Judæis, Est, ille ait : Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma. (*Ibid* xv, 3-5.) Ecce quomodo mentem excæcat superbia.

Operuit, id est, vitiosa caligine texit,

D *faciem ejus,* id est oculum mentis seu intellectualem notitiam, *pinguedo,* id est carnalitas et opulentia rerum : quæ considerationem mentis obnubilant, et divinam illuminationem impediunt, juxta illud Isaiæ : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. (*Is.* xxviii, 9.) *Et a lateribus ejus arvina dependet,* id est, collateralibus ejus similis carnalitas ex ipso adhæret. Frequenter etiam corporaliter sic contingit, quod facies principis super-

Digitized by Google

bi taliter impinguetur, et latera ejus arvina abundent: quemadmodum in Judicum libro legitur, Judic. III, 17. Erat autem Eglon rex Moab crassus nimis. Et Agag rex Amalec, I Reg. XV, 32. fertur fuisse pinguissimus.

Consequenter tangit adversa, quæ crudeli, superbo et opulento solent accidere. Interdum enim de loco suo expellitur: unde adjungit, *Habitavit,* postquam factus est fugitivus, *in civitatibus desolatis et in domibus desertis, quæ* pro parte *in tumulos,* id est acervos, *sunt redactæ.* Talia enim latibula secreta collapsa consueve- B runt quærere fugitivi, expulsi, inveniri timentes. *Non ditabitur:* quia aliorum bona amplius tollere non audebit, nec poterit: *nec perseverabit substantia ejus,* id est, opes suæ ab eo tollentur, ut sicut alios spoliavit, spolietur et ipse: juxta illud Is. X, 16. Isaiæ, Mittet Dominus in pinguibus tenuitatem. *Nec mittet in terram radicem suam,* id est, de cetero fecundus et fructuosus non erit, nec ad pristinam prosperitatem redibit: quomodo arbor extracta et iterum implantata, si in terram miserit radicem, C denuo convalescit; quod si non fecerit, prorsus arescit. Hinc in Sapientiæ libro Sap. IV, 3. habetur: Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. Atque in Psalmo dicitur Ps. LI, 7. impio: Deus destruet te in finem; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

Non recedet de tenebris adversitatis et pravitatis, sed in miseriis erit culpæ et pœnæ. *Ramos ejus,* id est sobolem, *arefaciet flamma,* id est gravis adversitas, seu rigorosum et consumens judicium Dei; *et* D *auferetur* de vita, *spiritu oris sui ab eo,* id est per ablationem spiritus sui a corpo- Ps. CXLV, 4. re: juxta illud Psalmi, Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. Vel, Spiritu oris sui, id est propter animositatem sui cordis, quæ in verbis ore prolatis ostenditur. *Non credet frustra,* id est inaniter, *errore* vanæ spei *deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit,* id est alicujus subsidio de manu summi Judicis eruendus, vel a præsenti miseria sublevandus; sed

A tanquam pravissimus et a suis spernetur. Sic ait Psalmista: Frater non redimit, re- Ps. XLVIII, 8, 9. dimet homo? Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ. In libro quoque Paralipomenon dicitur: Non est apud Dominum Deum nostrum II Par. XIX, 7. iniquitas, nec personarum acceptio, nec acceptio munerum.

Antequam impleantur dies ejus, peribit, id est, antequam naturalis periodus suæ ætatis compleatur, decedet seu morietur; *et manus ejus arescent,* id est, vis B operativa et opera ejus cessabunt. Sic et in Proverbiis legitur: Quasi tempestas trans- Prov. X, 25. iens, impius non erit. Ecclesiastes quoque: Non sit, inquit, bonum impio, nec Eccle. VIII, 13. prolongentur dies ejus; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. Et in Psalmo: Viri sanguinum et dolosi Ps. LIV, 24. non dimidiabunt dies suos. *Lædetur quasi vinea in primo flore suo,* id est, sicut vinea læditur in primo suo flore, quando levi pruina excoquitur, et parvo ardore incenditur, ita lædetur *botrus ejus,* id est C fructus seu opus iniqui, ita quod opera viva vita gratiæ non habebit, nec diu subsistet; *et quasi oliva projiciens florem suum,* id est cujus flos decidit, et in oleastrum degenerat, infructuosaque fit, ita et iste perit ac defluit.

Congregatio enim hypocritæ sterilis, id est, res ab hypocrita collecta, fit infructuosa, quia habenti nociva, et aliquando ei aufertur. Ipsi quoque hypocritæ pariter congregati, a bonis sunt actibus steriles, et infructuosis arboribus similes; nec apud D Deum sortiuntur mercedem, qui humanam cupiunt laudem, et simulatione se palliant. *Et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt,* id est avarorum qui amore donorum pervertunt judicium. Aliquando namque contingit, ut injuste adepta, per graves adversitatum molestias auferantur, et talium domus incendantur. Sed nec istud, nec alia jam prædicta, universaliter accidunt secundum superficiem litteralem, quum impii sæpe usque ad ultimam pertingant ætatem, et usque ad mor-

Digitized by Google

tem prosperitatibus jugiter potiantur, neque ab homine aliquo devastentur. Unde in istis spiritualis expositio subtilior, verior, generaliorque consistit. Verumtamen loquitur ista quasi ad litteram, quia in omnibus notat et pungit Job, quod scilicet ob suam avaritiam substantia ejus igne consumpta sit, et ipse adhuc satis recens usque ad mortem ob suam impietatem percussus sit, nec putet se aliquo pretio redimendum.

Concepit dolorem, id est tristitiam de aliquorum prosperitate, et præcogitavit qualiter aliis noceat, doloremque inferat; *et peperit iniquitatem,* id est, impiam conceptionem opere adimplevit. *Et uterus ejus,* id est mens sua : quæ in Scripturis sæpe venter vocatur, ut quum ait Salvator, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. (Joann. VII, 38.) Et in Psalmo : Ex utero ante luciferum genui te. (Ps. CIX, 3.) Quemadmodum enim corporales conceptus fiunt in utero, sic spirituales in mente. *Præparat dolos,* id est, artes fallendi excogitat, atque inferre disponit : quod de hypocrita dicitur. Hypocritarum nempe est, non aperte, sed latenter ac fraudulenter aliis nocumentum inferre. Similiter ait Psalmista : Ecce parturivit injustitiam; concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum aperuit, et effodit eum. (Ps. VII, 15, 16.) Et Jeremias : Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt me scire, dicit Dominus. (Jer. IX, 6.) Postremo (secundum Gregorium) tanto semper majorem malitiam contra proximos in mente hypocrita concipit, quanto præ aliis videri innocentior quærit. Quod quam impium sit, Isaias sic aperit : Fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacii. (Is. XXXII, 7.) Itemque in Psalmo : Linguis suis dolose agebant. (Ps. V, 11.) Ubi mox subditur : Judica illos, Deus. Decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine. Hæc autem de hypocrita Eliphaz introduxit, ad insinuandum quod Job hypocrita fuit : ideoque congregata ab eo perierunt, et ipse plagatus hinc fuerit.

ARTICULUS XXXVI

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI QUINTIDECIMI.

R*ESPONDENS autem Eliphaz, dixit : Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum?* Per Eliphaz, designatur quispiam errans, proprio judicio sapiens, sed a veraciter sapiente diligenter correptus, et caritative instructus. Per Job autem intelligitur quicumque vir justus et sapiens, erroribus impiorum resistens, veraque docens. Quemadmodum ergo Eliphaz a Job digne correptus, reprobatus, instructus, non gratanter accepit, nec acquievit, sed invective locutus est, et duriora respondit; ita animosi et scioli, audaces et sibi placentes, a superioribus, melioribus aut sapientioribus amorose correpti, intumescunt, indignantur atque redarguunt, et correptoribus graviora imponunt : et quod ex caritate, æquitate, sapientia vel ira per zelum prolatum est, ex aversione, præsumptione, ira seu impatientia dictum causantur; indeque deteriorantur, unde debuerunt emendari. Tantam ergo abusionem, perversitatem, ingratitudinemque vitemus, et correpti ac informati cum patientia et gratiarum actione acquiescamus.

Denique verba amicorum Job, quamvis ab eis ad malum finem, videlicet ad reprobationem accusationemque Job ordinentur, et ei impie applicentur, nihilo minus

Digitized by Google

in se frequenter sententiosa et profunda A sunt. Sic quoque ea secundum se considerare debemus, et ex eis proficere. Unde et nunc ex verbis Eliphaz discamus non loqui in ventum et aerem, nec iracunde
Eccli. xx, 13. aut turbulenter. Scriptum est enim : Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit.
Prov. xv, 1. Et rursum : Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem. Itemque
Eccle. viii, 1. Ecclesiastes : Sapientia hominis lucet in vultu ejus. Idcirco non decet sapientem cum turbulentia loqui. Propter quod Isaias
Is. xlii, 4. de Christo prædixit : Non erit tristis neque B turbulentus. Itaque verba ventosa et garrula devitemus, quum Ecclesiasticus dicat :
Eccli. xix, 5. Qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam.

Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi. Hoc objiciendum est his, qui superiores suos irreverenter corripiunt, quum et seniores, quamvis non præsint, reverenter alloquendi sint, dicente Apostolo :
I Tim. v, 1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. *Et loqueris quod tibi non expedit.* Quicumque alteri verba injuriosa, inordinata aut vindicatoria loquitur, sibi ipsi C magis quam alteri nocet directe : imo se graviter lædit ; et alter nisi propria impatientia aut simili culpa vincatur, nullum inde sustinet detrimentum, sed magis sortitur profectum. Denique, ad hoc ut homo non loquatur quod sibi non expedit, præcipua indiget gratia. Propter quod orat
Ps. cxl, 3. Psalmista : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.
Eccli. xxii, 33. Ecclesiasticus quoque sic habet : Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, D et lingua mea me perdat ?

Quantum in te est, evacuasti timorem. Quicumque audacter et absque timore libere peccat, et alios scandalizare non metuit, se ipsum a divino vacuum facit timore, alios quoque, quantum in ipso est, præbens eis peccandi audaciam : quod vehementer enorme est atque damnabile. *Et tulisti preces coram Deo.* Quicumque Deum verbis precatur, et impiis actibus eum offendere non veretur, indignum se facit exauditione divina. Qui ergo appetit exaudiri, studeat obedire, vitamque verbis conformare conetur, ut ei Deus per gratiam suffragetur. Maxime autem aufert preces coram Deo, seque inexaudibilem reddit, qui alicui odium tenet, seu alteri non ignoscit. Propter quod ait Salvator : Quum Marc. xi, 25, 26.
stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem : quod si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. In Ecclesiastico quoque consone scriptum est :
Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc Eccli. xxviii, 2, 3, 5.
deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ? Quis exorabit pro delictis illius ?

Docuit enim iniquitas tua os tuum. Hoc competit his, qui ex industria et cum proposito mentiuntur, aut ex vitiosa vita absque formidine perversa loquuntur, quemadmodum de quibusdam asseritur : Acuerunt Ps. cxxxix, 4.
linguas suas sicut serpentes. *Et imitaris linguas blasphemantium.* Qui falsa sive sacrilega aut derogatoria manifeste de Deo profatur, evidenter blasphemat ; qui vero talia profert, quæ implicite tale quid continent seu includunt, imitatur blasphemantium linguas. *Condemnabit te os tuum, et non ego ; et labia tua respondebunt tibi.* Hoc dicendum est his, qui multum excessive loquuntur, quia et scriptum est : Ex verbis tuis damnaberis. Et Isaias indu- Matth. xii, 37.
cit : Peccata nostra responderunt nobis. Is. lix, 12.
Quia videlicet peccando meremur ut detur nobis a divina justitia reale responsum, per hoc quod pro culpa infligitur proportionata ac persolutoria pœna.

Insuper, si audierimus aliquem nimis præsumptuose loquentem, et de sua sapientia inanissime præsumentem, cum justa ironia ei dicere possumus quæ sequuntur. *Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus ? Numquid consilium Dei audisti ? Numquid grande est ut consoletur te Deus ? Sed verba tua prava hoc prohibent.* Itaque, si in adversis divinitus consolari optamus, omne illicitum verbum penitus devitemus, non murmuremus, sed

Digitized by Google

Deo gratias referamus, ab ipso consolari petamus. Quod si fiducialiter atque constanter egerimus, abundanter exaudiemur, *Is.* LIX, 1, 2. juxta quod legitur in Isaia : Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat ; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter Deum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.

Quid te elevat cor tuum ? id est, ad quid et cur superbis, o homo, res fragilis utique, ad tui ipsius perditionem ? Et quoniam propriam imperfectionem, periculositatem, culpam, innumerasque ærumnas non pensas (quæ omnia si rite perpenderes, te vilissimum et humana communione censeres indignum) ; ideo clamat Scri- *Eccli.* x, 9. ptura : Quid superbit terra et cinis ? *Et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ?* Quidam tam superbi et vani sunt, ut si forte egerint quid boni, illud pandant, jactent, scirique cupiant : imo sæpe virtutes quibus non decorantur, sibi attribuunt, aut optant attribui, vel simulant. Insuper, ut contemplativi aut magnis intenti putentur, visum confingunt attonitum, qualem habent supernis intenti : quorum vultus et visus interdum sic variantur, ut a talium inexpertis, insensati sive amentes dicantur. Nam et Christus altissima prædicans, a suis discipulis furere putabatur, *Marc.* III, 21. juxta illud Marci : Exierunt sui tenere eum. Dicebant enim : Quoniam in furorem versus est. Circa hæc scribit Gregorius : Sæpe justorum mens ita ad altiora contemplanda suspenditur, ut exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed quia contemplationis vim in occulto agere pravi ignorant, hoc a justis et sapientibus fieri magis per hypocrisim, quam per veritatem, existimant : quia quod ipsi habere nequeunt, inesse veraciter aliis non suspicantur.

Quid tumet contra Deum spiritus tuus, o superbe stultissime ? quum Deus sit te in infinitum sublimior, perfectior atque potentior : a quo, quidquid habes et es, *Matth.* x, 28. suscepisti ; qui te cum corpore et anima potest projicere in infernum ; qui tanta tibi bona impendit ; cui profundissime subjici et vigilanter parere teneris. Itaque resipisce et imple illud principis Apostolorum : Humiliamini sub potenti manu Dei. *I Petr.* v, 6. Alioqui implebitur in te illud Isaiæ : Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. *Is.* II, 17.

Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere ? Multis modis dicitur homo immaculatus in divinis Scripturis. Uno modo, quia nulli unquam peccato subjacuit, nec mortali, nec veniali, nec actuali, nec originali : quod competit homini Christo. Secundo, quoniam nunquam peccavit, nec venialiter, neque mortaliter, etiam habendo tempora discretionis : quod competit Virgini gloriosæ. Tertio, quoniam ab omni peccato purgatus est : quod tribuitur in Baptismo. Quarto, quoniam sine mortali peccato est, et de venialibus quotidie se custodit, pœnitet et emendat : quales esse debent potissime religiosi. Sicque ait Psalmista : Beati *Ps.* CXVIII, 1. immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Proportionabiliter dicitur homo variis modis justus. Sed verba ista prætendunt, quod homo purus, secundum communem legem, non vivat sine peccato, nec penitus justus sit, sed quotidie in multis deficiat ex infectione et fragilitate naturæ, et propter occupationes suas multiplices circa diversa, ita ut nec ipse universas et singulas suas culpas queat determinate advertere.

Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Si angelicæ mentes et cœlestes substantiæ immutabiles non sunt, nec mundæ comparatione puritatis ac invariabilitatis divinæ naturæ : nos, qui sumus, qui reputemus nos mundos ac stabiles coram Deo ? Præterea, solus Deus incomparabilis et immensus, sic mundus et sanctus est, ut nec privative, nec contrarie, nec contradictorie aliquid habeat non sanctitatis aut immunditiæ. Cetera omnia aliquo vel aliquibus horum modorum quidpiam non

Digitized by Google

sanctitatis seu immunditiæ habent admixtum. *Abominabilis homo.* Ratione peccati fit creatura intellectualis (ad Dei imaginem nobiliter condita) penitus abominabilis et damnanda. Etenim, quo major et melior Deus est, eo peccatum, quod est recessus a Deo, detestabilius viliusque consistit. Idcirco per ipsum fit creatura Creatori suo odibilis : nec aliquis in hac vita perfecte capere valet, quanta sit peccati enormitas ; sed ex ejus effectu id scimus, pensando quod uno mortali peccato intellectualis creatura (naturaliter Deo amabilis) justo ejus judicio æternaliter relinquitur, oditur, damnatur, punitur, punitione utique ineffabiliter dira. Merito ergo deberemus amore superpræstantissimi Dei omnem culpam cum omni diligentia abhorrere, vitare, deflere ; potiusque omnem perpeti pœnam, quam supergloriosissimum Deum per minimam inhonorare atque offendere culpam.

Sapientes confitentur. Si sapientes sapientiam suam et veritatem fatentur, cur in
Prov. x, 14. libro Proverbiorum scribitur, Sapientes abs-
* scientiam condunt sapientiam*? Et respondendum,
Eccle. iii, 7. quia (ut Salomon ait) tempus loquendi, et tempus tacendi. Congruo ergo tempore eam abscondunt, et apta eam hora aperiunt : abscondunt ex humilitate, ne se jactent aut propalent inaniter ; confitentur ex caritate, ut loquantur salubriter. Tunc autem scientiam occultare, quando esset communicanda, vituperatur. Ideo in Proverbiis
Prov. xii, 23. legitur : Homo versutus celat scientiam.
Eccli. xx, 7. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. *Et non abscondunt patres suos.* Quidam adeo vani sunt, ut in suis dictis aut scriptis majores suos ideo non allegent, quamvis ex eis didicerint quæ dicunt aut scribunt, quatenus quasi ex proprio talia scisse putentur, et ipsi tanquam principales doctores in admiratione habeantur, allegentur, laudentur. Isti patres suos abscondunt : quod et illi magis vituperabiliusque facere judicantur, qui catholicorum et

A magnorum doctorum dicta irreverenter, faciliter, aut irrationabiliter negant. Nos ergo patres nostros famemus et veneremur, amemus atque sectemur. In opinabilibus vero cum modestia negemus et approbemus. Hinc equidem scriptum in Ecclesiastico : Laudemus viros gloriosos Eccli. xliv, 1.
et patres nostros in generatione sua.

Non credit quod reverti possit de tenebris, circumspectans undique gladium. Quemadmodum in Proverbiis asseritur, Im- Prov. xviii, 3.
pius quum in profundum peccatorum ve-
B nerit, contemnit. Impius ergo et induratus de Dei pietate diffidens, atque in hoc Deum naturaliter bonum, pium et dulcem maxime inhonorans, quum peccata sua attendit, non credit quod per pœnitentiam possit de tenebris impietatum ad lucem divinæ miserationis redire, atque salvari ; sed undique gladium ultionis divinæ circumspectando, desperat. *Quum se moverit ad quærendum panem,* id est, ad aliqua bona agenda se verterit, quorum actione mens pascitur, *novit quod paratus sit in manu*
C *ejus tenebrarum dies,* id est tempus damnationis. Talis enim homo interdum incipit aliquid pœnitentiæ exercere. Sed frequenter contingit eum deficere, quia dum peccatorum suorum multitudinem magnitudinemque perpendit, et Deum immensæ justitiæ pensat, ad desperationem relabitur, reputans damnationem sibi paratam.

Terrebit eum tribulatio : quia æternas metuit pœnas, dum eas mente revolvit. Et nihilo minus pondus impietatum suarum, quibus pœna illa augetur, quotidie aggra-
D vat, quemadmodum scriptum est : Peccator Eccli. iii, 29.
adjiciet ad peccandum. *Et angustia vallabit eum :* quia remorsus conscientiæ cum aliquando angit ; et tempore mortis, deinde in divino judicio, ac postremo in loco damnationis æternæ vallatur angustia, juxta illud Jeremiæ : Ecce turbo dominicæ in- Jer. xxiii, 19.
dignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. *Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.* Non opponamus nos Deo : cui et ille se opponit,

Digitized by Google

qui superioribus suis inobediens exstat; et A juxta Apostolum ad Romanos, (*Rom.* xiii, 2.) Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Similiter qui se inordinate intromittit de his, quorum dispositio committenda est Deo, tendit manum suam adversus eum : sicut qui alios per vias iniquas ad officia promovere nituntur, aut certe impedire improbe moliuntur, aut se ipsos ingerunt vel intrudunt, quum juxta Apostolum ad Hebræos, (*Hebr.* v, 4.) Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

Habitavit in civitatibus desolatis, id est B inter cives spiritualibus gratiis atque virtutibus destitutos. Nam qualis ipse, tales et ejus subjecti atque ministri. Ideo additur, *et in domibus desertis,* id est in familiis ob sua peccata a Deo relictis; *quæ in tumulos,* id est vitiorum subversiones et lapsus, *sunt redactæ.* Hinc in Ecclesiastico (*Eccli.* x, 2.) legitur : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. In Proverbiis (*Prov.* xxviii, 12; xxix, 12.) quoque : Regnantibus impiis, ruinæ hominum. Rursus quoque Salomon ait : Rex C impius omnes ministros habet iniquos. *Non ditabitur* charismatibus gratiarum, quæ sunt veræ divitiæ animarum; *nec perseverabit substantia ejus :* quia exteriora ei celeriter auferentur saltem in morte; et si ad tempus aliquid spiritualis opulentiæ in donis gratiæ ac virtutum habuerit, non perseverat usque in finem, sed peccando illa amittit. *Nec mittet in terram radicem suam :* id est, intentionem et cordis sui affectum stabili fundamento non infiget, nec ad terram viventium, regionem Bea- D torum hanc diriget; sed rebus caducis atque inanibus inhærebit, omnique vento vitiorum et impetu passionum impelletur, flectetur, et ruet.

Ramos ejus, id est familiares domesticos, sobolem, imitatores, quibus stipatur, ornatur et cingitur sicut arbor propriis ramis; *arefaciet flamma,* id est ardor vitiorum in præsenti ab humore gratiæ, deinde ignis inferni ab exuberantia gloriæ, dum scilicet dominum suum in vitiis assequuntur. Juxta hunc modum Dominus loquitur per Ezechielem de rege Assyriorum : Ecce Assur quasi cedrus in Libano, (*Ezech.* xxxi, 3, 9.) frondibus nemorosus : quoniam speciosum feci eum multis condensisque frondibus. Et sequenti ibi capitulo scribitur, quem- (*Ibid.* xxxii, 18-32.) admodum Assur et Pharao regesque ceteri descenderint cum suis satellitibus in infernum. *Lædetur quasi vinea in primo flore.* Hoc fit, dum peccator pœnitere exorsus est, sed tentatione eum invadente, a divino amore frigescit, et peccati torpore constringitur, atque ad pristinas vanitates revertitur.

Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Si tabernacula cupidorum, domus conscientiæ et mentis cubile appellentur, illa nunc æstu avaritiæ spiritualiter consumuntur; postea autem avari cum corporibus, quæ animarum velut tabernacula sunt, in ignem tartareum projicientur. Grave ergo est avaritiæ vitium, munerumque acceptio ad subvertendum justitiam. Hinc in Ecclesiastico fertur : Vindicta carnis impii, ignis et vermis. (*Eccli.* vii, 19.) Judith quoque ait : Dominus omnipotens (*Judith* xvi, 20, 21.) vindicabit in eis. Dabit ignem et vermes in carnem eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum. De impietate autem cupiditatis scriptum est in Ecclesiastico : Nihil iniquius quam amare pecuniam. Hic (*Eccli.* x, 10.) enim animam suam habet venalem. Apostolus vero avaritiam, servitutem nominat (*Ephes.* v, 5; *Coloss.* iii, 5.) idolorum. Postremo, in Exodo scriptum est : Non accipies munera, quæ excæcant etiam (*Exod.* xxiii, 8.) prudentes, et subvertunt verba justorum.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

SANCTUS Job tanquam insuperabilis pugil, non cessat veritatem justitiamque defendere usque ad mortem : sed et durissime reprobatus et increpatus, non terretur, nec justas atque acerrimas invectiones contra veritatis adversarios inducere mente veretur. Insuper, quamvis Salomone testante, duo prævaleant contra unum, ipse tamen prævalet contra tres, et nunc secundo refellit instantias Eliphaz. *Eccle.* IV, 12.

Respondens autem Job, dixit : Audivi frequenter talia, scilicet verba injuriosa, reprehensiva et pungitiva, qualia contra me profertis. In disputationibus quoque rhetoricis, qualis exstitit ista, solent contentiosa verba intermisceri. *Consolatores onerosi omnes vos estis*, videlicet vos tres amici mei, et qui vobis consentiunt sive applaudunt. Multi namque (ut habitum est) disputationi huic interfuerunt, quorum unus Eliu fuit. Dicuntur autem consolatores onerosi, quia ad consolandum venerunt; sed loqui exorsi, ad increpationes acutissimas versi sunt, et onus tribulationis beati Job non parum auxerunt, eum coram multis durissime increpando, quum tamen afflicto non sit addenda afflictio. Quod si necesse fuerit afflictum corripere, blande et molliter fiat hoc, nisi forte ex speciali causa ratio dictet quid rigoris addendum. *Job* II, 11.

Numquid habebunt finem verba ventosa? id est, garrulis superfluisque sermonibus tu, Eliphaz, et tui amici tam prolixe insistitis contra me, quasi nunquam velletis terminare sermones hujusmodi. Eadem quoque sæpe repetitis, quantum ad sensum. *Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?* id est, tibi, o Eliphaz, quum sis sanus et prosperitate vallatus, adjutoresque habens, non est molestum plura proferre, præsertim quia ex hoc quod loqueris contra me, nulla tibi infertur a me molestia aut vindicta, quia patienter sustineo, nec pro convitio convitium reddo. *Poteram et ego similia vestri loqui*, id est, talia et ea vitia, quæ mihi false imponitis, scilicet iram, impatientiam, divinorum ignorantiam, etc., possem vobis vere imponere, et verbis vos pungere, sicut me pungitis, nisi disciplina frenarer, adversitatibusque gravarer, et si spes profectus esset ex hoc.

Atque utinam esset anima vestra pro anima mea, id est, utinam talia pateretur, qualia mea patitur anima. Quod non ex ira vel odio, sed ex caritate et zelo justitiæ ait, ut per temporalem afflictionem inducerentur ad veritatis cognitionem, qui in prosperitate nolebant informari et corrigi, quatenus, juxta Isaiam, vexatio eis tribueret intellectum. *Consolarer et vos ego sermonibus :* non eo modo ut vos me, sed verba bona, verba consolatoria vobis vere proponerem. Hoc enim ad vere caritativum sapientemque pertinet, cujus est ordinatum et amorosum proferre sermonem : qui sermo medicamen est animæ desolatæ, quemadmodum in Proverbiis legitur, Favus mellis verba composita. Et iterum Salomon protestatur : Lingua placabilis lignum vitæ. In Ecclesiastico quoque habetur : Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. *Is.* XXVIII, 19. *Prov.* XVI, 24. *Ibid.* XV, 4. *Eccli.* XVIII, 16.

Et moverem caput meum super vos ex compassione. Denique motio capitis designat mentis inflexionem ad aliquam conceptionem, atque interdum derisionem significat. Sic in Psalmo ait Salvator : Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. In Threnis quo- *Ps.* XXI, 8.

Digitized by Google

Thren. II, 15. que loquitur Jeremias : Sibilaverunt, et moverunt capita sua super filiam Jerusalem. Interdum vero denotat admirationem vel congratulationem seu exsultationem : sicut in Isaia de rege Assyriorum narratur, *Is.* XXXVII, 22. Caput movit super te, filia Jerusalem : quia videlicet certissime æstimavit se eam victurum. Infra etiam capitulo ultimo dici- *Job* XLII, 11. tur, quod fratres et sorores Job venerunt ad eum, et caput super eum moverunt. Aliquando autem compassionem importat, sicut hoc loco.

Roborarem vos ore meo, id est, bonis oris mei sermonibus corda vestra ad patientiæ robur, ad constantiam et animi fortitudinem exhortarer : quemadmodum secundo Machabæorum de Juda legitur Ma- *II Mach.* XV, 11. chabæo, Singulos armavit, non hasta et clypeo, sed sermonibus optimis et exhortationibus. Denique, virtus et sapientia ita confortant perficiuntque habentem, ut de plenitudine sua alios quoque valeat confortare. Hinc scriptum est in Proverbiis : *Prov.* XXIV, 5. Vir sapiens fortis est, et vir doctus, robustus et validus. Ecclesiastes quoque ait : Sa- *Eccle.* VII, 20. pientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. Denique, ad amicum, imo ad quemlibet proximum pertinet, afflictis compassionem et consolationem im- *Eccli.* VII, 38. pendere, juxta illud Ecclesiastici : Non desis plorantibus in consolatione. *Quasi parcens vobis,* id est, non tam districte vos corripiens, sicut culpa vestra meretur, sed reprehendenda in vobis moderate redarguens, doloresque vestros minuere satagens.

Sed quid agam ? id est, ita negotia mea se habent, ut non faciliter videam quid potius agere debeam. Nam quidquid egero, non per hoc dolorem effugio. Hinc subditur : *Si locutus fuero,* contra vestros disputando errores, *non quiescit dolor meus :* imo interior dolor meus ex vestris culpis atque erroribus magis augetur ; *et si tacuero,* vobis et falsitati cedendo, *non recedit a me. Nunc autem oppressit me dolor meus,* id est, ab omni temporali prosperitate, et corporis sanitate ac firmitate dejecit ; usum quoque rationis, seu considerationem et locutionem aliqualiter impedivit. Quum enim dolor est vehemens, intentio revocatur seu impeditur ab intellectualium consideratione. *Et in nihilum redacti,* id est pro magna parte consumpti, *sunt omnes artus mei,* ita ut quod remanet in me de corpulentia et forma membrorum, pro nihilo reputetur. Est autem consuetudo afflictis per excessum seu hyperbolice loqui, ad clarius exprimendum magnitudinem rei ac proprii cordis dispositionem. Sic et Psalmista fatetur : Ego ad nihilum *Psal.* LXXII, 22. redactus sum.

Rugæ meæ, id est pellis seu cutis meæ contractiones vel plicationes, *testimonium dicunt contra me,* id est, amicis meis contra me disputantibus præbent materiam, faciuntque apparentiam reprehendendi me de culpa : ex quo enim tam graviter cæsus sum, apparentiam habet, quod merui pœnam hanc. Porro, ex interiori hujusmodi consumptione corpus corrugatur, sicut in senibus et graviter infirmantibus. *Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam,* id est, Eliphaz mendaciter me accusans, ex inspectu rugarum mearum provocatur ad contradicendum mihi aperte. Potest quoque de diabolo accipi, qui amicos Job incitavit adversus eum. *Contradicens mihi,* dicenti me absque meo percussum demerito.

Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis; hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Totum hoc quidam exponunt de dæmone, qui principalis fuit beati Job tribulator, furoremque suum contra Job collegit, tanto vehementius cupiens eum devincere, quo amplius se hoc facturum præsumpsit, et quo Job justior fuit. Ut autem divinus Dionysius docet, in dæmonibus est amens furor, phantasia proterva, et irrationabilis concupiscentia. Satan insuper comminabatur ipsi Job per ejus amicos, qui asseruerunt sancto Job usque ad mortem mala instare. Forte etiam diabo- *Job* XV, 20-35. lus per se ipsum comminabatur ipsi Job de futuris adversis, in somno, seu alias

Digitized by Google

apparendo, seu inde tentando. Unde superius Job dixit ad Deum : Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. Loquitur autem de adversario suo per modum feræ, quæ dentibus comminatur, illos parans ad lacerandum. Sic et Petrus in prima sua ait epistola : Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Constat præterea, quod amici Job erant contra eum maxime inflammati, quia videbatur eis loqui sicut sacrilegus et blasphemus. Unde et contra eum quasi furebant, et terribiliter adspexerunt, ardentibus oculis furorem pectoris demonstrantes. Satan vero videns patientiam atque constantiam sancti Job, furiosissimis ac terribilissimis eum interioribus oculis intuebatur. Porro (secundum Thomam) placidis oculis hominem intuetur, qui facta ejus in melius interpretatur ; terribilibus, qui in pejus : et sic fuit de amicis Job.

Job VII, 14. 1 Petr. V, 8.

Aperuerunt super me ora sua exprobrantes, id est convitia mihi dicentes : quod amici Job multipliciter peregerunt ; *percusserunt maxillam meam*. Hoc Thomas exponit sic : Ille aliquem in maxillam percutit, qui ei improperium in faciem dicit ; amici autem Job multa contra eum improperia sunt locuti. Quocirca dicit Albertus : Non legitur, quod ad litteram alapas dederint sancto Job : sed quia maxilla est ad continendum ea quæ sub dentibus masticantur, et quodam spirituali modo masticantur quæ frequenti mentis iteratione discernuntur utrum vera vel falsa sint ; memoria talia continens ut bene per mentem discernantur, maxilla vocatur : quæ cæditur, dum bene meditatis per contradictionem obviatur. *Satiati*, id est mente refecti, atque lætati, *sunt pœnis meis*. Hoc de amicis Job in tantum accipi potest. Nam quamvis ei in principio condoluerunt, audiendo tamen verba ipsius, cœperunt pessime sentire de ipso, et arbitrari quod justissime pro suis affligeretur excessibus. Idcirco, divinæ justitiæ quasi congratulando, de ejus punitione gaudebant ac replebantur, dum ad eorum libi-

A tum torquebatur. Unde et Eliu infra ait : Pater mi, probetur Job usque in finem ; ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam. Inter nos interim constringatur, et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

Job XXXIV, 36, 37.

Conclusit me Deus apud iniquum, id est, potestati et voluntati Satanæ me subjecit, quantum ad hoc, quod Deo permittente ille me corporaliter sic afflixit. Nam et superius Job loquitur Deo : Circumdedisti me carcere. Et rursus : Posuisti in B nervo pedem meum. *Et manibus impiorum me tradidit*, id est Chaldæorum et Sabæorum, qui mea mihi abstulerunt. Itemque amicorum reprobationi et subsannationi me subdidit permissive : qui impii appellantur, in quantum veritati et æquitati restiterant.

Ibid. VII, 12. Ibid. XIII, 27. Ibid. I, 17, 15.

Ego ille quondam opulentus : dicendo, Ille, notat suæ famæ claritatem, quia fama et opibus inclytus fuit ; *repente contritus sum*, id est, subito a maxima prosperitate ad gravissimam calamitatem dejectus : pro- C ut superius recitatur. In quibus verbis gravamen miseriæ sancti Job multipliciter denotatur. Primo, quia tam improvise ac subito est dejectus : quod gravius fuit, quam si paulatim fuisset dejectus. Secundo, quia post maximam opulentiam devenit ad summam penuriam. Tertio, quia inopia atque calamitas illum magis affligunt, qui in deliciis et abundantia vivere consuevit. Nam et opposita juxta se posita, magis percipiuntur. Teste quoque Boetio, extremum infelicitatis genus est, ali- D quando fuisse felicem : sicut et primo Machabæorum libro quidam testatur, In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea !

Ibid. I, 1-4, 15-19 ; II, 7, 8. I Mach. VI, 11.

Tenuit cervicem meam. Istud atque sequentia adscribuntur Deo permissive, diabolo effective, qui tenuit, id est strinxit, cervicem Job : quod et litteraliter et invisibiliter forsitan fecit dum eum percussit. Vel sensus est, quod sicut quis robustissimus alicujus debilioris apprehendit cervicem,

Digitized by Google

ut durissime eum impingat, aut quasi immobilem reddat, sic Satan invasit et impulit sanctum Job. Denique, secundum Albertum, a posteriori parte capitis, nervi in totum corpus descendunt juxta cervicem : cujus signum est, quia si aliquis fortiter in collo stringatur posterius, mox redditur corpore toto immobilis. Unde intendit, quod Satan sic strinxerat eum pœnis, quod se movere nequivit. *Confregit me,* id est, corpus ulceribus laceravit; *et posuit me sibi quasi in signum :* id est, sic varia mihi inflixit supplicia, quemadmodum multæ sagittæ diriguntur in signum.
Job VI, 4. Hinc dixit ipse Job supra : Sagittæ Domini in me sunt. Similiter fertur in Threnis :
Thren. III, 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.

Circumdedit me lanceis suis, id est penetrativis doloribus. Vel refertur hoc ad impugnationem hostilem eorum qui beato
Job I, 15, 17. Job suam abstulerunt substantiam, ejusque pueros occiderunt. *Convulneravit lumbos meos,* quia a capite usque ad calcaneum me replevit ulceribus pessimis. *Non pepercit :* dæmon enim atrocissimus est afflictor; *et effudit in terram viscera mea,* id est, omnem sobolem meam, ut propria viscera mihi dilectam, projecit in mortem. Vel de se ipso hoc ait hyperbolica locutione, ad designandum, quod pœna sua pertingebat usque ad intima, quemadmo-
Thren. II, 11. dum in Threnis habetur : Effusum est in terra jecur meum. Insuper, ad litteram fieri potuit, ut carne Job undique lacerata ac sanie defluente, aliquid viscerum seu vitalium ejus effluxerit. *Concidit me vulnere super vulnus,* id est, multiplicibus ulcerum vulneribus corpus meum dilaniavit. *Irruit in me quasi gigas,* id est cum impetu forti. Diabolus etiam naturali potestate
Job XLI, 24. tam fortis est, ut de eo infra dicatur : Non est potestas super terram quæ comparetur ei.

Saccum consui super cutem meam, id est, tali veste me texi, et eam cuti meæ paravi in signum humiliationis, et ut misericordiam impetrarem. Itemque, ut manum percutientis juvarem, asperitati asperitatem jungendo. *Et operui cinere carnem meam,* id est, cinerem super me sparsi in signum doloris et humilitatis, in memoriam quoque meæ mortalitatis. Consueverunt autem homines sacco, cinere, pulvere atque cilicio taliter uti, sicut et in Jona fertur : Rex Ninive indutus est sacco, Jonæ III, 6-8.
et sedit in cinere, et clamavit : Homines et jumenta operiantur saccis. In Threnis quoque : Sederunt in terra, conticuerunt Thren. II, 10.
senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua; filiæ Jerusalem accinctæ sunt ciliciis. Itemque in Psalmo : Quoniam hu- Ps. XLIII, 25.
miliata est in pulvere anima nostra. His verbis repellit Job falsam accusationem, qua præcedenti capitulo eum Eliphaz de superbia multipliciter accusavit : Quid, Job XV, 13, 12.
inquiens, tumet contra Deum spiritus tuus? Quid te elevat cor tuum?

Facies mea intumuit a fletu, id est, tam abundanter ploravi, quod facies mea inflata est. Ascendente quippe copiosa lacrimarum materia ad caput, facies flentium intumescit. Sed et in magno planctu multa humiditas resolvitur, a cerebro descendens ad vultum et oculos : ideo facit ibi inflationem. Sic et in Threnis habetur :
Defecerunt oculi mei præ lacrimis. Primo Thren. II, 11.
quoque Regum David et viri ejus fleverunt, donec deficerent in eis lacrimæ. I Reg. XXX, 4.
Et palpebræ meæ caligaverunt. Ex ingenti etenim decursu et fluxu humorum, visus debilitatur : et ponitur hic continens pro contento, videlicet palpebræ pro visu sub eis contento. Dicit namque Basilius, quod nigredine palpebrarum circumponitur visus, ut radius visualis dirigatur ad certum.

Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, id est, tam gravem afflictionem non merui. Et quomodo verum sit hoc, diffuse expositum est atque tractatum in expositione superiorum. Per manum au- Job VI, 1.
tem, operationem seu conversationem intelligit. *Quum haberem mundas ad Deum preces,* id est, puris orationibus Deum exorarem et colerem.

Terra, ne operias sanguinem meum; neque inveniat in te locum latendi clamor

meus. Verbum hoc aliqualiter intricatum videtur, et a diversis diversimode explanatur. Sed apparet, quod vere ac plane sic possit exponi : Terra, ne operias sanguinem meum : id est, pœna quam passus sum in sanguinis mei per ulcera effluentis effusione, non abscondatur, nec occultetur in terra, hoc est, absconsa et injudicata non perseveret; sed ad judicium Dei perveniat et omnibus declaretur quare et qualiter passus sum, ut veritas innotescat, nec propter inanes amicorum meorum argumentationes æstimer pro culpa mea plagatus : sicque sanguis meus terra operiatur, id est, causa mea suppeditetur, et afflictio quam patior, retributione gloriæ digna non reputetur. Simili sensu subjungit, Neque inveniat locum in te latendi clamor meus : id est, universa verba quæ loquor, et pia querela qua me absque culpa mea cæsum jam conqueror, ad lucem perveniant, et judicentur a Deo ad ejus honorem et hominum ædificationem.

Porro Albertus, per terram, intelligit phantasiam terrenam, id est falsam opinionem amicorum Job circa providentiam Dei : qua Job petit sanguinem suum non operiri, quin attestetur veræ sententiæ de providentia Dei. Similiter petit ne clamor suus in terra lateat, quin testetur pro veritate. Thomas, per terram, intelligit terrenam fragilitatem, ob quam Eliphaz conclusit Job sine peccatis non esse, et pro eis esse percussum. Petit ergo Job, ne ob hanc communem fragilitatem afflictio sua operiatur, id est, pro culpis suis sibi inflicta putetur, aut clamor suus in terra sit latens, ita quod sua conquestio videatur injusta. Insuper, per terram, intelligi possent habitantes in terra, a quibus postulat sanguinem suum non operiri, id est sanguinis sui præfatam effluxionem pro suis peccatis inflictam non æstimari, nec clamorem suum in hominibus terræ latere, ut injustus putetur.

Sed quia sententia Job, qua se tantæ innocentiæ dixit, et absque sua culpa cæsum perhibuit, multis incredibilis apparebat, et res mira atque insolita fuit; consequenter testem sibi adhibet infallibilem judicem Deum verum. *Ecce enim in cœlo testis meus,* id est Deus incircumscriptibilis et immensus : qui licet secundum se sit penitus illocalis, tamen in cœlo specialiter esse asseritur, in quantum ibi evidentius ac magnificentius videtur et operatur. Ipse est testis eorum quæ dico, quod vera sint. Sic et Apostolus ait : Deus mihi testis est; atque Psalmista : Testis in cœlo fidelis. *Et conscius meus,* id est secretorum conscientiæ meæ cognitor, *in excelsis est,* puta in cœlo empyreo et civibus ejus. De quo quotidie dicimus : Pater noster, qui es in cœlis; et iterum : Gloria in excelsis Deo.

Rom. I, 9; *Philipp.* I, 8. *Ps.* LXXXVIII, 38. *Matth.* VI, 9.

Verbosi amici mei, scilicet Eliphaz, Baldad et Sophar, id est verba insipienter multiplicantes, juxta quod in Ecclesiaste legitur : Stultus verba multiplicat. Insipientium vero est, quando incipiunt a veritate deficere, in multitudine verborum confidere. Propter quod mente egeni sunt destitutione sapientiæ, quæ est opulentia animæ. Hinc in Proverbiis dicitur : Ubi plurima sunt verba, ibi frequenter egestas in opere est. *Ad Deum stillat,* id est, lacrimose dirigitur, *oculus meus* interior, consolationem et beatitudinem desuper præstolando. Ex ardenti namque ad Deum affectu oculos etiam corporales cum lacrimis elevavit ad cœlos, dirigendo mentalem oculum ad Regem cœlorum, juxta illud Psalmi : Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Et denuo : Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte.

Eccle. X, 14. *Prov.* XIV, 23. *Ps.* CXXII, 1. *Ps.* XLI, 4.

Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo : id est, quis det ut homo tam evidenter judicetur modo a Deo? *quomodo judicatur filius hominis cum collega suo,* id est coram suo consocio et ab eo. Hoc Job dicit de se ipso et in persona perfectorum, qui nunc humano judicio reprobantur, sed a Deo justum proferri optant judicium, ne veritas patiatur dispendium, et ut ipsi salventur. Vel sic : Utinam sic, etc., id est, cupio ut vir justus sic judicetur coram Deo et ab eo, sicut homo coram suo collega, ut

scilicet justus secundum merita sua a Deo recipiat etiam in præsenti, quemadmodum homo judicat hominem secundum opera sua.

Ecce enim breves anni transeunt, id est, anni vitæ humanæ in sæculo isto perpauci, velociter fluunt ac finiuntur. Idcirco non temporalem, sed æternam a Deo quæro mercedem, et divinum opto præstolorque judicium. *Et semitam,* id est vitæ hu- A jus curriculum seu peregrinationis atque exsilii præsentis viam, *per quam non revertar* post mortem, *ambulo,* id est, ad futuram vitam progredior. Hoc dicit, ad insinuandum quod post mortem, non sit reditus ad statum vitæ præsentis : cujus oppositum quidam philosophi putaverunt. Et de hoc superius multa dixit, ut quum ait : Non revertetur oculus meus, ut videat bona; nec adspiciet me visus hominis. *Job* VII, 7, 8

ARTICULUS XXXVIII

DE MYSTICA EJUSDEM CAPITULI SEXTIDECIMI INTELLIGENTIA.

R*ESPONDENS autem Job, dixit : Audivi frequenter talia.* Vir justus verborum injuriis impetitus, non per impatientiam vincitur, nec improborum imperita verba multum ponderat, eisve læditur : imo ut levia æquanimiter patitur, et tanquam adversis assuetus, respondet : Audivi frequenter talia, scilicet injuriosa imperitaque verba; nec de mea injuria, sed de vestra culpa, læsione, ruina contristor. Denique quidam, quorum sermo sale conditus non est, et quibus Dominus linguam eruditam non dedit, alios gratia consolationis impendendæ accedunt; sed incaute loquendo, afflictos magis affligunt, eis inania promittendo, inutilia recitando, increpatoria absque discretione loquendo, aut aliis detrahendo. Quibus afflictus dicere potest : *Consolatores onerosi omnes vos estis. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est,* o inordinate locutor ac justi injuriator, *si loquaris?* id est, facile tibi est multa profari, quoniam tibi non resisto me ulciscendo. Denique, teste Gregorio, Quum mali malis convitia dicunt, eo citius tacent, quo de se mox talia audiunt qualia dicunt. Quum autem justos criminantur, eo liberius fabulantur, quo minus redarguuntur : quia justi con- B vitia non reddunt, etiam dum audiunt quod non sunt. Hinc justus injustis talibus dicere valet : *Poteram et ego similia vestri loqui.* Præsertim vero, dum quis caritative arguitur, redarguere non debet, ne ex impatientia loqui putetur.

Coloss. IV, 6. *Is.* L, 4.

Atque utinam esset anima vestra pro anima mea : consolarer vos sermonibus. Interdum pravis hominibus, quia humana informatione et increpatione corrigi aspernantur, divina flagella optanda sunt : quod discrete caritativeque agitur, quia errantis C non pœna, sed emendatio desideratur. Nam et Apostolus fornicatorem Satanæ tradidit in interitum carnis, ut spiritus ejus fieret salvus, sicut Corinthiis scribit. *Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescit dolor meus; et si tacuero, non recedit.* Hoc dicere habet prælatus, seu alius, qui subjectum seu proximum incorrigibilem cernit : quem sive increpaverit, sive irreprehensum reliquerit, de ejus perversitate tristatur. Unde in Proverbiis inducitur : Vir sapiens, si cum stulto contenderit, si- D ve irascatur, sive rideat, non inveniet requiem sibi. Verumtamen, quia interdum secundum veræ discretionis censuram tali loquendum est, et interdum silendum (si enim ex taciturnitate communitas lædere-

I *Cor.* V, 5. *Prov.* XXIX, 9.

Digitized by Google

tur, non esset silendum); ideo in Proverbiis sapientissimus Salomon scribit : Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. In quibus verbis tangitur una causa loquendi, et una tacendi. (Prov. XXVI, 4, 5.)

Nunc autem oppressit me dolor meus. Dolor de peccato proprio et confratrum, omni dolore vitæ hujus quodammodo major est, secundum quod malum culpæ pejus est omni malo pœnæ. Quo dolore homo tanto magis afficitur, quanto in vera Dei ac proximi caritate perfectior fuerit : quo enim Deum plus diligit, eo de ipsius inhonoratione atque offensa cordialius contristatur. *Et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Quemadmodum homo peccando nihil fieri dicitur, sic membra ipsius in nihilum rediguntur, dum arma iniquitatis peccato exhibentur, id est, instrumenta fiunt peccati. (Rom. VI, 13.) Hinc Christus membra scandalizantia docet abscindenda et abjicienda, non utique quantum ad eorum substantiam, sed quoad usum illicitum. (Matth. XVIII, 8, 9.) Quoniam ergo frequenter omnia aut pene omnia membra nostra fecimus instrumenta peccandi, per quæ Deo tanquam Creatori servire debuimus, dicamus hæc verba cum mentali dolore et emendandi integrali proposito.

Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Rugæ nostræ, sunt actionum nostrarum obliquitates, culparum contractiones, ex defectu fluentorum gratiæ orientes, quibus opera nostra bona miscentur et inquinantur, ita ut panno menstruatæ feminæ comparentur. (Is. LXIV, 6.) Nempe, ut in Ecclesiaste legitur, Non est homo super terram qui faciat bonum, et non peccet. (Eccle. VII, 21.) Hæ itaque rugæ in judicio Dei contra nos testimonium perhibent, quod defectuosi et pauperes, omni misericordia sumus jugiter indigentes. Interdum quoque, dum alios corripere inchoamus, testimonium perhibent contra nos, quod inidonei vel minus idonei sumus corripere proximos; objiciturque nobis, et dicitur : Medice, cura te ipsum. (Luc. IV, 23.)

Porro sequentia, quamvis moraliter de quolibet justo per Job figurato queant exponi, tamen de Christo, cujus Job apertissima fuit figura in lege naturæ, placet nunc ea exponere. Ex qua etiam expositione, et ea quæ præcedenti articulo habita est, facillime innotescit, quomodo de ceteris justis, Christique membris possint intelligi. Quam demum expositionem B. Gregorius plene prosecutus est ; sed ea de Christo non explanavit, nisi paululum circa finem. Itaque Unigenitus Dei, rex Messias, omnium sæculorum salvator, testatur : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi,* videlicet populus Judæorum, qui coram Pilato clamavit, illo dicente, Regem vestrum crucifigam ? Non habemus regem nisi Cæsarem. (Joann. XIX, 15.) Et rursus : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. (Ibid. 7.) Hinc in Jeremia habetur : Prævaricatione prævaricata est in me domus Israel, et domus Juda. Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse. (Jer. V, 11, 12.) De quibus in Daniele prædictum est : Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. (Dan. IX, 26.) Quibus illud Osee competit : Prævaricati sunt in me, et ego redemi eos ; et ipsi locuti sunt contra me mendacia. (Osee VII, 13.)

Collegit furorem suum in me. Populus enim Judæorum cum omni impetu iræ, rancoris et impatientiæ Christum invasit, cepit, ligavit, multipliciterque afflixit, atque interfici procuravit, dicens illud Sapientiæ : Contumeliis et tormento interrogemus eum. Gravis est nobis etiam ad videndum. Morte turpissima condemnemus eum : promittit enim scientiam Dei se habere, et Filium Dei se nominat. (Sap. II, 19, 15, 20, 13.) Hinc in die sancto Parasceves furentes clamabant ad præsidem : Tolle, tolle, crucifige eum. (Joann. XIX, 15.) *Et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.* Quum enim Christus a pontifice adjuratus, dixisset se esse Christum Filium Dei, omnes dixerunt : Reus est mortis. (Matth. XXVI, 63, 64, 66.) Tunc itaque mortem ei minati sunt, et tanquam atrocissimæ feræ eum nocte illa tractabant, secundum illud Lucæ : Viri qui tenebant illum, illudebant ei, cæden- (Luc. XXII, 63, 64.)

Digitized by Google

tes; et velaverunt eum, et percusserunt faciem ejus.

Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Quod licet de toto populo Christum in die Parasceves persequente accipi posset, de Caipha tamen qui principalis fuit in hoc, potissime sumitur: qui (ut Matthæus refert) indignatione repletus, surrexit de throno, dixitque Christo: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti. Insuper in Joanne legitur: Exiit Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dixit Pilatus Judæis: Ecce homo. Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc ergo eum horribiliter inspexerunt.

Matth. xxvi, 62, 63. *Joann.* xix, 5, 6, 15.

Aperuerunt super me ora sua exprobrantes: quia, ut in Luca legitur, quum Jesum vinctum præsentassent Pilato, cœperunt accusare illum, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Propter quod ait Salvator in Psalmo: Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. Denique, Christo in cruce pendente, prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus, dixerunt: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat de cruce. Confidit in Deo; liberet eum nunc, si vult: dixit enim, Quia Filius Dei sum.

Luc. xxiii, 2. *Ps.* xxi, 13, 14. *Matth.* xxvii, 39-43.

Percusserunt maxillam meam. De hoc Marcus scribit: Cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere; et ministri alapis eum cædebant. Joannes quoque: Unus ministrorum dedit ei alapam, dicens: Sic respondes pontifici? Insuper ministri Pilati hoc ipsum crudelissime peregerunt, quemadmodum Joannes recitat: Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; et vestem purpuream circumdederunt ei. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave rex Judæorum. Et dabant ei alapas. De hoc et Sibylla prædixit: Dabunt Domino alapas manibus incestis. Cujus versus ac vaticinia Augustinus in libro de Civitate Dei prosequitur. *Satiati sunt pœnis meis:* quia tam crudelissimam mortem Christo intulerunt, sicut optaverunt et excogitare quiverunt. Videntesque eum in suppliciis positum, tanto plus gloriabantur, quo eum plus oderant.

Marc. xiv, 65. *Joann.* xviii, 22. *Ibid.* xix, 2, 3.

Conclusit me Deus apud iniquum, id est, a scelerato Judæorum Pilatique populo capi ac ligari permisit, juxta illud Joannis: Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum et ligaverunt. Unde in Threnis habetur: Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. *Et manibus impiorum me tradidit.* Proprio enim Filio non pepercit Pater, sed pro nobis omnibus tradidit illum, juxta Apostolum. Et passione jam imminente, Christus dixit Apostolis illud: Ecce appropinquabit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. De quibus ait in Psalmo: Circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. Et Petrus ait Judæis: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri: hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum interemistis.

Joann. xviii, 12. *Thren.* iv, 20. *Rom.* viii, 32. *Matth.* xxvi, 45. *Ps.* xxi, 17. *Act.* ii, 22, 23.

Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Christus, secundum suam divinitatem, dives est in se ipso divitiis infinitis, quæ sunt simplicissima omnis boni omnisque pulchri superplena simpliciterque perfecta possessio. Porro, secundum assumptam humanitatem, divitior est toto utique universo, imo omni creaturæ prælatus ac dominans. Fuitque plenus in anima omni virtute nullam imperfectionem includente, omni sanctitate, gratia, sapientia, perfectione et gloria ab incar-

nationis exordio, quantum creatura capere A
quivit. Sed et gratiis gratis datis fuit re-
Joann. I, 16. pletus, et de plenitudine ejus omnes acci-
pimus. Verumtamen, quantum ad corpora-
lium divitiarum substantiam, pauperrimus
Matth. VIII, 20. fuit, quemadmodum protestatur : Filius ho-
minis non habet ubi caput reclinet. De
Zach. IX, 9. quo in Zacharia asseritur : Ipse pauper, et
ascendens super asinam. Ipse autem re-
pente contritus est : quia post maximum
honorem sibi in die Palmarum et ante ali-
quoties exhibitum a plebe Judæorum atque
Luc. XIX, 37, 38. gentilium (juxta illud Lucæ : Quum appro- B
pinquaret Jesus ad descensum montis Oli-
veti, cœperunt omnes turbæ descenden-
tium gaudentes laudare Deum voce magna
super omnibus quas viderant virtutibus,
voce magna dicentes : Benedictus qui ve-
nit rex in nomine Domini; pax in cœlo et
gloria in excelsis) : post hunc, inquam,
honorem, repente in die Parasceves omnes
ab eo aversi sunt, ita ut simul omnes cla-
Matth. XXVII, 25. marent : Sanguis ejus super nos et super
filios nostros. Deinde acerbissima morte
hunc contriverunt, secundum illud Isaiæ : C
Is. LIII, 5. Ipse autem vulneratus est propter iniqui-
tates nostras, attritus est propter scele-
Ibid. 10. ra nostra. Itemque : Dominus voluit eum
conterere in infirmitate.

Tenuit cervicem meam. Hoc plebs Chri-
Joann. XVIII, 12. stum capiens, ligans atque in collo percu-
Matth. XXVI, 67. tiens, corporaliter et amaritudinaliter fe-
cit, eum furibunde impellens. *Confregit*
Joann. XIX, 1. *me,* totum corpus flagellis dilacerando,
violentissime distendendo, ita ut corporis
dissolveretur compago, rumperenturque
venæ, quemadmodum ait Christus in Psal- D
Ps. XXI, 15. mo : Dispersa sunt omnia ossa mea ; et rur-
Ibid. 18. sus : Dinumeraverunt omnia ossa mea. *Et*
posuit me sibi quasi in signum : quia ad
Christi vulnerationem omnes concorditer
intenderunt, sicut sagittarii ad signi con-
Ps. LXXXVII, 18. tactum. Ideo ait in Psalmo : Circumdede-
runt me sicut aqua tota die ; circumdede-
runt me simul.

Circumdedit me lanceis suis : quia, ut
Matth. XXVI, 47 ; Joann. XVIII, 3. Evangelistæ testantur, plebs illa iniqua
venit cum armis, facibus, gladiis et fusti-
bus comprehendere Jesum. Propter quod
dixit eis illud Matthæi : Tanquam ad latro- Matth. XXVI, 55.
nem existis cum gladiis et fustibus com-
prehendere me. Quod et circa crucem fecis-
se creduntur, quando (ut alibi fertur) unus Joann. XIX, 34.
militum lancea latus ejus aperuit. *Convul-*
neravit lumbos meos. A capite namque us- Is. I, 6.
que ad pedes eum vulneraverunt flagellis ;
et sicut beatissima Brigitta in Revelationi-
bus suis conscribit, usque ad costas carnem
ejus tenerrimam laceraverunt. Sicque san-
guis ejus pretiosissimus undique copio-
sissime emanavit, juxta id Psalmi : Sicut Ps. XXI, 15.
aqua effusus sum. *Non pepercit :* imo atro-
cissime desæviit ; *et effudit in terram vi-*
scera mea. Hoc de Christo exponitur hy-
perbolice, sicut præcedenti articulo de Job
fuit expositum. *Concidit me vulnere super*
vulnus. Vulneraverunt enim Christum pri- Matth. XXVII, 26, 29.
mo flagellis, deinde spinis, tertio clavis,
sicut in Psalmo fatetur : Foderunt manus Ps. XXI, 17.
meas et pedes meos. Et rursus : Super do- Ps. LXVIII, 27.
lorem vulnerum meorum addiderunt. Pro-
pter quod ab Isaia de Christo prædictum
est : Non est ei species neque decor ; et Is. LIII, 2, 4.
reputavimus eum quasi leprosum. *Irruit*
in me quasi gigas, quando et funibus me Joann. XVIII, 12.
ligabant. Hinc loquitur Christus ad Pa-
trem : Super me confirmatus est furor Ps. LXXXVII, 8.
tuus, et omnes fluctus tuos induxisti su-
per me.

Saccum consui super cutem meam. Per
hoc intelligitur asperitas et paupertas ve-
stium Christi. Propter quod ait in Psalmo :
Posui vestimentum meum cilicium. Et de- Ps. LXVIII, 12.
nuo : Ego autem quum mihi molesti es- Ps. XXXIV, 13.
sent, induebar cilicio. Sic et Isaiæ Dominus
dixit : Tolle saccum qui est super lumbos Is. XX, 2.
tuos. *Et operui cinere carnem meam,* id
est, usque ad terram prostratus sum, et se-
di in pulvere ejus. Nam et in monte Cal-
variæ mortuorum cineribus non carente,
Christus sedisse sic creditur, quousque
cruce parata eam ascenderet.

Facies mea intumuit a fletu. Certum
quod Christus tempore passionis, præ cor-
porali dolore et matris suæ compassione,
mentali quoque mœrore de Judæorum ex-

Digitized by Google

cæcatione, et innumerabilium hominum A ingratitudine ac perditione, uberrime fle- *Ps.* LXXXVII, 10. vit. Propterea ait in Psalmo : Oculi mei *Ps.* XXXIV, 14. languerunt præ inopia. Et iterum : Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar. Apostolus etiam ad Hebræos testatur, quod *Hebr.* V, 7. cum lacrimis preces fudit ad Patrem passione instante. *Et palpebræ meæ caligaverunt.* Paulatim quippe corporalis visus Christi in cruce defecit, quousque præ doloris angustia eversi sunt oculi ejus clarissimi : sed et guttis sanguinis benedicti a capite in oculos Christi fluentibus, præ- B sertim quum spinis coronaretur, visus ejus caligare incepit.

Hæc passus sum absque iniquitate ma- Is. LIII, 9, 6, 4. *nus meæ :* quia, ut in Isaia legitur, Ipse iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Vere languores nostros tulit, et dolores nostros ip- *Ps.* LXVIII, 5. se portavit. Qui ait in Psalmo : Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Unde in prima I *Petr.* II, 24. sua Canonica loquitur Petrus : Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. C *Quum haberem mundas ad Deum preces,* id est Deo acceptissimas atque gratissimas, nulla vel minima culpa permixtas : quibus etiam pro inimicis oravi præcipue tempo- *Luc.* XXIII, 34. re passionis, dicendo illud Lucæ : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Is.* LIII, 12. Quod ab Isaia erat ita prædictum : Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Præterea, de hac precum suarum gratissima Deo munditia ait Sal- *Joann.* XI, 41, 42. vator : Gratias ago tibi, Pater, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quoniam D semper me audis.

Terra, ne operias sanguinem meum ; neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Sicut expositum est hoc præinducto articulo, de Job, quoad eos qui ipsum pro sua culpa putabant percussum ; similiter prorsus exponi potest de Christo, quantum ad infideles, qui ipsum pro suis peccatis asserebant occisum. Contra quos Christus precatur sanguinis sui effusionem non occultari, sed desuper indicari, et omnibus publicari, quare et quomodo passus sit. Similiter clamorem suum, quo voce magna clamavit in cruce ad Patrem, Deus *Matth.* XXVII, 46. meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? petit omnibus manifestari, ut sciant cur Pater Christum sic pati reliquit. Insuper, secundum Gregorium, terra Christi sanguinem non abscondit, quoniam peccatores ejus sanguine se redemptos fatentur, et laudant. Ecclesia quoque militans Redemptoris sui passionem, ceteraque mysteria publice prædicat, ejus quoque clamorem et verba omnibus evangelizat : quod in suis epistolis Paulus potissime facit.

Ecce enim in cœlo testis meus, scilicet Deus Pater, de quo loquitur Christus in Evangelio : Et qui misit me Pater, testi- *Joann.* V, 37. monium perhibet de me. Hinc in prima Joannis epistola dicitur : Qui non credit in I *Joann.* V, 10. Filium, mendacem facit Deum, quoniam non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. Denique Spiritus Sanctus perhibuit testimonium Christo, secundum quod ait in Joanne : Quum autem *Joann.* XV, 26. venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Tale enim testimonium perhibuit per *Act.* II, 32, III, 15 ; IV, 33 ; V, 32. Apostolos Spiritus Sanctus de Christo in die Pentecostes ac postea, quod Judæi, qui Christum paulo ante ut seductorem crucifixerunt, pro parte magna converterentur ad ipsum, sicut in Actibus Apostolorum docetur. *Et conscius meus in excelsis.* Tres enim superbenedictæ et superessentiales Personæ, sibi invicem perfecte et comprehensive sunt cognitæ. Imo trium est una scientia, sicut et una essentia. Ideo in Mat- *Matth.* XI, 27. thæo fertur : Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius. I *Cor.* II, 11, 10. Porro (juxta Apostolum) quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus ejus ; et Spiritus est qui scrutatur etiam profunda Dei.

Verbosi amici mei. Multi se asserunt veraciter Christianos et Christi amicos, quum tamen ei per impiam vitam rebelles sint atque contrarii, animarumque corruptores, pro quarum salute ille sanguinem fu-

Digitized by Google

dit. Quibus ait : Verbosi amici mei. Et iterum : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris. Præterea, Apostoli veri Salvatoris amici, tempore Cœnæ multipliciter asserebant se Christum nocte illa non relicturos ; nihilo minus paulo post omnes ab ipso fugerunt, et primus eorum ter ipsum negavit. Quantum ergo ad hoc, verbum istud eis utcumque competeret.

Matth. VII, 21. *Ibid.* XXVI, 33, 35. *Ibid.* 56. *Ibid.* 70, 72, 74.

Ad Deum stillat oculus meus. Interiori mentis oculo Christus ut homo, seu anima ejus, Deum Patrem, imo totam superadorandam Trinitatem indesinenter adspexit, et tempore passionis lacrimantibus A oculis corporis, se sursum erexit. *Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo,* id est a Deo, ut scilicet secundum merita sua a Deo susciperet, *quomodo judicatur filius hominis cum collega suo* in humano judicio : quod non est nisi secundum opera judicari. Hoc de se ipso Christus dicere potuit, æquivalenterque dixit, in quantum naturali timore mortem crucis abhorruit, deprecans Patrem : Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Si enim Pater Christum hominem secundum sua merita B judicasset, pœnam ei non permisisset inferri, nec voluntatem ei inspirasset spontanee patiendi, quum ipse Christus omni prorsus caruerit culpa.

Matth. XXVI, 39.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : SPIRITUS MEUS ATTENUABITUR.

CIRCA finem præcedentis capituli dixit Job : Utinam sic judicaretur vir cum Deo, etc. In quibus verbis insinuavit, quod desiderabile sibi fuisset judicari a Deo secundum propria merita, sicut homo ab homine judicatur. Sed quoniam noverat alia esse judicia Dei, alia hominum ; ideo in præsenti capitulo prosequitur, quid sibi immineat pœnæ absque suæ demerito culpæ.

Job XVI, 22.

Spiritus meus attenuabitur. Hoc dupliciter accipi potest. Primo, de anima, quæ est spiritus simplex : quæ attenuatur, id est, spiritualiter subtiliatur, propriam imperfectionem, vilitatem, modum et dispositionem ac statum industriose considerando, Dei quoque majestatem, perfectionem et excellentiam sagaciter contemplando : quod senibus potissime competit. Et sic spiritus Job, quando hæc dixit, fuit attenuandus : quia post pauca fuit magnifice illustratus, et in prædictorum consideratione exercitatus. Secundo, accipitur de C spiritu, qui est quid corporeum, puta de spiritu vitali, qui a corde egreditur, et ad cuncta membra diffunditur : quo durante, vivit corpus. Quum vero virtus caloris naturalis incipit debilitari in corde, spiritus vitalis attenuatur, id est, minoratur et debilitatur, ut jam vector virtutis et vitæ per corpus diu esse non possit. Hoc ergo Job sibi futurum de proximo suspicabatur. Denique, de spiritu primo modo accepto, in Ecclesiaste scribitur : Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum D qui dedit illum. De spiritu autem secundo modo sumpto, in Sapientiæ libro habetur : Spiritus diffundetur tanquam mollis aer.

Eccle. XII, 7. *Sap.* II, 3.

Dies mei breviabuntur : quia incessanter tendunt ad mortem et finem ; et quo spiritus vitalis plus deficit, dies vitæ humanæ amplius breviantur ; *et solum mihi superest sepulcrum,* id est, de proximo moriturus sum, nec in hac vita habeo prospera præstolari : quia (ut tactum jam sæpe est) tantis fuit repletus vulneribus, lan-

Digitized by Google

guoribus atque doloribus, quod putavit se protinus obiturum : et naturaliter diu victurus non erat ; sed Deus supernaturaliter prolongavit vitam ipsius.

Job VII, 20. *Non peccavi.* Superius dixit, Peccavi ; *Ibid.* XIV, 16. et, Parce peccatis meis, multaque talia : quomodo ergo nunc ait, Non peccavi ? præsertim quum Joannes in sua prima scribit *I Joann.* I, 8. Canonica : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Sed hujus solutio frequenter inducta est. Non enim se negat quotidianis venialibus subjacuisse peccatis ; verumtamen asserit se non tam graviter mortaliterque peccasse, quod tantam meruerit pœnam, præsertim quum de venialibus suis quotidie pœnitentiam dignam peregerit. Quod qualiter *Job* VI, 3. intelligi habeat, in expositione sexti capituli clarius dictum est. *Et in amaritudinibus,* id est variis amarisque pœnis, *moratur oculus meus* exterior. De cujus fletu *Ibid.* XVI, 17. præcedenti capitulo dictum est : Facies *Ibidem.* mea intumuit a fletu ; et iterum : Palpebræ meæ caligaverunt. Vel, oculus interior, in quo est spiritualis mœstitia ex consideratione incommodorum et ex inconvenienti objecto. Sicque Job considerando oculo interiori universa quæ sibi acciderant, corde dolebat, sed moderate : in quo dolore, quia diuturnus fuit, suus oculus morabatur. Itaque ait, Non peccavi, etc., quasi dicat : Quamvis peccando pœnam istam non merui, nihilo minus in ea permaneo. Quo testatur, quod pœna non semper pro culpa infligitur, imo boni interdum puniuntur a Deo effective seu permissive, propter probationem, aut propter exemplum, vel propter gloriam Dei manifestandam ; vel ut nunc crescant in gratia, deinceps in gloria ; vel ut mali cernentes bonos puniri, perpendant quibus pœnis ipsi sint digni nisi pœniteant.

Libera me ab impugnationibus invisibilium et visibilium adversariorum meorum, et a corporis mei doloribus, saltem tam vehementer intensis ; *et pone me juxta te,* id est in participatione aliquali tuæ felicitatis et jucunditatis, ut in te cor meum A refloreat, mens mea tibi per contemplationem et dilectionem propinquet, tandem ad cœlestem beatitudinem perducatur, et interim in limbo patrum constituatur. *Et cujusvis manus,* id est potestas seu actio, *pugnet contra me :* quia te me protegente, nullus mihi poterit prævalere ; et si in tuæ felicitatis participatione me posueris atque servaveris, nullus me ad miserias retrahet. Sic et Psalmista decantat : Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ? Apostolus quoque ad Romanos : Si B Deus pro nobis, quis contra nos ? *Ps.* XXVI, 1. *Rom.* VIII, 31.

Cor eorum, id est intellectum amicorum meorum contra me disputantium, *longe fecisti a disciplina,* id est a veritatis notitia, quam quis discit a doctiore, præsertim a te. Qua amici Job caruerunt, errando circa providentiam Dei : quam Deus longe fecit ab eis, quomodo dicitur aliquem indurare, videlicet indirecte, in quantum corda illorum propter eorum peccata non illustravit. Sicque Isaias loquitur : Excæca cor populi hujus. *Propterea non* *Is.* VI, 10. C *exaltabuntur* ad veram contemplationem divinorum, ad charismata gratiarum, ad patriam Beatorum, nisi pœnitentiam egerint, conversique fuerint. Cui consonat illud Isaiæ : Non est populus sapiens ; *Ibid.* XXVII, 11. propterea non miserebitur ejus qui fecit illum. In Proverbiis quoque habetur : Non *Prov.* I, 28, 29. invenient me, dicit Dominus, eo quod exosam habuerint disciplinam. Sed et Apostolus protestatur : Si quis ignorat, ignorabitur. *I Cor.* XIV, 38.

Prædam pollicetur sociis, id est, Eliphaz D aliis duobus secum contra me disputantibus, promittit certam de me victoriam ; et quod me in suam redigant voluntatem, sicut redigitur spolium in potestatem prædantis ; *et oculi filiorum ejus,* id est, qui ejus sequuntur errorem, *deficient,* id est, interiores illorum oculi a veritatis notitia, veræque beatitudinis adeptione deficient : quia, ut ait Salvator, Cæcus si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. *Matth.* XV, 14. *Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis :* id est, Eliphaz asse-

Digitized by Google

rendo quod temporales adversitates non infliguntur nisi pro culpa, nec maximæ nisi pro maxima culpa, et ex consequenti, quod ego qui maximis adversitatibus plenus sum, gravissimis peccatis subjaceo : hæc, inquam, asserendo, posuit me in proverbium vulgi, ita ut vulgares ex me forment proverbium, dicendo : Sicut Job fecit, ita recepit; vel aliquid simile. Sicque factus sum exemplum et forma maledicendi alicui, ita ut dicant : Accidat tibi sicut accidit Job. Sic autem justum ponere in proverbium et exemplum, est grande peccatum, nec fieri debet nisi peccatoribus maximis. Unde, per Jeremiam Dominus comminatur frequenter obstinatis Judæis : Dabo eos in maledictionem et in proverbium, et in exemplum et in stuporem omnibus regnis terræ. *Jer.* xxiv, 9; xxv, 18; xxvi, 6; xxix, 18. 22; xlviii, 39.

Caligavit ad indignationem oculus meus, id est, ex pœna mihi inflicta, quæ quasi indignatio Dei contra me reputatur, oculus meus sic flevit, quod caligavit. Hoc est quod præcedenti dixit capitulo : Palpebræ meæ caligaverunt. (*Job* xvi, 17.) Sic quoque superius ait Job : Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. (*Ibid.* vi, 4.) *Et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.* Hoc est quod præcedenti capitulo dixit : In nihilum redacti sunt omnes artus mei. (*Ibid.* xvi, 8.) Quod ibi satis reor expositum. Thomas exponit hæc aliter, dicens : Ad zelum justorum pertinet, contra falsitatem et injustitiam indignari. Ideo Job contra errores amicorum suorum indignans, disseruit : Caligavit, id est, turbatus est ad indignationem præfatam, oculus meus interior, id est ratio videns veritatem suppeditari. Ira quippe per vitium, rationem excæcat; sed ira per zelum, hanc turbat, lumen rationis aliqualiter obnubilando, ita quod quasi caligat. Et membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Vehementes enim animæ passiones, ut ira et indignatio, valde redundant in corpus, et si corpus sit debile, illud quasi deficere faciunt. Unde primo Machabæorum libro describitur, quod Mathathias cernens Judæum idolis sacrificantem, doluit, et contremuerunt renes ejus. (I *Mach.* ii, 23, 24.)

Stupebunt justi super hoc, id est, vehementer admirabuntur de supplantatione veritatis et æquitatis, et amicorum meorum erroribus ; *et innocens,* id est simplex et purus veri et æqui amator, *contra hypocritam suscitabitur,* id est, animo inflammabitur contra hominem fictum et fraudulentum, qui sub specie veritatis atque justitiæ ita veritatem et æquitatem subvertit. Ideo dicit Psalmista : Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te. (*Ps.* xxiv, 21.) Sic tertio Regum, Michæas propheta contra pseudo succensus, dicit ad Achab : Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum. (III *Reg.* xxii, 23.) Similitudo enim et amor complacentiam gignunt ; dissimilitudo vero et odium displicentiam introducunt. Idcirco purus veritatis et æquitatis amator, contra hypocritam ejusque falsitates displicentiam concipit, et resistit.

Et tenebit justus viam suam, id est, a rectitudine æquitatis et veritatis defensione justaque conversatione non declinabit amore aut odio vel simili passione, in quantum justus : quamvis ex humana fragilitate possit deficere, justitiamque amittere, et se veritati opponere. Justi namque est regia via incedere, bono tenaciter adhærere, et neque ad dexteram neque ad sinistram divertere, quia de ratione justitiæ est rectitudo. (*Num.* xxi, 22.) Propterea Isaias inducit : Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. (*Is.* xxvi, 7.) De qua via loquitur alibi : Hæc via ; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. (*Ibid.* xxx, 21.) Justitia ergo figit mentem in bono. Ideoque in Proverbiis dicitur : Justus quasi fundamentum æternum. (*Prov.* x, 25.)

Et mundis manibus addet fortitudinem. Si quod ait, Mundis manibus, sit dativi casus, sensus est, quod justus augebit fortitudinem eorum, qui mundarum sunt manuum, id est conversationis sinceræ. Tales etenim diligit et confortat adsistendo pro viribus, juxta illud Ecclesiastici : Omnis (*Eccli.* xiii, 20.)

Digitized by Google

homo simili sibi sociabitur. Similitudo quippe causat amorem, et amor communionem ac unionem. Porro, si quod ait, Mundis manibus, sit ablativi casus, sensus est, quod justus sibi ipsi addet fortitudinem, in virtute justitiæ proficiendo, mundis manibus, id est virtuosis operibus. Virtutes namque per exercitium actuum suorum conservantur, foventur et perficiuntur, sicut communiter habitus per opera. Unde in Apocalypsi habetur : Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. In hoc itaque consistit noster profectus, ut a quotidianis impuritatibus nostris quotidie emundemur, atque in bonis quæ agimus perficiamur, eadem quotidie perfectius exhibendo, et bonis operibus bona addendo. Hinc ait Salvator : Omnem qui fert fructum, purgabit eum Pater, ut fructum plus afferat.

Apoc. xxii, 11. — *Joann.* xv, 2.

Igitur, vos omnes tres amici mei, qui hic estis, et præsentes qui vobis consentiunt, *convertimini,* a falsitate ad veritatem, ab injustitia ad virtutem ; *et venite* mentali accessu, id est, diligenter attendite. De quo adventu ait Psalmista : Venite, filii, audite me. *Et non inveniam in vobis ullum sapientem.* Superius Eliphaz dixit ad Job : Quid nosti quod ignoremus ? Cujus præsumptio his verbis reprimitur. Sed quum sapientia sit divinorum cognitio, quomodo amici Job sapientes non erant, qui jam tot vera et alta de Deo locuti sunt ? Et respondendum, quod aliquo modo sapientes fuerunt, sicut et magni philosophi ; sed quia eorum sapientiæ periculosi errores circa providentiam Dei et alia quædam fuerunt permixti, hoc loco sapientes esse negantur. Diversi enim sunt gradus sapientiæ, et variis modis sapiens quis vocatur.

Ps. xxxiii, 12. — *Job* xv, 9.

Consequenter documenta attentione digna proponit, ad quorum advertentiam illos jam excitavit. *Dies mei transierunt,* id est, pro magna parte elapsi sunt : imo omnes dies quibus vixi usque in præsens, esse jam desierunt, quum in successivis idem sit esse et fieri ; *cogitationes meæ dissipatæ sunt,* id est ab unione earum in Deum fractæ, et in diversa partitæ, hinc inde vagantes, meque a stabili divinorum contemplatione impedientes, ex sollicitudinibus, doloribus atque angustiis quibus premor, quæ mentis quietem et libertatem in Deo impediunt. Nam pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Unde, quo anima circa plura distrahitur, eo ad contemplandum debilior redditur. Propter quod Christus loquitur Marthæ : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. *Torquentes cor meum.* Tales enim cogitationes dispertitæ, anxiæ atque sollicitæ, mentem affligunt : per eas namque apprehenduntur nociva, adversa, amara, quorum apprehensio est pœnalis. Unde et Christus divitias nominat spinas, propter sollicitudines eis adjunctas.

Luc. x, 41. — *Matth.* xiii, 22; *Luc.* viii, 14.

Noctem verterunt in diem, id est, solitam noctis quietem, videlicet dormitionem, mihi abstulerunt, eamque mihi in laborem diei et inquietudinem vigiliarum verterunt. Tales enim cogitationes fecerunt ipsum Job insomnes ducere noctes, quæ sibi laboriosæ seu molestæ fuerunt. Hinc ait supra : Noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam : Quando consurgam ? Et rursum exspectabo vesperam. Unde subjungitur, *et rursum post tenebras spero lucem :* id est, quoniam tempus noctis mihi molestum est non valenti dormire, spero et cupio cito fieri diem, in quo cor relevatur ex lucis adspectu, corporis motu, et hominum societate ac varia occupatione.

Job vii, 3, 4.

Si sustinuero, id est, quamvis hæc omnia patienter pertulero, nihilo minus *infernus domus mea est,* id est, ad limbum patrum descendam, quantum ad animam. Quod autem limbus appelletur infernus, dictum est sæpe. De quo in Genesi Jacob patriarcha : Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum. Siquidem, pretio redemptionis humanæ nondum soluto, et janua regni necdum aperta, patres descenderunt in limbum. *In tenebris,* id est magnis adversitatibus atque suppliciis, *stravi lectulum meum,* id est locum quo

Gen. xxxvii, 35.

Digitized by Google

ad dormiendum me pono. Vel istud refer- A
tur ad limbum patrum, in quo lectulus
fuit, id est quies a pœna sensus, certaque
spes felicitatis æternæ. Erant tamen tene-
bræ ibi, id est carentia lucis beatæ. Job
ergo adhuc vivens, in limbo lectulum suum
stravit, id est, bene vivendo mansionem
sibi ibi promeruit.

Putredini, id est immundo, infecto, pu-
trescentique semini, *dixi,* per recognitio-
nem mentalem : *Pater meus es,* quia ex
tali sum semine natus. Denique, in gene-
ratione semen patris se habet per modum B
agentis, quum in ipso vis formativa pona-
tur : propter quod a Platone dicitur, par-
Job xiv, 4. vus pater. Unde superius ait Job : Quis
potest facere mundum de immundo con-
ceptum semine? *Mater mea,* id est, putre-
dinem etiam dixi matrem meam. Mater
enim ministrat semen quod est genera-
tionis materia, et per modum passivi se
habet. Quod item instar seminis patris im-
purum atque infectum est, putredinem ha-
bens, secundum Albertum : juxta illud Sa-
Sap. vii, 2. pientiæ, Coagulatus sum in sanguine ex C
semine hominis, et delectamento somni
conveniente. *Et soror mea, vermibus,* id
est, vermes vocavi sorores, quia de eadem
putredine mecum nati aut nascituri sunt :
quemadmodum in Ecclesiastico legitur,
Eccli x, 13. Quum morietur homo, hereditabit serpen-
tes, et bestias, et vermes. Insuper, Thomas
istud exponens, sic ait : Sicut homo a pa-
rentibus originem trahit, ex qua cum eis
affinitatem habet; ita in sepulcro in pu-
tredinem et vermes resolvitur, qui ex ejus
corpore generantur : propter quod affini- D
tatem et propinquitatem habet ad eos. Ve-
rumtamen expositio ista non exprimit, cur
distincte prolatum est, pater, mater, so-
ror. Ex hoc enim quod vermes oriuntur
ex corpore hominis, ejus pater et mater
non appellantur.

Ubi est ergo nunc præstolatio mea, id
est bonum quod finaliter spero seu præ-
stolor? tanquam dicat : Quum tanta sit vi-
litas mei corporis et brevitas mei temporis,
bonum a me finaliter desideratum, non
est temporale aut corporale, sed spirituale
et æternale, videlicet Deus sublimis et be-
nedictus. *Et patientiam meam,* qua tanta
adversa æquanimiter tolero, *quis conside-
rat?* quasi dicat : Nullus amicorum meo-
rum, vel cum eis præsentium, eam per-
pendit, nec ejus præmium pensat; sed
Deus omnia bene disponit. Ideo subditur :
In profundissimum infernum, id est in
locum inferni valde profundum respectu
habitationis præsentis, puta in limbum :
qui etiam profundissimus appellatur non
absolute, sed respective. Nam respectu cœli
terra profunda est, sepulcrum profundius,
limbus autem profundissimus : sic tamen,
ut superlativus iste non denotet excessum
comparationis in locis inferni, ut se dicat
ad locum damnatorum iturum. *Descendent
omnia mea,* id est anima cum universis
meritis suis ac viribus : quia in anima se-
parata etiam inferiores potentiæ radica-
liter ac virtualiter manent. Quidam, per
profundissimum infernum, intelligunt se-
pulcrum : quod ineptum videtur, quia et
expositio illa ex inepto censetur funda-
mento prodire. *Putasne saltem ibi erit re-
quies mihi?* quasi dicat : Imo utique ibi
a vitæ hujus doloribus adversitatibusque
quiescam, et in certa spe repausabo. Ve-
rumtamen ait, Putasne? sobrie loquens :
quia secundum communem legem, de fe-
licitate nemo viator securus est, nisi ex
revelatione divina, seu certificatione su-
perna, vel inspiratione occulta.

Digitized by Google

ARTICULUS XL

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI SEPTIMIDECIMI.

S*PIRITUS meus attenuabitur.* Hoc cuilibet homini viatori justo ac sapienti, tribulationibus exposito, competit : qui quanto se morti amplius appropinquare perpendit, eo se ipsum subtilius discutit, a grossis et terrenis affectibus se magis extenuat, gloriam Beatorum profundius speculari, et superaltissimi Dei proprietates sincerius contemplari conatur. *Dies mei breviabuntur.* Quo quis futuræ vitæ æternitatem sapientialius pensat, eo tempus quo vivit hic, brevius arbitratur. Nunquam ergo in Dei obsequio attædiemur, nec quasi de temporis longiturnitate gravemur ; sed et eo minus afficiamur ad ea quæ mundi sunt, quo majorem temporis nostri partem fluxisse conspicimus. Quod si universa ista caduca atque carnalia Dei amore ut stercora aspernamur, nosque de proximo morituros sagaciter opinamur, nihil nobis in sæculo isto superesse dicemus, quam tumulum, sicut subjungitur, *et solum mihi superest sepulcrum.*

Denique, si quis Deo revelante aut aliquo modo cognoverit se non pro suis affligi peccatis, sed aut pro sua exercitatione, aut aliorum ædificatione, vel ut in gratia plus abundet et gloriosius coronetur, dicere potest : *Non peccavi,* tam graviter, ut tantam afflictionem meruerim, eo modo quo hoc de beato Job fuit expositum ; *et in amaritudinibus moratur oculus meus.* Mul-
Ps. xxxiii, 20. tæ enim tribulationes justorum : qui et quotidianos suos veniales defectus velut magna peccata amaritudinaliter plangunt seu dolent tanto plus, quo Creatorem suum ardentiori ac puriori complectuntur amore, quo item copiosius desuper illustrantur. Siquidem, quo mens radiosius illuminatur a Spiritu Sancto, eo gravitatem peccati profundius conspicit, et cordialius deflet. Præterea, quædam est amaritudo vitiosa, quæ est passio animi immoderata, virtuosæ dulcedini mentis contraria. De qua Ecclesiasticus habet : Non est sensus ubi *Eccli.* xx 15.
abundat amaritudo. Et Paulus ad Ephesios: Omnis amaritudo, ira, et indignatio, et *Ephes.* iv 31.
clamor tollatur a vobis. Nunc autem de bona et pœnitentiali amaritudine est mentio, et de omni dolore virtuose assumpto, quo quis caritative affligitur de sua aliorumque culpa, de malis Ecclesiæ, dilatione gloriæ : quibus amaritudinibus electi quotidie afficiuntur. De hujuscemodi amaritudine cui divina consolatio præparatur, Salomon loquitur : Cor quod novit animæ *Prov.* xi 10.
suæ amaritudinem, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

Libera me. Hoc oramus indesinenter, in Oratione dominica deprecando : Libera nos *Matth.* v 13.
a malo, videlicet a malo culpæ et pœnæ, ab omni impugnatione atque periculo. *Et pone me juxta te.* Juxta Deum immensum, ubique vere præsentem, omnia penetrantem, qui solus rerum essentiis illabitur, omnique homini propinquior est quam essentialia ejus principia, tanto plus ponimur, quo ejus sancto amore magis accendimur, et dono sapientiæ clarius ad ipsum contemplandum perfundimur. Etenim incremento gratiæ ac virtutum Deo incircumscriptibili propinquamus. Sed quoniam durante vitæ hujus curriculo, peregrina- *II Cor.* v, 7.
mur a Domino, per fidem, non per speciem gradientes, ideo in hac vita non perfecte ponimur apud Deum, sed in patria. Idque precamur, ut ibi juxta eum locemur, id est, per speciem ejus supersanctam essentiam contemplemur. Nihilo minus, boni nunc apud Deum poni dicuntur modo

Digitized by Google

Num. xvi, 5. præfato. Unde in Numeris Moyses ait : Ma- A
ne notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi ; et quos elegerit, appropinquabunt ei. Itemque Psal-
Ps. xv, 8. mista : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Et cujusvis manus pugnet contra me,* id est, te mihi adsistente et auxiliante per omnia, nullum timebo, nul-
Ps. liii, 9. lum curabo, cum Psalmista decantans : Super inimicos meos despexit oculus meus.
Jer. xx, 11. Hoc est quod Jeremias ait : Dominus mecum est quasi bellator fortis. Propterea qui B
me persequuntur, cadent et infirmi erunt.

Cor eorum longe fecisti a disciplina. Om-
Is. v, 21. nium superborum et in propriis oculis sapientium, omnium incorrigibilium, rebellium atque carnalium corda Deus permissive longe fecit a disciplina : id est ab instructione divina, de qua ait Joannes,
I Joann. ii, 27. Unctio ejus docet vos de omnibus ; itemque, a sapientia et scientia, secundum quod dona sunt Spiritus Sancti, quæ a nullo habentur nisi in quo habitat Spiritus Sanctus per caritatem et gratiam grati- C
ficantem ; insuper, A disciplina, id est correctione et morum compositione, hoc est a patienti susceptione informativæ correptionis, ac satisfactoriæ et justæ punitionis. Tales enim correpti seu debite castigati, indignantur, remurmurant, deterioresque
Prov. xv, 12. fiunt, juxta illud Proverbiorum : Non amat pestilens eum qui se corripit. Quibus pensandum ac formidandum est, quod ait
Ibid. xiii, 18. Scriptura : Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Itaque, discipli- D
nam verborum, imo et verberum seu cujuscumque debitæ correctionis, patienter atque hilariter suscipiamus, quia per hoc ad omnem Dei illuminationem et gratiam potissime disponemur. Ideo Ecclesiasticus
Eccli. xx, 4. dicit : Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet peccatum.

Qui vero præfatam abjicit disciplinam, coram Deo vilis et ignobilis erit, peccatis oppressus, dæmonibus subditus, proprii sensus perversitate seductus. Ideo subditur : *Propterea non exaltabuntur* ad cœlestia atque æterna a carnalibus et caducis, sed paulo post in ima trudentur inferni. Ideo scriptum est : Sapientiam et Sap. iii, 11.
disciplinam qui abjicit, infelix est. Denique reprobos longe facit Deus a disciplina, dum eos in præsenti sæculo non flagellat, sed impune ac libere permittit peccare : quod summe pavendum est, et maxima Dei ira. Electos vero in vita hac disciplinat, ut super hoc Deo gratias referant, atque in futuræ beatitudinis spe firmentur. Unde in Sapientia legitur : Di- Ibid. xii, 22.
sciplinam nobis das, ut bonitatem tuam cogitemus, et speremus misericordiam tuam. Qui ergo cupit veraciter exaltari, proficere, perfici, docilis disciplinabilisque consistat.

Prædam pollicetur sociis. Omnis iniquus qui alios cohortatur ad mala, ad proximorum devastationem, ad impugnationem quorumque, sociis suis præstat prævalendi fiduciam, prædam eis promittens. Quod et superiores dæmones tentatores sociis suis dæmonibus faciunt, dum eos ad hominum impugnationem hortantur et dirigunt, illud Isaiæ dicentes : Cito prædare, Is. viii, 1.
velociter spolia detrahe. *Posuit me quasi in proverbium vulgi.* Impius enim justum irridet, diffamat, et quasi aliorum ludum ac fabulam facit. Propter quod Dominus ait in Ezechiele : Factus es eis quasi car- Ezech.
men musicum, quod suavi dulcique sono xxxiii, 32.
canitur. Hinc Christus ait in Psalmo : In Ps. lxviii,
me psallebant qui bibebant vinum. In Thre- 13.
nis quoque dicitur : Factus sum in deri- Thren. iii,
sum omni populo, canticum eorum tota 14, 63.
die. Ego sum psalmus eorum.

Caligavit ad indignationem oculus meus. Hoc (secundum Gregorium) fit, dum viri illuminati se a pravis diutius sperni ac indignationi haberi conspiciunt, atque ex hoc de occulti judicii Dei admiratione turbantur, et secretum Dei nequeunt penetrare cur prævalere perversi contra bonorum innocentiam permittuntur. Quis enim non Matth. xiv,
obstupescat, quum Herodias adultera apud 6-11.

Digitized by Google

temulentum regem saltatu petulantis filiæ A obtinet caput Joannis amici Sponsi, pro- *Joann.* III, 29. *Matth.* XI, 9. phetæ et plusquam prophetæ, amputari, et ante convivantium ora in disco deferri ? Hinc subditur : *Stupebunt justi super hoc,* illud in Apocalypsi scriptum exclamantes : *Apoc.* XV, 3, 4. Magna et mirabilia sunt opera et judicia tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, et magnificabit nomen tuum ?

Et tenebit justus viam suam. Viri justi atque perfecti, desuper copiose sapientiali luce perfusi, eo tenacius cohærent justitiæ, B mundana contemnunt, ad cœlestia inflammantur, quo impios in hoc mundo amplius prosperari, lætari et promoveri considerant; intuentes occultum Dei judicium, quo *Ps.* LXXX, 13. perversos dimittit secundum desideria cordis eorum : sicque pensantes quam contemnenda sunt ea quæ reprobis pessimisque ita præstantur, quam item periculosum sit temporaliter prosperari, carnaliter delectari, nec tamen divinitus castigari. Ex his enim certissime atque clarissime constat, quod in vita præsenti non sit finalis remu- C neratio operum humanorum. Propterea in *Eccle.* VIII, 12. Ecclesiaste habetur : Peccator ex eo quod centies facit malum, et tamen per patientiam sustentatur, ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum, qui quærunt faciem ejus.

Dies mei transierunt. Quilibet nostrum perpendens quam infructuose tempus suum expenderit, atque proponens se fortiter emendare, et perdita recuperare, dicere debet verbum inductum. Insuper, pensans quanta sit suæ instabilitas mentis, quam D vagus sit ipse in cogitando, quam dispersus in appetendo, quam circa multa occupatus, distractus, divisus, querulosa dolorosaque voce loquatur : *Cogitationes meæ dissipatæ sunt,* quum tamen perfectio nostra sit, Deo stabili mente infigi, cogitationes in ipso colligere, affectiones in ipso adunare, sicque mente collecta ac integra eum laudare, amare et honorare in omni- *Ps.* CX, 1. bus, quemadmodum scriptum est : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, videlicet intellectu atque affectu. Ad quod Deus piissimus nos clementer hortari dignatur per Joelem : Convertimini ad me *Joel* II, 12. in toto corde vestro. Sed quoniam hoc implere, non est volentis neque currentis, *Rom.* IX, 16. nisi adsistat gratia Dei miserentis, ipsum fideliter jugiterque precemur, ut det gratiam adimplendi quod monet : sed et satagamus ad hoc cooperando gratiæ Dei, et potissime tempore orationis divinique cultus, mente collecti ac stabiles simus, illud Ecclesiastici servantes : Non impediaris *Eccli.* XVIII, 22, 23. semper orare; et : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Torquentes cor meum. Homini enim vere devoto tales distractiones tanto plus displicent, pœnaliores que sunt, quanto ex puro Dei amore plus appetit Deo intendere, opus ejus reverenter persolvere, in ejus caritate et gratia semper proficere : sed et animus inordinatus sibi ipsi pœnalis est, sicut ordinata tranquillaque mente nil dulcius. Porro vitiosi et vani in cogitationibus suis perstrepentibus, fluctuantibus quoque desideriis vilissime gloriantur. Quod si boni interdum ex infirmitate aut inadvertentia in aliquo tali culpabiles fuerint, mox ut distractionem et vanitatem suam adverterint, corde tristantur, pœnitent et emendant, quemadmodum in Proverbiorum libro asseritur : Septies cadet justus, et *Prov.* XXIV, 16. resurget. Unde in Ecclesiastico docetur : Fili, peccasti ? ne adjicias iterum; sed et de *Eccli.* XXI, 1. præteritis deprecare, ut tibi dimittantur. Et : Quasi a facie colubri fuge peccata. *Ibid.* 2.

Noctem verterunt in diem. Quia frequenter per vitiosas et vagas cogitationes anima sic cæcatur, ut vitiorum caliginem judicet esse lucem virtutum, dum mala sub specie boni sibi proposita approbat et acceptat. Talibus dicit Amos : Convertistis *Amos* VI, 13. in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium. Et Isaias : Væ qui *Is.* V, 20. dicitis bonum malum, et malum bonum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Denique tales ambulant per viam fallacem, de qua in Proverbiis legitur : Est *Prov.* XIV, 12.

Digitized by Google

via quæ videtur homini justa, et novissima ejus deducunt ad mortem. Non ergo securum est proprio stare judicio, sed superiorum obtemperare sententiis, nec cordis secreta eis abscondere, qui discretione ornantur. *Et rursum post tenebras spero lucem,* id est, quum errasse atque peccasse, sicque tenebras erroris et peccati incidisse me video, pœnitere propono, lucem gratiæ recurrere confido, et post adversa ac tristia consolationem beatitudinemque exspecto, orans illud Ecclesiastici : Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum. Hinc scriptum est in Threnis : Non repellet in sempiternum Dominus, quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum.

Eccli. XXXVI, 1.

Thren. III, 31. 32.

Si sustinuero, id est, a peccatis me vinci permisero, si locum diabolo dedero, nisi culpis restitero, *infernus domus mea est,* id est, in inferno locabor. Est itaque sustinentia vitiosa, qua quis patitur prævalere peccatum. Unde angelo, id est episcopo, Ephesi Ecclesiæ scribit Joannes : Non potes sustinere malos. *In tenebris stravi lectulum meum.* Lectulus noster, est contemplatio divinorum, seu pax mentis in Deo. Sed et pœnitentia est lectus doloris. Hinc in Canticis dicitur : Lectulus noster floridus ; et : In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Hic lectulus nunc in tenebris sternitur ac paratur : quia contemplatio vitæ hujus, et ænigmatica est atque obscura, multis quoque adversitatibus ac defectibus mixta, dicente Apostolo : Videmus nunc per speculum in ænigmate.

Apoc. II, 2.

Cant. I, 15.

Ibid. III, 1.

I Cor. XIII, 12.

Putredini, id est carnali concupiscentiæ, *dixi : Pater meus es, mater mea.* Concupiscentia enim parentum, conceptioni nostræ non defuit, quamvis per bona sacramenti commixtio conjugalis honestetur, atque a culpa aliquando præservetur. *Et soror mea, vermibus,* id est peccatis carnalibus, immundis ac putridis, quæ ex concupiscentia oriuntur. Istud tamen secundum præcedentis articuli expositionem quilibet nostrum dicere potest et debet, humiliando se ipsum ex consideratione propriæ originis ac finitionis. Si enim pensemus ex quam immunda materia in utero matris sumus concepti, formati, nutriti, et demum in qualem putredinem, vermiumque congeriem resolvemur ; habemus maximam causam humiliandi ac vilipendendi nos ipsos, præsertimque spernendi carnem nostram, ne eam aut alterius carnaliter diligamus.

Ubi est ergo nunc præstolatio mea ? id est, non aliud summe aut finaliter præstolor, nisi te, o Deus, summum et incommutabile bonum. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, nisi tu ipse et te ipsum, o Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum ? De quo ait fervens amator : Pars mea Dominus, dixit anima mea ; propterea exspectabo eum. Itemque Psalmista : Et nunc quæ est exspectatio mea ? nonne Dominus ? *Et patientiam meam quis considerat ?* O si attenderemus, quam plenissime Deus omnia bona nostra considerat, quam libenter patientes nos videt, quam paratus est nostram patientiam æternaliter coronare ! vigilantius insisteremus virtutibus, et patientiores essemus. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Nunc quotidie anima nostra cum omnibus suis superioribus viribus et actibus in infernum descendat, per considerationem, detestationem, et frequentem memoriam infernalium tormentorum, ne postea cum corpore et anima omnibusque nostris peccatis corruamus in eum.

Ps. LXXII, 25, 26.

Thren. III, 24.

Ps. XXXVIII, 8.

De animabus in purgatorio detentis.

Postremo, ex verbis hujus capituli sumpta est lectio pro defunctis, quæ incipit : Spiritus meus attenuabitur. Itaque anima in purgatorio constituta fatetur : *Spiritus meus,* id est intellectus seu mens, *attenuabitur,* subtilius considerando divina, quum fuero a pœnis istis erepta, seu aliquo earum relevamine mihi concesso. Magnitudo quippe pœnarum, considerationis et contemplationis impedit subtilitatem. *Dies mei,* quibus hic puniar, *breviabuntur.* Cer-

Digitized by Google

ta est enim, quod tandem eripietur a pœnis atque salvabitur. *Et solum mihi superest sepulcrum,* id est, interim non alium habeo locum sive latibulum, nisi hoc pœnale receptaculum quo affligor, nec aliquid rerum terrenarum possideo. Quomodo autem tali loco purgatorii et inferni, conveniat nomen ratioque sepulcri, dictum est supra. Nam et dives epulo fertur sepultus in inferno.

Job XIV. Luc. XVI, 22.

Non peccavi, id est, in peccato finaliter non permansi, imo pœnitui. Juxta quem sensum accipi potest illud primæ Joannis, tertio capite : Qui natus est ex Deo, non peccat. *Et in amaritudinibus* purgatoriarum pœnarum *moratur oculus meus* interior, quousque pro universis et singulis meis peccatis seu debitis fuerit satisfactum. *Libera me* de pœnis his, *et pone me juxta te,* in regno jucunditatis ac securitatis æternæ : quod anima talis vehementissime cupit, ut sæpius tactum est ; *et cujusvis manus pugnet contra me,* id est, tunc nullius impugnationem timebo. Non enim hoc dicitur quasi Beati impugnentur ab aliquo, qui omnino impassibiles atque securi sunt; sed quia lædi nullatenus possunt. Verumtamen, inter angelos bonos et malos, ponitur pugna in Apocalypsi ac Daniele : quæ tamen angelis sanctis nullam unquam molestiam infert.

I Joann. III, 9. Apoc. XII, 7; Dan. X, 13, 20.

Dies mei transierunt, id est, tempus quo potui me juvare ac promereri, finitum est. Ideo aliorum precor suffragia. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt.* Licet enim anima in purgatorio maneat Deo habitualiter incessanter unita per caritatem quam nunquam amittit, nihilo minus, impellente pœnarum acerbitate, cogitationes habet multiformiter discurrentes. *Torquentes cor meum,* id est voluntatem, quæ ex talibus cogitationibus et apprehensis per eas non parum affligitur. *Noctem verterunt in diem:* quia, juxta sensum prætactum, cogitationes illæ propter amaritudines sibi annexas animam sæpe sic obruunt et quasi obscurant, veritatis contemplationem impediendo, ut ipsa anima inter noctem et diem, id est inter verum et falsum, seu bonum et malum, vix queat discernere, imo unam horam judicet multos annos. *Et rursum post tenebras,* id est pœnas purgatorii, in quo est carentia lucis gloriæ, seu etiam luminis exterioris, quantum ad consolationem et copiam, caligo quoque in judicando et cognoscendo, præsertim respectu cognitionis in patria; *spero lucem* gloriæ seu visionis beatæ, imo Deum lucem æternam, immensam, fontalem, in cujus certissima exspectatione et spe anima est talis.

Si sustinuero pœnas has, quas me ferre oportet, id est, quamvis eas pertulero, tamen *infernus domus mea est,* id est, purgatorium interim manet habitaculum meum, quousque plene fuero emundata. Quod autem infernus quandoque pro purgatorio accipiatur, præhabitum est. Nam Job XIV, 13. et in Missa oramus : Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, id est purgatorii. *In tenebris stravi lectulum meum :* id est, in mundo et corpore vivens, peccando præparavi mihi hunc locum doloris, in quo velut in lectulo teneor et pœnose quiesco. *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea ; et soror mea, vermibus.* Hoc anima in persona defuncti seu ex parte compositi dicere potest, juxta expositiones inductas. Vel ideo dicit hoc, quia in vili et putrido loco sic coarctatur, ut quasi affinitatem cum eo contrahere videatur. Vermes quoque, remorsus conscientiæ intelligi possunt, juxta illud Isaiæ : Vermis eorum non morietur. *Ubi est ergo* Is. LXVI, 24. *nunc præstolatio mea ?* Utique in cœlo empyreo. Lectio autem sic terminatur : *Et patientia mea? Tu es, Domine, Deus meus.* Deus nempe patientia animæ est, quia patientiæ dator et causa est, finis ac ratio. Vel, Patientia, id est bonum propter quod omnia longanimiter sustinet, seu præmium objective, patienter exspectatum. Unde ait Psalmista : Quoniam tu es patientia mea, Ps. LXX, 5. Domine; Domine, spes mea. Et alibi : Deo Ps. LXI, 6. subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Patientia autem proprie virtus est, tristitiam moderans, ne inordinata seu excessiva consistat.

Digitized by Google

ARTICULUS XLI

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES, DIXIT.

SAPIENTES et magni in oculis propriis, despectum sui non ferunt; et increpanti veraciter duriora respondent mendaciter. Hinc Baldad secundo objiciens, primoque replicans contra Job, eum de multis redarguit. *Respondens autem Baldad Suhites, dixit : Usque ad quem finem verba jactabis?* id est, quamdiu vana et frivola jactanter atque procaciter loqueris? quousque sermonem inutilem et pomposum non finis? Hoc est quod in Actis Epicurei et Stoici philosophi dixisse leguntur ad Paulum : Quid vult seminiverbius hic dicere? Act. XVII, 18. Id quoque supra protulit Baldad, dicendo : Job VIII, 2. Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui? *Intellige prius,* id est, propriorum verborum insuperque nostrorum sensum attende, *et sic loquamur,* conferendo et disputando ad invicem. In quo notat beatum Job de magna insipientia, et quod tam passionate loquatur, quod nec se ipsum nec condisputantes intelligat : sicut de quibusdam philosophis Aristoteles scribit, quod propriam vocem non intelligebant.

Quare reputati sumus ut jumenta? id est, cur reputas et contemnis nos, ac si bruta essemus? quia dixisti (præcedenti capitulo) : Ibid. XVII, 10. Non inveniam in vobis ullum sapientem. *Et sorduimus coram te?* id est, viles nos æstimas tanquam insipientes atque injustos. Per sapientiam etenim et virtutem homo præcipue nobilitatur, ornatur, atque a brutis distinguitur. Propter quod de non intelligente beneficia Dei fertur in Psalmo : Ps. XLVIII, 13. 21. Homo, quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* id est, insipienter periculoseque agis, quod animam A tuam ita damnationi exponis, ex furore passionum falsa atque sacrilega contra Deum et nos proferendo. Nam supra dixisti : Non parcam ori meo; et rursus : Job VII, 11; XVII, 7. Caligavit ad indignationem oculus meus.

Porro in verbis his Baldad reprehendit beatum Job in quinque circa verba quæ dixit. Primo, quod valde fuerit promptulus ad loquendum. Contra quod in Proverbiis dicitur : Prov. XXIX, 20. Vidisti aliquem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Et Jacobus : Jacob. I, 19. Sit omnis B homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Secundo, quod prius responderit quam complete colloquentem audiret. Contra quod ait Scriptura : Prov. XVIII, 13. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum. Tertio, quod colloquentem spernat et exprobret : juxta illud Ecclesiastæ, Eccle. I, 18. In multa sapientia multa indignatio. Nam qui sapientes se reputant, contradicentibus indignantur, et dura profantur, secundum illud Proverbiorum : Prov. XI, 2. Ubi fuerit superbia, C ibi erit et contumelia. Quarto, quod ex impetu passionis locutus sit : quod insipientiæ est, prout in Proverbiorum libro scribitur : Ibid. XII, 16. Fatuus statim indicat iram suam. Quinto, quod verba sua inefficacia sint ad persuadendum intentum, ideoque infructuose verba jactet seu spargat, quemadmodum Ecclesiastes dicit : Eccle. X, 14. Stultus verba multiplicat. Quocontra Salomon protestatur : Prov. XVII, 27. Pretiosi spiritus, vir eruditus : quia videlicet eruditi viri est, sententiosa verba proferre, quæ auro pretiosiora censentur. D

Præterea, quod dicitur, Usque ad quem finem verba jactabis? de duplici potest fine exponi, secundum Albertum. Primo,

de fine durationis. Sicque sensus est, quod sine mensura effundit loquelam : quemadmodum scriptum est, Stultus in loquendo non potest cohibere spiritum suum. Secundo, de fine intentionis. Eritque sensus, quod infructuose loquatur, eo quod per verba sua nihil concludat aut consequatur. Jactator equidem sapientiam quam non habet, usurpat seu monstrat.

Prov. xxv, 28.

Numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? Hoc ad litteram sic exponendum opinor : Tam superbe et magnifice loqueris, ita te erigis et alios deprimis, ac si te pereunte aut redarguto, tota terra et habitantes in ea, essent mox perituri, rupes quoque transferendæ essent de propriis locis. Juxta hunc modum solemus dicere his, quos ad vitam hortamur claustralem, qui dicunt : Numquid omnes possunt fieri religiosi seu monachi? quis negotia mundi tractaret? quis de necessariis provideret? quis generationem continuaret? Horum, inquam, cuilibet dicimus : Numquid propter te mundus peribit, aut generatio desinet? Ita ait jam Baldad : Numquid propter te, etc.? hoc est, nimis extollis reputasque te ipsum : quemadmodum in Numeris Moyses ait quibusdam, Nimis erigimini, filii Levi. Porro Thomas et Albertus, per terram et rupes, intelligunt certas, firmas ac solidas veritates sive sententias. Quasi dicat Baldad : Numquid, o Job, ob te et vigore disputationis tuæ, derelinquentur a suis tentoribus solidæ antiquorum sententiæ de providentia Dei, quod scilicet nullus affligitur pœna a Deo, nisi pro propria culpa? Quod consequenter pro viribus probat.

Num. xvi, 7.

Nonne lux, id est prosperitas seu opulentia atque jucunditas, *impii exstinguetur,* id est peribit, *nec splendebit flamma ignis ejus?* Per ignem, amor exprimitur, cujus flamma est desiderium æstuans. Ignis vero pravorum, est improbus amor sui, qui est amor privatus ad se reflexus, omnium vitiorum origo; ejusque flamma est intensa affectio proprii boni, delectabilis, utilis aut honesti vere vel apparenter. Baldad ergo vult dicere, quod impiorum, quibus debetur adversitas, cito transibit prosperitas; desiderium quoque eorum non splendebit sive florebit sortiendo effectum, sed evanescet. Quod quamvis sit verum, referendo hoc ad celerem finem vitæ præsentis, in quo cito peribit omnis vitiosorum prosperitas ; tamen, secundum intentionem ipsius Baldad non semper verificatur, quum videamus impios in vita hac prosperari, deliciari, et aliquando diutius vivere justis, quibus et multa contingunt adversa. Interdum tamen accidit sicut Baldad intendit. Hinc in Proverbiis dicitur : Lux justorum lætificat ; lucerna autem impiorum exstinguetur. Albertus quoque hic ait : Flamma (secundum Aristotelem) est fumus succensus, et significat prosperitatem, quæ ex avaritia et libidine congregatur.

Prov. xiii, 9.

Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, id est, prosperitas domesticorum et habitaculi sui, simul cum ipso deficiet, et in adversitatem mutabitur; *et lucerna quæ super eum est,* id est claritas suæ famæ, *exstinguetur,* ita quod vilis et miser dicetur, qui paulo ante erat famosus et inclitus. Juxta quem sensum Salomon in Proverbiis loquitur : Memoria justi cum laudibus ; nomen impiorum putrescet. Et David regi promiserat Deus, quod daret ei lucernam in Jerusalem, sicut in libris Regum frequenter habetur. Econtra demum, de forti muliere in Proverbiis dicitur : Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.

Ibid. x, 7. III Reg. xi, 36; xv, 4; IV Reg. viii, 19. Prov. xxxi, 18.

Arctabuntur gressus virtutis ejus, id est, processus et opera suæ potentiæ restringentur per adversitatem, infirmitatem, obstacula. Hoc dicit contra Job, quia superius dixit Deo : Posuisti in nervo pedem meum. Sic Deus arctavit gressus Pharaonis, filios Israel persequentis. *Et præcipitabit eum consilium suum,* id est, erranti consilio credet, falletur, et a fine impedietur intento. Deus enim frequenter infatuat consilia impiorum, sicut ipsius Achitophel. Et de injustis in Proverbiis inducitur : Co-

Job xiii, 27. Exod. xiv, 23-28. II Reg. xvii, 7, 14, 21-23.

Prov. I, 31. medent fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Talibus loquitur Deus per
Is. XXX, 1, 2. Isaiam : Væ, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me ; ut adderetis peccatum super peccatum, et os meum non interrogastis. Istud superius dictum pleniusque expositum est, ubi habetur :
Job V, 13. Deus apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.

Immisit enim in rete, id est capturam diaboli, scilicet in peccatum, *pedes suos,* id est affectus et vitæ processus, implicando se vitiis. Propter quod ad veram prosperitatem tendere impeditur, secun-
Prov. V, 22. dum illud Proverbiorum : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Sic de divitibus et
I Tim. VI, 9. avaris ait Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Sed tale rete non incidunt oculati, veraciter sapientes, qui norunt astutias Satanæ, jugiterque ad Deum con-
Prov. I, 17. fugiunt. Unde in Proverbiis asseritur : Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. *Et in maculis ejus,* id est peccati immunditiis, *ambulat,* perseverando in malis, et de uno peccato in aliud corruendo : quem-
II Tim. III, 13. admodum Timotheo scribit Apostolus, Mali homines proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Nam et unum peccatum, nisi per pœnitentiam deleatur, pondere suo mox trahit ad aliud, juxta illud
Eccli. III, 29. Ecclesiastici : Peccator adjiciet ad peccandum. De talibus Dominus per Sopho-
Soph. I, 12. niam testatur : Visitabo super viros defixos in fæcibus suis.

Tenebitur planta illius laqueo. Per plantam, quæ est infimum pedis, intelligitur terrenus affectus, quo homo infimis carnalibus adhæret : qui laqueo tenetur, id est, fraude diaboli retrahit mentem a Deo, et figit in vitio. Laqueus quoque est consuetudo peccandi, tentatio inimici, et quidquid a Deo mentem directe elongat. De
Ps. CXXIII, 7. quo habetur in Psalmo : Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venan-

A tium. Et : Ipse liberabit me de laqueo ve- Ps. XC, 3.
nantium. Denique, secundum Augustinum, in medio laqueorum ambulamus, quibus si planta seu actio nostra innectatur, a progressu ad beatitudinem detinetur seu impeditur. *Et exardescet contra eum,* id est, contra ipsius salutem fervebit in eo, *sitis,* id est ardens peccandi affectus. Quanto enim quis diutius peccatis se ingerit, tanto plus delectat eum peccare, quantum in se est. Propter quod Habacuc de impio ait : Dilatat quasi infernus animam suam, Habac. II, 5.
B et non implebitur.

Abscondita est in terra pedica ejus. Pedica est instrumentum capiendi per pedes animalia sub terra abscondita. Dicitur quoque catena seu vinculum pedum. Itaque, Abscondita est in terra pedica ejus, id est, in terrenis et rebus carnalibus latet causa seu laqueus decipiens impium, dum bono in rebus caducis invento afficitur et lætatur, atque a Deo avertitur. Hi sunt quos avaritia decipit, et libido sive elatio. Unde subjungitur, *et decipula illius super se-*
C *mitam.* Decipula est instrumentum decipiendi vel capiendi, per quam causa alliciens ad peccatum exprimitur : quæ super semitam absconditur, id est, in rebus quibus homo quotidie utitur, et per quas velut per semitam graditur, occultatur. In rebus enim creatis aliquid bonitatis, desiderabilitatis, deliciositatisque est. Sed virtuosi talibus bene utuntur, referendo hæc ad gloriam Creatoris, utendo eis secundum voluntatem ipsius, tanquam mediis ad finem. Vitiosi vero talibus quasi ultimo fini
D inhærent, et plus afficiuntur ac delectantur in eis, quam in vero, perfecto, immenso, superessentialique bono : ideo decipiuntur. Hoc est quod Sapiens scribit : Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in Sap. XIV, 11.
tentationem hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. De talibus conqueritur Dominus in Jeremia : Quid invene- Jer. II, 5.
runt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ? Itemque : Duo, inquit, mala fecit populus meus : Ibid. 13.

Digitized by Google

me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Creaturæ itaque fallunt peccantem objectaliter, materialiter, seu occasionaliter, movendo ipsius rationem seu appetitum. Peccans vero fallit se ipsum quasi efficienter, dum ratio ejus consentit illicito. Peccatum autem decipit eum formaliter, mentem
Prov. xiv, 9. cæcando, juxta illud Proverbiorum : Stultis illudit peccatum.

Undique terrebunt eum formidines : quia timebit sibi accidere quod meruit; et quod aliis intulit, sibi inferri pavidus suspicatur. Hoc supra jam dictum est plenius
Job xv, 21. atque expositum, ubi habetur : Sonitus terroris semper in auribus impii; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Contra
Prov. iii, 25. quod in Proverbiis dicitur : Ne paveas re-
Ps. xc, 1, 5, 6. pentino terrore. Hinc habitanti in adjutorio Altissimi fertur in Psalmo : Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, etc. *Et involvent pedes ejus.* Quum enim quis plurimum metuit, non audet ad quælibet loca accedere; atque ab actibus diversis retrahitur, suspicans sibi undique imminere periculum : sicque tam corporales quam spirituales ipsius pedes formidinibus involvuntur, quia a liberis progressibus impediuntur, quemadmodum in
Judic. xx, 47. libro Judicum filii Benjamin sedisse leguntur in petra Remmon. Denique passio timoris, si sit multum intensa, impedit hominem a cursu et motu, et nonnunquam quasi immobilem reddit.

Attenuetur fame robur ejus, id est, fortitudo impii per esuriem debilitetur; *et inedia invadat costas illius,* id est, paupertas eum sic maceret, quod costæ ejus appareant. *Devoret pulchritudinem cutis ejus,* id est, ad deformitatem eum perducat. Fames enim pallorem maciemque inducit. *Et consumat brachia illius primogenita mors,* id est intempestiva sive anticipans, qua quis ante naturalem termi um moritur. Vel, primogenita mors vocatur, quæ
Sap. i, 13, 16. ex peccato secuta est, juxta illud Sapientiæ : Deus mortem non fecit; injustitia

A autem mortis est acquisitio. Impii vero manibus et verbis arcersierunt illam. *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus,* id est, spes quam habuit in rebus atque domesticis, pereat : similiter spes domesticorum ejus. In omnibus his tangit beatum Job, cui ista pro magna parte jam acciderunt. *Et calcet super eum, quasi rex, interitus,* id est, languor et mors eum omnino potenter opprimant sive dejiciant, sicut rex pauperem calcat.

Habitent in tabernaculo ejus socii ejus
B *qui non est,* id est, socii ejus qui obiit, occupent domum ejus, eo jam mortuo. *Adspergatur in tabernaculo ejus sulfur,* id est fœtidus odor, qui in domibus mortuorum spargi solebat in signum mœroris, ut dicitur. Et hæc duo ad adversitatem pertinent, in quantum consequuntur ad mortem, et privationes sunt bonorum quæ aliquando habebat qui obiit. Unde quidam expositionem Thomæ hic reprobans, deficit.

Deorsum radices ejus siccentur, id est,
C quæ plantavit, radicitus arescant. Quidam tamen, per radices, filios et nepotes intelligunt. *Sursum autem atteratur messis ejus,* id est fructus, qui jam ad maturitatem venerunt. Talia filiis Israel propter eorum contigisse peccata, in Joele, Aggæo, et Joel i, 4, 7, 10-12; Agg. i, 10, 11.
alibi legitur. *Memoria illius pereat de terra,* id est, nec in hominum recordatione permaneat, saltem quoad præconium aliquod; *et non celebretur nomen ejus in plateis,* id est, fama ejus non sit in hominum communitate solennis. Quum enim
D in plateis homines confluant, addidit, In plateis. Quocirca scribit Albertus : Platea dicitur a Græco *platon,* quod Latine dicitur latum. Unde vult dicere, quod in latitudinibus populi memoriale impii non celebretur : sicut in gestis Romanorum describitur, quod quum Domitianus imperator a senatu occideretur, præceptum est ut nomen infaustum e lignis atque lapidibus eraderetur. Huic consonat illud Proverbiorum, quod allegatum interdum est : Memo- Prov. x, 7.
ria justi cum laudibus; nomen impiorum

Digitized by Google

putrescet, videlicet quoad famæ claritatem : alioqui sicut optimi, ita et pessimi manent in memoriis hominum.

Expellet eum Deus *de luce* vitæ ac prosperitatis, *ad* tenebras* adversitatis ac mortis et damnationis : secundum illud in Evangelio, Servum inutilem projicite in tenebras exteriores. *Et de orbe transferet eum,* id est, de sæculo isto tollet eum, omnino projiciens ipsum in tristissimum orbem inferni : juxta quod Isaias dicit impio, In infernum detraheris ad fundamenta laci. Hinc Isaac Judæus philosophus, in libro Definitionum secundum Stoicos loquens : Impius, inquit, deprimetur sub orbe tristi, et ardebit ibi in igne magno. *Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo,* id est, filii et posteri ejus peribunt ; *nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus,* id est, nulli de ejus semine superstites permanebunt. Hoc interdum corporaliter ita fit, sicut et in libris Regum leguntur quidam decem tribuum reges cum tota sua progenie, quantum ad eos qui masculini fuerant sexus, ob sua peccata Deo jubente, occisi. Spiritualiter autem verius est, quod omnes qui ejus sequuntur malitiam, spiritualiter pereunt et damnantur. Sic et in Psalmo habetur : Semen impiorum peribit. Item in Isaia : Non consurget in æternum semen pessimorum. *In die ejus,* id est die suæ punitionis a Deo, *stupebunt novissimi,* id est inferiores sive vulgares, de tanta impii plagatione mirantes ; *et primos,* id est superiores, *invadet horror :* quia timebunt ne simile quid accidat eis ; et quoniam naturale est homini, visis seu cognitis rebus magnis, miris atque insolitis, expavescere.

* in

Matth. xxv, 30. — Is. xiv, 15. — III Reg. xvi, 2-4, 12 ; IV Reg. x, 11, 17. — Ps. xxxvi, 28. — Is. xiv, 20, 21.

Postremo, Baldad quasi epilogans, subdit : *Hæc sunt ergo tabernacula iniqui,* id est, ita contingit injustis, ut dixi, et tabernacula præfato modo pereuntia pertinent ad iniquos ; *et iste locus ejus,* id est, ad prædictum locum terminumque pœnalem ac miserum ducitur, *qui ignorat Deum,* ignorantia opposita scientiæ Dei formatæ ac practicæ, qua quis noscit Deum non nuda notitia aut fide informi, sed cognitione ornata per actus bonos et caritatem. De qua notitia scriptum est : In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non servat, mendax est. Hinc omnis malus dicitur ignorans, id est hac practica ac formata scientia carens, et etiam quoniam peccando judicat false.

I Joann. II, 3, 4.

Elucescit autem ex præinductis, quod argumentatio Baldad sit prorsus invalida ad probandum propositum, utpote quod adversitates non accidant homini, nisi propter ejus peccata : quum præfatæ adversitates non injustis dumtaxat, sed et justis frequenter eveniant. Imo, martyres sancti in vita et morte durissime passi sunt, et corpora quorumdam prohibebantur sepeliri ac honorari.

ARTICULUS XLII

DE TROPOLOGICO EJUSDEM CAPITULI OCTAVIDECIMI INTELLECTU.

Is. v, 21.

PER amicos beati Job, fallaciter justos atque in propriis oculis sapientes intelligi, dictum est sæpe. Qui quum spirituali superbia pleni sunt, increpationes justas et caritativas non sustinent ; sed increpati, duriora respondent, calumniantur, increpantemque criminantur, dicentes ad illum, quod Baldad dixit ad Job : *Usque ad quem finem verba jactabis?* Quum enim tales sibi ipsis in se ipsis complaceant, tan-

Digitized by Google

quam sapientes et justi, quidquid contra eos profertur, inane, ventosum, jactatorium ac frivolum opinantur; eloquentem quoque, inconsiderate et ruditer loquentem affirmant, juxta quod subditur : *Intellige prius* verba mea et meæ dignitatem personæ, *et sic loquamur*. Nempe quum suo ingenio nimis confidant, contradictores suos eorum quæ dicuntur intelligentiam non habere testantur. Præterea quidam sunt garruli, qui ipsa loquacitate pascuntur; et conferentes seu disputantes cum aliquo, ita suis intenti sunt verbis et phantasiis, quod colloquentis non advertunt intelliguntque sermones, sed semper ad verba propria reflectuntur. Quibus dicendum est : Intelligite prius, et sic loquamur. Nisi enim colloquentes se mutuo intelligant, inutiliter confabulantur. Hinc in (Eccli. xxxii, 6, 9.) Ecclesiastico habetur : Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Et item : Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi gratia bona.

Insuper tales, quoniam apud se magni sunt, ab aliis quoque sapientes et magni cupiunt reputari. Quod si quis humiliaverit eos, conqueruntur se despici, dicentes quod sequitur : *Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te?* Porro qui vere est humilis, qui in suo lætatur despectu, quantumlibet deprimatur, majori humiliatione dignum se arbitratur, seu propter illata adversa non indignatur. Præterea, magni in proprio corde, dum corripiuntur, corripientem ex impetu impatientiæ, non ex caritatis fervore loqui existimant, dicentes subjuncta : *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Itaque furor hominis perditio est ipsius. Ideo mansuete agamus, juxta illud Ecclesiasti- (Ibid. iii, 19.) ci : Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Furor quoque reddit hominem aliis intolerabilem et inclementem, secundum quod (Prov. xxvii, 4.) in Proverbiis fertur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Nonne lux impii exstinguetur? Naturale (A) enim lumen rationis per peccatum excæcatur, quamvis non prorsus tollatur. Teste siquidem beatissimo ac divino Dionysio, peccatum naturalia non aufert, sed inficit. Potissime autem in inferno lux ista obruitur, quum Ecclesiastes dicat : Nec ratio, (Eccle. ix, 10.) nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Denique, Lux impii exstinguetur, id est, omnis honor, fama, prosperitas, gloria ejus peribit, sicut in Psalmo de impiis scriptum est : Tan- (Ps. xxxvi, 2.) quam fœnum velociter arescent; et tanquam olera herbarum cito decident. (B) *Nec splendebit flamma ignis ejus?* Flamma ignis impii, id est fervor sui carnalis ac vitiosi amoris, coram Deo non solum non splendet, sed tetra ac fœtida est atque damnanda. Propter quod ad Timotheum ait Apostolus : In novissimis temporibus instabunt (II Tim. iii, 1, 2, 4.) tempora periculosa; et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei. Hanc igitur per aquam sapientiæ salutaris penitus exstin- (Eccli. xv, 3.) guamus : quod, agente Spiritu Sancto, com- (C) pletur, juxta quod Isaias inducit, Protectio (Is. iv, 6.) erit in umbraculum diei ab æstu, et in absconsionem a turbine et a pluvia. *Lux obtenebrescet in tabernaculo illius :* quia quanto plus peccat, tanto lux animæ ejus in suo corpore infelicius offuscatur.

Arctabuntur gressus virtutis ejus. Quamvis via salutis sit arcta, id est ardua sive (Matth. vii, 14.) difficilis, caritas tamen spiritualiter exstat latissima : quoniam ad omnes et usque inimicos protenditur, omnesque complectitur. Hinc, quanto quis in caritate et gra- (D) tia amplius crescit, eo gressus animæ ejus plus extenduntur. Propter quod scriptum est : Ambulabam in latitudine, quia man- (Ps. cxviii, 45.) data tua exquisivi. Itemque : Statuisti in (Ps. xvii.) loco spatioso pedes meos. Et : Latum man- (Ps. cxviii, 96.) datum tuum nimis. Impius ergo, quoniam expers est caritatis infusæ, nec quærit quæ (Philipp. ii, 21.) Christi sunt, sed se ipsum, hinc gressus ejus arctantur, dum ad ipsum jugiter reflectuntur. Postremo, in inferno claudetur, et gressus ejus pœnalissime arctabuntur, ita ut nunquam egredi queat. *Immisit enim*

Digitized by Google

in rete pedes suos. Non implicemus nos laqueo inimici, vinculo peccati, sagenæ diaboli, ut agunt iniqui. De quibus ad Timotheum scribit Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

II *Tim.* II, 26.

Attenuetur fame robur ejus. Ista atque sequentia non imprecando malum seu maledicendo, sed prædicendo; seu zelo justitiæ, non livore vindictæ, promuntur. Robur autem hominis, est ratio ejus : quæ fame attenuatur, dum spiritualiter non cibatur pane vitæ et intellectus, actione virtutum, divinorum infusione charismatum. *Et inedia,* id est gratiarum carentia, quæ est spiritualis et maxima vitæ hujus paupertas, *invadat costas illius,* id est interiores sensus ipsius, dum spiritualiter non foventur nec roborantur. Quemadmodum autem costæ viscera constringunt, ut earum soliditate muniantur, quæ intrinsecus latent; sic sensus interni interius latentes, contegunt cogitatus : qui nisi per gratiam gubernentur, præfata consumuntur inedia, quia deficiunt. *Devoret* inedia ista *pulchritudinem cutis ejus,* id est exterioris conversationis decorem, qua quis exemplaris efficitur : qui si gratiam perdat, inexemplaris jam redditur. *Et consumat brachia,* id est opera *illius, primogenita mors,* id est superbia, omnium vitiorum origo. Unde verissime dicitur : Sola superbia destruit omnia, si comitetur. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Idcirco opera hominis ipsa consumit, id est, coram Deo mortua seu immeritoria facit. Præterea, quum peccatum animæ mors vocetur, rite primogenita mors superbia appellatur, quæ in cœlo sumpsit exordium ante aliud omne peccatum.

Eccli. XV, 3. *Ibid.* X, 15. *Tob* IV, 14.

Calcet super eum, quasi rex, interitus, id est diabolus, seu consuetudo iniqua : cui vitiosus prorsus subjicitur, quia (ut ait in secunda sua epistola Petrus) iniqui, servi sunt corruptionis : a quo enim quis victus est, hujus et servus est. *Habitent in tabernaculo ejus,* id est in domo conscientiæ suæ, *socii ejus qui non est,* id est spiritus maligni, spiritus elationis, spiritus cupiditatis, spiritus carnalitatis, qui sunt socii principis tenebrarum : qui spiritualiter non est, atque a Christo ad nihilum redactus asseritur, quia convictus et perditus est, et a summo esse, summe aversus est. Hinc Christus in Evangelio ait : Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, et non inveniens requiem, dicit : Revertar ad locum unde exivi. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. *Adspergatur in tabernaculo,* id est corpore *ejus sulfur,* id est fœtor carnalium vitiorum, quibus subjiciuntur et inquinantur reprobi atque perversi. *Deorsum radices ejus siccentur,* id est, cogitationes affectionesque ejus in fundo suæ mentis humore careant gratiarum, infructuosæque fiant; *sursum autem atteratur messis ejus,* id est congeries operum, ita ut inutilis Deoque inaccepta sit vita ipsius. Cetera patent.

II *Petr.* II, 19. *Matth.* XII, 43-45; *Luc.* XI, 24, 26.

ARTICULUS XLIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI NONIDECIMI : RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

RESPONDENS *autem Job, dixit,* non ipsi Baldad dumtaxat, qui capitulo loquebatur jam habito, sed omnibus tribus, qui in impugnatione sua fuerunt concordes. *Usquequo affligitis animam meam,* mendacia proferendo, errores vestros pertinaciter defendendo, inordinate loquendo, mihi blasphemias et maxima crimina imponen-

Digitized by Google

do? Quo autem quis veritatis et æquitatis purior ardentiorque amator exstiterit, eo gravius sibi est videre injusta, audire mendosa, præsertim quæ fidei derogant, et Deo directe repugnant. Hinc Christus intuens incredulorum errorem, dicebat : [*Marc.* IX, 18.] O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos? Hinc subditur : *et atteritis*, id est molestatis, *me sermonibus* vitiosis atque superfluis? ita ut illud [*Ps.* CXXXIX, 4.] Psalmi vobis conveniat : Acuerunt linguam suam sicut serpentes. Sapiens autem inutilium verborum multitudine attædiatur, [*Eccle.* V, 2.] sciens quod scriptum est : In multis verbis invenitur stultitia.

En decies confunditis me : nam quinquies respondistis mihi indignanter et confusive, et verba a me quinquepartita distinctione prolata negastis ac irrisistis. Job enim ante hanc responsionem quinquies [*Job* III, 3.] est locutus, inchoando a loco quo ait, Pereat dies in qua natus sum, ut intuenti patescit. Eliphaz vero jam bis arguit contra Job, similiter Baldad, Sophar autem semel. Aliqui tamen putant hic numerum determinatum pro indeterminato poni, quum [*Ps.* CIV, 8.] ait, En decies : sicut in Psalmo, Memor fuit in sæculum testamenti sui; verbi quod mandavit in mille generationes. *Et non erubescitis opprimentes me*, non ratione, sed multitudine et importunitate verborum aut injuriarum, quum tamen verecundum inhonestumque sit, tres simul contra unum afflictum, vulneratum et semimortuum, ita confligere. Sed impatientia ac ceteræ passiones mentem excæcant, ut erubescenda non erubescat. *Nempe*, id est certe, *si ignoravi*, id est, tantæ ignorantiæ sum ut mihi imponitis, *mecum erit ignorantia mea*, id est, ego eam portabo, nec vobis nocebit. Vel, Mecum erit, id est, eam humiliter considerabo atque fatebor, nec me sapientem jactabo ut vos. *At vos contra me erigimini*, id est, contra me extollitis vos, et pompose loquimini mihi; *et arguitis me opprobriis meis*, id est verbis opprobriosis adversum me a vobis prolatis. Vel, Opprobriis meis, id est, opprobria

A quæ passus sum a Satana, et a Chaldæis [*Job* II, 7; I, 17, 15.] atque Sabæis, mihi subsannative objicitis, quasi propter meos excessus ea perpessus sim.

Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. Verbum hoc prima facie satis horribiliter sonare videtur, præsertim quum teste B. Augustino, judicia Dei esse non possint injusta, quamvis sint frequenter occulta. Sed mentem beati Job pensare debemus, non solum formam superficiem-
B que verborum. Judicium etenim Dei, dupliciter æquum dicitur seu justum. Primo, ex parte Dei : et sic semper est æquum et justum, quia secundum ordinem sapientiæ ejus procedit. Nec ratione caret legitima, etiamsi innocens flagelletur : quia et justum est coram Deo, ut quis pro incremento gratiæ augmentoque gloriæ affligatur. Imo misericors judicium Dei, justum est hoc modo : quia tam bonus est Deus, ut justum sit, ipsum misericorditer judicare, gratiam dare, clementer salvare. Se-
C cundo, judicium Dei dicitur justum ex parte judicati, dum quis judicatur, recipitque a Deo secundum quod meruit, scilicet secundum opera sua. Et sic asserit sanctus Job se judicatum a Deo non æquo judicio, non tamen iniquo : quia judicium istud uno modo fuit æquum, alio modo non æquum. Iniquum vero utramque æquitatem excludit. Job ergo considerans quam virtuose et irreprehensibiliter vixit, fiducialiter novit, quod vita sua tam dira non merebatur adversa, nec meruit taliter cin-
D gi, id est undique impleri, flagellis, ut superius ait : Si fuero judicatus, scio quia [*Ibid.* XIII, 18.] justus inveniar.

Ecce clamabo vim patiens, id est, si pro ope et liberatione clamavero ego violentiam passus ab hostibus, *et nemo audiet*, id est, nullus homo auxiliabitur mihi. *Vociferabor* pro adeptione judicii, quo quis recipit secundum merita sua; *et non est qui judicet* me hoc modo jam, sed tribulari permittor præter mea demerita. Nihilo minus, scivit se tempore mortis a Deo justissime

Digitized by Google

judicandum secundum opera sua. *Semitam* A
meam circumsepsit, id est, vitæ meæ pro-
cessum adversitatibus Deus circumvalla-
vit, *et transire non possum,* id est, libere
progredi seu evadere nequeo ; *et in calle*
meo, id est operationum processu, *tene-*
bras tribulationum *posuit.* Ista, quantum
ad sensum, frequenter præhabita sunt. Id-
circo pertranseo, quia et difficillima re-
stant. *Spoliavit me gloria mea,* id est incly-
ta fama, honore et pristina reverentia, qua
tanquam justus et sapiens ab hominibus
honorabar ; *et abstulit coronam de capite* B
meo, id est judicialem potestatem ac di-
Job xxix, 25. gnitatem. Unde infra profatur : Quum se-
derem quasi rex, circumstante exercitu.

Destruxit me undique, id est, toto corpo-
re vulnerari permisit, et omnem substan-
tiam quam habui, permisit mihi auferri. *Et*
pereo, id est, morti jam proximus fio, et
destruor corpore. Quod secundum inferio-
rum et naturalium considerationem causa-
rum sic fuit, quemadmodum Ezechiæ Do-
Is. xxxviii, 1. minus dixit per Isaiam : Dispone domui
tuæ, quia morieris tu, et non vives. Hinc C
subdit : *et quasi avulsæ arbori abstulit*
spem meam, id est, non reliquit mihi fi-
duciam recuperandi sanitatem et cetera
mihi ablata, quemadmodum arbori ampu-
tatæ non remanet spes, via seu possibilitas
refloritionis ac fructificationis. Supernatu-
raliter tamen Job omnia recuperavit. *Ira-*
tus est contra me furor ejus, id est, rigor
divinæ justitiæ mihi iratus videtur, quan-
tum ad exteriorem apparentiam, tam dure
plagando me ; *et sic me habuit quasi ho-*
stem suum, id est, taliter me tractavit, ha- D
bendo respectum ad pœnas quibus affli-
gor secundum se ipsas, sicut impios solet
Job xiii, 24. tractare. Hinc dixit superius : Cur faciem
tuam abscondis, et arbitraris me inimicum
Ibid. x, 16, 17. tuum ? et alibi : Mirabiliter me crucias, et
multiplicas iram tuam adversum me. Ve-
rumtamen, secundum veritatem non fuit in
his ira aut furor Dei adversum Job, sed dile-
ctio et gratia magna, ut dictum est plenius.

Ibid. i, 17, 15. *Simul venerunt latrones ejus,* id est
Chaldæi et Sabæi : qui dicuntur latrones
Dei, quia ab eo creati, et potestatem sortiti
ac venire permissi. Dæmones quoque la-
trones fuerunt in percussione beati Job, et Job ii, 7.
eorum qui pertinebant ad ipsum : quia et
Chaldæi et Sabæi a dæmonibus fuerant in-
citati. *Et fecerunt sibi viam per me,* id
est, me ipsum et mea ad libitum concul-
caverunt ; *obsederunt in gyro tabernacu-*
lum meum, id est domesticos meos et bona
domus meæ, seu habitaculum ipsum, in
quo filii et filiæ opprimebantur illo ruente. Ibid. i, 18, 19.

Fratres meos, id est cognatos, vel fratres
proprie dictos, si habuit eos, *longe fecit a*
me permissive, seu concomitanter : quia
per hoc quod Deus ita permisit Job percu-
ti, factus est ipse Job abominabilis suis ;
et noti mei, scilicet familiares et cari, *quasi*
alieni recesserunt a me, non succurrendo,
condolendo, adstando. *Dereliquerunt me*
propinqui mei ; et qui me noverunt tem-
pore prosperitatis, *obliti sunt mei* tempore
adversitatis, non impendendo subsidium
neque solatium. Ista quoque superius di- Ibid. vi, 13, 15.
xit. *Inquilini domus meæ,* id est advenæ
in meis ædibus incolentes, *et ancillæ meæ,*
sicut alienum habuerunt me, non curan-
tes de me, velut si nihil auctoritatis super
eos haberem. Ideo additur : *et quasi pere-*
grinus fui in oculis eorum, ita quod obli-
vioni me dabant, vel quasi pertranseundo
adspiciebant. *Servum meum vocavi, et non*
respondit ; ore proprio deprecabar illum.
Puto hic singulare positum pro plurali,
ita quod a pluribus famulis suis se dicat
contemptum, quia nec jubenti, nec oranti
acquieverunt tempore adversitatis istius.
Halitum meum exhorruit uxor mea : quia
corruptus et fœtidus fuit ex interiorum
maxima discrasia. *Et orabam filios uteri*
mei, id est de semine meo progenitos, ut
mihi quid deservirent : quibus tamen de
lege naturali et scripta potui præcipere.
Huic autem verbo videtur obviare quod
superius scriptum est, filios ejus et filias Ibid. i, 18, 19.
simul oppressos in domo per ejus ruinam.
Ad quod Thomas respondet : Dici potest,
quod vel aliqui parvuli remanserunt, qui
non interfuerunt illi convivio ; vel aliqui

Digitized by Google

filii eorum, qui mortem propriorum pa- A
rentum imputantes peccatis Job, ipsum
spernebant. Et hoc secundum probabilius
reor. Primo enim capitulo dictum est, quod
Job I, 2. nati sunt ei septem filii et tres filiæ : ubi
proles ejus taxari videntur. Infra quoque
Ibid. XLII, 10. legitur, quod Dominus reddidit sancto Job
omnia duplicia, scilicet post hujus plagæ
sanationem : et tamen tunc non sunt ei
Ibid. 13. nati nisi septem filii et tres filiæ. Porro,
quod non solum filii immediati dicuntur
filii uteri lumborumve patris, constat ex
IV Reg. XX, 18. eo quod dicitur Ezechiæ : De filiis tuis qui B
egredientur ex te, quos generabis, erunt
eunuchi in palatio regis Babylonis. Cer-
I Par. III, 13; Matth. I, 10. tumque est, Ezechiam non nisi Manassen
immediate genuisse.

Stulti quoque despiciebant me. Stulti
quippe, quum non nisi præsentia et ter-
rena adspiciant, in miseriis positos asper-
nantur. Per stultos autem non intelligun-
tur dumtaxat, qui usu rationis prorsus
privantur ; sed et omnes iniqui, qui dono
sapientiæ destituti, stoliditate dono illi con-
traria sunt repleti : qui instar puerorum C
poma et pira auro et gemmis præferen-
tium, carnalia et caduca spiritualibus præ-
ferunt et æternis. De quibus Salomon ait :
Eccle. I, 15. Stultorum infinitus est numerus. Specia-
liter tamen stulti hoc loco vocantur, qui
vanitatibus se omnino exponunt, vel par-
tim in usu rationis deficiunt, utpote debilis
phantasiæ et capitis : qui interiora non
penetrantes, alios facile spernunt, quamvis
sint justi et sapientes. Hinc Salomon pro-
Ibid. X, 3. testatur : Stultus omnes æstimat stultos.
Prov. XVII, 12. Rursusque loquitur : Expedit magis occur- D
rere ursæ raptis fetibus, quam fatuo con-
fidenti sibi in stultitia sua. *Et quum ab
eis recessissem, detrahebant mihi,* dicentes
in secreto, quod dicere verebantur in pu-
blico, et implentes quod in Proverbiis le-
Ibid. XV, 2. gitur : Os stultorum ebullit stultitiam. Et
Eccli. IX, 25. Ecclesiasticus ait : Temerarius in verbo
suo odibilis erit. *Abominati sunt me quon-
dam consiliarii mei :* qui aliquando consi-
liarii mei tanquam viri prudentes fuerunt ;
*et quem maxime diligebam, aversatus est
me,* id est, se mihi opposuit. Hoc, secun-
dum Thomam, forsitan dicit propter ali-
quem eorum qui tunc aderant, qui ei gra-
vius adversabatur. Albertus vero, per hunc
maxime dilectum, intelligit Eliphaz The-
manitem.

Pelli meæ, videlicet cuti siccæ et aridæ,
consumptis carnibus meis in magnitudine
infirmitatis, *adhæsit os meum,* id est, ossa
mea pelli adhæserunt, carnibus quæ inter
pellem et os mediant, consumptis. Hinc su-
pra dixit : Induta est caro mea putredine Job VII, 5.
et sordibus pulveris ; cutis mea aruit, et
contracta est. *Et derelicta sunt tantum-
modo labia* nihil pinguedinis habentia, *cir-
ca dentes meos :* juxta illud Threnorum,
Adhæsit cutis eorum ossibus eorum, et fa- Thren. IV, 8.
cta est quasi lignum. Per quod, secundum
Thomam, insinuare videtur quod ceteris
membris suo officio destitutis, solum lo-
quendi officium sibi remanserit. Et quia
miseriæ debetur seu necessaria est miseri-
cordia, cum ingeminatione vocis ex magni-
tudine desiderii miserationem implorat.

*Miseremini mei, miseremini mei, sal-
tem vos, amici mei :* quum amicorum sit,
sua sibi invicem communicare, et onera Galat. VI, 2.
invicem supportare, imo dilecti calamita-
tem quasi propriam reputare, atque pro
viribus relevare. Est enim eorum, eadem
velle et nolle, secundum Philosophum. Un-
de Ecclesiasticus inducit : Amicus fide- Eccli. VI, 16.
lis, medicamentum vitæ et immortalitatis.
Itaque, quum ab aliis sim relictus, ab
hostibusque vastatus, saltem vos, amici
mei, miseremini mei, quia a fortissimo,
cui nemo valet resistere, sum percussus.
Quia manus Domini tetigit me, id est, po-
testas Dei me sic lædi permisit. Nam et
supra, Satan loquitur Deo : Mitte manum Job II, 5.
tuam, et tange os ejus et carnem.

Quare persequimini me sicut Deus? Non
solum non condoletis, neque succurritis,
sed afflicto afflictionem adjicitis, tribu-
lando me dure, sicut et Deus dure afflixit
me. Vel sic : Quare persequimini me sicut
Deus ? id est, ita me pro meis increpatis
excessibus, quos mihi imponitis, ac si vos

Digitized by Google

ipsi fragiles et ad peccata labiles non essetis, quemadmodum Deus sic increpat quod ipse peccare non valet. Quum homo hominem punit, quum arguit, compassive et pie debet hoc agere, pensans quam infirmus et defectuosus sit ipse, secundum illud Apostoli ad Galatas : Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujuscemodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Vel sic : Quare persequimini me sicut Deus? id est, non est vestrum me persequi, sicut me Deus persequitur. Deus quippe persequitur innocentem, ut probet, vel ad gloriæ suæ manifestationem, aut propter meritorum beatitudinisque augmentum. Vos autem talem causam persequendi me innocentem non habetis. Circa hæc scribit Gregorius : Si sint qui aspera correptione indigeant, tunc eis dura a nobis correptio admovenda est, quum Dei manus cessat a verbere. Quum vero superna insunt flagella, a nobis non jam correptio, sed consolatio debetur, ne, dum dolori increpationem jungimus, percussionem percussioni sociemus.

Galat. VI, 1.

Et carnibus meis saturamini, id est, corporis mei doloribus delectamini, et quasi reficimini? quia putantes me pro peccatis meis percussum, nec tamen pœnitentem, sed induratum atque blasphemum, gaudetis de meis pœnis, velut divinæ congratulantes justitiæ. Insuper, juxta Gregorium, qui proximorum pœnas esuriunt, aut alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus satiantur. Sic et David effatur : Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. De talibus Dominus ait in Michæa : Carnem populi mei comederunt, et pellem desuper excoriaverunt. Thomas quoque affirmat, quod detractores carnibus humanis proprie vesci dicuntur. Atque Albertus : Qui pœnam, inquit, auget afflicto, saturatur ac reficitur pœnis ejus. Itaque compassivi simus et ignoscentes, nec aliorum afflictionem optemus, seu approbemus ut pœna est, sed

Ps. XXVI, 2. *Mich.* III, 3.

A in quantum est effectus justitiæ, remedium culpæ, occasio gratiæ, cumulus gloriæ.

Præterea, quia beatus Job mox utilissima, alta, totique mundo saluberrime innotescenda fuit dicturus, adjecit : *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei?* quos dicam ad aliorum instructionem, ut futuris generationibus innotescant. *Quis mihi det ut exarentur,* id est scribantur, *in libro?* Verba autem sequentia a diversis diversimode habentur, punctuantur et exponuntur. Quidam enim (ut Albertus et B Thomas) sic punctuant : *In libro stilo ferreo.* Sed non videtur id aptum, quum ferreus stilus aptus non sit ad scribendum in libro. Ad quod solvendum Albertus sic ait : In libro, id est in dura materia sicut in libro. Aliqui autem sic punctuant : *Quis mihi det ut exarentur in libro?* Deinde subjungunt, *stilo ferreo et plumbi lamina,* id est, si parum fuerit scribi eos in libro, cupio ut scribantur ferreo stilo in lamina plumbi. Talis etenim plumbea massa apices sibi inscriptos diu conservat. Aliqui C legunt et punctuant sic : *Quis mihi det ut exarentur in libro stilo ferreo aut plumbi lamina?* Quod rursus dupliciter explanatur. Primo, Exarentur in libro stilo ferreo aut plumbi lamina, id est vel in tali materia. Secundo, Aut plumbi lamina, id est, scribantur in libro cum ferreo stilo, aut cum plumbea lamina.

Vel certe sculpantur in silice. Silex enim sicut difficillime recipit inscriptionem, ita diutissime tenet eam. Aliqui legunt : Vel celte sculpantur. Asseritque Albertus, quod D celte sit nomen indeclinabile, designans instrumentum cæmentarii, quo lapides sculpuntur durissimi. Porro in Mammotractu Bibliæ legitur, quod celte sit ablativus, et declinetur, celtis, celtis, celti ; significetque ferreum instrumentum conveniens ad sculpendum. Juxta hunc modum præcipit Dominus Habacuc prophetæ : Scribe visum, et explana eum super tabulam, ut percurrat qui legerit eum. Isaiæ quoque jubetur : Sume tibi librum grandem, et scribe in eo.

Habac. II, 2. *Is.* VIII, 1.

Digitized by Google

Deinde exprimit hos sermones notabilissimos, æterna memoria dignos. *Scio enim quod Redemptor meus vivit.* In Scripturis, Scire, frequenter pro Credere sumitur, ut
Jer. x, 23. quum Jeremiæ decimo legitur : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus. Hoc nempe est articulus fidei, hominem sine gratia nil posse meritorie agere. Apostolus
II Tim. iii, 1. quoque ad Timotheum : Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora pericu-
Eccle. xi, 9. losa. Et Salomon in Ecclesiaste : Scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Sic et modo Scire accipitur. Unde, ad insinuandum immobile fidei suæ robur ac certitudinem, Scio, inquit, videlicet revelatione divina et fide, quod Redemptor meus vivit, id est unigenitus Filius Dei, qui secundum divinitatem suam æternaliter et invariabiliter vivit vita actualissima, deliciosissima et perfecta : imo ipse est vivens et vita, superessentiale et superbeatissimum vivere, unaque vita cum Pa-
Joann. v, 26. tre. Propter quod ait : Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.

Præterea, juxta Thomam, noverat Job, Deo revelante, quod propter protoplasti parentis peccatum, damnationi obnoxium esset genus humanum, a qua per unigeniti Filii Dei incarnationem ac passionem disposito tempore redimeretur. Sed quoniam Redemptorem noverat verum Deum sempiterne viventem, non ait, Credo quod Redemptor meus vivet ; sed, Vivit : sicut et
Ibid. viii, 58. Christus ait Judæis, Antequam Abraham fieret, ego sum. De quo ad Hebræos ait
Hebr. xiii, 8. Apostolus : Jesus Christus heri, et hodie ; ipse et in sæcula. Christus quippe, secundum doctores, supponit hypostasim increatam æternam. Propter quod Judas ait in
Judæ 5. sua Canonica : Jesus populum salvans ex Ægypto.

Et in novissimo die status hujus sæculi, videlicet in fine mundi, quando generatio cessabit, *de terra surrecturus sum,* id est, corpus meum ex cineribus suis reparabitur, et anima mea illi reunietur : sicque qui per mortem cecidi, per resuscitatio-
A nem de terra tunc surgam. Resurrectio enim est ejus quod cecidit, secundum Damascenum. Ex hoc elucescit, quod juxta sententiam sancti Job, mundus finietur, quantum ad generationem et corruptionem, ac temporis cursum ; et quod generalis resurrectio fiet in termino mundi, non ante, nec postea, neque multoties. Ex quibus confunditur error quorumdam Platonicorum et hæreticorum, dicentium, post certa temporum intervalla, redeuntibus ad eosdem situs sideribus, corrupta reparari,
B mortuosque ad hanc vitam reverti. Ad quod etiam quidam allegabant illud Ecclesiastæ :
Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum Eccle. i, 9, 10.
est. Quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est : jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos. Sed (ut B. Augustinus in libro de Civitate Dei exponit) hoc Salomon loquitur non de eisdem numero, sed specie. Denique, verbo inducto Christus con-
formiter loquens : Ego, inquit, resuscitabo Joann. vi, 44, 55.
C eum in novissimo die. Et Martha ait de
fratre suo : Scio quia resurget in resurre- Ibid. xi, 24.
ctione in novissimo die.

Et rursum circumdabor pelle mea, istam cum carnibus et ossibus recipiendo. Quo verbo damnantur hæretici, asserentes quod corpora suscitanda, erunt aurea sive cœlestia. *Et in carne mea,* eadem videlicet qua nunc tegitur anima mea, *videbo Deum salvatorem meum,* divinitatem ejus videndo clare per speciem oculo interiori, humanitatem vero ipsius oculo corporali ; nec du-
D bium quin et oculi interiores illam intellectualiter sint visuri, sicut et angeli eam adspiciunt. Corpora autem suscitata, quatuor dotibus erunt ornata et glorificata, videlicet impassibilitate, agilitate, claritate et subtilitate : idcirco contemplationem, libertatem, et beatitudinem animæ nequaquam impedient, sed augebunt, præsertim quum anima naturaliter forma sit corporis : ideoque naturaliter inclinatur ad informationem ipsius. *Quem visurus sum ego ipse,* videlicet in eadem carne et in ea-

Digitized by Google

dem anima, ex quibus modo subsisto, *et* A
oculi mei conspecturi sunt : per modum
jam tactum ; *et non alius* loco mei, quam-
vis alii multi mecum simul sint illum visu-
I Cor. III, 8. ri. Unusquisque enim propriam mercedem
recipiet. Sacrilegus impiusque Porphyrius
arguit Christianos maximæ stultitiæ, eo
quod dicant mundum finiendum, et cor-
pora suscitanda, eo quod corpus contem-
plationem impediat; sed ex beatissimo Job
ejus insania apertissime reprobatur.

Reposita est hæc spes mea de futura glo-
rificatione corporis mei et animæ meæ, *in* B
sinu meo, id est in secreto et intimo cordis
mei, tanquam pretiosissimus atque caris-
simus mentis meæ thesaurus. Sic sumitur
Joann. I, 18. sinus apud Joannem, ubi legitur : Unige-
nitus Filius qui est in sinu Patris, ipse
enarravit. Præterea, de hac resurrectione
Dan. XII, 2. Daniel scribit : Multi de his qui dormiunt
in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam
Is. XXVI. 19. æternam, alii in opprobrium. Et Isaias: Mor-
tui tui vivent, interfectique mei resurgent.

Quare ergo nunc dicitis vos contra me
disputantes : *Persequamur eum,* id est, C
affligamus hunc Job, eum reprobando tan-
quam erroneum ; *et radicem verbi,* id est
verbum fundamentale ac firmum, *inve-*
niamus contra eum, dicta ejus totaliter de-
struendo ?

Fugite ergo a facie gladii, id est, divinæ
justitiæ sententiam contra vos timete, et
pœnitendo salubriter declinate. De quo
gladio in Apocalypsi habetur : De ore ejus Apoc. I, 16.
gladius ex utraque parte acutus exibat. Et
in Deuteronomio Dominus protestatur : Si Deut. XXXII,
acuero ut fulgur gladium meum, et arri- 41.
puerit judicium manus mea, reddam ulti-
onem hostibus meis. Ideo subditur : *quo-*
niam ultor iniquitatum gladius est, id
est, divinæ justitiæ sententia peccata fa-
ciet vindicari, seu juste puniri. De quo
gladio dicitur Christo in Psalmo : Accinge- Ps. XLIV, 4.
re gladio tuo super femur tuum, potentis-
sime. De hac ultione Dominus ait per Ma-
lachiam : Ecce dies veniet succensa quasi Malach. IV,
caminus; et erunt omnes superbi et omnes 1.
facientes impietatem, stipula ; et inflam-
mabit eos dies veniens, quæ non derelin-
quet eis radicem. Unde dicit et Judas : Ec- Judæ 14, 15.
ce venit Dominus in Sanctis millibus suis
facere judicium, et arguere omnes impios
de omnibus operibus impietatis eorum. *Et*
scitote esse judicium Dei, tam particulare,
quo judicat unumquemque dum moritur,
quam universale, quo in die novissimo
judicaturus est omnes, juxta illud Eccle-
siastæ : Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in Eccle. XII,
judicium pro omni errato, sive bonum sit, 14.
sive malum. Apostolus quoque : Omnes, in- II Cor. V,
quit, nos manifestari oportet ante tribunal 10.
Christi.

Ex istis, beatus Job amicis suis ostendit,
quod non desperavit, nec circa providen-
tiam Dei erravit ut ipsi : ideo consulit eis
pœnitentiam salutarem.

ARTICULUS XLIV

DE MYSTERIIS EJUSDEM CAPITULI NONIDECIMI.

SANCTUM Job fuisse evidentissimam D
Christi figuram, frequenter inductum
est. Hinc præsens capitulum pro maxima
sui parte de Christo potest exponi : quod
breviter tangendum opinor. *Respondens*
Job dixit : Usquequo affligitis animam
meam, et atteritis me sermonibus ? Anima
justi, ipsa falsitate affligitur, præsertim
dum impios audit æquitati resistere, et con-
tradicere veritati. Job ergo, qui interpre-
tatur dolens, id est Christus propter nos Ps. LXVIII,
passus, qui ait in Psalmo, Ego sum pauper 30.

Digitized by Google

Is. LIII, 4. et dolens : de quo loquitur Isaias, Dolores A
nostros ipse portavit; dixit Scribis et Pha-
risæis æquivalenter verba prætacta, quum
Matth. XXII, 18. ait ad eos : Quid me tentatis, hypocritæ?
Marc. III, 5, 6. Marcus quoque ait, quod Jesus circumspi-
ciens Pharisæos cum ira, contristatus est
super cæcitate cordis eorum, qui inierunt
contra eum consilium, eo quod sabbato
curasset infirmum. Multa insuper blasphe-
miis plena contra Christum locuti sunt,
Joann. X, 20. dicendo : Dæmonium habet. Insanit; quid
Ibid. VII, 12. eum auditis? Seducit turbas. Homo vorax,
Matth. XI, 19. potator vini, amicus peccatorum et publi- B
Ibid. IX, 34. canorum. In principe dæmoniorum ejicit
Ibid. 3. Ibid. XXVI, 66. dæmonia. Hic blasphemat. Reus est mor-
tis. Hinc afflictus est Christus non ex im-
patientia, sed zelo justitiæ : imo ex caritate
errantibus condolens naturali seu etiam
caritativo affectu, et propter inhonoratio-
nem Patris æterni.

Quoniam ergo tam sæpe confusive al-
locuti sunt Christum, seu locuti sunt de
eo, rite adjungit : *En decies confunditis
me,* quantum in vobis est. Sicque ponitur
numerus determinatus pro indeterminato, C
Apoc. XX, 4. sicut in Apocalypsi, quum dicitur : Regna-
verunt cum Christo mille annis. *Et non
erubescitis opprimentes me* innocentem,
justum et pauperem : quod vitiosissimum
turpissimumque consistit. In passione au-
tem Christum corporaliter oppresserunt,
quamvis virtutes et patientiam animæ ejus
opprimere non valerent. Hinc Sapiens di-
Sap. II, 12, 13. xisse eos scribit : Opprimamus justum,
quoniam contrarius est operibus nostris,
et filium Dei se nominat. Denique, quidam
malignantis sunt animi et mentis crude- D
lis : qui si viderint quempiam a multis
vexari, sæpiusque confundi, non condolent
nec succurrunt; sed potius injuriantibus
se jungendo, afflictionem augent afflicti :
in quibus nulla est verecundia, nulla pie-
tas aut honestas; sed inhumani atque bru-
tales sunt tales, instar canum mordentes
corrosum. Nos ergo, etiamsi a quo graviter
læsi fuerimus, tunc ei potissime ignosca-
mus, compatiamur, suffragemur, dum eum
aliunde videmus aut scimus affligi.

*Nempe, si ignoravi, mecum erit igno-
rantia mea.* Ignorantiam esse in Christo
multiplicem arbitrabantur Judæi; et quæ
inter se occulte contra eum tractabant, ip-
sum putabant nescire. Et experientes de-
mum sapientiam ejus, mirantes sciscita-
bantur : Unde hic scit litteras, quum non Joann. VII, 15.
didicerit? Imo, quasi errantem et turbas Ibid. 12
fallentem, dicebant se persequi eum. Qui- Luc. XXIII, 2.
bus verbum præscriptum Christus potuit
fari, velut si diceret : Tot, tanta, et ta-
lia ac taliter coram vobis miracula facio,
quod de veritate doctrinæ meæ rationabi-
liter dubitare nequaquam valetis, quoniam
Deus testimonium falsitati non præbet :
quod si ignoro scienda, ignorantia mea
redundabit in me.

At vos contra me erigimini. Sic sacer-
dotes, Scribæ et Pharisæi contra Christum
se erexerunt, dicentes illud : Nos scimus Joann. IX, 24.
quoniam hic homo peccator est; et : Ne- Ibid. 29.
scimus unde sit. Insuper verbis et factis
superbissime opposuerunt se Christo, juxta
illud Psalmi : Persecuti sunt * hominem * Persecutus est
inopem et mendicum, et compunctum cor- Ps. CVIII, 17.
de mortificare. Quem psalmum de Christo
litteraliter scriptum, princeps Apostolorum
insinuat in Actis. Præterea, plures sunt, Act. I, 20.
qui pro eo quod erigere se contra se tan-
quam contra passionatos, vitiosos, ac im-
prudentes deberent, negligunt se, et contra
alios, etiam adversum meliores se erigunt,
eis culpam et insipientiam imponendo, non
pensantes quod in Proverbiis habetur : Ju- Prov.
stus prior accusator est sui. Quorum mo- XVIII, 17.
lestiam ferens justus, dicere potest illud
Threnorum : Vide, Domine, afflictionem Thren. I, 9.
meam, quoniam erectus est inimicus. *Et
arguitis me opprobriis meis,* id est mi-
hi a vobis false objectis. Jam enim indu-
ctum est, quam opprobriosa verba locuti
sint Christo. Ideo ait ad Patrem in Psal-
mo : Quoniam propter te sustinui oppro- Ps. LXVIII, 8.
brium. Itemque : Ego factus opprobrium Ps. CVIII, 25.
illis ; viderunt me, et moverunt capita
sua. Hinc Petrus ait Judæis : Hic est la- Act. IV, 11.
pis qui reprobatus est a vobis ædifican-
tibus.

Digitized by Google

Saltem nunc intelligite, quia Deus non A *æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit.* Judæi increduli Christum ob sua peccata juste damnatum dixerunt. Quibus Christus in cruce pendens, quum tot mirabilia fierent, dicere potuit verbum hoc, quasi diceret : Ex his mirabilibus perpendite, quod Deus Pater, seu Trinitas, non æquo judicio me affligi permisit, æquitate qua redditur cuiquam quod meruit. Hoc est, pensate quod non pro peccatis meis hæc patior, sed pro mundi offensis :
Is. LIII, 8. quemadmodum in Isaia Pater testatur, Pro- B pter peccata populi mei percussi eum. Hoc Christus post Spiritus Sancti missionem, per os Apostolorum publice prædicavit, et per miracula declaravit. Unde in Actis Pe-
Act. III, 13. trus loquens Judæis, Deus, inquit, patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem tradidistis et negastis ante faciem Pilati.

Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet. Hoc est quod Christus ait in Psalmo :
Ps. XXI, 3. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies ; et nocte, et non ad insipientiam C mihi. Nec obstat quod ait Apostolus, quia
Hebr. V, 7. exauditus est Christus pro sua reverentia.
Joann. XI, 41, 42. Ipse quoque Salvator : Pater, ego sciebam, quoniam semper me audis. Verum est enim, quod quidquid Christus ex deliberata ratione et voluntate petivit, sortitus est. Aliqua autem oravit secundum naturalem et sensitivum suæ humanitatis appetitum, in quibus fertur non exauditus :
Luc. XXII, 42. sicut quum dixit, Aufer a me calicem istum. Sed tales orationes non fuerunt proprie orationes absolute dictæ, et simpliciter fu- D sæ. Itaque, quod ait, Nemo audiet, secundum hæc exponitur, Nullus exaudiet. Potest autem et ita exponi, Clamabo vim patiens : quia in cruce violentissimam
Matth. XXVII, 46. sustinens mortem, clamavit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et nemo audiet, id est, nullus homo succur-
Ps. LXVIII, 21. ret. Hinc ait in Psalmo : Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni.

Hebr. V, 7. *Vociferabor :* quia cum clamore valido et lacrimis obtulit Christus preces Patri in nocte qua tradebatur, secundum Apostolum ; *et non est qui judicet :* quia tunc non fuit qui judicaret Christum secundum innocentiam suam, secundum quam ab omni pœna fuisset mox præservandus ; sed judicatus fuit a præside Pilato injuste. Præterea Deus frequenter electorum petitiones differt audire, et voces eorum se advertere quasi dissimulat, ut interim expurgentur, et diu clamando, copiosius præfixo tempore exaudiantur : qui hanc divinæ pietatis dispensationem non intuentes, conqueruntur se quasi relictos, seu non attentos a Deo ; sed in tali dilatione habenda est patientia, certa fiducia, indefessa instantia.

Semitam meam circumsepsit. Processus enim conversationis Christi in sæculo isto, adversitatibus fuit repletus. Propterea ait in Psalmo : Pauper sum ego, et in labori- *Ps.* LXXXVII, 16.
bus a juventute mea. *Et transire non possum.* Christus etiam a Judæis comprehen- *Joann.* XVIII, 12.
sus, ligatus et crucifixus, quamvis secundum *Marc.* XV, 25.
exteriorem apparentiam, seu naturalem humanam potentiam transire hinc inde nequiverit, propter quod verba ista hoc modo ei conveniunt ; nihilo minus, absolute loquendo, se ipsum eripere, excutere, transireque potuit per suam divinam potentiam, imo et per creatam suam supernaturalem potentiam. Attamen, quasi secure inter Judæos transire non valens, persecutionem illorum ad horam declinans, subtraxit se, juxta illud Joannis : Ab illo die cogitave- *Joann.* XI, 53, 54.
runt ut interficerent eum. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. *Et in calle meo tenebras* persecutionum *posuit.*

Spoliavit me gloria mea. Christus enim ad tempus inclytæ exstitit famæ apud vulgares, præcipue quando (ut Evangelistæ testantur) omnis populus gaudebat in om- *Luc.* XIII, 17.
nibus quæ magnifice fiebant per illum, atque dicebat : Quia nunquam sic apparuit *Matth.* IX, 33.
in Israel; et : Propheta magnus surrexit in *Luc.* VII, 16.

Digitized by Google

Matth. XXI, 8, 9. nobis. In die quoque Palmarum honor et gloria ei a populo eminentissime impendebantur. Sed in die Parasceves Pater spoliavit permissive Christum hac gloria, in tantum, ut universus populus eum negaret Ibid. XXVII, 25. ac diceret : Sanguis ejus super nos, et super Luc. XXIII, 18. filios nostros. Petivitque latronem potius quam Christum dimitti. *Et abstulit coronam de capite meo :* quia videlicet Pater misit Filium in maxima paupertate, ita quod temporaliter non regnavit, nec in primo adventu judicium retributionis exercuit : sicque abstulit ei Pater coronam ad tempus, qua dignus jugiter fuit. Nam Joann. VI, 15. et quum Judæi venturi erant ut raperent eum, et regem facerent, Patre volente mox fugit in montem.

Destruxit me undique, id est, toto corpore vulneribus lacerari permisit ; *et pereo,* id est, corporaliter morior : secundum Is. LVII, 1. illud Isaiæ, Justus perit, et non est qui recogitet. *Et quasi avulsæ arbori abstulit spem meam.* Pro Judæorum conversione Christus multipliciter laboravit, et spem quamdam seu exspectationem de eorum conversione tunc habuit : quæ, quantum ad majorem populi illius partem, ablata est ei, quando populus ille in perfidia sua obstinatus effectus est. Hinc in Isaia loquitur Ibid. XLIX, 4. Christus : Ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa et vane consumpsi fortitudinem meam. *Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum.* Hoc competit Christo secundum expositionem præcedentis articuli. Ipse equidem Ps. LXXXVII, 8. fatetur in Psalmo : Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos indu- Is. LIII, 4. xisti super me. Unde Isaias scribit : Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo. Christus autem in Scripturis aliquando aliquid loquitur, non secundum quod fuit, sed sicut apparuit, ut est illud : Ps. XXXIV, 15. Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Simul venerunt latrones ejus. De qui- Joann. XVIII, 12. bus Joannes ait : Cohors, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum. *Et fecerunt sibi viam per me,* id est,

A totum corpus meum ictibus atque vulneribus pertransierunt. *Obsederunt in gyro tabernaculum,* id est corpus *meum.* Unde et Petrus in secunda sua scribit epistola : Scio quia velox est depositio tabernaculi II Petr. I, 14. mei. Hinc Christus ait in Psalmo : Circum- Ps. XXI, 17. dederunt me canes multi ; concilium malignantium obsedit me. Et sicut fecerunt corpori Christi vero, ita et corpori ejus mystico, puta Ecclesiæ primitivæ. Latrones quoque sunt invisibiles hostes animarum, fraudulentissimi jugulatores : qui B contra Christi famulos veniunt, Ecclesiam obsident ; atque in cordibus plurimorum quos tentant, præsertim quos vincunt, sibi efficiunt viam, quia in mentibus succumbentium quasi libere ambulant, dum eos de vitio ad vitium ducunt.

Fratres meos longe fecit a me. Tempore enim passionis fugerunt a Christo Aposto- Matth. XXVI, 56. li. De quibus post passionem dixit Mariæ Magdalenæ : Vade, dic fratribus meis. Et ad Joann. XX, 17. Patrem in Psalmo : Narrabo nomen tuum Ps. XXI, 23. fratribus meis. *Et noti mei quasi alieni* C *recesserunt a me,* ceteri scilicet discipuli. *Inquilini domus meæ :* per quos recte intelliguntur quidam ex gentilibus Christo credentes, sicque ad ejus domum, id est congregationem et familiam, pertinentes ; *et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me,* tempore passionis, quando et multæ feminarum, quæ aliquando Christo crediderant, suggestionibus virorum ab ipso aversæ fuisse creduntur : quamvis omnes mulieres Hebrææ Christi ancillæ possint intelligi, in quantum unius veri Dei cultri- D ces erant, vel esse se affirmabant. *Et quasi peregrinus fui in oculis eorum* non curantium nec attendentium me.

Servum meum vocavi, id est, populum Judæorum, servili timore potius quam filiali amore Deo obsequentem, ad fidem et gratiam invitavi et docui ; *et non respondit,* per obedientiam : quia comparative pauci crediderunt. Unde Apostolus allegat Isaiam, in Christi persona dicentem : Tota Rom. X, 21; Is. LXV, 2. die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem. *Ore proprio*

Digitized by Google

deprecabar illum. Christus enim nunc blandis, nunc promissoriis sermonibus hortabatur hunc populum ad salutem; et qui ante per Prophetas et alios hoc peregit, tandem in propria persona homo factus
Is. xxx, 20, 21. hoc fecit, sicut et Isaias prædixit : Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient vocem post terga monentis. Præterea, Christus nunc conqueri potest hæc de impiis Christianis : qui fide et nomine, non caritate et actu, inquilini et ancillæ sunt domus, id est Ecclesiæ Christi; attamen peccando ab ipso recedunt, et quasi alienum et peregrinum Christum hic habent, ejus doctrinam non intuendo, ejus præcepta parvi pendendo, mentem ab ipso viliter avertendo. Sed et servum suum, scilicet populum christianum, Christus proprio ore vocavit, vocat, ac deprecatur, ut convertatur atque obediat. Vocat autem nunc, per Scripturas, per angelicam directionem, per occultam inspirationem, per prælatorum ac prædicatorum atque doctorum admonitionem.

Halitum meum exhorruit uxor mea : id est, Synagoga olim sponsa uxorque mea, me incarnatum ac præsentem ita contempsit, quod mihi nequaquam voluit appropinquare : imo gravis ei exstiti ad videndum, nec voluit me audire. Talis autem aversio solet per halitus exhorrentiam designari. Unde in Exodo filii Israel leguntur
Exod. v, 21. dixisse Moysi et Aaron : Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone. Fuit autem Synagoga olim sponsa et uxor Christi, sicut modo Ecclesia, de qua fertur in Apo-
Apoc. xix, 7. calypsi : Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Synagoga vero per suam incredulitatem facta est adultera meretrixque diaboli, ac repudiata a Deo, prout
Is. l, 1. Isaias ait : Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? *Et orabam filios uteri mei,* id est Judæos, quos practice intelligendo creavi, et sapientia mentis meæ instruxi. Uterus quippe (ut dictum est) pro intellectu seu mente frequenter accipitur, ubi interior animæ proles, quæ est verbum ipsius, concipitur. Unde in Pro-

A verbiis Salomon loquitur : Fili, accipe doctrinam meam, quæ tibi pulchra erit quum acceperis eam in ventre tuo. De his filiis Isaias testatur : Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Judæos autem (ut dictum est) Christus etiam deprecatorie ad salutem commonuit. Prov. xxii, 17, 18. Is. i, 2.

Stulti quoque despiciebant me : quod de Herodianis et ministris Pilati, ceterisque gentilibus Christum persequentibus opere vel consensu, specialiter accipi potest; vel de vulgo Judæorum indocto, de quo loqui-
B tur Jeremias : Et dixi, Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini et judicium Dei sui. *Et quum ab eis recessissem, detrahebant mihi :* juxta illud Joannis : Murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant, Quia bonus est; alii autem dicebant, Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo. Detractio autem mortale peccatum est, valde grave, et gravius furto. Ideo Ecclesiastes dixit : Quomodo si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte
C detrahit. Justo autem detrahere, prorsus enorme est. Jer. v, 4. Joann. vii, 12, 13. Eccle. x, 11.

Abominati sunt me quondam consiliarii mei, videlicet sacerdotes, Scribæ et Pharisæi : qui consiliarii Dei seu Christi fuerunt, quasi ad ipsum pertinentes, non quasi ei consilium impendentes, sed populo ejus. Quemadmodum in Genesi filii Heth loquuntur ad Abraham, Princeps Dei es apud nos : ubi alia translatio habet, Rex Dei es apud nos. *Et quem maxime diligebam, aversatus est me.* Posset hoc exponi
D de Juda proditore, quem Christus maxime, id est valde multum, dilexit, quantum ad amicitiæ signa, et beneficia gratiæ gratis datæ. Nam fecit eum Apostolum suum, procuratoremque : et forte ad tempus fuit in caritate et gratia. Denique princeps Apostolorum ore tenus cum anathematizatione ac juramento Christum negavit. Insuper ordo pontificalis præ ceteris a Deo electus, Christum specialiter noscitur persecutus. Gen. xxiii, 6. Joann. xii, 6; xiii, 29. Marc. xiv, 71.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Tempore passionis, sanguine

Digitized by Google

Christi exhausto, et corpore vulneribus dilacerato, violentissimeque distento, caro ejus magna ex parte attenuata est, ita ut ossa viderentur pelli hærere, quia dilapsa dispersaque fuit caro ejus tenerrima. *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos,* id est, ceteris membris meis suo officio quodammodo destitutis, solius mihi linguæ usus remansit tempore crucifixionis. Nam et Christus voce magna exclamans, tradidit spiritum : quod supernaturale fuisse considerans ipse centurio, Vere, inquit, hic homo Filius Dei fuit.

Matth. XXVII, 50. *Marc.* XV, 39.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei. Christus sibi condolere suos optavit, quemadmodum naturale censetur afflictis. Propter quod ait in Psalmo: Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Præterea per amicos ejus, intelligi possunt omnes qui adfuerunt Judæi : qui licet pro majori parte fuerint ejus inimici, tamen amici vocantur, quoniam Christus eos amavit, et quoniam quidam eorum prædestinati fuerunt. Sicque amici tunc erant, non secundum præsentem justitiam, sed secundum prædestinationem æternam, qui postea sunt conversi : quibus passione instante prædixit, Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Judæis quoque Christus multa specialia beneficia erogavit : ideo præ ceteris ejus dicebantur amici. Unde eorum ingratitudo, perfidia, et persecutio sibi molestior fuit. Itaque ait : Miseremini mei, etc., tanquam dicat : Gentilibus me tam dire cædentibus, saltem vos, Judæi, populus propter quem veni, condolete. Nihilo minus, per amicos, intelligi possunt Judæi tunc quodammodo increduli, puta discipuli, qui sive absentes, sive præsentes, Christo intime compatiebantur. *Quia manus Domini tetigit me.* Deo enim permittente occisus est Christus. Imo Deus se id fecisse testatur per Isaiam : Propter scelus, inquiens, populi mei percussi eum. In Actis quoque loquitur Petrus : Deus qui prædixit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic.

Ps. LXVIII, 21. *Joann.* VIII, 28. *Is.* LIII, 8. *Act.* III, 18.

Crudelibus vero incredulisque Judæis loquitur consequenter : *Quare persequimini me sicut Deus?* Hoc secundum præcedentis articuli elucidationem competit Christo, qui etiam ait Deum se persequi permissive : et quia per Filii sui unigeniti persecutionem et mortem, præordinavit genus salvare humanum ; hinc Filius loquitur Patri in Psalmo : Quem tu percussisti, persecuti sunt. *Et carnibus meis saturamini?* Hoc rursus secundum præhabitam expositionem maxime competit Christo, de cujus amarissimis pœnis crudelissimi persecutores vehementissime gestiebant.

Ps. LXVIII, 27.

Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Christus utique verba sua jam in cruce et tempore passionis, et ante prolata sciens saluberrima esse, optavit ea ad mundi instructionem scribi tam in libris, quam in hominum cordibus : quod etiam fiendum certissime noverat. Ideo subditur : *Quis mihi det ut exarentur in libro,* id est corde Judæorum, ob quorum instructionem Christus specialiter missum se perhibet, *stilo ferreo,* id est profunda et forti inscriptione, prædicatione, seu illuminatione, per quam verba divina menti imprimuntur humanæ ; *aut* in *plumbi lamina :* per quam intelligitur cor gravium personarum, quæ religiosiores videntur. Quod Christus adjunxit, quia a communi populo Judæorum noverat sua verba spernenda, ideo cupiebat ut saltem ab eis reciperentur, qui majoris probitatis æstimabantur : quod et partim completum est, quia, ut Acta habent, Multa turba sacerdotum obediebat fidei. Sed quoniam major pars plebis hujusmodi mansit incredula, optavit Salvator ut converteretur gentilitas. Propter quod subditur, *vel certe sculpantur in silice,* id est duro gentilium corde : de quibus dixit Salvator, Alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere. Denique, de spirituali hac inscriptione, qua evangelica lex in cordibus scripta est electorum, allegat

Act. VI, 7. *Joann.* X, 16.

Digitized by Google

Apostolus ad Hebræos testimonium Jeremiæ, Deum inducens dicentem : Dabo leges meas in mentes eorum, et in corde eorum superscribam eas. Sequentia autem verba non proprie congruunt Christo, qui non in novissimo die resurget, sed die tertio resurrexit.

Hebr. VIII, 10; X, 16; *Jer.* XXXI, 33.

Insuper ex præinductis faciliter reor patere, qualiter verba hujus capituli de quocumque gravissime afflicto ac justo, per Job figurato, et Christi imitatore, queant exponi : quod càusa vitandæ prolixitatis non prosequor; sed circa pleniorem tractationem verborum hujus capituli quæ pro lectione dicuntur in Officio defunctorum, paulisper immorabor.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, etc. Si quis tantam inciderit infirmitatem, aut tantam fecerit abstinentiam, ut caro ejus pro magna parte cernatur consumpta, ita ut dicere valeat cum Psalmista : Ossa mea sicut cremium aruerunt; percussus sum ut fœnum; a voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ, id est pelli, secundum Hieronymum : talis verba hæc Job dicere potest, qui amicorum petit suffragium, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei.* Tempore etenim adversitatis et necessitatis, præcipue amicitia est monstranda. Ideo dicit Ecclesiasticus : Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei te ipsum. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis. Itemque : Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. Et alibi scriptum est : Frater in angustiis comprobatur. Talibus ergo misereamur interiori compassione, et subveniamus pro posse, orando, consolando, ministrando, de necessariis providendo. *Quia manus Domini tetigit me,* paternaliter in hac vita castigando, quemadmodum legitur : Castigans castigavit me Dominus. Interdum autem manus Domini tangit nos in spiritualibus donis, illa dispensatorie suspendendo, aut juste tollendo : tuncque majori sollicitudine atque custodia indigemus, et aliorum spirituale subsidium implorare debemus, ne in mente gravius vulneremur, sed statim curemur seu reparemur.

Ps. CI, 4-6. *Eccli.* VI, 7. 8. *Ibid.* VII, 39. *Prov.* XVII, 17. *Ps.* CXVII, 18.

Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? Hoc, juxta expositionem præhabitam, duris incompassivisque dicitur : de quibus in Proverbiorum libro fertur, Viscera impiorum crudelia. Tales autem, iniqui sunt vitiosique valde. Unde in Proverbiis legitur : Qui despicit amicum suum, indigens corde est. Benefacit animæ suæ vir misericors; qui autem crudelis est, et propinquos abjicit. Tales attendant et paveant illud Jacobi : Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam. *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei?* etc. Qui ex gratia sibi collata profert sententiosa atque utilia, merito ex caritate cupit ea ad aliorum profectum commendari memoriæ et scripturæ, præsertim quum in Ecclesiastico scriptum sit : Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

Prov. XII, 10. *Ibid.* XI, 12, 17. *Jacob.* II, 13. *Eccli.* XX, 32.

Scio enim quod Redemptor meus vivit : quemadmodum ad Romanos dicit Apostolus, Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur : qui secundum divinitatem æternaliter et incommutabiliter est vivens et vita. Hunc Redemptorem tanto amplius diligere debemus, quo in se ipso est melior, et quo a pœna majori nos liberavit, ad majora quoque bona perduxit; quo item hoc amorosius, pretiosius ac laboriosius fecit. Quum igitur ab æterna nos damnatione, pœna et morte redemerit, gratiam et gloriam nobis meruerit, et proprii sanguinis effusione cum amarissima passione hoc egerit, constat quod eum toto corde in omnibus et super omnia semper amare, timere, honorare incomparabiliter obligemur : quæ nisi fecerimus, ingratissimi atque vilissimi canes probabimur. *Et in novissimo die de terra surrecturus sum,* etc. Verba hæc satis exposita sunt. Omnes quoque in die judicii videbunt Christum Deum et judicem in forma humana. Beati vero ejus tunc divinitatem etiam intue-

Rom. VI, 9.

Digitized by Google

buntur. Præterea verba hæc vigilantissime A ponderare ac penetrare debemus, felicemque resurrectionem cordialissime desiderare, et pro ea efficaciter laborare : sed et metuendissimum Dei judicium tota mente vereri ; et quæ tunc futura sunt, tanquam præsentia oculis fidei quotidie intueri.

De animabus in purgatorio detentis.

Postremo tangendum, quomodo lectio ista conveniat animæ in purgatorio constitutæ. Talis siquidem anima si languore gravi et longo separata fuit a corpore, dicere potest de corpore quod habebat : *Pelli meæ,* etc. Quod ait ad provocandam Dei B clementiam, dum propriam commemorat calamitatem. Insuper anima talis gravissime dolens, nec tamen juvare se valens, amicorum precatur suffragia. *Miseremini mei, miseremini mei.* Repetitio verbi, indicium est intensi affectus, gravissimique doloris. *Saltem vos, amici mei,* videlicet propinqui, familiares, amatores, et quibus aliquando benefeci, aut bona quæ habui possidetis atque consumitis. Unde specialis vobis ratio miserendi est mihi, caritate et justitia exigentibus istud. Itaque, mise- C remini mei, pro me orando, eleemosynas tribuendo, jejunando, celebrando, aut cetera virtutum opera pro me satisfactoria exercendo. Sed, heu ! in hoc multi viventium negligentes sunt vehementer, dum nec filii parentibus, nec beneficiati benefactoribus, nec propinqui cognatis, nec amici amicis, nec in fiducia habiti commendatis, defunctis (ut dignum est) præfatis modis jam miserentur : imo parum attendunt, in quantis illi sint pœnis ; quam affectuose sibi postulent subveniri ; quan- D tum etiam teneantur illis succurrere. Noverint hi quia sic fiet sibi, quomodo faciunt aliis. *Quia manus Domini tetigit me,* id est pœnis istis affligit. Luc. vi, 38.

Quare persequimini me sicut Deus? Hoc anima dicit adversus eos, qui occasio sunt quod pœna sua in purgatorii loco augetur, qui scilicet animæ culpas sequuntur, aut mala ejus incaute commemorant : quod, secundum Gregorium, vicissim vergit in pœnarum animæ incrementum. *Et carnibus meis,* id est carnalibus opibus seu operibus, *saturamini,* utendo meis, nec tamen digne mihi subvenientes. In quo et sacerdotes et canonici religiosique ceteri inveniuntur maxime ac damnabiliter defectuosi, non orando ac satisfaciendo pro his, quorum eleemosynis utuntur aut sustentantur, sicut caritas æquitasque requirunt. Contra quos S. Bernardus terribiliter scribit, quia sacrilegi sunt, bonis Ecclesiæ abutendo, et de eleemosynis pauperum delicate se nutriendo, pretiose, curiose atque superbe vestiendo, ac sceleratissime superbiendo. Itaque pro benefactoribus nostris vivis ac mortuis jugiter efficaciterque oremus, grati simus ; et ita vivamus, ut pro nobis ipsis ac aliis idonei deprecatores inveniamur.

Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei, etc. Verba equidem animæ talis, tam dolorosa sunt, ipsaque anima taliter angustiatur, quod verba sua cupit scribi, et auxiliari valentibus intimari, ut et ceteri hæc scientes, pœnas has caveant, ac pro ipsa exorent. *Scio enim quod Redemptor meus vivit,* id est, ideo cupio mihi subveniri, quoniam scio me redimendam, certissime præstolans resurrectionem beatam, sciensque Christum salvatorem meum in cœlis regnantem ; *et in novissimo die de terra surrecturus sum* ego spiritus rationalis, quando corpus intrabo, informabo, vivificabo ac erigam ; sicque cum illo de terra ad judicii locum consurgam : sicut per Joelem Deus prædixit, Consurgant et ascen- Joel iii, 12. dant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.

Ceterorum verborum lectionis hujus expositio non variatur, sed ex præcedenti patet articulo. Quod vero in fine capituli legitur, *Quare ergo nunc dicitis, Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum ?* potest esse verbum Christi contra Judæos, qui se ad ejus persecutionem mutuo hortabantur, multipliciterque inter se contulerunt, qualem adversus eum accusationem proponerent. Potest demum esse verbum cujuslibet justi contra impios persecutores. Cetera patent.

Digitized by Google

ARTICULUS XLV

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI : RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT.

R*ESPONDENS autem Sophar Naamathites, dixit : Idcirco,* propter ea quæ dixisti, o Job, *cogitationes meæ variæ succedunt sibi,* id est, diversa considero, nunc pensando rationes pro tuæ positionis defensione valentes, nunc eas quæ ad contrarium videntur conferre, et meam positionem firmare ; *et mens in diversa rapitur,* id est, intellectus meus in diversa perpendenda ac discutienda defigitur : ut moris est disputantibus, quando nutare incipiunt et dubitare quid verius sit. *Doctrinam qua me arguis,* id est, reprehendis tanquam male sentientem de providentia Dei, dum dico hominem non flagellari a Deo nisi pro suis peccatis, *audiam,* non mox eam cum aspernatione abjiciendo, sed quid veri in ea sit, diligentius investigando ; *et spiritus intelligentiæ meæ,* id est spiritus per quem intelligo, scilicet anima ut intellectiva, *respondebit mihi,* id est, intus mihi ostendet, ac indicabit in consistorio mentis meæ quod verum est : quia per intellectus investigationem veritas invenitur.

Hoc scio, quod subdo, videlicet *quod a principio* temporis *ex quo positus est homo super terram,* id est ab exordio constitutionis generis humani, *laus impiorum brevis sit,* id est, celebris fama eorum cito pertransit, et paulo post diffamantur, quum non vera, sed apparens bonitas virtutis in eis sit, cujus falsitas cito consideratur atque patescit ; *et gaudium hypocritæ ad instar puncti,* id est, nullius est reputationis sive durationis, præsertim respectu veri spiritualisque gaudii, et quoad futuri sæculi æternitatem : non enim vero ac stabili innititur fundamento, sed caduco, va-
A no atque fallaci. Unde in Proverbiis scriptum est : Iter impiorum decipiet eos. In Isaia quoque dicitur impio : Veniet super te malum atque calamitas, et nescies ortum eorum ; veniet super te miseria repente. Prov. XII, 26. Is. XLVII, 11.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, id est, quantumlibet in vita hac prosperetur ac elevetur, etiamsi cœlestibus ac divinis se reputet parem, ut hi qui in vita ista se adorari fecerunt ; *et caput ejus nubes tetigerit,* id est, ambitiosa mens ejus
B præ aliis sublimiter valde se erigat, Sanctisque, qui nubes vocantur, se præsumptuose æqualem existimet ; *quasi sterquilinium in fine perdetur,* id est, in morte subito deprimetur, atque ut vilissimum cadaver a Deo spernetur, æternaliterque damnabitur. Sic et Psalmista decantat : Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat ; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. Ps. XXXVI, 35, 36. Hinc primo Machabæorum libro inducitur : Gloria peccatoris, stercus et vermis. 1 Mach. II, 62, 63.
C Hodie extollitur, et cras non invenitur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. In visione quoque Abdiæ Dominus comminatur superbo : Abd. 4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *Et qui eum viderant* in prosperitate, sublimitate et gloria, *dicent,* cognita repentina ejus dejectione : *Ubi est?* quasi dicant mirando : O quam cito defecit et periit ipse cum omni apparentia sua !

Velut somnium avolans, id est a mente
D per oblivionem cito recedens, *non invenietur* in pristina vita et gloria ; *transiet sicut visio nocturna,* quæ momentanea esse

Digitized by Google

solet : sic ipse de vita tolletur et disperibit, quasi hic nunquam fuisset. Sic et in Ps. LXXII, 18-20. Psalmis cantatur : Dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Unde in libro Sap. V, 8, 9. Sapientiæ vitiosi fatentur : Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens. *Oculus qui eum viderat* in temporali prosperitate et pompa, *non videbit* eum amplius in hac vita, quia post mortem non reditur ad statum sæculi hujus ; *neque ultra intuebitur eum locus ejus,* id est, in pristino loco non conspicietur. Locus autem dicitur intueri materialiter, in quantum præbet id quod continet ad viPs. CXLVIII, 3, 4, 7-9. dendum, sicut inanimata dicuntur Creatorem suum laudare. Hinc ait Propheta : Ps. CII, 16. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet ; et non cognoscet amplius locum suum.

Filii ejus atterentur egestate, id est, opibus sui patris privabuntur, et inopia affligentur. Quod non semper corporaliter agitur : ideo spiritualiter verius adimpletur, quod hi qui ejus sectantur hypocrisim, et spiritualis refectionis carentia mente arescunt, et veris virtutum privantur diviPs. XXXIII, 11. tiis. De qua inopia ait Psalmista : Divites eguerunt et esurierunt. *Et manus,* id est operationes, *illius reddent illi dolorem suum,* id est pœnam quam meruit, quoniam propter opera sua iniqua damnatur, Is. III, 11. juxta quod in Isaia scriptum est : Væ impio in malum ; retributio enim manuum ejus fiet ei.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, id est, etiam quum senuerit, propter peccata in adolescentia habita, in carne et ossibus affligetur. In quo videtur pungere sanctum Job, quod propter peccata diu præterita taliter puniatur usque ad intima. Vel sic : Ossa ejus, id est interiora et animæ fortiores potentiæ, imple- A buntur vitiis adolescentiæ ejus : quia perseverabit in solitis culpis, quemadmodum in Proverbiis habetur : Adolescens juxta Prov. XXII, 6. viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Unde Daniel dicit tali : Inveterate dierum malorum, nunc advenerunt Dan. XIII, 52. peccata tua. In Ezechiele quoque de impiis legitur : Iniquitates eorum in ossibus eo- Ezech. XXXII, 27. rum. Quidam, per ossa hypocritæ, intelligunt ministros ac roboratores ejus in malo : qui vitiis ejus implentur ea sequendo, secundum quod Ecclesiasticus ait : Secundum Eccli. X, 2. B judicem populi, sic et ministri ejus.

Et cum eo in pulvere dormient, id est, in terra quiescent, deinde post resurrectionem communem in inferno pariter punientur. Cujus causam adjicit : *Quum enim dulce fuerit in ore ejus malum,* id est, iniquitas sua ei suavis ac placita fuerit, et de ea delectabiliter loqui inceperit, quales sunt illi præsertim, qui peccant ex habitu vitioso, seu deliberatione et certa malitia, non ex ignorantia, infirmitate, solave passione. De quibus in Proverbiis asseritur : C Lætantur quum malefecerint, et exsultant Prov. II, 14. in rebus pessimis ; atque in Psalmo : Pro- Ps. LXXII, 7. diit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quum enim habitus sit velut altera natura, secundum philosophos, sicut delectabile est operari secundum naturalem inclinationem, ita delectat operantem operari secundum habitum quo impletur. Ideo in Proverbiis dictum est : Gaudium justo facere Prov. XXI, 15. justitiam. Et alibi legitur : Stultitia gaudium Ibid. XV, 21. stulto. *Abscondet illud sub lingua sua,* id est, impietatem suam occultat, excusat D et palliat. Quocontra orat vir sanctus : Non Ps. CXL, 4. declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et in Proverbiis ait Scriptura : Qui abscondit Prov. XXVIII, 13. scelera sua, non dirigetur. Vel, Abscondit illud sub lingua sua, id est, in vitio perseverat : quemadmodum comedens dulce quid, tenet illud sub lingua, ut diutius delectetur ejus sapore.

Parcet illi, id est, peccatum suum pœnitendo non corrigit, neque ulciscitur, *et non relinquet illud,* cessando a culpa, *et ce-*

Digitized by Google

labit in gutture suo, id est, aperte non confitebitur. Quocontra scriptum est : Fili mi, da gloriam Domino Deo, et confitere atque indica quid feceris; ne abscondas. Et Jacobus ait : Confitemini alterutrum peccata vestra. Itaque, tempore sanitatis, amore justitiæ et odio culpæ confiteamur, juxta illud Ecclesiastici : Ante mortem confitere ; a mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens et sanus. Denique in his Sophar tangit beatum Job, quod ita deliciosum fuerit sibi peccare, quod nolit sua vitia confiteri, sed ea excuset ac neget, seque justificet. Verum istud est mollium, nil triste et durum in pœnitentia pati volentium.

Josue VII, 19. — *Jacob.* V, 16. — *Eccli.* XVII, 26, 27.

Panis ejus in utero illius, vertetur in fel aspidum intrinsecus : id est, refectio, qua se laute et de illicitis maleve acquisitis pavit, erit ei causa amarissimæ pœnæ ac damnationis; vel in humores venenosos atque mortiferos, justo Dei judicio, cibus suus sibi in suo utero convertetur, juxta illud Proverbiorum : Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo. *Divitias quas devoravit,* id est, injuste rapuit et consumpsit, *evomet,* id est, turpiter perdet, vel intempestive ac dolorose amittet ; *et de ventre illius extrahet eas Deus,* id est, districte ab eo requiret, torquendoque exiget quidquid impie habuit, egit, expendit.

Prov. XX, 17.

Caput aspidum surget, id est, impium atque hypocritam invadet ut mordeat, intelligendo per caput aspidum, principem sævum sive diabolum. Sic S. Thomas exponit. Quæ expositio cuidam inepta videtur, asserenti quod in Hebræo ac libris correctis habeatur, Suget. Verumtamen B. Gregorius diligentissimus libri hujus inspector, secundum utramque translationem, videlicet Septuaginta interpretum atque Hieronymi, legit et exponit, Surget, non, Suget. Hinc verius reor sic in Hebræo haberi, sicut Hieronymus transtulit, qui ubique asserit se Hebraicam veritatem secutum, nec quidquam de ea mutasse. Insuper arbitror quod verbum Hebraicum sit forte æquivocum ad Suget, et Surget. Attamen aliqui libri continent, Suget. Nam et Albertus ita exponit, dicendo : Aspis, serpens est incantatorem non audiens, pernecabile habens venenum, id est valde infectivum (quia mordendo interficit, juxta Thomam), designatque dæmones præsidentes obstinatis, doctores et prædicatores non audientibus : cujus aspidis caput sugit, qui cum delectatione suggestiones ejus acceptat. Quod sub aliqua metaphora Isaias sic dicit : Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum, morietur ; et quod confotum est, erumpet in regulum. Itaque expositio Thomæ conveniens est. *Et occidet eum lingua viperæ.* Vipera genus serpentis est, lingua sua diffundentis venena : per quam detractor seu accusator vel dæmon impietatis persuasor exprimitur. A quo detractore, accusatore seu dæmone, hypocrita et iniquus corporaliter spiritualiterve necatur. *Non videat* per experimentum, id est non sortiatur, *rivulos fluminis torrentis,* id est abundantiam temporalis prosperitatis aut opulentiæ accurrentis ut flumen; vel adhærentis et stantis ut torrens *mellis et butyri,* id est, abundantiam dulcium ac delectabilium rerum non habeat.

Is. LIX, 5.

Luet quæ fecit omnia, id est, pro universis et singulis suis vitiis punietur : quemadmodum in Ezechiele Dominus ait, Unumquemque juxta vias suas judicabo. Deus enim nullum malum deserit impunitum, sicut nec aliquid in toto inordinatum relinquit : quod enim inordinatum est per culpam, ordinat ipse per pœnam. *Nec tamen consumetur,* id est, esse non desinet. Anima enim permanet immortalis, corpora quoque damnatorum resuscitata, non consumentur ab igne inferni. Mors quippe illius miseriæ, quæ in Apocalypsi dicitur mors secunda, non tollit esse et vitam naturæ, nec destruit corpora, sed æternaliter inest ac punit : nec ibi verificatur illud Philosophi, Nullum violentum perpetuum ; sed (quod in Apocalypsi legitur) cruciabitur iniquus igne et sulfure, et fumus tormen-

Ezech. XVIII, 30. — *Apoc.* XX, 14; XXI, 8. — Error Aristotelis. — *Apoc.* XIV, 10, 11.

torum ejus ascendet in sæcula sæculorum. *Juxta multitudinem adinventionum suarum*, id est excogitatarum malitiarum recentiumque culparum, *sic et sustinebit* tormenta inferni : quia pœna correspondet culpæ. Quo enim gravius et multiplicius quis peccavit, eo pœnalius affligetur, secundum
Apoc. XVIII, 7. illud Apocalypsis : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tor-
Sap. VI, 9. mentum et luctum. Et Sapiens : Fortioribus fortior instat cruciatus.

Quoniam confringens, id est, violenter frangens, *nudavit pauperis domum*, ino- B pem spoliando ; *rapuit* quæ in pauperis domo invenit, *et non ædificavit eam*, id est, ablata non restituit, nec destructa reparavit. Talibus Dominus loquitur per
Is. III, 14, 15. Isaiam : Rapina pauperis in domo vestra est. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ? *Nec est satiatus venter ejus*, id est pauperis, quoniam rebus suis sibi ablatis, sufficientiam non habebat. Vel, Non est satiatus venter ejus, id est, cor præfati iniqui opibus non est impletum, sed plura appetiit : juxta illud C
Prov. XIII, 25. Proverbiorum, Venter impiorum insatiabi-
Eccle. V, 9. lis. Et Ecclesiastes ait : Avarus non impletur pecunia. *Et quum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit* ea diu : quia vel morte prævenietur, sicut diviti cuidam
Luc. XII, 20. dicitur : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te ; quæ autem parasti, cujus erunt ? Vel illa ab eo tollentur, ut Salomon
Eccle. V, 9. ait : Qui amat divitias, fructum non capiet
Ibid. 12, 13. ex eis. Rursusque : Divitiæ congregatæ in malum domini sui, pereunt in afflictione pessima. D

Non remansit de cibo ejus, id est, totum in suum usum convertit, nihil pauperibus
Ezech. XVI, 49. tribuit, prout in Ezechiele fertur : Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, otium, et quia manum egeno et pauperi non porrigebat. Cujus congrua pœna subjungitur : *propterea nihil remanebit de bonis ejus*, id est, omnia sua ei tollentur, saltem in morte, juxta id
Ps. LXXV, 6. Psalmi : Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in

A manibus suis. *Quum satiatus fuerit*, id est ditatus, *arctabitur* sollicitudine. Denique satiatus, nimia ventris repletione arctatur intra uteri sui pellem, quæ ultra extendi non valet : sicque torsiones et dolores patitur ventris. *Æstuabit* anxietate perdendi quæ habet. Divitiæ enim cum timore possidentur. *Et omnis dolor*, id est perfecta seu multiplex pœna, *irruet super eum*, partim in sæculo isto, deinde in futuro. Ex immoderantia etenim potus et cibi, varii dolores oriuntur in corpore. Hinc scri-
B ptum est in Ecclesiastico : Quam sufficiens Eccli. XXXI, 22, 23.
homini erudito vinum exiguum ! et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem. Vigilia, et cholera, et tortura homini infrunito, id est intemperato.

Deinde Sophar quasi zelo justitiæ addit : *Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui*, id est, ad hoc temporaliter sic abundet, ut Deus districto eum condemnet judicio : sicut de impiis
ait per Sophoniam, Effundam super eos Soph. III, 8.
indignationem meam et omnem iram fu-
C roris mei ; *et pluat super illum bellum suum*, id est, desuper copiose ingerat ei pœnam totaliter exterminantem ac superantem, non paternaliter castigantem : se-
cundum illud in Psalmo, Pluit super pec- Ps. X, 7.
catores laqueos.

Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum, id est, minora vitabit adversa, videlicet flagella, labores et pœnas vitæ præsentis, incidetque supplicium infernale, quod omnium adversorum est maximum : quia enim in sæculo isto non vult pro
D peccatis suis dolere, satisfacere et puniri, meretur æternaliter cruciari. Itaque juxta
Albertum, per ferrum, quod cetera domat Dan. II, 40.
metalla, ut dicitur in Daniele, exprimitur præsens pœna, qua Deus quasi armatur ad domandos corrigendosque impios, prout
in Sapientiæ libro fertur : Accipiet arma- Sap. V, 18.
turam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Hanc pœnam injusti, pœnitentiam vitantes, refugiunt, di-
cente Psalmista : In labore hominum non Ps. LXXII, 5.
sunt, et cum hominibus non flagellabun-

Digitized by Google

tur. Porro arcum nominat æreum, prout A æs dicit commixtionem cupri vel stanni cum plumbo : quia æs, quia imputribile est, æternam pœnam significat. Dicitque arcum, quoniam profunde ac de longe ferit. Qui arcus æreus *eductus* manu sagittantis, *et egrediens de vagina sua,* id est corio quo sagittarii ferunt arcum, *et fulgurans in amaritudine sua,* id est pœna quam imprimit. Per arcum istum, ut patuit, intelligitur infernalis cruciatus, cujus velut vagina est occultum Dei judicium, seu præscientia ejus, quæ tempore præstituto pœnam hanc B in aperto infligit cum fulguratione, id est terrore, impetu et splendore justitiæ, sicut fulgur ruit de cœlo repente ac violenter et clare.

Vadent et venient super eum horribiles, id est, dæmones eum ad libitum conculcabunt, et liberam super eum potestatem habebunt, ad puniendum secundum quod meruit. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus :* id est, interiores et exteriores tenebræ inveniuntur in secretis inferni latibulis, quo ipse deveniet ; in secre- C tisque conscientiæ suæ seu intellectus ac voluntatis, latent omnium tenebræ vitiorum. Hinc dicitur : Projicite eum in tenebras exteriores. (*Matth.* xxv, 30.) De interioribus quoque tenebris ait Psalmista : Nescierunt, neque intellexerunt ; in tenebris ambulant. (*Ps.* LXXXI, 5.) Unde superius de inferno inductum est : Antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. (*Job* x, 21.)

Devorabit eum ignis qui non succenditur, scilicet ignis infernalis, qui ab homine non nutritur nova materia, neque succen- D ditur ; sed semel a Deo succensus, manet in perpetuo in suo vigore, juxta illud Isaiæ : Præparata est ab heri Topheth, id est gehenna, a rege præparata, profunda et dilatata. Flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam. (*Is.* xxx, 33.) Dicitur autem ignis inferni damnatos devorare, non auferendo ab eis esse et vivere, sed omne bene esse, et absorbendo seu totaliter occupando eos suo prædoloroso impetu et vigore. Hinc fertur in Psalmo : Pones eos ut clibanum (*Ps.* xx, 10.) ignis in tempore vultus tui ; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. Itemque : Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos ; in miseriis non subsistent. (*Ps.* CXXXIX, 11.) Hinc Christus se dicturum prænuntiat : Ite, maledicti, in ignem æternum. (*Matth.* xxv, 41.) *Affligetur relictus in tabernaculo suo,* id est infernali ergastulo, unde nunquam eruetur seu redimetur. Insuper, post diem judicii punietur, relictus in tabernaculo, id est corpore proprio, sibi tunc uniendo, ut puniatur pariter in utroque, scilicet anima et corpore, sicut per utrumque et in utroque peccavit, et impie delectatus est.

Revelabunt cœli iniquitatem ejus, id est, cives cœlestes seu angeli sancti contra eum in die judicii testimonium proferent, et divina virtute peccata ejus omnibus innotescent ; *et terra adversus eum consurget,* id est, homines virtuosi qui in terra mox ante judicium erunt, morientur, ac suscitabuntur, contra eum zelo justitiæ movebuntur. Vel, Terra, id est elementum terræ, adversus eum consurget, id est, divinæ ultionis instrumentum ac adjutorium erit in impio, ipsumque damnabilem demonstrabit, eo quod Creatorem suum offenderit. Unde sapiens quidam asserit : Pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos. (*Sap.* v, 21.) Quod in eodem libro quasi exponitur, quum dicitur : Creatura enim tibi Creatori deserviens, excandescet in tormentum adversus injustos. (*Ibid.* xvi, 24.) Hinc fertur in Psalmo : Deus manifeste veniet. Ignis in conspectu ejus exardescet ; et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum. (*Ps.* XLIX, 3, 4.) Insuper, in die judicii terra consurget adversus injustum, quia unus iniquus ac reprobus alium tunc damnabit comparative : quia videlicet peccatum unius, comparatione alterius, gravius apparebit ; damnatio quoque unius, comparatione alterius, justior ostendetur. Hinc Christus in Evangelio, Regina, inquit, Austri surget in judicio cum generatione ista, utpote Judæorum, et damnabit eam. (*Matth.* XII, 42, 41 ; *Luc.* XI, 31, 32.) Idemque ait de Ninivitis.

Digitized by Google

Apertum erit germen domus illius : id est, operatio vitiosa, quæ nunc in domo conscientiæ suæ celatur, tunc erit omnibus manifesta ; germen quoque domus suæ, id est proles et familia sua, ipsius sequens peccata, erit tunc aperta, quantum ad vitia in quibus interim latet. Hinc ait Apostolus (I Cor. iv, 5.) : Veniet Dominus, et revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Christus etiam protestatur (Luc. viii, 17.) : Non est occultum quod non reveletur. Unde, ut hanc confusionem non incurramus, Ecclesiasticus nobis dicit (Eccli. vii, 3.) : Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. *Detrahetur* germen præfatum *in die furoris Domini,* id est in die metuendæ ultionis Dei ac sui judicii, in infernum. Opera enim illorum sequuntur illos (Apoc. xiv, 13.). Juxta quem modum Petrus de apostatis angelis scribit (II Petr. ii, 4.) : Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in judicium cruciandos reservari. Sic in Apocalypsi de reprobo scriptum est (Apoc. xiv, 10.) : Hic bibet de vino iræ furoris Dei omnipotentis.

Postremo epilogans, subdit : *Hæc damnatio est pars hominis impii a Deo,* id est merces et res quam suis peccatis meruit sibi a Deo retribui, *et hereditas verborum ejus,* id est infelix pœnæ æternæ possessio, quam et excessu verborum suorum promeruit *a Domino* sibi infligi, quemadmodum in Apocalypsi de reprobis legitur (Ibid. xxi, 8.) : Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure : quod est mors secunda. Quum enim in hac vita prætulerit caduca, vana A et fœtida superdignissimo Creatori, nec eum præ cunctis elegit atque dilexit, ut dicere posset, Dominus pars hereditatis meæ (Ps. xv, 5.) ; justissimum est, ut hanc infelicissimam partem pro præmio sortiatur, nec delectetur in Deo altissimo, sed torqueatur a rebus vilissimis in infimo loco.

Omnia hæc Sophar de hypocrita ita induxit, ut per ea beatum Job notaret. Quem enim vidit a Deo percussum, non credidit bona quæ egit, corde simplici operatum. Præterea constat ex his, quam evidentis- B sime Sophar posuit vitam post hanc vitam, et animam immortalem, divinum judicium et infernum. Similiter de aliis duobus amicis Job est sentiendum. Sed et Thomas hoc loco fatetur sic esse, dicens quod Sophar, audita sententia sancti Job de futura resurrectione, acquievit : idcirco dixit, Doctrinam qua me arguis, audiam. Sed hoc verisimile non videtur. Si enim acquievisset jam primo de animæ immortalitate, hoc fuisset, quod rationes Job eum compulissent ad consentiendum. Sed nondum C per argumenta Job inductus fuit ad credendum quod homo in hoc sæculo affligatur a Deo, nisi pro suo peccato. Propter quod toto capitulo isto locutus est contra hypocritam, ad innuendum quod Job fuit hypocrita. Insuper, dato quod jam acquievisset beato Job de vita futura, non tamen (ut apparet) tot et tanta prosecutus esset de ea in isto capitulo : in quo multa quasi ex proprio sensu disseruit de retributione futura, judicioque divino, quæ ante in hac disputatione a sancto Job non audivit.

ARTICULUS XLVI

DE INTELLIGENTIA MORALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI.

CIRCA exordium expositionis præsentis capituli, dicit B. Gregorius, quod amici Job perversi non erant. Ex quo elicitur quod peccatum eorum, quod contra Job D disputando incurrerunt, non ex malitia prodiit, sed ex ignorantia magis et quodam errore circa providentiam Dei, ut sæpius tactum est. Imo, ex zelo Dei se motos

Digitized by Google

putabant ad contradicendum beato Job, quia videbatur eis providentiæ derogare divinæ : et plane ex zelo quodam Dei incitabantur, sed ex zelo non ordinato, quem et Judæos habuisse incredulos testatur Apostolus, (*Rom.* x, 2.) Testimonium, inquiens, perhibeo illis quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, id est discretionem.

(*Job* xix, 25-27.) Itaque, quoniam in fine præcedentis capituli Job de resurrectione et judicio futuris in die novissimo apertissime prophetavit, *Respondens Sophar, dixit : Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi :* id est, quoniam credo me sicut et te resurrecturum, atque divinitus judicandum, ob id diversis considerationibus angor, et ex corde sollicitor propriam sciens fragilitatem, culpabilitatem et insufficientiam, divinæque mentis sanctitatem, perfectionem et æquitatem, ac judiciorum ejus præhorrendum rigorem, reproborum etiam calamitatem æternam. *Et mens in diversa rapitur,* considerando diversa, et præmeditando qualiter respondeat coram Deo, ne a dæmonibus convincatur, ne ab angelis confundatur, ne perdat æternalia cœlestis gaudia paradisi, ne deputetur sempiternis tormentis inferni. Sic ergo et nos in corde nostro describamus ac imaginemur ordinem, terrorem et modum extremi judicii : quomodo universi resurgent, et ad judicii locum convenient ; quomodo terra tota tunc stabit in horribili conflagratione ignis permaximi. Desuper apparebit omnipotens, justus, infallibilis Judex, cum (*Luc.* ix, 26; *Judæ* 14.) innumerabilibus angelorum Sanctorumque millibus ; aderunt et crudelissimi dæmones adversantes. Deorsum patens chaos gehennæ ; inæstimabilis numerus damnandæ, tristissimæ, reprobæ turbæ ; quod erit damnationis æternæ præstolari sententiam. Si hæc omnia et cetera judicium illud concernentia perpendamus, experiemur quid sit quod Sophar fatetur, dicendo : Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

Doctrinam qua me arguis, audiam. Ita et nos verba informatoria seu increpatoria (A) modeste et longanimiter audiamus, non impetuose interrumpamus tanquam brutales, pensantes illud Ecclesiastici : Esto (*Eccli.* v, 13.) mansuetus ad audiendum verbum Dei ; illud quoque Proverbiorum : Qui prius re- (*Prov.* xviii, 13.) spondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.

Et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi. Potest hoc de Spiritu Sancto exponi, qui dicitur spiritus intelligentiæ nostræ, id est, spiritus a quo causatur et profluit omnis cognitio nostra. De quo lo- (B) quitur Christus : Quum autem venerit ille (*Joann.* xvi, 13.) Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Unde et infra asseritur : Inspiratio (*Job* xxxii, 8.) Omnipotentis dat intelligentiam. Qui nobis respondet, id est, scientiam respondendi infundit, de dubiis quoque certificat ; qui nunc per se ipsum, nunc per angelum sanctum, nunc per prælatum seu proximum, nunc per Scripturam nobis respondet, nos docet, dicente Apostolo : Dabit tibi Domi- (II *Tim.* ii, 7.) nus de omnibus intellectum. Hinc scriptum est : Si quis vestrum indiget sapientia, po- (*Jacob.* i, 5, 6.) (C) stulet a Deo, et dabitur ei. Postulet autem in fide nil hæsitans. Itaque ad Spiritus Sancti illuminationem semper confugiamus, eum pro sapientia suppliciter exoremus, ejus directioni in omnibus jugiter atque humillime innitamur.

Laus impiorum brevis est. Nonne frequenter pravissimi usque ad finem vitæ suæ a multis laudantur ? quemadmodum fertur in Psalmo : Quoniam laudatur pec- (*Ps.* x, 3, sec. Hebr.) cator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Itemque in Proverbiis : Qui (*Prov.* xxviii, 4.) (D) derelinquunt legem, laudant impium. Denique, nonne usque in præsens Jupiter, Neptunus, Venus, Diana, ac ceteri dii ac deæ gentilium, olim homines vitiosi, laudantur a suis cultoribus Tartaris sive similibus, sicut et Mahometus a Sarracenis ? Quomodo ergo laus impiorum brevis est ? Sed utique brevis est, comparatione æternæ vituperationis, quam in futuro sæculo habent aut habebunt a Deo, atque ab universis sensatis ac justis. Præterea, brevis est, quia eis diu non prodest : imo veraciter

Digitized by Google

nunquam prodest, et cito aliquibus sapientibus illorum vituperabilitas innotescit. Laudatores quoque eorum celeriter moriuntur ac pereunt. Ideo in Proverbiis Salomon scribit : Memoria justi cum laudibus; nomen autem impiorum putrescet. (*Prov.* x, 7.)

Et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Omnis delectatio reproborum, carnalium et superborum in sæculo isto, velut imperceptibile punctum celerrimumque momentum est, respectu infernalium æternalium acerbissimorum suppliciorum, quæ miserrimi possidebunt. Ideo dici solet : B Momentaneum quod delectat in mundo, æternum quod cruciat in inferno. Non ergo acquiescamus in vita hac stulte ac viliter delectari, ne æternaliter, inconsolabiliter, amarissime cito post hæc affligamur.

Panis ejus in utero illius, vertetur in fel aspidum. Panis hypocritæ, est laus humana, qua pascitur, favor emolumentumque hominum, quod sortitur. Sed hic panis, in utero, id est mente ipsius, vertitur ei in fel aspidum, quia fit ei causa amaritudinis infernalis. *Divitias quas devoravit, evomet.* C Divitiæ spirituales sunt Scripturæ divinæ : quas hypocritæ sibi nonnunquam incorporant, non plane, ut recte et humiliter vivant, sed ut docti appareant, laudem et commodum proprium sortiantur. Has ergo divitias evomunt, id est vitiose effundunt, jactant, ostentant. *Et de ventre illius extrahet eas Deus,* id est, de memoria ejus requiret, cur secundum ea quæ scivit et dixit, non vixit. Melius enim est, non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum reverti, ut dicit Petrus. (II *Petr.* II, 21.) Et Jacobus ait : Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi. (*Jacob.* IV, 17.) D

Caput aspidum surget, et occidet eum lingua viperæ. Circa hoc scribit Gregorius : Aspis est parvus serpens ; vipera autem est longior. Aspides quoque generant ova, ex quibus eorum filii procreantur. Viperæ vero quum conceperint, filii earum in ventrem matrum desæviunt, et ruptis matrum lateribus, generantur. Hinc vipera dicitur, quia vi parit : cujus proles A cum matris exstinctione producitur. Per aspides ergo, latentes dæmonum suggestiones signantur ; per linguam viperæ, violenta tentatio significatur diaboli. Caput itaque aspidum contra hypocritam surgit, quoniam primo latenti ac parva suggestione inficitur. Deinde lingua viperæ eum occidit, quia paulo post forti et impetuosa tentatione prosternitur. Paulatim siquidem dejicit nos tentator in primis. Dejectos vero frequenter ad nutum, ad gravissima trahit facinora.

Non videat, id est, non sortiatur nec experiatur, *rivulos fluminis,* id est charismata Spiritus Sancti. De quibus Joannis septimo adstruit Christus : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : ubi mox subditur, Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. (*Joann.* VII, 38, 39.) *Torrentis,* id est inundationis donorum Spiritus Sancti. Unde in Psalmo habetur : Torrente voluptatis tuæ potabis eos. (*Ps.* XXXV, 9.) Primo quippe, donis Spiritus Sancti perfundimur. Quibus si grati bene utamur, in eisdem crescimus ac replemur, ita ut inundemus, illudque Jeremiæ humiliter fateamur : Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus vino a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus. (*Jer.* XXIII, 9.) *Mellis,* id est dulcedinis, quæ in actibus divinarum seu theologicarum consistit virtutum ; *et butyri,* id est delectationis, quæ in moralibus habetur virtutibus. Mel etenim desuper et ex floribus venit. Idcirco per ipsum suavitas virtutum, quæ circa Deum versantur, exprimitur. Butyrum autem ex animalium lacte suscipitur. Idcirco per ipsum delectatio virtutum, circa passionum ordinationem versantium, explicatur. Omnibus igitur istis divinis donis ac dulcedinibus seu consolationibus sanctis atque cœlestibus hypocrita et injustus privatur, qui in se ipso et carnalibus impie delectatur, nec Deo rite infigitur.

Quoniam confringens nudavit pauperis domum. Domus pauperis, est congregatio prælati boni ac humilis, seu corpus vel conscientia ejus : quam frangendo impius

Digitized by Google

seu hypocrita nudat, dum eam ad vitia pravo exemplo, verbis perversis, terrore seu adulatione inducit, sicut de reprobis II *Tim.* III, 13. scribit Apostolus, quia proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes. *Rapuit*, id est, spiritualibus bonis eam præfatis modis privavit; *et non ædificavit eam* bo- *Rom.* XV, 2. nis exemplis, juxta illud : Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. In Ecclesiastico quoque scriptum *Eccli.* XVII, 12. est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo, ut scilicet eum ædificet loco et tempore opportunis. *Nec est satiatus venter ejus*, id est peccandi affectus : quo enim quis gravius atque diutius peccat, ac plures scandalizat, tanto plus eum peccare delectat, nisi adspirante Spiritu Sancto pœnitentialiter convertatur. Quemadmodum enim una actio virtuosa disponit et trahit ad aliam, sic unum peccatum, nisi pœnitentia deleatur, suo mox pondere inducit ad aliud. Hoc tamen specialiter aptatur avaro, qui quanto plura acquirit, tanto amplius inflammatur ad ampliora. *Habac.* II, 6. Hinc Habacuc dicit de cupido : Usquequo aggravat contra se lutum densum? Et in *Eccli.* XXXI, 5. Ecclesiastico scriptum est : Qui diligit aurum, non justificabitur.

Æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. Impius atque hypocrita æstuat nunc infelici fervore iræ, concupiscentiæ, privati amoris, tabescentis rancoris, curis quoque vitæ præsentis, et timore ne alius eum præcedat, excedat, convincat. Sicque partim in vita hac omnis dolor irruit super eum, quoniam (Augustino testante) animus inordinatus sibi ipsi pœnalis est. Nil autem suavius, nil quietius delectabiliusque in sæculo occurrit, quam universis caducis et vanis contemptis, supergloriosissimo Deo pura mente intendere, simplici corde vacare et inhærere. Hinc dicit Gregorius : Mira suavitas cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei [victu] contentum manere : ex qua securitate perennis requies nascitur, quoniam a bona et tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. Propterea quoque in Ec-

A clesiaste habetur : Homini bono dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam; peccatori autem afflictionem, et curam superfluam. *Eccle.* II, 26.

Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. Hoc præcedenti articulo satis expositum est. Porro quod subditur, *Eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua*, ibi exponebatur de æreo arcu. Gregorius vero exponit, et bene, de impio sive hypocrita, de quo immediate sermo præcessit sub eisdem casu

B et numero. Impius ergo dum mala, mente tractat et nondum prosequitur, quasi in vagina sua persistit : de qua educitur, dum dæmone suggerente, mala forinsecus operatur ; egreditur vero, quoniam sponte consentit et efficit quod dæmon suggessit. *Fulgurans*, id est aliis terribiliter minans, aut subito vano temporali honore clarescens, *in amaritudine sua*, qua contra alios vitiose ac dure afficitur, per quam et ad infernalem acerbitatem perducitur.

Vadent et venient super eum horribiles,

C id est, diaboli in hac vita vadent super eum vitia suggerendo, postea venient super eum supplicia inferendo : imo in hoc vitæ curriculo vadunt et veniunt super eum, quia ad libitum eum in peccatis conculcant, spiritualiter vincunt, et suæ dominationi subjiciunt. Diabolus enim pater et rex impiorum vocatur. De quo loquitur Christus : Venit ad me princeps mundi *Joann.* XIV, 30.
hujus. Quid est, Mundi hujus, nisi hominum mundanorum? Quocontra de electis testatur, loquens ad Patrem : De mundo *Ibid.* XVII, 16.

D non sunt, sicut et ego non sum de mundo, id est de societate et numero sæcularium hominum, ea quæ mundi sunt, præferentium Deo. Rursus, dæmones super impium vadunt et redeunt, quia ad culpam eum inducunt : quod si ad tempus pœnitendo eos expulerit, cito ad pristina revertitur vitia ; eorumque suggestionibus acquiescens, locum dat eis. Quocontra ait apostolus Paulus : Nolite locum dare diabolo. *Ephes.* IV, 27.
Et Jacobus : Resistite, inquit, diabolo, et *Jacob.* IV, 7.
fugiet a vobis. Cetera patent.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI PRIMI : RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

R*ESPONDENS autem Job, dixit.* Sapientis est ad proposita respondere, errantes ac ignorantes instruere, veritatem defendere, arroganter contradicentes ratione compescere. Ita Job agit. *Audite, quæso, sermones meos.* In eo quod ait, Quæso, humilitatem ostendit. *Et agetis pœnitentiam* de vestro errore circa providentiam Dei, et quia tam injuriose mihi locuti estis. *Sustinete me, ut et ego loquar,* id est, me patienter audite; *et post mea, si videbitur, verba ridete,* id est, si digna fuerint verba mea derisu, zelo veritatis ea contemnite : sicut in libro de Trinitate asserit Augustinus, ridendam esse argumentationem Eunomii. Et in Isaia habetur : Opera eorum inutilia et risu digna. Sic et Deus in Proverbiis loquitur impiis : Ego in interitu vestro ridebo. Simon quoque et Judas apostoli deriserunt verba deorum, vel potius dæmoniorum per idola loquentium.

Is. LIX, 6; *Jer.* LI, 18. *Prov.* I, 26.

Numquid contra hominem disputatio mea est? quasi dicat : Disputatio mea non est principaliter de aliquo facto mihi ab homine illato; nec conqueror me ab hominibus absque demeritis meis percussum, sed a Deo : ita quod disputatio mea principaliter versatur circa hoc, quomodo salva justitia Dei, ego vir justus et innocens tam dire percussus sim. Hinc subditur : *ut merito non debeam contristari,* id est, quoniam disputatio mea est non de adversitate mihi ab homine, sed a Deo illata, ideo merito tristor : quoniam causam percussionis meæ nondum plene intelligo, timereque habeo ne forte qui tam pœnose plagatus sum, Deo aliquo modo displiceam. Porro, si ab homine tantum esset mea afflictio, tristitia esset pellenda : quia nec timere habeo ne hominibus displi-

A ceam, nisi in quantum hoc esset contra Deum atque justitiam, quoniam scriptum est : Qui timet hominem, cito corruet : et : Qui timet Deum, nihil trepidabit. *Prov.* XXIX, 25. *Eccli.* XXXIV, 16.

Attendite me, verba mea diligentissime advertendo, et vitam meam pensando, quod item hæc patior qui taliter vixi ; *et obstupescite,* id est, vehementer admiramini, de imperscrutabili profunditate judiciorum Altissimi, de futuro quoque ejus judicio de quo loquor; *et superponite digitum ori vestro,* id est, cum silentio me audite, prout
B decet sapientem audiri. Unde in libro Sapientiæ vir sapiens sapientiam inter cetera sic commendat : Audient me reges horrendi, et sermocinante me plura, digitum ori superponent. *Et ego quando recordatus fuero* divinorum judiciorum, *pertimesco* filiali timore : quia altitudinem sapientiæ atque justitiæ Dei, quam penetrare non valeo, nec plus quam decet scrutari præsumo, vereor et honoro ; *et concutit carnem meam tremor,* id est, tantus est animæ meæ timor, quod redundat
C vehementer in corpus : juxta illud Psalmi, Timor et tremor venerunt super me. Sic et Habacuc ait : Domine, audivi auditum tuum, et timui ; consideravi opera tua, et expavi. Sic habet translatio Septuaginta interpretum. Hoc affectu dixit Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus ! etc. *Sap.* VIII, 15, 12. *Ps.* LIV, 6. *Habac.* III, 2. *Rom.* XI, 33.

Præterea, jam in isto capitulo sanctus Job contra amicos suos evidentius et efficacius disputat, quam fecit hucusque, et
D errorem eorum clarissime reprobat. Concorditer enim dicebant, virtuosis hominibus in vita hac prospera evenire, et vitiosis adversa ; quod item adversitates non

Digitized by Google

nisi pro peccatis infligerentur a Deo. Contra quod ait beatus Job : *Quare ergo impii vivunt* vita naturæ, quum morte sint digni? Idcirco, si divinà justitia non permittit prospera inesse indignis, injusti mox morerentur. Constat itaque quod Deus longanimiter tolerat malos. *Sublevati sunt* dignitatibus, honore, fama et gloria; *confortatique divitiis,* ita quod diu et frequenter usque decrepitam senectutem manent in prosperitatibus istis : cujus contrarium sequebatur ex verbis amicorum Job. *Semen eorum permanet coram eis,* id est, in eorum conspectu diu subsistunt ac vivunt nati filiæque ipsorum, juxta illud Psalmi-
Ps. CXLIII, 12. stæ : Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.
Jer. XII, 1, 2. Hinc Jeremias scribit : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos, Domine, et radicem miserunt; proficiunt, et faciunt fructum. *Propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum,* id est, consanguineorum multitudine gaudent.

Domus eorum securæ sunt et pacatæ, id est, familiæ, habitacula, opes eorum a nemine impugnantur aut destruuntur, sed et pace temporali fruuntur. Ex quibus ostenditur, quod præsentis vitæ adversa non solis injustis eveniant : imo frequenter justis contingunt, juxta illud Ecclesiastæ,
Eccle. VIII, 14. Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. *Et non est virga,* id est correctio, *Dei super illos :* quia in vita hac pro suis peccatis divinitus non puniuntur; nec adversitatibus exercentur quidam eorum,
Ps. LXXX, 13. de quibus Deus in Psalmo testatur : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis. Unde per Ezechielem ad reprobum populum loqui-
Ezech. XVI, 42. tur : Zelus meus recessit a te; non irascar
Ps. XXII, 4. tibi amplius. Quocontra ait electus : Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Hinc dicit Gregorius : Virga eos supernæ disciplinæ non percutit; et tanto amplius in culpa proficiunt, quo minus pro ea feriuntur.

Bos eorum concepit. Secundum Gregorium, consuetudo vulgaris locutionis est, ut bovem, masculum; vaccam, feminam nominemus. Sed litteratura bovem communis generis vocat : hic ergo pro vacca accipitur. Boves quoque apud antiquos acceptissimæ erant propter agriculturam. *Et non abortivit,* id est, ante tempus aptum non peperit patiendo abortum. *Vacca peperit :* ejusdem equidem est concipere et parere; *et non est privata fetu suo.* Per bovem autem et vaccam, multitudo animalium horum exprimitur.

Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, id est, in multitudine copiosa procedunt ad spatiandum, sicut greges egrediuntur ad pascua; *et infantes eorum exsultant lusibus,* ut moris est puerorum, pariter ludendo lætari. *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi.* Quod intelligi potest tam de parentibus, quam de filiis, quod his musicis instrumentis pro solatio utebantur. Dicitque Thomas, quod apud antiquos liberi primo instruebantur in musicis. *Ducunt in bonis dies suos :* id est, tempus suum, sibi ad bene agendum pœnitentialiterque vivendum concessum, expendunt delicate vivendo, et in bonis delectabilibus, falsis et apparentibus conversando, non bonis, honestis, veris ac salutaribus inhærendo. Unde in Sapientiæ libro dixisse scribuntur : Venite, fruamur bonis quæ sunt, et *Sap.* II, 6, 7, 9.
utamur creatura tanquam in juventute celeriter; vino pretioso et unguento nos impleamus; ubique relinquamus signa lætitiæ.

Et in puncto, id est repente hora mortis, *ad inferna descendunt,* id est ad lacum damnationis æternæ : quoniam non est possibile nunc gaudere cum mundo, et post regnare cum Deo. Hinc fertur in Psalmo : Convertantur peccatores in in- *Ps.* IX, 18.
fernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. Rursusque : Quomodo facti sunt in *Ps.* LXXII, 19.
desolationem? Subito defecerunt, perie-

runt propter iniquitates suas. Isaias quo- *Is.* xxiv, 22. que : Congregabuntur, inquit, congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere. Ecce quam vana, fallax, falsa, brevis et impia est mundi prosperitas ac voluptas ! ad quantum ducit mœrorem, ad quem æternum dolorem ! Hanc ergo cordialiter aspernemur, pœnitentialiter conversemur, ne delectatione brevissima, nunquam finienda incidamus tormenta ; sed perbrevi dolore, virtuoso labore, puro amore gaudia sortiamur non terminanda.

Qui dixerunt Deo, si non verbis, tamen proposito mentis, aut factis et reprobis moribus : *Recede a nobis,* id est, ad relinquendum peccata et nobis placentia non nos horteris ; *scientiam viarum tuarum,* id est præceptorum, consiliorum, testimoniorum, judiciorum, *nolumus.* Quod pertinet ad ignorantiam affectatam, quæ non excusat, sed contemptum includit. Tales sunt omnes, qui a viris devotis nolunt reprehendi et instrui ; qui non acquiescunt divino instinctui, angelicæ inspirationi, fraternæ admonitioni. De quibus in Isaia *Ibid.* xxx, 9-11. aptissime scribitur : Populus ad iracundiam provocans est ; filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores ; auferte a me viam, declinate a me semitam ; cesset a facie nostra Sanctus Israel. De talibus ad Timotheum inducitur: *II Tim.* iv, 3, 4. Erit tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Præterea, teste Gregorio, quidam, eo quod Christus *Luc.* xii, 48, 47. dicit, Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit paucis ; sciens autem voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis : nolunt scire quid agant, quasi propter ignorantiam minus torquendi sint. Sed aliud est nescire, aliud scire noluisse. Nescit namque, qui apprehendere vult, nec valet. Qui autem ut nesciat, aurem a voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur.

Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest, si oraverimus eum? Hoc dicere, videtur proprie esse eorum qui arbitrantur Deum providentiam non habere actuum humanorum, vel unius summi Dei non habent notitiam, prout Pharao ait : Quis est Dominus, ut dimittam Israel ? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. *Exod.* v, 2. Et Sennacherib rex Assyriorum: Quis est Dominus, ut eruat Jerusalem de manu mea ? *II Par.* xxxii, 14. *IV Reg.* xviii, 35. De dubitantibus vero circa providentiam Dei, simile huic scriptum est in Malachia : *Malach.* iii, 13-15. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis : Vanus est qui servit Domino ; et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes impietatem. Denique, quidam ita carnales sunt, sicque extra se ad sola sensibilia fusi, ut velut inutile reputent adorare et colere Deum, a quo, ut eis apparet, exteriora non sortiuntur ; vel quantum ad ea quæ appetunt, non exaudiuntur. Verumtamen omnes iniqui Deo non obedientes, æquivalenter dicunt verba inducta, videlicet : Quis est Omnipotens, etc. ? Teste enim Apostolo, quamvis fateantur *Tit.* i, 16. se nosse Deum, factis tamen negant : et ita se habent, quasi Deus non esset, aut frustra invocaretur. De talibus tam perversis in Sapientia conscriptum est : Ignoraverunt sacramenta Dei, nec speraverunt mercedem justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. *Sap.* ii, 22.

Verumtamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, id est, bona temporalia et terrena, quæ impii maxime diligunt, non sunt in potestate eorum : quoniam per violentiam possunt eis auferri, et in morte tolluntur, nec eos sequuntur. Bona autem spiritualia, ut opera virtuosa, quorum homo est dominus, per liberum arbitrium gratia Dei adjutum, sunt in hominis

Digitized by Google

potestate, et morientem non deserunt, nec per violentiam queunt auferri. Hinc in
Eccle. vi, 2. Ecclesiaste habetur : Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ ejus ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Itaque, quoniam bona ista caduca carnalia, non sunt in potestate pravorum, *consilium eorum,* quo temporalem prosperitatem, carnalem delectationem, humanum honorem Deo præponunt, finaliter quærunt, potissime amant, et aliis quærenda amandaque consulunt, *longe sit a me,* per displicentiam, quia consilium illud iniquum et fallax est, ipsique impii bonis suis cito privati, experientur se deceptos, quum in infernum senserint se projectos. Itaque et nos tale carnalium hominum, sola quæ mundi et carnis sunt, sapientium, penitus contemnamus consi-
Ps. i, 1. lium, quoniam scriptum est : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Potiusque sequamur sapientissimum atque salvificum Salvatoris consilium, exhortantis ad omnium terrenorum contemptum, ad purissimam mentis in Deo fiduciam, ad perfectionis apprehensionem.

Deinceps ostendit, quod impiis quoque frequenter occurrant adversa. *Quoties lucerna impiorum,* id est prosperitas, et omne quod instar illuminativi lætificat eos, *exstinguetur?* quasi dicat : Sæpe hoc accidit, ut quum prole aut contorali, opibus, honoribus aut deliciis destituuntur. *Et superveniet eis inundatio,* id est grandis adversitatis copia seu tempestas, juxta
Is. xxviii. illud Isaiæ : Flagellum inundans quum transierit, eritis ei in conculcationem. In
Thren. iii, Threnis quoque : Inundaverunt aquæ super caput meum. Dixi : Perii. *Et dolores dividet furoris sui :* id est, Deus impiis partim in sæculo isto, partim in futuro, infligit dolores seu afflictiones a rigore suæ justitiæ procedentes, dum pœna eorum hic
xxxi, 10. inchoatur, et ibi perpetuatur. Multa siquidem flagella peccatoris.

Erunt sicut paleæ ante faciem venti : id est, impulsu divini judicii et impetu summæ justitiæ, celerrime atque facillime in damnationem, mortem seu quamlibet adversitatem a sua prosperitate dejicientur, juxta illud in Psalmo : Deus meus, Ps. lxxxii, 14, 15.
pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti; sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes. *Et sicut favilla quam turbo dispergit,* id est, impotentes, leves et arefacti erunt coram Deo eos dejiciente. Quibus Isaias prædicit : Erit fortitudo vestra ut favilla Is. i, 31.
stuppæ, et opus vestrum quasi scintillæ, et succendetur utrumque simul. Hinc demum per Jeremiam dicitur : Ecce turbo Jer. xxiii, 19, 20.
dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationes cordis sui. Præterea impii etiam prosperitatibus fulti, paleis et favillis rite assimilantur : quia instabiles animo, leves corde, qui omni tentationis impulsu, omni flatu favoris humani, omni impetu passionum mox prosternuntur atque vincuntur. Idcirco de eis in primo psalmo inducitur : Impii tanquam pulvis quem projicit Ps. i, 4.
ventus a facie terræ. Agamus ergo quod Ecclesiasticus docet : Non ventiles te in Eccli. v, 11, 12.
omnem ventum. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui.

Deus servabit filiis illius dolorem patris. Dum filii paternæ fuerint imitatores malitiæ, pœna debita patri, eis quoque infligitur. Interdum etiam filii innocentes patrum luunt peccata, quantum ad aliqua corporalia nocumenta, læsiva seu tristia; non autem quantum ad spiritualia bona, videlicet dona gratiæ ac virtutum, quibus propter parentum peccata non destituuntur. Nam quantum ad corpus, a parentibus sunt; quantum vero ad animam, immediate a Deo. Nam et secundum leges civiles, pro crimine læsæ majestatis commisso a patre, filii ejus puniuntur. Pleniorem vero hujus determinationem prosequerer, nisi super Jeremiam, Ezechielem et alibi hoc fecissem. Porro Scripturæ dicentes

Digitized by Google

(*Deut.* xxiv, 16; *Jer.* xxxi, 29, 30; *Ezec.* xviii, 20.) filium non puniri pro patris peccato, potissime intelliguntur de spirituali punitione. Præinducto autem verbo Job consonat, quod in Exodo scribitur : (*Exod.* xx, 5.) Ego sum Dominus Deus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. Rursusque Moyses loquitur : (*Ibid.* xxxiv, 6, 7.) Dominator Domine, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam generationem. Quod et in Jeremia habetur. (*Jer.* xxxii, 18.) Circa hæc scribit Gregorius : In carne nonnunquam filii etiam ex patris peccato puniuntur. Quid enim est quod parvuli filii plerumque a dæmonibus arripiuntur, nisi quod caro filii ex patris culpa mulctatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, et percussionis vim sentire contemnit; plerumque percutitur in filiis, ut acrius uratur.

Et quum reddiderit, id est, quum Deus dolorem patris iniqui inflixerit filiis ejus vel ei, *tunc sciet*, id est, tunc pater per dolorem ita inflictum filiis suis vel sibi, se peccasse advertet : quemadmodum loquitur Isaias, (*Is.* xxviii, 19.) Sola vexatio dabit intellectum auditui. Siquidem culpa mentis oculum claudit, quem pœna post aperit : sicut Antiochus letaliter vulneratus, (II *Mach.* ix, 7, 12.) revertens ad cor, Justum, inquit, est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Unde in Prophetis, præsertim in Ezechiele, Dominus iniquorum punitione prædicta, multoties subdit : (*Ezech.* v, 13; vi, 7, 10, 13, 14.) Et scient quia ego Dominus. Itemque in Psalmo : (*Ps.* lxxxii, 18, 19.) Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi; et confundantur, et pereant; et cognoscant quia nomen tibi Dominus.

Videbunt oculi ejus interfectionem suam, id est filiorum suorum, ut quidam exponunt : quemadmodum quarto Regum leguntur (IV *Reg.* xxv, 7.) filii Sedeciæ interfecti in oculis ejus. Aptius autem videtur sic exponendum, juxta Gregorium : Videbunt oculi ejus interfectionem suam, id est, propriam dejectionem, pœnam et mortem, pro culpa sua sibi inferendam, experietur. Vel, Interfectionem suam, id est, causam suæ percussionis seu damnationis cognoscet in

A pœnis, prout in libro Sapientiæ impii dicunt : Erravimus a via veritatis, et justitiæ (*Sap.* v, 6.) lumen non luxit nobis. *Et de furore Omnipotentis bibet*, id est, pœnis divinæ justitiæ velut potu abundanter implebitur, sicut quibusdam Jeremias ait : (*Jer.* xxv, 27.) Bibite, et cadite, et nolite consurgere.

Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? Hoc dupliciter elucidatur. Primo sic : Quid enim, etc.? id est, tantum in vitiis delectatur, et tanto ad peccandum impetu fertur, quod non curat neque perpen- B dit quidquid adversitatis domus, id est proles, familia, possessio sua, ex suo peccato incurrat, dummodo ipse quod concepit et appetit, opere prosequatur : imo vicissim desiderio delectationis vel optati effectus, se ipsum exponit periculis mortis, ut patet in pugnatoribus et immundis. Secundo sic : Quid enim, etc.? id est, ideo filii patris impii, eo vivente et vidente, punientur modo præfato, quia si post mortem ejus hoc fieret, nil pertineret ad eum : quia non inde affligeretur, maxime quum C peccator post mortem id nesciat, juxta quod supra jam dictum est : (*Job* xiv, 21.) Sive nobiles sive ignobiles fuerint filii ejus, non intelliget. Sic Thomas exponit. Insuper, Quid pertinet ad eum, *et si numerus mensium ejus dimidietur?* id est, tanta sibi inest peccandi libido, quod nec amore vitæ longioris, nec timore damnorum periculorumque mortis omittit peccare, secundum illud Psalmi : (*Ps.* xxxv, 2.) Dixit injustus ut delinquat in semetipso. Vel sensus est, quod non spectat ad eum, si vita ejus pro medietate brevie- D tur, quoniam inde ante non dolet, quum nescierit hoc futurum : ideo et in aliis a Deo punitur. Nihilo minus abbreviatio vitæ multis pro pœna peccati infligitur; sed non est cunctis sufficiens culpæ suæ punitio.

Præterea, quod ista diversitas eventuum humanorum divinæ sapientiæ non repugnet, pandit subdendo : *Numquid Deum quispiam docebit scientiam?* Non utique, quum ipse sit substantialiter sapientia et scientia infallibilis et immensa, omnium

Digitized by Google

optime dispositiva ac judicativa. Ideo in A *Is. xl, 14.* Isaia legitur : Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi? *Qui excelsos judicat,* utpote judices aliorum, videlicet principes terræ, prælatos Ecclesiæ, sed et angelicos spiritus, quorum in principio partem grandem damnavit, et alios beatificavit.

Consequenter subdit de hominum diversa patientium seu recipientium diversitate, ad comprobandum quod adversitates vitæ præsentis non sint generaliter puni- B tiones culparum, nec prosperitates præmia sint virtutum in vita hac. *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix :* id est, unus iniquus usque ad tempus morti suæ vicinum, vivit et permanet in robore sanitateque corporis, in divitiis quoque et felicitate mundana, secundum opinionem humanam erroneam taliter appellata : qua aliquis dicitur felix, quia ad nutum sibi in terrenis carnalibusque succedit. *Viscera ejus plena sunt adipe,* qui ex abundantia alimenti producitur : quo nomine abun- C dantia opulentiæ designatur. *Et medullis ossa illius irrigantur :* ita quod lautissimis abundat cibariis, intusque pinguedine, quemadmodum in Jeremia habetur : *Jer. xlviii, 11.* Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis. *Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus :* ita quod etiam totam vitam suam quasi expendit in afflictione atque inopia. Horum exemplum in Evangelio legitur *Luc. xvi, 19-22.* de paupere Lazaro et divite epulone. Tamen quod ait, Alius vero moritur, D potest exponi de alio impio. Unus etenim impius tota sua vita abundat et prosperatur, alio impio jugiter quoadusque hic vivit, adversitates et penurias, ac postremo diram mortem ferente.

Et tamen simul in pulvere dormient, id est, pariformiter in sepulcro quantum ad corpus quiescent ; *et vermes operient eos,* id est corpora eorum, quum cœperint putrefieri et resolvi : juxta illud Isaiæ, *Is. xiv, 11.* Operimentum tuum erunt vermes. Nascuntur enim ex putrescente cadavere. Ideo Ecclesiasticus ait : Quum morietur homo, hereditabit serpentes et vermes. *Eccli. x, 13.* Unde supra jam dixit Job : Putredini dixi : Pater meus es, mater mea ; et soror mea, vermibus. *Job xvii, 14.*

Ex præhabitis beatus Job contra amicos suos invicta loquitur invectione. *Certe novi cogitationes vestras,* quibus me in cordibus vestris contemnitis et damnatis, ut ex vestris elicio verbis, *et sententias contra me iniquas,* id est erroneas opiniones quibus contradicitis mihi. *Dicitis enim : Ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum?* quasi dicatis : Deus principes iniquos non diu regnare permittit, et impiorum mansionem, prolem, familiam, opes subvertit ; per hoc insinuantes, quod ego cum sobole atque familia mea, propter peccata mea et eorum, simus percussi. Hoc enim amici Job jam sæpe locuti sunt, ad adstruendum quod bonis proveniant prospera, et vitiosis adversa : cujus dicti falsitatem ostendit ex concordi generalique omnium sapientium testimonio.

Interrogate quemlibet de viatoribus : qui diversa perambulando, audiendo, videndo, in multis experti et docti sunt, multaque pensant, prout Ecclesiasticus asserit : Vir in multis expertus, cogitabit multa. *Eccli. xxxiv, 9.* Vel, De viatoribus, id est virtuosis hominibus, qui hoc mundo velut exsilio, et hac vita quasi via utuntur ad patriam : qui peregrini in sæculo isto sunt, sicut ad Hebræos de Sanctis veteris Testamenti scribit Apostolus, Confitentes quia peregrini et advenæ sunt super terram. *Hebr. xi, 13.* Atque Psalmista : Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. *Ps. xxxviii, 13.* Primo quoque Paralipomenon libro David loquitur Deo : Peregrini sumus apud te et advenæ, sicut omnes patres nostri. *I Par. xxix, 15.* *Et hæc eadem* quæ contra vos dixi, et dicam, *eum intelligere cognoscetis,* utpote quod in hoc sæculo non fiat finalis retributio pro meritis atque demeritis, quodque adversitates non impiis tantum, sed justis quoque contingant, eo quod finalis et plena præmiatio fiet in posterum, sicut subjungitur.

Digitized by Google

Quia in diem perditionis servatur malus : id est, propterea modo non statim a Deo punitur, sed durante vitæ hujus curriculo, suæ libertati dimittitur, ne se juste valeat excusare, sed prorsus inexcusabilis fiat, quod tam clementer et longanimiter a Deo portatus, vitam non corrigit. Idcirco differtur ejus plenum et finale judicium usque ad diem novissimum, qui erit perditionis totalis omnium reproborum. Hinc
Prov. xvi, 4. in Proverbiis scribitur : Universa propter se ipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum. Pravi quippe et
Rom. ix, 22. reprobi vasa sunt iræ, ut in eis divina ostendatur reluceatque justitia, ut ad Romanos plenius docet Apostolus. Verumtamen culpa et damnatio reproborum Deo nequeunt imputari, quoniam voluntate an-
I Tim. ii, 4. tecedente vult omnes salvari, nec quempiam, quantum in se est, permittit perire; sed et prima ac directa intentione condidit intellectualem creaturam quamcumque, ut salvaretur. Sed quoniam reproborum perversitatem prævidit, de malo illorum bonum elicere sibi complacuit, ut scilicet in eis suam demonstraret justitiam, ordinando in eis per pœnam, quod inordinatum exstat in ipsis per culpam. *Et ad diem furoris ducetur,* id est ad extremi judicii discussionem et retributionem. Unde secundo Machabæorum libro habetur :
II Mach. vi, 14. In nationibus Dominus patienter exspectat, ut eas, quum dies judicii advenerit, in plenitudine peccatorum puniat. Hinc
Matth. xxv, 31, 32. Christus prædixit, qualiter in die judicii omnes gentes congregabuntur ante eum. Tantus vero erit illius rigor judicii, ut furor dicatur.

Quis arguet coram eo viam ejus? et quæ fecit, quis reddet illi? Hoc dupliciter explanatur. Primo, de impio, quasi dicat : Tantæ indocilitatis impietatisque fuit, quod nullus viam, id est opera ejus, potuit coram eo arguere, idcirco omnipotentis Judicis incidit manum : juxta illud Ecclesiastici,
Eccli. ii, 22. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, et non in manus hominum. Secundo, de Deo exponitur, eritque sen-

A sus : Quis arguet, etc.? id est, nullus poterit coram Deo reprehendere judicium ejus, aut ei aliquid pro eo quod judicavit et fecit, reprehendere : juxta illud Apostoli ad Romanos, O homo, tu quis es qui Rom. ix, 20
respondeas Deo? Sapiens quoque : Quis Sap. xii, 12
dicet tibi : Quid fecisti ? aut quis stabit contra judicium tuum?

Ipse impius *ad sepulcra ducetur :* quia corpus in terra, anima in inferis sepelitur; *et in congerie,* id est congregatione, *mortuorum vigilabit :* quia in die novissi-
B mo inter eos atque cum eis est suscitandus a morte. Anima quoque impii jugiter vigilat post mortem vita naturæ, et ut sentiat pœnam inferni.

Dulcis fuit impius, id est amicabilis, similis et acceptus, *glareis,* id est lapillis, puta perversis hominibus per lapillos signatis, *Cocyti,* id est fluvii infernalis, videlicet gehennalis supplicii. Quemadmodum autem Apostolus nonnunquam inducit verba poetarum (sicut in epistola ad Titum, dicendo : Dixit quidam proprius eorum, Tit. i, 12.
C scilicet Cretensium, propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Atque in Actibus Apostolorum : In Act. xvii, 28.
ipso vivimus, movemur et sumus); ita et Job hic verba poetarum inducit, eisque ad pium utitur intellectum. Cocytus itaque a poetis fluvius infernalis ponebatur, interpretaturque luctus : qui impiorum animas sibi attraheret ad tormentum, sicut alii fluvii attrahunt lapides. Ideo, per glareas, quæ dicuntur lapides parvi, animæ vitiosæ signantur : quibus peccator consentit
D in vitiis; hincque sociatur eis in infernalibus pœnis. *Et post se omnem hominem trahit,* id est, pœna infernalis de omni hominum statu, gradu et genere, plurimos acquirit atque involvit : imo tam multos, ut alii comparative sint pauci, et illi, præ multitudine omnes dicantur, sicut Apostolus loquitur : Omnes quæ sua sunt, quærunt. Philipp. ii, 21.
Itemque : Deus in præteritis generationibus Act. xiv, 15.
dimisit omnes gentes ingredi vias suas. *Et ante se innumerabiles,* id est, impetu suo plures quasi ante se impellit, instar for-

Digitized by Google

tissimi fluminis quædam suo impetu rapientis. Infernus quoque, id est dæmones infernales, fervore concupiscentiarum et impetu passionum innumerabiles vincunt, et ante se quasi impellunt, sicut victor victos ante se minat.

Quomodo ergo consolamini me frustra, temporalem prosperitatem, si pœnituero, promittendo, *quum responsio vestra,* qua A mihi respondistis vobis contradicenti, *repugnare ostensa sit veritati?* qua jam evidenter probavi, quod temporalis prosperitas non sit merces justorum finalis aut plena, nec omnibus justis conceditur : nec omnis pœna (ut erronee affirmatis) est præcedentis culpæ purgatio seu vindicta; sed interdum est meriti incrementum et proficiendi augmentum.

ARTICULUS XLVIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI SECUNDI : RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES, DIXIT.

NUNC tertio arguit, secundoque replicat Eliphaz contra Job, sicut docet Scriptura. *Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : Numquid Deo comparari potest homo, etiam quum perfectæ fuerit scientiæ?* Hoc ait in reprehensionem beati Job, quasi dicat : Tam præsumptuose lo-
Job XIII, 3. queris (dicendo te velle disputare cum
Ibid. XXI, 4. Deo ; et rursus, Numquid contra hominem disputatio mea est? etc.), quasi in scientia esses Deo æqualis. Qui enim audet disputare cum alio, putat se comparabilem illi. Palam est autem, quod omnis mens creata, distet in infinitum a scientia Dei, cujus illuminata essentia, est sua infinita scientia. Denique, sumendo perfectum absolute, pro eo scilicet cui nil deest perfectionis, solus Deus est perfectæ scientiæ. Homo autem vel angelus dicitur perfectæ scientiæ, secundum certum gradum, modum seu ordinem. Albertus quoque hic ait, quod aliquis dicitur perfectæ scientiæ in divinis, uno modo perfectione scientis, alio modo perfectione scibilis. Primo modo dicitur homo perfectæ scientiæ in divinis, quando secundum modum humanum per-
Luc. VI, 40. fecte sapit, prout ait Salvator : Non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.
B Perfectione vero scibilis non est perfectæ scientiæ in divinis, nisi Deus qui solus comprehensive et plene simpliciterque perfecte cognoscit se ipsum. Imo a tali ejus cognitione omnis creatura deficit infinite.

Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? id est, ex tuis virtuosis operibus nil perfectionis Deo accrescere potest, qui in se ipso infinite quomodolibetque perfectus est. Ideo ait Psalmista : Dixi Domino : Ps. XV, 2.
Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum
C non eges. Hoc et Eliu infra sic inducit : Si Job XXXV,
peccaveris, quid ei nocebis? Porro si juste 6-8.
egeris, quid donabis ei? Homini qui similis est tui, nocebit iniquitas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua. Et hoc ambo hi dicunt adversus Job, tanquam dicant : Tanti te æstimas, et ita te erigis, quasi Deus te indigeret.

Numquid timens te arguet? id est, non utique judicabit te, timendo te aut aliquem judicem alium : ideo non deberes tam audacter loqui de Deo, sed ejus omnipoten-
D tiam revereri, excellentiam quoque ejus immensam vereri. *Et veniet tecum ad judicium?* id est, non veniet tecum ad judicium alicujus judicis superioris et tertii, qui judicet an Deus te juste judicaverit

Digitized by Google

atque arguerit. *Et non propter*, id est imo A propter, *malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas* te arguet? quasi dicat: Nil habes justæ querelæ contra Deum, sed ipse innumerabilia contra te habet, in quibus redargui meruisti. Malitiæ autem proprie dicuntur peccata quæ non fiunt ex ignorantia vel infirmitate, sed ex certa industria vel deliberatione. Dicit Thomas, quod malitia potest referri ad peccata, quibus alios læsit; iniquitas vero ad peccata, quibus justa opera prætermisit: unde malitiam dicit plurimam, sed iniquitates B infinitas, quia in pluribus peccat homo omittendo, quam committendo. Hoc ultimum verbum B. Thomæ, mirationem pariter et timorem generat mihi.

Deinde peccata quæ imponit beato Job, in speciali prosequitur. *Abstulisti enim pignus fratrum*, id est proximorum *tuorum sine causa* justa et opportuna, pignus ab eis irrationabiliter accipiendo, ut agunt tyranni, exactiones pauperibus imponentes, et pignora accipientes, non obstante
Exod. XXII, 26, 27. quod Dominus in Exodo effatur: Si pignus C a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei; ipsum enim solum est quo operitur, nec habet aliud in quo dormiat. Amos quoque de filiis Israel
Amos II, 8. increpatorie dicit: Super vestimentis pignoratis accubuerunt. *Nudos spoliasti vestibus*: vel eos qui parum erant vestiti, vestibus suis privando, quod crudelissimum esset; vel his qui nudi sunt, auferendo vestimenta eorum quum essent satis vestiti, quum
Is. LVIII, 7. tamen per Isaiam Dominus dicat: Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam D
Luc. III, 11. ne despexeris. Et Joannes Baptista ait: Qui habet duas tunicas, det non habenti. Denique, teste Ambrosio, non solum spoliant nudos seu pauperes, qui eis auferunt vestes quas habent, sed et qui quum abundent, illis necessaria non ministrant seu tribuunt.

Aquam lasso, id est fatigato ex itinere vel labore, *non dedisti, et esurienti subtraxisti panem*, vel non dando carenti, vel tollendo habenti: quorum utrumque inclementissimum esset, et directe contra caritatem Dei ac proximi, quum in prima Joannis epistola scriptum sit: Qui habu- *1 Joann.* III, 17.
erit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Nomine autem panis, omnis cibus, et nomine aquæ, omnis potus in Scripturis exprimitur. Hinc et Baptista hortatur: Qui habet escas, similiter faciat, *Luc.* III, 11.
scilicet ut dictum fuit de dando unam tunicam indigenti, quum duæ haberentur.

In fortitudine brachii tui, id est per potestatem et violentiam, *possidebas terram*, id est opes, agros, dominium; *et potentissimus obtinebas eam*, id est, per eminentiam tuæ potestatis tyrannice eam invasisti et acquisisti, dicens illud Sapientiæ: Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ. *Sap.* II, 11.
Viduas dimisisti vacuas, earum causam non prosequendo, eis non succurrendo, nec postulata donando: secundum illud Isaiæ, Causa viduæ non ingreditur ad eos. *Is.* I, 23.
Et lacertos, id est brachia, *pupillorum comminuisti*, eos non solum non roborando, sed et debilitando. Contra quod Dominus ait in Psalmo: Judicate egeno et *Ps.* LXXXI, 3.
pupillo. Quo autem istæ personæ magis humano destituuntur solatio, eo major misericordia impendenda est eis, magisque inhumanum et impium est, ipsis non misereri. Injuriam vero eis inferre, prorsus sævum censetur; et tale peccatum Deus specialiter ulcisci asseritur, prout in Deuteronomio fertur: Dominus facit judicium *Deut.* X, 18.
pupillo et viduæ, amatque peregrinum. Hinc subditur:

Propterea, scilicet ob tanta peccata, *circumdatus es laqueis*, id est, adversitatibus undique adimpleris, *et conturbat te formido subita*, id est timor improvise superveniens tibi: quia majori culpæ major debetur atque infligitur pœna. Unde in Threnis dicitur: Formido et laqueus factus est no- *Thren.* III, 47.
bis. *Aut putabas te tenebras* adversitatum ac dubiosarum fluctuationum mentis, in quibus nunc es, ita ut quid agere debeas, nescias, *non visurum*, id est non expertu-

Digitized by Google

Ps. xv, 10. rum sive passurum : sicut in Psalmo, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Luc.* II, 26. Et de justo Simeone dicit Lucas : Responsum accepit a Spiritu Sancto non visurum se mortem. *Et impetu aquarum inundantium,* id est copiosarum tribulationum, *non oppressum iri,* id est opprimendum non esse : ita quod non suspicabaris talia super te transitura. Impii enim mente cæcati, imminentia sibi pericula non prævident, nec cavent, aut pensant. Qui autem putat se impune peccare, videtur de divina providentia dubitare. Ideo Eliphaz invehitur contra Job :

An cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? id est, an illorum perfidiam incidis et errorem, qui dixerunt Deum sic terrenis et inferioribus præeminere, seu ita ab humanis distare, quod inferiorum et actuum humanorum providentiam determinatam non habeat, nec distinctam, certam claramque scientiam ? Hoc quippe quidam philosophi opinabantur, dicentes sola cœlestia divinæ providentiæ ordine gubernari. *Et dicis,* ut apparet : *Quid enim novit Deus* de inferioribus actibusque humanis? *Et quasi per caliginem judicat,* id est, non nisi confusam seu indistinctam habet istorum notitiam, cognoscendo ea in generali, sciendo videlicet genera et species, seu ordinem universi et universalia entia universalesque causas. An etiam dicis quæ sequuntur ? videlicet, *Nubes latibulum ejus,* id est, sub nubibus nihil videt, nec providentia ejus infra nubes extenditur, sed usque ad eas exclusive, ita quod nubes sunt quasi quid occultans Deo inferiorum notitiam. *Nec nostra* opera *considerat, et circa cardines cœli perambulat,* id est, circa extrema cœli versatur, operatur, seu est, providendo et gubernando superiora, quæ uno modo se habent. Cardo autem quandoque pro extremitate accipitur, interdum pro eo in quo volvitur ostium.

Denique, secundum Albertum, de humanis per caliginem judicare, est ad voluntaria et casualia atque fortuita non immediata

A consideratione se habere, sed ea quæ fiunt frequenter, per necessaria utcumque perpendere, et per necessaria ac frequentia aliquid de voluntariis et casualibus utcumque judicare. Secundum eumdem, fuit quorumdam opinio, quod Providentia ultra motum cœlorum non extenderetur, nec ad inferiora pertingeret, nisi per aliud atque per accidens : per aliud, ut per partes periodi ; per accidens quoque, quia per impressiones accidentales in inferioribus factas : et videntur in hunc errorem consentire

B Alexander et Averroes, et alii quidam Peripateticorum.

Præterea, non gentiles quidam dumtaxat, sed et Judæorum plurimi in veteri Testamento de providentia Dei præfato modo senserunt. De quibus in Ezechiele habetur : Dicunt : Non videt Dominus nos ; dereliquit Dominus terram. *Ezech.* VIII, 12. Et Sophonias ait : Dicunt : Non faciet Dominus bene, et non faciet male. *Soph.* I, 12. Quorum stultitiam Isaias aperit quum scribit : Quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo, Non *Is.* XXIX, 16, 15.

C fecisti me ; et figmentum dicat fictori suo, Non intelligis : sic omnes quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos? et quis novit nos? Itemque in Psalmo : Dixerunt : Non videbit Dominus, nec intelliget *Ps.* XCIII, 7. Deus Jacob. Quibus mox dicitur : Intelligite, insipientes in populo ; et stulti, aliquando sapite. *Ibid.* 8-10. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet? aut qui docet hominem scientiam?

Numquid semitam sæculorum custodi-

D *re cupis,* id est latam perditionis viam incedere et servare, per quam sæculares homines gradiuntur? de qua Christus in Evangelio ait : Lata est via quæ ducit ad mortem, et multi ambulant per eam. *Matth.* VII, 13. Qui autem divinam providentiam negant, secure ac libere peccant, omni freno rationis relicto. *Quam calcaverunt viri iniqui,* passiones sensualitatis et propriam voluntatem in cunctis sequentes : quorum via est conversatio vitiosa, quæ est iter ad damnationem æternam. De quibus Isaias dicit :

Digitized by Google

Is. LIX, 8. Semitæ eorum incurvatæ sunt ; omnis qui A
calcat in eis, ignorat pacem. Hinc ait Scri-
Prov. IV, 14. ptura : Ne delecteris in semitis impiorum.
Ibid. 19. Et rursus : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. De tam impiis in Sa-
Sap. XV, 12. pientiæ libro legitur : Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ ad lucra compositam, et oportere undecumque acquirere. *Qui sublati sunt ante tempus suum,* id est, justo Dei judicio ob hæc sua peccata, per mortem deleti sunt, nondum impleto naturali spatio vitæ suæ,
Eccle. VIII, 13. secundum illud Ecclesiastæ : Non sit bo- B
num impio, nec prolongentur dies ejus ; sed quasi umbra prætereant, qui non timent
Sap. XVI, 15, 16. faciem Domini ; et illud Sapientiæ : Effugere manum tuam, Domine, impossibile est ; negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt. *Et fluvius,* id est abundantia ac impetus tribulationum seu divinæ ultionis, *subvertit fundamentum eorum,* id est, funditus eos dejecit, corpus eorum occidit, fiduciam fregit, potestatem et opes his abstulit, pro-
Matth. VII, 27. ut dicit Salvator : Venerunt flumina, flave- C
runt venti, et irruerunt in domum illam, et facta est ruina ejus magna.

Qui dicebant Deo : Recede a nobis. Hoc
Job XXI, 14. præcedenti articulo in verbis Job dictum atque expositum est. *Et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.* Hoc
Ibid. 15. quoque est quod Job dixit ibidem : Quis est Omnipotens, ut serviamus ei ? Tales quippe Deum penitus inhonorant, et velut judex non sit hominum, parvipendunt, vel quasi in inferioribus immediate agere nihil queat. *Quum ille implesset domos eo-* D
rum bonis. Nam quidquid habent, a Deo sortiti sunt : in quo ingratitudo eorum circa Deum monstratur, qui ex infinita sua bonitate ac munificentia etiam ingratis et pessimis beneficia multa largitur, prout unigenitus Dei Filius protestatur :
Matth. V, 45. Solem suum, inquiens, facit oriri super bonos et malos ; et pluit super justos et injustos. *Quorum sententia longe sit a me.* Hoc præcedenti capitulo protulit Job, di-
Job XXI, 16. cendo : Consilium eorum longe sit a me.

Falsitas enim et peccatum sunt infinitæ fugibilitatis, quum sint recessus, aversio et offensa, quibus mens a prima veritate summaque bonitate, quæ infinitæ est dignitatis, avertitur.

Videbunt justi dejectionem et pœnam pravorum, *et lætabuntur* de illorum debita plaga, non ex invidia, sed zelo justitiæ congratulantes æquitati divinæ ; *et innocens subsannabit eos.* Hoc est quod
fertur in Psalmis : Lætabitur justus quum Ps. LVII, 11.
viderit vindictam ; manus suas lavabit in
sanguine peccatoris. Itemque : Videbunt Ps. CVI, 42.
recti, et lætabuntur ; et omnis iniquitas oppilabit os suum. In Isaia quoque justi
Deum affantur simili zelo : Domine, exal- Is. XXVI, 11.
tetur manus tua, ut non videant impii ; et ignis hostes tuos devoret. Rursusque dici-
tur de electis : Egredientur, et videbunt Ibid. LXVI, 24.
cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me ; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. *Nonne succisa est erectio eorum ?* id est, impiorum elatio, prosperitas, sublimatio, a Deo dejecta est, sicut succiditur arbor excrescens, juxta illud
Psalmi : Dejecisti eos dum allevarentur. *Et* Ps. LXXII, 18.
reliquias, id est posteros *eorum,* pravitatem paternam sequentes, *devorabit ignis,* id est gravis adversitas vitæ præsentis, vel ardor supplicii infernalis ? dicente Psalmi-
sta : Dominus in ira sua conturbabit eos, Ps. XX, 10, 11.
et devorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis ho-
minum. Hinc dicit Jacobus : Exortus est Jacob. I, 11.
sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit. Sic dives in itineribus suis marcescet.

Consequenter invitat ipsum Job ad pœnitentiam et salutem. *Acquiesce igitur ei,* id est, voluntati divinæ tuam conforma, et ejus dispositioni circa te consenti, dicendo : Fiat voluntas tua. *Et habeto pacem* pectoris : quæ est tranquillitas mentis in Deo, oriturque ex hoc, quod homo conformat voluntatem suam divinæ, servando divina præcepta, secundum quod dicitur :
Pax multa diligentibus legem tuam. *Et* Ps. CXVIII, 165.
per hoc, quod Deo sic acquiescis, *habebis*

Digitized by Google

fructus optimos, id est præclarissima in- A
crementa virtutum, charismata gratiarum,
consolationes internas : quæ etiam per
æquanimem adversitatum tolerantiam di-
sciplinamque Dei gignuntur, dicente Apo-
Hebr. xii, 11. stolo ad Hebræos : Omnis disciplina in
præsenti videtur non gaudii esse, sed mœ-
roris; postea autem fructum pacatissimum
exercitatis per eam reddet justitiæ. Hi sunt
fructus spiritus, de quibus ad Galatas ha-
Galat. v, 22. betur : Fructus spiritus est, caritas, gau-
dium, pax, patientia, longanimitas, etc.

Suscipe ex ore illius legem, id est, legem B
ab intellectu divino procedentem ample-
ctere, præceptis divinæ legis obtemperan-
do, seu quamlibet jussionem Dei implendo,
quam ipse sive per internam inspiratio-
nem, sive per alium modum proponit. Unde
Ps. xxiv, 8. ait Psalmographus : Dulcis et rectus Domi-
nus; propter hoc legem dabit delinquenti-
bus in via. Lex autem pro præcepto accipi
solet. *Et pone sermones ejus in corde tuo*,
id est, verba Dei memoriter retine, effica-
citer imple, frequenter considera, ut vites
Ps. cxviii, 11. peccata : juxta quod scriptum est, In corde C
meo abscondi eloquia tua, ut non peccem
Prov. vii, 2, 3. tibi. In Proverbiis quoque dicitur : Serva
mandata et legem quasi pupillam oculi
tui ; liga eam in digitis tuis, et in tabulis
cordis tui scribe eam. De justo quoque di-
Ps. i, 2. citur in Psalmo : In lege Domini voluntas
ejus, et in lege ejus meditabitur die ac
nocte.

Si reversus fueris ad Omnipotentem, per
conversionem mentalem, pœnitentiamque
salubrem et humilem confessionem. De
qua reversione hortatur nos Deus, ubique D
præsens et omnia penetrans, per Joelem :
Joel ii, 12. Convertimini ad me in toto corde vestro.
Ædificaberis, id est, in spiritualibus ac
temporalibus bonis stabilieris : prout per
Zach. i, 3. Zachariam Dominus ait, Convertimini ad
me, et convertar ad vos. *Et longe facies
iniquitatem a tabernaculo tuo*, id est a te
ipso atque domesticis tuis, de præteritis
pœnitendo, et futura cavendo, ad similia
quoque tuos hortando. Qui enim ad Deum
vere convertitur, ita se habet. Nam et pœ-
nitere est præterita mala deplangere, et
deplangenda iterum non committere. Un-
de et justus profatur : Non habitabit in Ps. c, 7.
medio domus meæ qui facit superbiam.
Pertinet ergo ad virtuosum, imo ad patrem-
familias quemlibet, se ipsum exemplarem
præbere, suosque domesticos a vitiis re-
frenare, hortando, corripiendo, discipli-
nando.

Dabit pro terra silicem, id est, pro vi-
libus dabit tibi pretiosa, quemadmodum
silex prævalet glebæ ; *et pro silice torren-
tes aureos*, id est, pro pretiosis tribuet
pretiosiora, secundum quod aurum præ-
ponitur silici. In spiritualibus quoque adji-
ciet charismata meliora, ut ubi abundavit Rom. v, 20.
peccatum, abundet et gratia : tribuetque
pro terra, id est pro actione incipientium,
silicem, id est exercitium proficientium ;
et pro silice, id est tali exercitio, torrentes
aureos, id est actus perfectorum, contem-
plationes atque fervores heroicorum. Multi
equidem post casum cautiores resurgunt,
et firmius stant, salubriusque concrescunt :
et hæc est superinfinita misericordia Dei
naturaliter boni, qui ita vitiorum nostro-
rum oblivisci dignatur, et pro malis bona
largitur.

Eritque Omnipotens contra hostes tuos,
id est, ab impugnatione visibilium ac in-
visibilium hostium te defendet : quia pro-
tector est omnium sperantium in se, juxta Ps. xvii, 31.
illud Psalmi, In Domino sperans non in- Ps. xxv, 1.
firmabor. Et in Proverbiis habetur : Turris Prov. xviii, 10.
fortissima nomen Domini ; ad ipsum cur-
rit justus, et exaltabitur. Apostolus quo-
que ad Romanos ait : Deus conteret Sata- Rom. xvi, 20.
nam sub pedibus vestris velociter. Unde
protestatur Psalmista : Super inimicos Ps. liii, 9.
meos despexit oculus meus. *Et argentum*,
id est temporales divitiæ, *coacervabitur*, id
est congregabitur, *tibi*. Spiritualiter vero,
nomine argenti, sacræ Scripturæ designa-
tur scientia, dicente Psalmista : Eloquia Ps. xi, 7.
Domini eloquia casta, argentum igne exa-
minatum. Hac autem illustratur scientia,
cujus vita est virtuosa, dicente Apostolo :
Dabit tibi Dominus de omnibus intelle- II Tim. ii, 7.

Digitized by Google

ctum. Et in prima S. Joannis Canonica A legitur (I Joann. II, 27.) : Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus (scilicet Dei) docet vos de omnibus. Ideo in Ecclesiastico scribitur (Eccli. I, 33.) : Fili, concupiscens sapientiam, serva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Quum enim Deus sit sol sapientiæ, mentem a vitiis mundam radiose perlustrat.

Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, id est, in contemplatione Dei gaudebis, ejus consolationes internas experieris, ipsius amore dulciter accenderis, ejus im- B mensæ beatitudini, opulentiæ, perfectioni toto congratulaberis corde, ita ut ex sententia dicere possis (Ps. LXXVI, 4.) : Memor fui Dei, et delectatus sum; itemque (Ps. XXX, 20.) : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! et rursus (Ps. XCIII, 19.) : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. His puris mentalibusque deliciis tanto plus affluere promeremur, quo ex puro Dei amore omnem carnalem delectationem, vilem consolationem, sæcularem lætitiam plenius C aspernamur, juxta illud Psalmi (Ps. LXXVI, 3.) : Renuit consolari anima mea. Denique delectatio ex unione potentiæ cum objecto convenienti procedit. Quum ergo Deus sublimis, incomparabilis et immensus, sit prorsus illimitatæ perfectionis, amœnitatis pulchritudinisque objectum, constat quod in unione mentis cum illo sit summa deliciatio : si tamen mens capax effecta sit, si Dei inardescat amore, si sapientiæ dono perfusa sit, si virtutibus stabilita sit, a privato illo pernicioso amore purgata. Un- D de de Sponsa in Canticis admirative inquiritur (Cant. VIII, 5.) : Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

Et elevabis ad Deum faciem tuam intellectualem, scilicet mentem; vel etiam corporalem vultum dirigendo ad cœlum, in quo Deus specialiter esse et habitare asseritur, in quantum ibidem eminentius operatur, clariusque videtur. Itaque, Ad Deum faciem elevabis, tanquam ad bonum finaliter desideratum, ad ens summe dilectum, ad unicum tuum refugium atque solatium. Etenim ubi amor, ibi et oculus; et ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum (Matth. VI, 21.). Hinc in Threnis admonetur (Thren. III, 41.) : Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum. Tobias quoque dicit (Tob. III, 14.) : Ad te, Domine, faciem meam converto; ad te oculos meos erigo. Postremo quilibet libenter respicit suæ dilectionis et delectationis objectum : ideo qui in Omnipotente solitus est amando fervere, et contemplando gaudere, quid mirum si faciem mentis frequenter levet ad eum in omni loco, occupatione et tempore?

Rogabis eum cum grandi fiducia atque frequentia : quia et in oratione est elevatio mentis ad eum. Unus quoque orationis effectus, est quædam mentalis suavitas, quam devotus experitur orando. Idcirco amator contemplatorque Dei, et dulcedinis ejus gustator, tanto fiducialius et frequentius, tanto libentius ac delectabilius eum precatur, quo ardentiori ipsum intra se amore complectitur. Talemque Deus tanquam filium et amicum paterne exaudit. Ideo subditur, *et exaudiet te.* In talibus quippe potissime verum est quod ait Salvator (Matth. VII, 8.) : Omnis qui petit, accipit. Unde in Joanne habetur (Joann. IX, 31.) : Si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit. Bona enim et irreprehensibilis vita exauditionem a Deo meretur, juxta illud Joannis (I Joann. III, 21, 22.) : Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus accipiemus. Quod totum intelligendum est, si perseveranter salubriterque oremus. *Et vota tua reddes,* id est, promissa implebis : juxta illud Psalmi (Ps. LXV, 13, 14.), Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. Porro vovere quid Deo, actus est latriæ, quæ est dignissima virtus moralis. Ideo, sicut vota persolvere, excellenter virtuosum meritoriumque consistit; sic vota non solvere, vehementer vitiosum est atque damnabile. Propterea Ecclesiastes præcipit (Eccle. V, 3.) : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet

Digitized by Google

enim ei stulta et infidelis promissio. Et in A Deuteronomio fertur : Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Unde et Augustinus : Vovere, inquit, voluntatis est ; reddere, necessitatis.

Deut. XXIII, 23.

Decernes rem, id est, propones, judicabis seu ordinabis aliquod factum, et qualiter negotium tuum eveniat ; *et veniet tibi,* id est, prosperum habebit successum, Deo dispositioni tuæ cooperante et effectum præstante : secundum quod in Proverbiis legitur, Cor hominis disponit viam suam, B sed Dei est dirigere gressus ejus. *Et in viis tuis,* id est vitæ tuæ processibus seu operibus, *splendebit lumen* gratiæ et virtutum, prosperitatisque fulgor, id est, Deus te intus illustrabit et diriget, virtuoseque ages, ac lucide vives, atque in sapientia ambulabis : juxta illud Isaiæ, Erumpet quasi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam justitia tua. In Proverbiis quoque : Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.

Prov. XVI, 9. *Is.* LVIII, 8. *Prov.* IV, 18.

Qui enim humiliatus fuerit, se ipsum humiliter condemnando, pœnitentialiter affligendo, adversa patienter ferendo, alios sibi cordialiter præferendo, *erit in gloria,* id est, a Deo sublimabitur in præsenti per gratiam, et in futuro per felicitatem completam, sicut ait Salvator : Qui se humiliaverit, exaltabitur ; et qui se exaltat, humiliabitur. Cui consonat illud Proverbiorum : Humilem spiritu suscipiet gloria, et superbum sequetur humilitas. Ideo Petrus jubet : Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. In Matthæo quoque determinat Judex : Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major erit in regno cœlorum. *Et qui inclinaverit oculos suos* interiores ad propriæ defectuositatis, fragilitatis, vel impietatis considerationem condignam, *ipse salvabitur.* Hinc dicit Baruch : Oculi deficientes dant gloriam tibi Domino ; et Ecclesiasticus : Humilia valde spiritum tuum. Non ergo extollamus nos ipsos, non magnos et sapientes aut perfectos nos æstimemus; sed innumerabiles nostras pensemus ærumnas, et quod nihil boni a nobis ipsis habemus ; quod item celeriter evacuaremur ac periremus, nisi indesinenter pietate et gratia Spiritus Sancti in omni via hac custodiremur. Hinc scriptum est : Oculi sublimis hominis humiliati sunt. Et Sapiens ait : Generatio cujus erecti sunt oculi, et palpebræ ejus in altum surrectæ.

Matth. XXIII, 12 ; *Luc.* XIV, 11. *Prov.* XXIX, 23. I *Petr.* V, 6. *Matth.* XVIII, 4. *Baruch* II, 18. *Eccli.* VII, 19. *Is.* II, 11. *Prov.* XXX, 13.

Salvabitur innocens : quoniam Deus reddet unicuique quod meretur. Innocens autem qui alteri non nocuit, meruit sibi C nocumentum non ingeri ; et quoniam in Dei caritate et gratia vixit, meruit beatificari. Ideo subditur : *salvabitur autem,* id est, beatitudinem sortietur, *munditia manuum suarum,* id est puritate seu merito vitæ suæ, non utique sine auxilio gratiæ, quum propriis nemo viribus justus aut innocens sit, prout Moyses protestatur : Dominator Domine, clemens, verus, et patiens, nullus apud te per se innocens est.

Exod. XXXIV, 6, 7.

Postremo, istud capitulum alia ac moraliori expositione non eget, quemadmodum nec præcedens.

ARTICULUS XLIX

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI TERTII : RESPONDENS AUTEM JOB, AIT.

RESPONDENS *autem Job, ait.* Sapientis enim et intelligentis est, arguendo, inquirendo, et respondendo veritatem tueri D ac demonstrare. Qui vero indoctus est, non se ad respondendum ingerere debet, juxta illud Ecclesiastici : Si est tibi intellectus,

Eccli. V, 14.

responde proximo tuo ; sin autem, sit manus tua super os tuum. Quo utique verbo redarguuntur præsumptuosi, vani et scioli, paratiores docere quam discere : quibus (1 *Tim.* I, 7.) convenit illud Apostoli, Non intelligentes neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant. (*Jacob.* I, 19.) Itaque illud Jacobi observemus : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.

Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, id est, cum magna afflictione profertur, quia ab amicis meis dolor meus augetur magis quam relevatur ; *et manus plagæ meæ,* id est fortitudo percussionis, seu potestas adversitatis meæ, *aggravata est super gemitum meum,* quem habui ante, ita quod recens afflictio priori gemitui meo est addita. Nam vulneribus Job a Satana ei illatis, amici sui adjecerunt contumelias, improperia, irrisiones, accusationesque falsas, ex quibus Job contristabatur atque dolebat : non ex defectu patientiæ, sed zelo justitiæ ; imo ex caritate, quia amicis condolebat errantibus, et de proximorum scandalo urebatur, (II *Cor.* XI, 29.) præsertim eorum qui huic intererant disceptationi. Sicque Job fuit Christi figura, in Psalmo dicentis ad Patrem (*Ps.* LXVIII, 27.) : Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt ; et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Præterea, quia amici Job imposuerunt ei, quod pro suis esset cæsus excessibus, præsertim quia præcedenti capitulo dixerat Eliphaz, (*Job* XXII, 5, 4.) quod propter malitiam suam plurimam, et iniquitates suas infinitas Deus arguerit eum ; ideo sanctus Job nunc ostendit hujus oppositum, ad divinum se judicium conferens, quoniam bonæ conscientiæ fuit, ipseque Spiritus testimonium (*Rom.* VIII, 16.) perhibuit conscientiæ suæ, quod filius Dei esset. *Quis mihi tribuat,* id est, vehementer cupio mihi conferri, *ut cognoscam, et inveniam illum,* id est, Deum perfectiori modo cognoscam, et inveniam qualiter diversimode disponit homines et gubernat, et diversis de causis eos flagellat ? Itaque, Inveniam illum, id est, id de eo agnoscam, quod de ipsius quæro notitia. Ut enim frequenter præhabitum est, Job clarius concupivit suæ percussionis causas agnoscere. Denique ipse sicut et quilibet electorum, desideravit de cognitione viæ per fidem, ad cognitionem patriæ per speciem pervenire. Imo hoc sanctorum finale est desiderium, dicente Apostolo : Sequor autem, si quo modo, etc. (*Philipp.* III, 12.) Et Psalmista : Ostende faciem tuam. (*Ps.* LXXIX, 4.)

Et veniam usque ad solium ejus, id est ad thronum divini judicii, ut secundum merita mea judicer, et divinorum judiciorum rationem et modos plenius discam. Unde superius dixit : Si fuero judicatus, (*Job* XIII, 18.) scio quod justus inveniar; et item : Utinam (*Ibid.* VI, 2.) appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera. Itaque, ad tribunal Dei optavit deduci, non ut corpore mox elevaretur in cœlos, sed ad Dei judicium erigeretur. Thronus autem Dei, uno modo vocatur judiciaria ejus potestas, eminentia sive auctoritas, quæ ubique est sicut et Deus, quum sit ipsemet incircumscriptibilis Deus judex.

Ponam coram eo judicium, id est, bona conscientia justum judicium secundum merita exigam, ut donet mihi sicut promerui. Sic et David dixit ad Saul : Judicet (I *Reg.* XXIV, 13.) Dominus inter me et te. Unde in Psalmo inducitur : Judica me, Deus, et discerne (*Ps.* XLII, 1.) causam meam de gente non sancta. Et iterum : Judica me, Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum. (*Ps.* XXV, 1.) In Threnis quoque : Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me; judica judicium meum. (*Thren.* III, 59.)

Et os meum replebo increpationibus, id est reprehensionibus contradicentium veritati ; vel, Increpationibus, id est piis querelis, cur ego justus et innocens tam graviter cæsus sum, quatenus ex divina responsione veritatem clarius noscam, non ut Deum redarguam, aut injuste judicasse prætendam. Sic Thomas exponit. Unde, ut Lyra affirmat, in Hebræo habetur : Os meum replebo argumentationibus, utpote sicut discipulus coram magistro interdum multiplicat argumenta, non ad contentionem, sed ad veritatis inquisitionem, quam

Digitized by Google

a magistro audire desiderat. Potius autem reor nomen Hebræum ad utrumque istorum esse æquivocum. Porro Albertus exponit sic : Os meum replebo increpationibus, increpando me in quibus accusabilis Prov. XVIII, 17. inveniar : juxta illud Proverbiorum, Justus prior accusator est sui. Justum enim est ut homo increpet se in quibus Deus eum accusat, secundum quod dicit Jeremias : Jer. XXXI, 19. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum ; confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Sed expositio ista videtur non tam litteralis, quam mystica. Job quippe hæc loquitur ad insinuandum suam æquitatem, non culpam, sicut verba clarius pandunt sequentia. *Ut sciam verba quæ mihi respondeat* ad quæstionem qua causam meæ percussionis inquiro, seu ad querelam qua me conqueror sine meo plagatum demerito ; *et intelligam quid loquatur mihi,* causam meam determinando. Primo enim audienda et cognoscenda sunt verba, deinde intelligenda et intuenda.

Nolo multa fortitudine contendat mecum, id est, non sic peto judicium Dei, ut velim eum procedere mecum secundum omnipotentiam suam, aut secundum justitiam suam fortissimam, qua in se ipso justus est infinite, ut scilicet secundum justitiæ suæ rigorem me judicet, non habendo pium respectum ad humanam fragilitatem. Sic enim omnis humana justitia insufficiens est, et comparatione divinæ justitiæ, injustitia quædam, Isaia dicente : Is. LXIV, 6. Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Propter quod ait vir sanctus : Ps. CXLII, 2. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Job IX, 2. Et supra dictum est : Non justificabitur homo compositus Deo ; Ibid. 3. et : Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille. *Nec magnitudinis suæ mole* [*me*] *premat,* id est, majestatis suæ immensitate, atque justitiæ suæ excellentia non mihi prævaleat, quoniam comparatione ipsius scio me infinite deficere, nec aliquid habere condignum.

Proponat æquitatem contra me, id est A justitiam pietati admixtam, non solum ad suam perfectionem, sed ad meam quoque fragilitatem naturalem ac inevitabilem imperfectionem respiciendo in judicando me secundum opera mea : quæ licet respectu divinæ perfectionis justa non sint, tamen habendo respectum ad meæ naturæ conditionem, modum, gradum et ordinem, in suo genere justa sunt. Unde Albertus hic ait : Æquitas, secundum Chrysostomum, est justitia dulcore misericordiæ temperata : ut sit sensus, Proponat æquitatem contra B me, id est, ad æquum infirmitatis humanæ me judicet. *Et perveniet ad victoriam judicium meum,* id est, judicium quod Deus proferet de me, ostendet me justum et amicorum meorum victorem, veritatisque defensorem. Quomodo autem his verbis non obviet, quod nono capitulo ait Job, Si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea (Job IX, 20, 21.) : patet ex dictis ibidem.

Si ad orientem iero, non apparet ; et si C *ad occidentem, non intelligam eum :* id est, sive orientalem cœli partem, sive occidentalem considerem seu accedam, et omnia quæ ibidem geruntur et sunt, pensem, Deum tamen omnium horum conditorem perfecte, plene, et sicut in se ipso est, cognoscere ex illis non queo. In tantum equidem Creator ex creaturis cognoscitur, in quantum ejus perfectio in illis relucet. Creatura autem omnis deficit infinite a plena repræsentatione perfectionis proprii Creatoris. *Et si ad sinistram,* id D est aquilonem, transiero, *quid agam?* Ad quod respondet : *Non apprehendam eum* cognitione prædicta. *Si me vertam,* per considerationem internam, seu corporis gressum, aut vultus directionem, *ad dexteram,* id est plagam meridianam, *non videbo illum,* per speciem ex creatis quæ ibi sunt. De qua visione Dominus loquitur Moysi : Non videbit me homo, et vivet. (Exod. XXXIII, 20.) Unde et in Joanne habetur : Deum nemo vidit unquam. (Joann. I, 18.) In Proverbiis quoque : Quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si no- (Prov. XXX, 4.)

sti? Hinc philosophi tam Peripatetici quam A Platonici fassi sunt, quod Deus sit penitus innominabilis, insensibilis, inimaginabilis, inopinabilis, inenarrabilis, incomprehensibilis, superessentialis, ignotus et infinitus. Verumtamen, ex creaturis aliquo modo cognoscitur, prout causa supertranscendens ex suo valet effectu cognosci. Propter quod ad Romanos ait Apostolus : *Rom.* I, 20. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi, id est homine, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. In Sapientiæ demum li- B *Sap.* XIII, 5. bro scriptum est : A magnitudine speciei et creaturæ poterit cognoscibiliter creator horum videri.

Ista inducit Job ad declarandum quam rationabiliter dixit : Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum? quasi dicat : Ad plenam Dei seu claram visionem non propriis viribus naturalive lumine valeo pervenire, ideo gratiæ opem et supernaturalem illuminationem deposco. Item ad innuendum, quod Deus omnipotens et superexcelsus sit penitus incomparabilis, C incircumscriptibilis, illocalis, immensus.

Ipse vero scit viam meam, id est omnem vitæ meæ consistentiam et processum. Un- *Job* XIII, 27. de supra locutus est Deo : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meo- *Ibid.* XIV, 16. rum considerasti; itemque : Tu quidem gressus meos dinumerasti. *Et probavit me sicut aurum quod per ignem transit,* id est, tribulationibus me exercitavit, atque adversis probatum seu virtuosum ostendit, quemadmodum per ignem probatur aurum an verum sit aurum : hoc enim innotescit, D si ignem valeat sustinere. In quibus verbis, divinitus illustratus, unam suæ percussionis aperit causam, ut scilicet ad aliorum ædificationem sua perfectio per tot adversa pateret hominibus, ac toti innotesceret mundo : de qua causa superius dictum est plenius. Unde Sapiens scribit: *Sap.* III, 6. Tanquam aurum in fornace probavit ele- *Eccli.* II, 5. ctos Dominus. Ecclesiasticus quoque : In igne probatur argentum et aurum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.

Hinc orat Psalmista : Proba me, Domine, *Ps.* XXV, 2. et tenta me.

Vestigia ejus secutus est pes meus. Vestigia Dei, hoc loco intelligi possunt processus et modi seu varii incessus Dei in suis effectibus, præsertim in suis operibus circa homines, in quibus diversimode operatur, omnibus tamen multiplicem in hoc sæculo exhibet pietatem, et cuncta sapienter dispensat ac regit, recteque judicat. Itaque, Dei vestigia sequi, est ejus perfectionem et opera agendique modum juxta modulum creaturæ agentis imitari, indigentibus succurrendo, offendentibus ignoscendo, ignorantes docendo, sapienter ac ordinate in omnibus se habendo, juste, pie et sancte vivendo. Ad quod hortatur nos Christus : Diligite (inquiens) inimicos *Matth.* V, 44, 45. vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. Pro quo Lucas habet : Et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus *Luc.* VI, 35. est super ingratos et malos. Rursusque ait : Estote ergo et vos perfecti, sicut et *Matth.* V, 48. Pater vester cœlestis perfectus est. Hinc ad Ephesios monet Apostolus : Estote imita- *Ephes.* V, 1. tores Dei sicut filii carissimi. In Levitico quoque Dominus loquitur : Nolite conta- *Lev.* XI, 43, 44. minare animas vestras. Ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Quum enim rationalis creatura sit ad Dei imaginem similitudinemque producta, debet suo Creatori sicut in natura et viribus, ita in vita et actionibus assimilari.

Postremo, per pedem, intelligi potest affectus vel quælibet vis activa, per quam homo in opus progreditur. De hujusmodi pede oramus in Psalmo : Non veniat mi- *Ps.* XXXV, 12. hi pes superbiæ. Et in Canticis habetur : Lavi pedes meos, id est, affectus et vires *Cant.* V, 3. operativas a peccatis purgavi.

Albertus ait hoc loco : Vestigia hic dicuntur signa voluntatis divinæ, quæ quinque ponuntur, videlicet præceptum, prohibitio, permissio, consilium, opera : quæ

Digitized by Google

secutus est pes Job, quia quod Deus præcepit ei, fecit; quod prohibuit, dimisit; quod permisit, patienter sustinuit; quod consuluit, implevit; quod operatus est, pro exemplo habuit.

Viam ejus, id est legem ab eo datam, divinam seu naturalem, *custodivi* in memoria et effectu : sicut ait Psalmista, Custodiam legem tuam semper. Denique viæ Dei, sunt ejus testimonia et præcepta atque consilia, per quæ velut per iter lucis ad beatificum tendimus finem. De quibus in Proverbiis fertur : Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. Via quoque Dei, est ejus doctrina, juxta illud : Facta est illa die turbatio non modica de via Domini. *Et non declinavi ex ea,* sed perseverans fui in bonis, nec ad aliquod vitiosum extremum diverti, imo regia via incessi; juxta illud Isaiæ : Hæc est via; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Ps. cxviii, 44. — Prov. iii, 17. — Act. xix, 23. — Is. xxx, 21.

A mandatis labiorum ejus non recessi, per mentis aversionem seu rebellionem. De quo recessu scriptum est in Malachia : Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege. Præterea, in simplicissimo Deo corporalia membra spiritualiter sunt sumenda. In Deo ergo os et labia, sunt intellectus divinus, proferens verbum, et instruens homines, loquensque eis. Unde per Isaiam Dominus ait : Os meum non interrogastis. Quo rursus inducitur : Labia ejus repleta sunt indignatione. Labia quoque et os Dei, intelligi possunt Scripturæ ac revelationes divinæ, per quas Deus loquitur nobis. Insuper, os et labia Dei, intelliguntur homines sancti, per quorum os et labia loquitur Deus. Propter quod Jeremiæ dicitur : Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Mandata autem Decalogi, sunt de dictamine rationis et juris seu legis naturalis : ultra quæ fuerunt ipsi Noe et quibusdam aliis Patriarchis ac Sanctis tempore legis naturalis, quædam præcepta divinitus data de cultu Dei, ut patet de Noe in Genesi. Talibus quoque Deum colentibus, ejusque illuminationem quærentibus, revelabantur inspiratione divina, seu per angelos, aut per quosdam præcipuos homines sanctos, necessaria ad salutem : ut patet de Job, cui quam eminens et præclara facta fuerit revelatio de futura resurrectione, et judicio Dei, ac dispositione inferni, superius patuit.

Malach. ii, 8. — Is. xxx, 2. — Ibid. 27. — Jer. xv, 19. — Gen. ix, 4. — Job xix, 25, 26; ix, 2-21; xii, 13-25; x, 21, 22.

Et in sinu meo, id est cordis arcano seu fundo : juxta illud Joannis, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit; *abscondi,* id est, invisibiliter ac diligenter reposui, *verba oris ejus,* ut juxta illa me habeam : sicut ait Psalmista, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Joann. i, 18. — Ps. cxviii, 11.

Consequenter causam assignat, cur tam timorate atque perfecte servierit Deo. *Ipse enim solus est,* id est, solus habet esse absolute perfectum, simpliciter plenum, ideo infinitæ est majestatis, incomparabilis dignitatis, interminabilis perfectionis ac sanctitatis : unde cum summa diligentia est colendus. Quomodo autem solus Deus dicitur esse, et qualiter Esse sit proprium nomen ejus, supra diffuse induxi super illud : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? *Et nemo avertere,* id est impedire, *potest,* seu immutare, *cogitationes,* id est propositum, decretum seu consilium *ejus.* Deus enim est immutabilis, et ipse est cogitatio sua, et cogitatio sua est omnipotentia sua, cui nulla valet resistere creatura. Ideo fertur in Psalmo : Consilium Domini in æternum manet; cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. Per Isaiam quoque protestatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Ita exponunt Gregorius et Albertus. Thomas autem et quidam alii legunt sic : *Nemo advertere,* id est comprehendere, *potest,* aut certitudinaliter cognoscere, *cogitationes ejus,* id est dispositiones judiciorum ipsius : juxta illud Apostoli, Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! Et in Sapientia habetur : Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Hæc itaque ne-

Job xiv, 4. — Ps. xxxii, 11. — Is. xlvi, 10. — Rom. xi, 33. — Sap. ix, 13.

Digitized by Google

queunt sciri a nobis, nisi in quantum Deus A
Ps. L, 8. ostenderit, quum David testetur : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mi-
Sap. IX, 17. hi. Et sapiens quidam inducit : Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de cœlis ?

Et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Anima in Deo, est ejus voluntas seu mens, quæ quum omnipotens sit, facit
Ibid. XII, 18. quidquid voluerit : cui (ut Sapiens dicit) subest, quum voluerit, posse. Unde et Psal-
Ps. CXXXIV, 6. mista decantat : Omnia quæcumque voluit B Dominus, fecit in cœlo et in terra. Præterea, in Scripturis anima Deo frequenter ad-
Jer. V, 9. scribitur, ut quum ait in Jeremia : Numquid super his non visitabo, et in gente tali non ulciscetur anima mea? Rursusque
Ibid. XV, 1. in eodem Propheta : Non est anima mea
Amos VI, 8. ad populum istum. Et Amos : Juravit Dominus in anima sua : Detestor ego superbiam Jacob. *Quumque expleverit in me voluntatem suam,* me pro suo libito percutiendo, seu aliter quovis modo tractando, *et alia multa similia,* quibus me possit C ferire, ad libitumque tractare, *præsto,* id est in præsentia, *sunt ei,* id est in potestate sua : qui quum omnipotens infinipotensque consistat, non potest in tot aut tanta, quin possit in infinities plura atque majora, quantum in se est. *Et idcirco a facie ejus,* id est consideratione suæ majestatis ubique præsentis, et omnia intuentis. Vel, A facie ejus, id est præsente hac plaga mihi ab eo illata, *turbatus sum* turbatione ordinata, videlicet reverentiæ seu timoris, expavescendo ac admirando immensi- D tatem excellentiæ Dei ; *et considerans eum,*
Ps. LXV, 5. quam terribilis sit in consiliis suis super filios hominum, quam admiranda ejus judicia, quam horrenda ejus contra iniquos sententia, *timore sollicitor,* ne eum in aliquo inhonorem, ne rursus aut gravius ab eo percutiar, ne ab eo ullatenus separer.

Deus mollivit cor meum, id est, suo amore seu bono timore liquefecit, et quasi resolvit, compunctionem infudit, atque ad omne bonum promptam capacitatem donavit, qua et cito in lacrimas pias resolvor. Sic quoque per adversa et inspirationem Dan. IV, 30, 31.
clementem mollivit cor Nabuchodonosor regis, ut Daniel describit ; itemque cor Pe- Luc. XXII, 57, 58, 60-62.
tri apostoli, quum Christum negasset. Omnium quoque peccatorum quos ad pœnitentiam veram convertit, cor mollit. Quibus per Ezechielem locutus est : Auferam cor Ezech. XXXVI, 26.
lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Molle etenim dicimus, quod facile cedit tangenti, neque resistit, sed mox recipit impressionem. Talia autem sunt corda bonorum, quæ a Spiritu Sancto dirigibilia sunt atque docilia, et facile acquiescunt in bonis. Unde secundo Regum habetur, quod sedens in cathedra, scilicet II Reg. XXIII, 8.
David rex, fuit quasi tenerrimus ligni vermiculus. *Et Omnipotens conturbavit me,* id est, valde alteravit, movit, et terruit me, sicut jam dictum est.

Non enim perii, id est, non ita dejectus et cæsus sum, *propter imminentes tenebras,* id est propter peccata inexsistentia mihi, vel ad quæ proclivis sim. Vel sic : Non perii propter imminentes tenebras, id est, propter tribulationes mihi illatas et imminentes, non cecidi a statu mentis vitaque gratiæ per desperationem aut aliam culpam mortalem. *Nec faciem meam,* id est aciem rationis, seu mentem, quæ est facies intellectualis, *operuit caligo,* id est, peccatum impatientiæ aut simile vitium non obtenebravit, sed manet in lumine gratiæ fixa : juxta illud Michææ, Quum Mich. VII, 8.
sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Atque in Psalmo : Si ambulavero in me- Ps. XXII, 4.
dio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Itemque : Dominus Ps. XXVI, 1.
illuminatio mea, et salus mea ; quem timebo ?

Postremo, hic aliam moralitatem non necesse est introducere, sed sequi curemus virtutes beati Job, et vestigia Dei sequatur pes noster, a testimoniis et præceptis legis divinæ nullatenus declinemus, verba ejus memoriter teneamus, consideremus omnipotentiam, sapientiam, justitiam Dei peni-

Digitized by Google

tus infinitam, et filiali impleamur timore, sancta sollicitudine concutiamur, cor durum atque impœnitens recedat prorsus A a nobis, et ad omne bonum mollificetur cor nostrum, nec tamen a firmitate recedat justitiæ.

ARTICULUS L

ELUCIDATIO LITTERALIS, PARTIMQUE MYSTICA CAPITULI VICESIMI QUARTI : AB OMNIPOTENTE NON SUNT ABSCONDITA TEMPORA.

QUIA vicesimo secundo capitulo Eliphaz B
Job xxii, 12-14. dixit ad Job, an providentiam Dei putaret ad inferiora et ad actus hominum non extendi, hinc Job præsenti capitulo ostendit se sane sentire de providentia Dei. *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora,* id est, omne tempus et quidquid tempori subjacet, a Deo cognoscitur, æternaliter utique et invariabiliter, distincte atque clarissime. Ipse enim unicuique rei inferiori, corruptibili, mixtæ, certam præ-
Ibid. xiv, 5. fixit periodum. Unde superius dixit : Numerus mensium ejus (videlicet hominis) C apud te est; constituisti terminos ejus.

Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. Dies Dei, sunt ejus æternitas : quæ interdum singulariter dies vocatur, ob suam simplicissimam et immultiplicabi-
Ps. cix, 3. lem unitatem, sicut in Psalmo : Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum. Interdum pluraliter dies seu anni exprimitur, quoniam omne tempus includit, continet, comprehendit, ut
Mich. v, 2. in Michæa legitur : Egressus illius (scilicet Christi) ab initio, a diebus æternitatis; at- D
Ps. ci, 28. que in Psalmo : Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Quum ergo Deus æternus, omnipotens, adorandus, sit sua æternitas, quomodo qui eum noverunt, dies ipsius ignorant? Et respondendum, quod noscentes Deum clare per speciem, æternitatem quoque ipsius proportionaliter sciunt, quamvis nec Deum, nec æternitatem aliqua pura creatura plene comprehendere possit. Porro viatores, quamvis Deum quodammodo noscant, quoad quia est, et per naturalem rationem ac fidem, seu per sapientiæ contemplationem fidei innitentem, non tamen comprehendunt, nec clare (sicut Beati) cognoscunt æternitatem Dei sublimis; aliqualiter tamen eam cognoscunt, sicut Boetius in libro de Consolatione philosophiæ, de ea tractat subtiliter.

Consequenter inducit varia hominum scelera, ex quorum justa ultione demonstratur divina providentia ad omnia etiam humana pertingere. *Alii terminos transtulerunt,* id est, possessionum suarum confinia extenderunt : sicque alienas possessiones usurpaverunt, secundum illud Osee,
Facti sunt principes Juda quasi assumentes *Osee* v, 10.
terminos. Talibus Dominus comminatur
per Isaiam : Væ, qui conjungitis domum *Is.* v, 8.
ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Nunc autem de violenta et furtiva hujusmodi translatione potissime sermo est. Hinc quoque in Proverbiis
habetur : Ne transgrediaris terminos anti- *Prov.* xxii, 28.
quos, quos posuerunt patres tui. Ad quod
etiam pertinet illud Deuteronomii : Non *Deut.* xix, 14.
transferes terminos, quos fixerunt priores in possessione tua. *Diripuerunt greges, et paverunt eos,* id est, aliorum animalia rapuerunt, et ad proprium ea usum nutrie-
runt, sicut Sabæi atque Chaldæi primo hu- *Job* i, 15, 17.
jus libri capitulo fecisse leguntur beato Job.

Spiritualiter, terminos transferunt, qui leges justitiæ et regulas seu statuta vitæ

Digitized by Google

monasticæ sibi a patribus sanctis præfixas transgrediuntur, parvi pendunt, et negligunt, remissius conversantes, et sine causa idonea dispensatione utentes : quod impium est vehementer, præsertim si contra substantialia religioni quid fiat, videlicet contra castitatem, paupertatem, aut obedientiam. Hoc namque esset directe contra professionem, quæ est solennissimum votum ; talisque voti fractio, magis censetur peccatum, quam fractio juramenti, secundum positionem magnorum doctorum, asserentium votum plus obligare quam juramentum. Insuper, greges diripiunt, qui Christifideles verbis aut pravis exemplis ad vitia trahunt, dæmonique incorporant. Unde, secundum Apostolum, luxuriantes, (1 *Cor.* vi, 15.) vel alios ad luxuriam inducentes, tollunt membra Christi, et membra efficiunt meretricis. Isti sunt animarum strangulatores, et scandalizatores, pretium sanguinis Christi quantum in ipsis est, evacuantes. Quibus timendum est quod ait Salvator : (*Matth.* xviii, 6, 7.) Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ homini illi per quem scandalum venit. Tales demum greges a se direptos pascunt, id est, vanis documentis informant, vitiis imbuunt, in malis confortant. Tales sunt negligentes, carnales, et vitiosi pastores, doctores, et prædicatores. Unde (*Jer.* x, 21.) in Jeremia legitur : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est.

Asinum pupillorum abegerunt, id est, a via divertere fecerunt, ut eum commodius raperent ; *et abstulerunt pro pignore bovem viduæ* pauperis : in quo eorum patet crudelitas, quod personis istis miserabilibus non pepercerunt. Contra quod Dominus in Deuteronomio ait : (*Deut.* xxiv, 10-12.) Quum repetes a proximo tuo rem aliquam, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas ; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Si autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus. *Subverterunt pauperum viam,* A id est, opera eorum ab expedito et prospero impedierunt successu, ita quod necessaria procurare vix poterant. Quod quam impium sit, constat ex eo quod legitur in Ecclesiastico : Panis egentium, pauperum (*Eccli.* xxxiv, 25.) vita est ; qui defraudat illum, homo sanguinis est. *Et oppresserunt pariter mansuetos terræ :* quibus tanto plus esset parcendum, quo ipsi aliis minus molesti, et magis suaves sunt. Denique (secundum Augustinum) mansuetus est, qui alium injuria sua non provocat, nec provocatur ab B aliena. Talium injuriam Deus specialiter ulciscetur, quemadmodum Isaias ait de Christo : Arguet in æquitate pro mansuetis (*Is.* xi, 4.) terræ. Spiritualiter, pauperum viam subvertunt, qui eorum qui nondum in virtutibus roborati sunt, aut gratiæ donis ditati, ut incipientes, conversationem inficiunt, aut pauperes spiritu (scilicet humiles), per laudes aut alio modo, ad inanem pertrahunt gloriam sive superbiam.

Alii quasi onagri in deserto, id est sicut asini silvestres, indomiti, in desertis vaC gantes, *egrediuntur ad opus suum,* id est, sine freno rationis ac legis, cum crudeli audacia ad nefaria exeunt perpetranda ; *vigilantesque ad prædam,* id est intenti quomodo spolient occurrentes, *præparant panem liberis,* id est, filiis suis ex prædis procurant cibaria. Quod spiritualiter potissime faciunt schismatici atque hæretici, conantes ecclesiasticos et Catholicos ad suas impietates allicere, sicque alios sibi consentientes ac subditos in suis erroribus confovere. In horum violentorum ac præD dantium persona in Proverbiis habetur : Insidiemur sanguini, abscondamus ten- (*Prov.* i, 11, 13.) diculas contra insontem frustra ; omnem substantiam pretiosam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. *Agrum non suum demetunt,* id est, valde metunt, nihil de terræ nascentibus aliorum relinquentes in agro : in quo violentorum istorum avaritia ferociaque monstrantur ; *et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant :* prout Achab et Jezabel fecisse le- (III *Reg.* xxi, 1-16.) guntur Naboth Jezraelitæ. Istud quoque

Digitized by Google

spiritualiter agunt, qui congregationes devotas sibi non commissas introeunt, et corrumpunt, spirituali earum patre oppresso.

Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes : juxta illud Michææ, Desuper tunicam pallium sustulistis; *quibus non est operimentum in frigore.* Quod spiritualiter implent, qui alios virtutibus (quæ animarum vestes sunt) privant, dum eos ad mortale trahunt peccatum : quibus ita nudatis non est operimentum in frigore sæculi hujus, ubi caritate Dei refrigescente, torpor et ignavia, vitiorum constrictio atque duritia, animas lædunt virtutum vestibus spoliatas. Quocontra in Proverbiis de sapiente et forti dicitur muliere : Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.

Mich. II, 8.

Prov. XXXI, 21.

Quos imbres montium rigant : quia sic spoliati, ad montana confugiunt loca sive latibula, quasi ad tutiora, ubi ob aeris frigiditatem frequentiores et graviores sunt pluviæ, quibus tunc perfunduntur. *Et non habentes velamen,* id est aliquod nuditatis ac verecundiæ operimentum, *amplexantur lapides,* id est, sub lapidibus seu locis petrosis vel cavernis abscondunt se. Spiritualiter, imbres montium, sunt doctrinæ virtuosorum, quibus spoliati virtutibus mente rigantur, ut reviviscant atque fructificent : qui non habentes velamen, id est animæ ornamentum contra vitiorum fœditatem, amplexantur lapides, id est, ad perfectorum festinant suffragia, ut orent pro se. De quibus viris perfectis loquitur in prima sua Canonica Petrus : Vos tanquam lapides vivi superædificamini.

1 *Petr.* II, 5.

Vim fecerunt deprædantes pupillos, id est, violenter deprædati sunt eos; *et vulgum pauperem exspoliaverunt :* quum tamen pupillis et pauperibus amplius sit parcendum. *Nudis* omnino seu parum vestitis, *et incedentibus absque vestitu,* ita quod præ inopia etiam inter homines nudi ambulaverunt, *et esurientibus spicas tulerunt,* id est abstulerunt, quas esurientes laboriose collegerunt. Talisque spoliatio ineffabiliter impia est atque crudelis, præsertim quum Dominus jubeat, ut nec dominus agri decidentes aut remanentes colligat spicas, sed pauperibus relinquat legendas. Spiritualiter nudus est, meritis et virtutibus destitutus, etiamsi mali nil actualiter operetur. Porro, qui agit inique, nudus incedit. Contingit autem quod talis se cupiat emendare, esuriatque refectionem virtutum, et colligat spicas, id est, perfectorum virtutes incipiat aliqualiter sibi haurire ac sequi : quod videntes animarum corruptores, tristantur, et satagunt eum pristinis vanitatibus implicare, collectasque spicas ei subtrahere, ut anima ejus nullo reficiatur spirituali edulio. Quibus ait Apostolus : Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Unde in Michæa scriptum est : Vir fratrem suum venatur ad mortem. Quod is periculosissime agit, qui aliquem bonæ voluntatis, aut religionem intrare volentem retrahere nititur.

Lev. XIX, 9, 10.

1 *Cor.* VIII, 12.

Mich. VII, 2.

Inter acervos eorum, id est inter manipulos frugum pauperum esurientium, *meridiati sunt,* id est, meridie quieverunt seu pransi sunt, de illorum paupertatula deliciantes. Naturale est autem, secundum Albertum, in meridie prandere, dum sol ad summum accedens, alimentum præcedentis comestionis a loco digestionis evocavit ad membra. *Qui* pauperes *calcatis torcularibus sitiunt,* id est, uvis calcatis tam parum habent de vino, ut non aut vix necessitati sufficiat.

De civitatibus fecerunt viros gemere, id est, cives urbium ad gemitum atque tristitiam induxerunt, bona eorum in agris vastando, vel concives capiendo sive lædendo. Quod spiritualiter faciunt, qui catholicos viros contristant, quosdam fidelium decipiendo, damnationique exponendo : quod virtuosis caritate ferventibus gravissimum est videre. Unde per Ezechielem Dominus impiis ait : Mœrere fecistis cor justi, quem ego non contristavi. *Et animæ vulneratorum clamabunt,* præ dolore vul-

Ezech. XIII, 22.

Digitized by Google

nerum corporis sui. Vulnerati quoque in A
anima, quum ad cor per pœnitentiam convertuntur, clamant ad Deum in prece et pœnitudine planctibusque propter peccata. Aliquando etiam clamant zelo justitiæ pro vindicta ad Dominum, sicut in Evan-
Luc. xviii, 7. gelio loquitur Christus : Deus non faciet vindictam servorum suorum clamantium ad se die ac nocte? In Apocalypsi quoque
Apoc. vi, 9, 10. habetur : Animæ interfectorum clamabant voce magna : Usquequo, Domine, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? *Et Deus in-* B
ultum abire non patitur, id est, peccata hæc non permittit inulta : qui in Deutero-
Deut. xxxii, 41. nomio testatur, Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam. Hoc enim sapientia Dei dictat agendum, et justitia ejus illud exigit, quia et inordinatio culpæ, ordinanda est per ordinem pœnæ.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, id est inobedientes primæ increatæque luci, cujus transgrediuntur præcepta; angelicæ quoque lucidæ inspirationi non consentientes, C
nec naturali rationi obtemperantes, neque Scripturarum et hominum virtuosorum seu prælatorum verbis claris ac sanctis acqui-
Joann. iii, 19. escentes. Hinc Joannes dixit : Lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Talibus Moyses ait in
Num. xx, 10. Numeris : Audite, rebelles et increduli. *Nescierunt vias ejus,* id est mandata justitiæ atque notitiam veritatis, vel ea penitus nesciendo, vel per approbationem non
Prov. xxix, 7. agnoscendo : quomodo omnis malus est
Ibid. xii, 15. ignorans, et via stulti recta in oculis ejus. D
Nec reversi sunt per semitas illius, id est, ab iniquitate et falsitate non sunt ad lucis itinera per pœnitentiam et satisfactionem correctionemque morum conversi, juxta
Ps. lxxxi, 5. illud Psalmi : Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. De quibus Ba-
Baruch iii, 28. ruch ait : Quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Et
Ibid. 20, 21. rursus : Viam disciplinæ ignoraverunt, neque intellexerunt semitas ejus. Tales sunt omnes impœnitentes et indurati : quibus dicitur a Jeremia : Quare aversus est po- *Jer.* viii, 5.
pulus iste aversione contentiosa? Et alibi Dominus ait de talibus : Non dabunt cor *Osee* v, 4.
suum, ut revertantur ad me.

Mane primo, id est valde mane, dum semitenebrosum est tempus, *consurgit homicida, interficit egenum et pauperem :* quoniam inopes mane consurgunt ad panem suum lucrandum seu procurandum, et illa hora eos homicida observat. *Per noctem vero erit quasi fur,* id est, aliorum bona furtive tollet, sicque Quasi, denotat veritatem, non similitudinem tantum.

Oculus, id est mens, *adulteri observat caliginem,* id est tempus nocturnum, *dicens : Non me videbit oculus.* Tunc enim tanto audacius se ingerit ad peccandum, quanto plus putat se non adspiciendum. *Et operiet vultum suum,* ne agnoscatur, etiam si quis deprehenderit eum. De isto peccato et allegationibus Scripturarum ad verba hæc pertinentium, dictum est supra. Spiritualiter adulter est spiritus rationalis a Deo avertens se, et Scripturis abutens ad proprium quæstum et gloriam vanam. Qui si juste se gubernaret, sponsam haberet sapientiam, juxta quod dicitur in libro Sapientiæ : Hanc amavi, et exquisivi a ju- *Sap.* viii, 2.
ventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere. Cujus adultera est vanitas et insipientia diabolica. Qui observat caliginem, quoniam quærit latere quantum ad suam perversitatem, cupiens bonus et sapiens reputari. Omnis enim qui male agit, *Joann.* iii, 20.
odit lucem. Operit quoque vultum suum, quia et mentem propria excæcat malitia, et foris virtuosum se simulat : sicut de hypocritis ait Salvator, quia exterminant facies *Matth.* vi, 16.
suas, ut appareant hominibus jejunantes.

Perfodit in tenebris domos, id est, adulter, si aliunde ingressum aptum habere nequiverit, perfodiendo aliquam partem, parat sibi ingressum; *sicut in die condixerant sibi* adulter et adultera. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis,* id est, lucem habent odiosam, in quantum ea apparente metuunt deprehendi, compelluntur que dividi, et a volupta-

Digitized by Google

tibus sequestrari. Sic spiritualiter adulterantes, et dæmonum impietatibus atque erroribus se miscentes, odiunt lucem veritatis et æquitatis, suamque pravitatem aperiri verentur. *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant :* id est, sicut boni tendunt ad bona in die, sic ipsi vadunt ad prava in nocte. In vitiosis quoque operibus ita versantur et delectantur, ut justi in actibus virtuosis. Sed et ita se exhibent, quasi nil impium perpetrassent, quemadmodum in Proverbiis de adultera
Prov. xxx, 20. Salomon loquitur, quod tergens os suum, dicit, Non peccavi. Ecclesiastes quoque
Eccle. viii, 14. asserit : Sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. *Et ignoraverunt lucem,* id est, splendorem virtutum, et veræ sapientiæ claritatem assecuti non sunt, sed contempserunt.

Levis est adulter, id est mente vagus, levis, instabilis, *super faciem aquæ,* id est magis quam superficies aquæ, quæ modico vento movetur. Mens namque adulteri variis concupiscentiis agitatur, omni tentatione concutitur, innumerabilibus passionibus vitiisque movetur, ac vincitur. Passiones quippe et vitia hanc mentis pariunt instabilitatem, debilitatem et levitatem, sicut superius de hoc multa inducta sunt. *Maledicta sit pars ejus,* id est portio seu hereditas terrena, videlicet bonum temporale et vanum, in quo sibi finem constituit : quam partem habet *in terra,* quæ a Deo maledicitur, dum possidenti in perniciem vertitur, maledictionisque causa materialis seu occasio ei efficitur, aut sterilis
Gen. iii, 17. fit, juxta illud Genesis, Maledicta terra in
Job iii, 1. opere tuo. Quomodo autem liceat alteri maledicere, in expositione capituli tertii patuit. *Nec ambulet per viam vinearum,* id est, itinera refrigerativa ac læta non habeat. Vinea quippe amœnitatem ac refrigerium parit, et fructu suo exhilarat, bonæque spei efficit hominem. Ideoque in Judicum libro vitis dixisse inducitur :
Judic. ix, 13. Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines? Itaque, metaphorice via vinearum, est via gau-
A diorum. Denique vinea locum temperatum requirit : siquidem in locis valde frigidis destruitur glacie ; in locis nimis calidis destruitur excessivo calore. Impius ergo per viam vinearum non graditur, quoniam rebus mundi hujus moderate non utitur, sed nunc ad unum vitiosum extremum, nunc ad aliud se divertit.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Hoc communiter de pœna infernali exponitur, quod ibi sit vicissitudo commutatioque pœnarum de maximo fri-
B gore ad summum calorem, ad afflictionem majorem. Unde Albertus : Ad nimium calorem æstuantis gehennæ, propter fervorem libidinis transeat successione pœnarum ab aquis nivium : quibus infunditur, gelu mortificante, eo quod per cupiditatem terrenorum refriguit in eo ignis caritatis. Estque miserabile, quia in hac via non transitur de frigidissimo in calidissimum, nisi per medium quod est temperatum. In inferno autem, de excellentia frigoris mortificantis, transitur ad æstum ignis urentis,
C ita quod nunquam erunt in medio : quia in hac vita per vitia transierunt a frigore cupiditatis ad æstum libidinis, non attingendo medium virtutis. Propter has duas pœnas dicitur in Matthæo : Ibi (scilicet Matth. viii,
in inferno) erit fletus et stridor dentium : 12; xiii, 42, 50; xxii, 13;
fletus, propter ignem ; stridor dentium, xxiv, 51; xxv,
propter gelicidium. Itaque præcogitanda, 30.
metuenda, atque cavenda est pœna hæc. An vero per omnipotentiam Dei sit in inferno aqua frigidissima ad reproborum supplicium, vel aliquid proportionale, quod
D aqua nivis vocatur, quia hæc aqua præfrigida est : quis nisi Deo revelante poterit certitudinaliter scire?

Et usque ad inferos peccatum illius, id est, in infernum culpa ejus ipsum sequetur ac ducet. Sic et Joannes in prima sua scribit epistola : Est peccatum ad I Joann. v,
mortem ; non dico ut pro illo quis oret. 16.
Peccatum quippe ad mortem, secundum Gregorium, est peccatum usque ad mortem pertractum : quia peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postula-

Digitized by Google

Is. v, 18. tur. Hinc Isaias inducit : Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.

Obliviscatur ejus misericordia, id est, Deus eum a pœnis per suam misericordiam nunquam eripiat : quo verbo confunditur hæresis confingentium pœnas inferni aliquando terminandas. Ubi Gregorius ait : Omnipotentis Dei misericordia obliviscitur ejus, qui oblitus fuerit justitiam Dei. Nam qui Deum nunc justum non timet, postea invenire eum misericordem non valet. Verumtamen hæc ita intelligenda non sunt, quasi nihil misericordiæ Deus impendat damnatis, quum in omni ejus effectu circa intellectuales creaturas misericordia atque justitia sint commixtæ; sed ideo hæc dicuntur, quoniam in inferno justitia magis relucet, et misericordia vel non, vel minus seu parum apparet. Attamen citra condignum torquentur. Juxta quem modum loquendi Jacobus
Jacob. ii, 13. ait : Judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Damnatorum quoque obliviscitur misericordia suffragiorum, quia eis non prosunt. *Dulcedo illius vermis,* id est, delectatio sua perversa, quam habuit in hac vita, vertatur ei in vermem, id est pœnam amaram, conscientiæ quoque remorsum. Vel, Dulcedo illius, per antiphrasim, id est amaritudo, sit vermis conscientiæ corrodentis : de
Is. lxvi, 24. quo Isaias dicit, Vermis eorum non morietur.

Non sit in recordatione, id est, oblivioni tradatur a Deo, ita quod per misericordiam suam non ostendat se memorem ejus. Ubi rursus damnationis interminabilitas aperitur. Econtrario de electo fertur in Psal-
Ps. cxi, 7. mo : In memoria æterna erit justus. Et
Prov. x, 7. Salomon : Memoria (inquit) justi cum laudibus ; nomen impiorum putrescet. *Sed conteratur quasi lignum infructuosum,* id est, variis pœnis teratur, in ignem mittatur; et quantum ad esse gratiæ ac virtutum, in nihilum redigatur, sicut comburitur
Matth. iii, 10. sterile lignum, juxta illud in Matthæo: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum,

A excidetur, et in ignem mittetur. Et loquitur Christus : Si quis in me non manserit, Joann. xv, 6. mittetur foras sicut palmes, et arescet ; et colligent eum, et in ignem mittent.

Pavit enim sterilem et quæ non parit, id est, bona sua infructuose consumpsit, instar illius qui infecundam feminam inutiliter nutrit. Vel, quia de adultero loquitur, per sterilem designat adulteram, quæ non parit heredem ex proprio viro, nec ei cum quo miscetur. Vel, Pavit sterilem, id est infructuosam animam suam, vel carnem B immundam, fructum virtutum non parientem. *Et viduæ non benefecit :* quæ, quum careat viri solatio, magis eget subsidio. Sicque iniquius est ei, quum loco et tempore opportunis non subvenerit. Vel vidua dicitur propria ejus conjux, quam a toro repellit atque infestat. *Detraxit fortes,* quibus prævalere potuit, *in fortitudine sua :* abutens potestate sibi concessa, ad aliorum oppressionem. Vel, Fortes, id est virtuosos vere fortes in Deo per gratiam, persecutus est, juxta illud Jacobi : Nonne divites per Jacob. ii, 6. C potentiam opprimunt vos? Talibus violentis dicit et Amos : Væ qui dicitis : Num- Amos vi, 14. quid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? *Et quum steterit* in sanitate, prosperitate ac robore, *non credet vitæ suæ,* id est, de aliorum contra se machinatione erit suspectus ; nec erit securus, sed pavidus. De hoc et causa hujus, dicta sunt plurima supra, ubi inter cetera dicitur : Sonitus terroris semper in auri- Job xv, 21. bus impii, et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Et angustia vallabit impium.

D *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ,* id est, post peccatum ejus non statim eum damnavit, sed misericorditer distulit, dans locum, tempus, et opportunitatem pœnitendi. Ideo equidem Deus differt vindictam, ut peccator se corrigat. Propter quod in Ecclesiastico legitur : Nemini dedit Deus Eccli. xv, 21. spatium peccandi. Et in Sapientiæ libro : Misereris omnium, Domine, quoniam om- Sap. xi, 24. nia potes; et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Et ille abutitur eo in superbiam,* id est, loco et tempore pœ-

Digitized by Google

nitendi abutitur, augendo contemptum in A
Deum, hincque securius peccans, quia diu
Eccle. VIII, 11. portatur, secundum illud Ecclesiastæ : Etenim, quia non cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Hinc ad Romanos
Rom. II, 4, 5. ait Apostolus : An divitias bonitatis Dei, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Itaque indulta pœnitentiæ tempora non B perdamus, nullam horulam inutiliter expendamus, divinæ pietati non simus ingrati. Pensemus quod sicut incomprehensibilis est misericordia Dei super peccatores in vita præsenti, sic incomprehensibilis est super eos ipsius justitia in vita futura.

Oculi enim ejus sunt in viis illius. Hoc dupliciter explanatur. Primo : Oculi ejus (scilicet Dei) sunt in viis illius, id est in operibus peccatorum, ad judicandum puniendumque ea, quemadmodum in Pro-
Prov. XV, 3. verbiis legitur : In omni loco oculi Domini C contemplantur bonos et malos. Atque in
Ps. XXXIII, 17. Psalmo : Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Secundo sic : Oculi ejus (id est peccatoris) sunt in viis illius, id est, in propriis suis operibus intenti sunt oculi ejus interiores per approbationem mali, et complacentiam culpæ, considerando quoque qualiter propositum exsequatur ac prosperetur, sicut de filiis hujus sæculi
Jer. IV, 22. per Jeremiam asseritur : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescie- D
II Petr. II, 10, 17. runt. Secunda quoque Petri epistola : Audaces, sibi placentes; quibus caligo tenebrarum reservatur. Tales modo sunt multi, qui gloriantur in vitiis, astutiasque implendi quod impie cupiunt, machinantur, sequentes pravitatem illorum, qui ante diluvium
Gen. VI, 5. fuerunt. De quibus legitur in Genesi : Videns Deus quia multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tem-
Ps. LXV, 18. pore. Quocontra vir justus testatur : Iniquitatem si adspexi in corde meo, id est, peccatum per consensum et complacentiam non sum mente intuitus.

Elevati sunt ad modicum, id est, impii ad breve tempus prosperati, sunt prælati et intumuerunt; *et non subsistent,* id est, diu non perdurabunt in statu hujuscemodi, juxta illud Psalmi : Dejecisti eos dum Ps. LXXII, 18, 19.
allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. De hoc dicta sunt multa supra, idcirco pertranseo. Gre- Job XX, 5-9.
gorius quoque hic ait : Iniquorum gloria, quum plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse quasi longa et stabilis æstimatur; sed quum repentinus hanc finis intercipit, brevem fuisse ostendit. *Et humiliabuntur,* id est, per divinam justitiam deprimentur, sicut et Christus fatetur : Qui se exaltat, Luc. XIV, 11; XVIII, 14.
humiliabitur; *sicut omnia* ista corruptibilia et terrena, quibus præfixus est certus terminus durationis, ut dictum est plenius super illud, Constituisti terminos ejus. *Et* Job XIV, 5.
auferentur de vita hac et de consortio electorum : juxta quod scriptum est, Tollatur Is. XXVI, 10.
impius ne videat gloriam Dei. *Et sicut summitates spicarum,* puta aristæ, *conterentur,* id est, cito atque faciliter tempore divinitus præordinato peribunt, quum mensuram pravitatis suæ impleverint; sicut fruges quum ad maturitatem devenerint, mox tolluntur, ut grana excutiantur. Unde in Genesi Dominus loquitur : Nondum com- Gen. XV, 16.
pletæ sunt iniquitates Amorrhæorum.

Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum? Verbum hoc intricatum videtur. Quid enim est quod ait, Quod si non est ita, nisi, Si quæ dixi falsa sunt, quis me potest arguere esse mentitum? Si enim protulit falsa, nonne fuerat tanquam mentiens arguendus? Gregorius itaque et Albertus exponunt hanc litteram, prout verba prima facie sonant, ita quod Job mystica ratione sic loquitur ad reprimendam amicorum suorum superbiam : quasi dicat, Etiam si mentitus sum, tamen indigni estis me reprobare, quia errori et vitiis subditi

Digitized by Google

estis, quæ mihi falso imponitis. Hinc ait Albertus : Istud in disputationibus rhetoricis verum est, quæ coram judice fiunt, ubi adversarius rite repellitur, quia in simili culpa est. Propter quod ait Salvator : Matth. VII, 5. Hypocrita, ejice primo trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut ejicias festucam de oculo fratris tui. Verumtamen istud aliter A potest exponi : *Quod si non est ita ?* quod interrogative negativeque profert, quasi dicat, Imo sic est, sicut in isto affirmavi capitulo de culpa et pœna malorum. *Quis me potest arguere esse mentitum ?* nullus utique ; *et ponere ante Deum verba mea,* id est Deo judici ea proponere judicanda, tanquam reprehensibiliter dicta?

ARTICULUS LI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES, DIXIT.

R*ESPONDENS autem Baldad Suhites, dixit.* Amici Job, contra veritatem verborum Job disputando, paulatim lentescunt. Nam post tertiam argumentationem ipsius Eliphaz, ipse Baldad tertio arguens, admodum brevis est. Sophar autem tertio non argumentatur. Et quamvis præcedenti capitulo multa locutus sit Job, tamen de hoc solo Baldad contra eum objicit, quod adhuc affirmat se justum et sine demeritis suis percussum : ad quod improbandum proponit excellentiam Dei in se ipso ac suis effectibus, cujus comparatione homo C non justificatur. Unde quæ in isto capitulo Baldad ait, frequenter præhabita sunt, demptis perpaucis.

Potestas et terror apud eum est, id est, omnipotentia est in Deo et terribilitas vel tremenda majestas, quæ sunt ipsemet Deus : et ita apud eum esse dicuntur, sicut mise- Ps. CXXIX, 7. ricordia, juxta illud Psalmi, Quia apud Dominum misericordia. Terror quoque est apud Deum, id est, in his qui Deo conjuncti sunt, est timor reverentialis ad Deum, præsertim prout timor est donum : sic D enim inest Beatis, et manet in patria, quantum ad habitum et aliquem suum actum, potissime illum, qui est revereri et Deo reverenter substerni. *Qui facit concordiam in sublimibus suis,* id est in cœlestibus corporibus, in quibus nulla est contrarie- B tas, resistentia naturæ nociva, aut corruptio aliqua. In angelicis quoque spiritibus summam et indissolubilem facit concordiam, implendo eos tanta suæ beatitudinis communione, quod nec a Deo, nec a se invicem discordare ullatenus queunt, sed omnes cives cœlestis Jerusalem, divinæ voluntati inavertibiliter conformantur. Nec obstat quod in Daniele quædam leguntur de angelorum præliis inter se : quæ qualiter intelligi debeant, Gregorius hic expo- Dan. X, 13, 20, 21. nit, et ego prosequerer, nisi hoc super Danielem scripsissem. Itaque confundantur, qui in cœlesti Beatorum palatio dissensiones et prælia vitiosa esse mentiti sunt. Insuper, Deus facit concordiam in sublimibus suis, id est, considerantes sublimia Dei, videlicet omnipotentiam, sapientiam, beatitudinem ejus, facit in considerando et sentiendo concordes, sicut ait Apostolus : Id ipsum dicatis omnes, et non I Cor. I, 10. sint in vobis schismata.

Numquid est numerus militum ejus? id est, innumerabilis nobis est multitudo angelorum sanctorum : qui milites Dei vocantur, quoniam ei ad nutum deserviunt, ejusque adversariis reluctantur ac prævalent. De quibus fertur in Psalmo : Benedicite Ps. CII, 20, 21. Domino, angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino,

Digitized by Google

omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui fa- A
citis voluntatem ejus. Quorum numerus
Is. XL, 26. Deo est certus, juxta illud Isaiæ : Qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis ejus. De quorum innumerabili nobis
Dan. VII, 10. multitudine Daniel ait : Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Ubi numerus determinatus pro indeterminato ponitur, sicut
Apoc. V, 11. in Apocalypsi legitur : Et erat numerus eorum millia millium. Ad Hebræos quo-
Hebr. XII, 22. que : Accessistis ad Jerusalem cœlestem B et multorum millium angelorum frequentiam.

Et super quem non surgit lumen illius? id est, numerus horum militum, super quem lumen Dei non splendeat, certus non est modo præfato. Beati enim in patria omnes immediate sortiuntur a Deo lumen gloriæ, beatificamque divinæ essentiæ clarissimam visionem et illuminationem, ad ea noscenda quæ ad beatitudinem directe ac proprie pertinent, ut est cognitio ordinis universi, omniumque civium superno- C rum. Illuminationes vero Dei, quantum ad ea noscenda quorum notitia ad beatitudinem accidentaliter se habet, ut sunt quidam effectus divinæ virtutis, primo deveniunt a Deo ad angelos superiores, et per illos ad angelos inferiores, juxta documenta principis theologorum, in libro de Cœlesti hierarchia.

Numquid justificari potest homo com-
Job IX, 2. *paratus Deo?* Hoc supra Job ait : Non justificatur homo compositus Deo. Quod ibi et aliis locis in hoc opere satis reor ex- D positum. *Aut apparere mundus natus de muliere?* Hoc est quod supra Eliphaz di-
Ibid. XV, 14. xit : Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Unde ex dictis ibidem hujus verbi intelligentia patet. Patet quoque in his error Baldad. Non enim beatus Job ita se justum perhibuit, ut comparatione Dei se justum assereret, aut nullam unquam incurrisse maculam ex carnis propagine, fragilitate et infectione ; sed qualiter se justum esse testatus sit, frequenter jam dictum est. Ad verbum tamen Baldad applicari potest il-
lud Genesis : Sensus et cogitatio cordis hu- Gen. VIII, 21.
mani prona sunt in malum ab adolescentia sua. Nihilo minus Deus per gratiam supplere faciliter potest naturæ defectum.

Ecce etiam luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : id est, tanta est claritas atque munditia Dei, quod comparatione ipsius luna non splendet, nec sidera munda sunt : quoniam omnis creatura a divinitatis sanctitate, luce ac puritate distat, occumbit ac deficit infinite. Ideo, sicut quod modice pulchrum est, comparatione ejus quod multum pulchrum est, non dicitur pulchrum ; sic luna et stellæ, quoad Deum, non fulgent. Nec facit mentionem de sole, sicut de luna et stellis : quoniam non videmus solem majori lumine offuscari, quemadmodum luna et stellæ luce solis fuscantur. Denique, istud est quod Eli-
phaz supra ait : Cœli non sunt mundi in Job XV, 15.
conspectu ejus. Mystice per lunam Ecclesia, per stellas viri virtuosi, præsertim aliquorum doctores idonei designantur : qui respectu sapientiæ sanctitatisque Dei non fulgent, nec alicujus momenti sunt. Propterea subditur : *Quanto magis homo putredo?* id est homo, qui vocatur putredo, quia ex materia putredini proxima, et sordibus, immunditiis, fœtoribusque repleta consistit ; *et filius hominis vermis?* id est filius hominis, qui dicitur vermis, quoniam sicut vermis ex putredine nascitur, sic filius hominis ex homine paulo post putrescente, immundoque semine, supple, mundus, justus ac fulgens coram Deo seu comparatione ipsius esse non valet. Argumentatio ista multoties tacta est atque soluta, ideo immorari non decet.

Digitized by Google

ARTICULUS LII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : RESPONDENS AUTEM JOB, DIXIT.

ALBERTUS circa principium expositionis hujus capituli ait : Deficientibus adversariis, Job hic suam confirmat sententiam : et quia in duobus consistit, videlicet, quod gubernatio Dei dissimilis sit humano regimini, tanquam ea quæ est secundum excellentiam et scientiam Dei, et quod non sit secundum ordinem humanæ justitiæ ; ideo pars ista usque ad verba Eliu, dividitur in duo. In prima, excellentiam Dei ostendit ; in secunda, se ipsum in exemplum proponens, confirmat quod ordine justitiæ humanæ Deus humana non regit.

Respondens autem Job, dixit ad Baldad : *Cujus adjutor es ?* id est, quem laude extollis, quasi in meam reprobationem ac tuæ positionis confirmationem ? Siquidem præcedenti capitulo, Baldad conatus est reprobare beatum Job, ex consideratione infinitæ excellentiæ Dei super hominem, in potestate, sanctitate ac sapientia. Sicque videbatur partem Dei fovere adversus Job, cooperarique Deo, in defensione veritatis et æquitatis divinæ, cui (ut huic Baldad apparuit) Job blasphematorie derogavit : quemadmodum aliquis adstans, dum judicem laudat, cui judicatus derogare videtur. *Numquid imbecillis*, id est infirmus* ? quasi diceret, Non. Deus enim quem Baldad sic commendavit, omnipotens est, nec humano eget auxilio. Loquitur autem Job contra Baldad ironice zelo justitiæ, eo quod Baldad laudibus extulit Deum ad sui confirmationem erroris, atque ad reprobationem veritatis prolatæ a Job. Qui autem contra aliquem condemnatum non ratione utuntur, sed judicis sapientiam potentiamque allegant, in judicis favorem facere hoc videntur.

* infirmi

A *Et sustentas brachium ejus qui non est fortis?* Interrogative et negative legendum est : quasi dicat, Numquid Deus cujus brachium, id est virtutem seu operationem, fulcire et roborare velle videris, quasi cooperans sibi in veritatis et æquitatis defensione, infirmus est, ut tua sustentatione indigeat ? Loquitur autem de Deo more humano, hoc est quasi de homine, cujus brachia præ lassitudine et impotentia indigent sustentari, si elevari, aut elevata debeant diu teneri, quemadmodum B in Exodo legitur : Quum elevaret Moyses manus, vincebat Israel ; si autem paululum remisisset, vincebat Amalec. Manus autem Moysis erant graves. Sumentes ergo lapidem, posuerunt subter eum. Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus. Præterea advertendum quod humiles et electi vicissim Deum juvare dicuntur, non quasi illum roborantes, aut velut insufficienti seu indigenti subvenientes ; sed quoniam ejus voluntati ac dispositioni, quantum ad effectuum divinorum exse- C cutionem cooperantur : et hoc ipsum est ineffabilis dignatio Dei, quod servos suos sibi efficit cooperatores, qui etiam quidquid boni habent aut exhibent, a Deo sortiti sunt. Unde Paulus : Dei, inquit, adjutores sumus. Quod quasi exponens : Ego, ait, plantavi, Apollo rigavit ; Deus autem incrementum dedit. Sed neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat : quia videlicet propria virtute non operantur.

Exod. xvii, 11, 12.

I Cor. iii, 9.

Ibid. 6, 7.

Cui dedisti consilium ? Forsitan illi qui non habet sapientiam. Non est autem pu- D tandum quod Baldad tam asininæ fuerit simplicitatis, quod æstimaverit Deum impotentem aut insipientem, vel quod intenderit eum firmare aut informare. Job ta-

Digitized by Google

men sic increpat eum, quasi hoc ipsum
fecisset, quia taliter loquebatur hic Bal-
dad, et ita se habuit, quasi hoc intendis-
set, sicut jam declaratum est. Itaque quum
Deus sit sapiens et sapientia superessen-
tialis ac infinita, non eget alicujus consi-
lio. *Et prudentiam tuam ostendisti pluri-
mam,* id est, verba alta loquendo de Deo,
monstrasti te magnæ esse scientiæ : quod
et ostentationis culpa videtur. Nam et
Rom. xii, 3. Apostolus ad Romanos scribit : Non plus
sapere quam oportet, sed sapere ad so-
Prov. xxv, 27. brietatem. Denique, sicut qui comedit mel
multum, non est ei bonum ; sic scrutator
majestatis opprimetur a gloria. Ptolemæus
quoque in principio Almagesti disseruit :
Qui scientiam suam extendit ultra indu-
striam quæ in ipso est, est sicut pastor
debilis cum ovibus multis.

*Quem docere voluisti? nonne eum qui
fecit spiramentum,* id est Deum qui con-
didit animam rationalem, sapientiæ rece-
ptaculum, spirationisque causam? juxta
Gen. ii, 7. illud Genesis : Formavit Deus hominem
de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus
spiraculum vitæ. Eo autem modo intelli-
gendum est, quod Baldad voluit Deum do-
cere, quo jam dictum est, quod voluit ei
consulere.

Moraliter autem verba ista dicenda sunt
justa derisione, caritativaque increpatione,
vanis, præsumptuosis et sciolis : qui sa-
pientiores se instruere, expertioribus con-
sulere verbis aut scriptis præsumunt; qui
aliis sapientiores reputari desiderant; qui
dum sobrie habere se nesciunt, frequen-
ter stulta loquuntur aut scribunt, suam-
que fatuitatem ac vanitatem demonstrant.

Consequenter beatus Job Deum per suos
effectus diffusius laudat, quam Baldad
superius fecit, ne divinæ videretur excel-
lentiæ derogare. *Ecce gigantes gemunt sub
aquis, et qui habitant cum eis.* Hoc Tho-
mas et alii quidam referunt ad gigantes,
Ibid. vi, 4. qui (ut in Genesi habetur) tempore Noe
erant in terra, et diluvio perierunt cum
cohabitatoribus suis, qui tam loco quam
vitiis cohabitaverant eis : qui omnes simul
A nunc gemunt in pœnis inferni, qui sub
aquis est, quia in medio terræ. Alii (ut
Gregorius et Albertus) per gigantes, intel-
ligunt superbos, Deo rebelles, in suis vi-
ribus confidentes, qui in propriis oculis
velut in giganteam magnitudinem excre-
verunt : quales præcipue esse solent prin-
cipes et potentes ac divites sæculi hujus,
sed et prælati nonnulli, inde superbientes,
unde se maxime humiliare ac formidare
deberent. De quibus omnibus illud in Isaia
accipi potest : Mortui non vivant, gigantes Is. xxvi, 14.
B non resurgant. Ubi per mortuos, intelli-
guntur iniqui morte culpæ perempti in
anima : qui dum indurantur in vitiis, non
vivunt per gratiam. Gigantes quoque præ-
fati, quia non pœnitent, ad vitam gratiæ
non resurgunt. Hi ergo cum cohabitatori-
bus, id est imitatoribus suis vel comman-
soribus, sibi in peccato similibus (nam et
frequenter quales ipsi, tales et cohabitato-
res eorum, juxta illud Ecclesiastici, Qualis Eccli. x, 2.
est rector civitatis, tales habitantes in ea):
itaque hi simul gemunt sub aquis, id est
C abundantia tribulationum ac onerum in-
quietudinumque suarum. Varii enim sunt
tumultus et curæ, timores, terrores, ranco-
res, iræ et impatientiæ talium, quorum in-
ordinatus vitiosusque animus sibi ipsi pœ-
nalis est. Frequenter quoque justo Dei
judicio, gravissimæ adversitates et infir-
mitates eis occurrunt, ita quod gemunt
sub aquis tribulationum : in quo divina
declaratur potentia. De quibus aquis fer-
tur in Psalmo : Salvum me fac, Deus, quo- Ps. lxviii, 2.
niam intraverunt aquæ usque ad animam
D meam. In Threnis quoque : Inundaverunt Thren. iii, 54.
aquæ super caput meum. Unde primo li-
bro Machabæorum Antiochus : In quos, I Mach. vi, 11.
inquit, tristitiæ fluctus deveni!

Nudus est inferus coram illo, id est,
infernus et omnia quæ in eo sunt, Deo
conspicua sunt atque clarissime nota ; *et
nullum est operimentum perditioni,* id est
filiis perditionis seu reprobis, quo abscon-
dantur conspectui Dei, sed certissime co-
gnoscuntur ab ipso, juxta illud Apostoli
ad Hebræos : Non est ulla creatura invi- Hebr. iv, 13.

Digitized by Google

sibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. Per Jeremiam quoque Dominus loquitur : Si occultabitur vir in absconditis suis, et ego non videbo eum? *Jer.* xxiii, 24.

Qui extendit aquilonem super vacuum. Per aquilonem, Thomas intelligit hemisphærium superius, quantum ad nos, in quo est polus aquilonaris, qui super nostrum horizontem jugiter elevatur. Polus vero australis nobis deprimitur. Hoc ergo hemisphærium super vacuum fertur expansum, quia inter ipsum et terram nihil sensibile nobis apparet ; et medium quod ibi est, quamvis sit igne elementari et aere plenum, tamen a vulgo reputatur ut vacuum : sicut lagena dicitur vacua, quamvis aere sit repleta. Loquitur autem Job secundum vulgarium æstimationem, ut consuetudinis est sacræ Scripturæ. Huicque expositioni videtur consonare Albertus, dicendo : Qui extendit aquilonem, id est cœlum ab aquilone. Dicit enim Aristoteles in secundo de Cœlo et mundo, quod longitudo cœli est ab aquilone in meridiem; et si imaginaremur hominem dextera cœlum volventem ab oriente in occidentem, caput ejus esset in aquilone, et pedes in meridie, sicut finxerunt poetæ esse Atlantem : de quo in libro de Civitate Dei recitat Augustinus, quod fuit maximus temporis sui astronomus ; ideo ferebatur cœlum movere et sustentare. Porro, per vacuum, intelligit Albertus capacitatem mundi, in qua adhuc nil fuerat factum in rerum exordio, super quod tunc cœlum extendebatur.

Et appendit terram super nihilum, id est super inane seu vacuum. Quod ideo dicitur, quia nil solidum est sub terra eam sustentans, sed Deo sic ordinante, manet in medio universi tanquam centrum. Quibus verbis docetur, ipsas naturales proprietates seu virtutes, quibus corpora in propriis locis continentur, ex virtute processisse divina. Quidam præterea dicunt : Terra videtur fulcimentum aquæ, et aqua aeris ; sub terra vero nihil

A est, quum sit infima pars mundi. Hoc sanum exigit intellectum. Elementa enim se mutuo orbiculariter ambiunt : quia superius ambit quod sub ipso est, ut ignis aerem, aer aquam, aqua terram, nisi quod Deo sic disponente, una pars terræ discooperta est aquis, propter hominum et animantium congruam in terra habitationem. Sed et cœlum omnia ista ambit, claudit et continet. Unde tanta pars cœli est sub terra, quanta et super eam. Insuper reor idcirco aquilonem super vacuum dici ex-

B tentum, et terram super inane et nihilum, quoniam licet realiter aliquid sit infra cœlum et terram, aliquid quoque sub terra modo jam dicto, illa tamen nil conferunt ad cœli terræque sustentationem.

Mystice, per aquilonem, designatur diabolus, qui in Isaia loquitur : Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. *Is.* xiv, 13. Qui super vacuum extenditur, quia illorum possidet corda, qui spiritualiter nihil et mortui sunt, id est, esse gratiæ carent. Terram vero, id est Ecclesiam, præcipue

C primitivam, virtutibus solidam appendit [Deus] super nihilum, id est, super gentilitatem adduxit, ut eam gratia prædicationis impleret, atque ad esse virtutum deduceret, dicente Christo Apostolis : Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas. *Matth.* xxviii, 19. De quibus ab Isaia fuit prædictum : Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram illo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. *Is.* xl, 17.

Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Divina

D enim virtute aqua vaporabiliter elevata a terra, in aere suspenditur, atque in nubes convertitur seu densatur : in quibus aquæ quasi ligatæ tenentur, priusquam descendant ; nec pariter cadunt, sed paulatim per guttas, ne simul impetuose descendendo terram subvertant. Hinc ait Albertus : Aquas in nubibus ligare, est eas vaporabiliter in nubes convertere, et virtute cœli continere, donec cœlestes induant virtutes, per quas terram fecundent ad germinandum. Guttatim etenim resolutæ,

Digitized by Google

proportionabiliter terram infundunt: quæ pariter erumpentes, terram subverterent, et vim tollerent germinativam. Qualitates quippe elementares ad species generatorum seu formas generabilium non moverent, nisi virtutes cœlestes induerent. Calidum namque ignis consumeret, et frigidum inferiorum elementorum motum abscinderet et mortificaret. Humidum vero diffluere faceret, et siccum non continuaretur ad quantitatem atque figuram. Unde non per se, sed virtutibus cœli, movent ad species generatorum : et hoc declarat, subjungens :

Qui tenet vultum solii sui. Solium Dei, cœlum est, in quo velut in throno sedet,
Is. LXVI, 1. juxta illud Isaiæ : Cœlum mihi sedes. Vultus autem solii hujus, est superficies cœli ad inferius versa. Estque superficies stellata. Per virtutem namque stellarum, influit elementis omnem potestatem generationis et corruptionis. Hancque superficiem, vultum seu faciem solii sui, Deus tenet, quamdiu virtutes generativas corruptivasque influit, hoc est, quamdiu stat mundus. *Et expandit super illud nebulam suam,* id est, nebulam sua virtute generatam ponit inter cœlum et visum nostrum, ita quod secundum apparentiam cœlum nebula operitur, et illa super illud seu super faciem ejus conversam ad nos quasi expanditur,
Ps. CXLVI, 8. juxta illud in Psalmo : Qui operit cœlum
Ps. CXLVII, 16. nubibus. Et iterum : Nebulam sicut cinerem spargit. Porro, dum nubes resolvuntur in pluviam, remanent quidam vapores, ex quibus nebula generatur, nostro adspectui tegens cœlum. Albertus demum hic ait : Nebula vapor est, quia quum virtus cœli inferioribus infunditur, necesse est, ut inferiora ad receptionem aperiantur ac eleventur : quod fit per evaporationem faciem cœli nobis tegentem.

Eccli. XV, 3. Mystice, Deus *aquas* sapientiæ salutaris *in nubibus,* id est Apostolis ac prædicatoribus sanctis, ligavit, id est, in corde eorum firmiter statuit, ac moderanter ab effusione et communicatione continuit, ut non erumperent *pariter deorsum,* id est,
A ne in tanta plenitudine ac sublimitate a prædicatoribus sanctis præfatis sapientia proponeretur audientium cordibus, sicut illis fuit infusa, quia capacitatem auditorum transcenderet. Paulatim vero effundenda communicandaque fuit, juxta audientium capacitatem, profectum et ordinem, quemadmodum ait Corinthiis Paulus : Non *I Cor.* III, 1.
potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Qui denuo profitetur : Sapientiam loquimur inter perfectos. *Qui* *Ibid.* II, 6.
tenet vultum solii sui. Per vultum, cogni-
B tio designatur. Vultum itaque solii sui, id est contemplationem cœlestis patriæ, Deus tenet, id est, viatoribus non impendit, sed detinet : nec qualis et quanta sit visio illa beata, clare in hac via scire valemus, dicente Apostolo, Per fidem ambulamus, *II Cor.* V, 7.
non per speciem. Ideo additur : *et expandit super illud nebulam suam,* id est, inter cœleste regnum et nos posuit obscuritatem, videlicet corruptibile corpus nostrum et animæ defectuositatem, peregrinationisque statum. Propter quod videmus nunc *I Cor.* XIII, 12.
C per speculum in ænigmate, quale sit regnum cœleste : quoniam quidem corpus *Sap.* IX, 15.
quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Idcirco dicit Apostolus : Quia *II Cor.* V, 6.
dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.

Terminum circumdedit aquis, id est, infra certos terminos aquas conclusit, congregans eas intra receptacula apta, præsertim infra ripas Oceani, ne totam terram cooperirent, juxta illud Genesis: Dixit Deus: *Gen.* I, 9.
D Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Dicit hoc loco Thomas : Aquæ, secundum naturalem ordinem elementorum, undique terram operire deberent ; sed quod aliqua pars terræ manet discooperta ab aquis, factum est divina virtute, quæ usque ad certum terminum fecit terram ab aquis cooperiri. *Usque dum finiantur lux et tenebræ,* id est, tamdiu hoc ita manebit, quousque successio diei et noctis, videlicet status hujus sæculi, finiatur. Lux nempe, id est

Digitized by Google

dies, nobis finitur, dum sol occumbit; tuncque tenebræ oriuntur nocturnæ, rursusque dies succedit, et vicissitudo usque ad finem mundi durabit. Non tamen hæc ita dicuntur, quasi in fine sæculi aqua opertura sit totam terram, quia et postea pars terræ erit nudata et sicca.

Spiritualiter, Deus *terminum circumdedit aquis,* id est populis, qui frequenter aquarum nomine exprimuntur, sicut in Apocalypsi : Aquæ multæ, populi multi sunt. Et Ecclesiastes : Mitte panem tuum super transeuntes aquas. Populis ergo circumdedit terminum, id est, modum et gradum seu mensuram cognoscendi præfixit in vita hac, in qua ad patriæ visionem non eriguntur, *usque dum finiantur lux et tenebræ,* id est dies et noctes peregrinationis eorum in vita præsenti; vel, *lux,* id est profectus in gratia, et *tenebræ* ignorantiæ vitæ hujus, terminum sortiantur. Durante namque hac vita, durat status merendi ac demerendi, seu proficiendi et decrescendi.

Apoc. XVII, 15. Eccle. XI, 1.

Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. Columnæ dicuntur quædam firmiora aliorum sustentativa seu perfectiva. Itaque columnæ cœli intelligi possunt, vel superiores angelici spiritus, qui inferiores purgant, illustrant, perficiunt; vel angelici spiritus illi, qui cœlestium orbium sunt motores, cœlosque quantum ad suam influentiam in hunc mundum actuant, et quasi fulcire dicuntur. Hi ad nutum, id est beneplacitum, vel ad signum voluntatis Dei, contremiscunt timore non pœnali, sed timore admirationis, pavoreque reverentiæ filialis ac humilis, Deo promptissime servientes. Juxta hunc modum in Ecclesiastico fertur : Ecce cœlum et cœli cœlorum in conspectu Dei commovebuntur, et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Insuper, Columnæ cœli, id est militantis Ecclesiæ, quam Christus ubertim in Evangelio regnum cœlorum appellat cujus columnæ sunt sapientiores et fortiores, qui aliorum ignorantiam edocere imbecillitatemque æquanimiter ferre noverunt (quemadmodum Paulus Petrum, Joannem et Jacobum vocat columnas : unde in Apocalypsi Dominus asserit, Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo), pavent ad nutum Dei.

Eccli. XVI, 18, 19. Matth. XIII. Galat. II, 9. Apoc. III, 12.

In fortitudine illius, id est omnipotente Dei virtute, *repente maria congregata sunt,* id est, aquæ marinæ ad certa loca redactæ. Aitque pluraliter, Maria, propter particularia maria, vel propter magnitudinem aquarum abyssi Oceani. Hinc fertur in Psalmo : Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Spiritualiter quoque maria, id est corda sæcularia, multa et tumida, instar maris inquieta, turbulenta, amara (juxta illud Isaiæ, Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest), per omnipotentiam Dei repente congregata, id est in Christo collecta sunt per fidem et caritatem, prædicantibus ubique Apostolis atque eorum discipulis. *Et prudentia ejus percussit superbum,* id est, primum illum apostatam angelum, qui dixit, Similis ero Altissimo, dejecit et condemnavit, secundum illud Psalmistæ : Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum. Et Isaias : Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ? Hoc tamen de omni superbo impœnitente accipi potest. Deus enim superbis resistit; et, Qui se exaltat, humiliabitur.

Ps. XXXII, 7. Is. LVII, 20. Ibid. XIV, 14. Ps. LXXXVIII, 11. Is. LI, 9. Jacob. IV, 6. Luc. XIV, 11; XVIII, 14.

Spiritus ejus ornavit cœlos. Per spiritum Dei, intelligi potest Spiritus Sanctus, persona a Patre Filioque distincta; vel mens seu voluntas Dei : qui cœlos, id est angelos sanctos, ornavit, quia ruentibus apostatis, ipsi donis gloriæ confirmabantur, tuncque cœperunt Deum videre per speciem. Insuper, Cœlos, id est orbes cœlestes, stellis, planetis, virtutibus, luce, causalitate ornavit, juxta illud Ecclesiastici : Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. Rursus, Spiritus ejus ornavit cœlos, id est beatos Apostolos, præsertim in die Pentecostes, quando tot gratiarum charismatibus sunt repleti : quia (ut Paulus testatur) primitias Spiritus acceperunt. De quibus ait Psalmista : Cœli enarrant gloriam Dei. Sed et omnes qui in

Eccli. XLIII, 10. Rom. VIII, 23. Ps. XVIII, 2.

Digitized by Google

terra cœliformiter conversantur, et dicere
Philipp. III, 20. possunt, Nostra conversatio in cœlis est, unde hoc habent, nisi a Spiritu Sancto, per ornamenta gratiæ ac virtutum, quæ illis largitur?

Et obstetricante, id est per modum obstetricis leviter educente, *manu,* id est potentia et sapientia, *ejus,* scilicet Dei, *eductus est coluber tortuosus,* id est, diabolus a societate stantium angelorum, et ex corde credentium, est ejectus, quemad-
Joann. XII, 31. modum ait Salvator : Nunc princeps hujus
Luc. X, 18. mundi ejicietur foras ; itemque : Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. Denique diabolus coluber dicitur, propter malitiæ suæ venena pestifera ; tortuosus quoque, ob suam obliquitatem et callidi-
Is. XXVII, 1. tatem. De quo Isaias loquitur : Visitabit Dominus super Leviathan serpentem tortuosum. Quemadmodum etiam obstetrix leviter educit de matris utero fetum periclitantem seu mortuum, ne mater lædatur ; sic Deus eduxit diabolum de societate stantium angelorum cordibusque credentium, ne quid læsionis aut indecentiæ ex eo ipsis adesset.

Ecce hæc ex parte, id est imperfecte seu partim, *dicta sunt viarum ejus,* id est de operibus Dei, quæ sunt viæ seu media, quibus in hac vita perducimur ad Creatoris notitiam. Quasi dicat : Ea quæ dixi, licet magna videantur et multa, modica tamen sunt comparatione divinorum effectuum quos non dixi, et qui hominibus sunt ignoti. Ideo addit, *et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus,* id est, quum ea quæ protuli, vel ab aliis sunt prolata de magnalibus Dei, tam modica sint respectu operum atque magnalium ejus quæ ignorantur, neque audita sunt, neque ab homine pronuntiata quum

A nesciantur, ut vix stillam parvam, id est minimum quid, audierimus inde ; *quis poterit tonitruum,* id est grandem et excellentem sermonem, *magnitudinis ejus,* id est de divina majestate, prout in se ipsa est, *intueri,* id est cognoscere sive concipere ? Sic enim de Deo loqui non possumus, quia nec sic eum cognoscere in hac vita valemus. Ideo dicit Albertus : Tonitruum sine concussione capitis non auditur ; significatque excellentiam sermonis de Deo in se ipso, qui tam eminens est,
B quod omnem evertit cogitatum, et concutit intellectum ac superat mentem. Unde Apostolus, qui in raptu Deum per essentiam vidit, asserit se arcana verba audisse, quæ II Cor. XII, 2, 4.
non licet homini loqui.

Denique verbis his consonat illud Ecclesiastici : Quis vidit eum et enarrabit ? Eccli. XLIII, 35, 36.
et quis magnificabit eum sicut est a principio ? Multa enim absconsa sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus. Hinc etiam scripsit Sapiens : Difficile in- Sap. IX, 16.
venimus quæ in terra sunt ; et quæ in
C prospectu sunt, invenimus cum labore : quæ autem in cœlo sunt, quis investigabit ? Itaque quæ scimus, minima et pene nulla sunt respectu eorum quæ ignoramus. Quis enim novit ordinem universi, genera et species piscium, avium et brutorum, herbarum, gemmarum atque similium proprietates, virtutes, conditiones et actus omnium horum ? Quod si ista nescimus, quanta nobis ignorantia est de his, quæ ad cœlestia pertinent corpora, angelorumque agmina, et supermundani illius
D Beatorum palatii consistentiam, proprietatem, naturam ? Nemo ergo se jactet, nullus inaniter glorietur, nullus præsumat ; sed imperfectum nostrum videant oculi no- Ps. CXXXVIII, 16.
stri, quia pauperrimi sumus.

Digitized by Google

ARTICULUS LIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : ADDIDIT QUOQUE JOB, ASSUMENS PARABOLAM SUAM, ET DIXIT.

A*DDIDIT quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit.* Quum respondisset beatus Job præcedenti capitulo ipsi Baldad, exspectavit paulisper, si forte tertius amicorum suorum, videlicet Sophar, more solito replicaret. Quo silente, Job plura adjecit, et sententiam suam plenius declaravit. Sed quum in sequentibus de se ipso plane litteraliterque loquatur, cur dicitur assumpsisse parabolam suam? Et respondendum, quod utique in sequentibus, sicut et supra, quædam per similitudines profert ; et interdum obscure ac mystice loquitur, instar parabolas inducentium, quemadmodum in Numerorum libro de Balaam legitur : [*Num.* xxiv, 2. 3, 15.] Assumpta Balaam parabola sua, irruente in se spiritu Dei, ait : Dixit homo cujus obturatus est oculus. Parabola autem pro similitudine sumitur.

Vivit Deus. Assertionem suam juramento confirmat. Jurare enim pro rationabili causa, actus est latriæ, juxta illud Deuteronomii : [*Deut.* vi, 13.] Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis. Sic et Psalmista profatur : [*Ps.* cxviii, 106.] Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Denique hæc forma jurandi, Vivit Dominus, in veteri Testamento solita fuit, prout sæpius legitur David ita jurasse, Vivit Dominus ; et Elias, Vivit Dominus, ante cujus vultum sto : [I *Reg.* xx, 3; xxv, 34; xxvi, 10, 16; III *Reg.* xvii, 1.] id est, per vitam Dei juro ; vel, tam verum est quod dico, quam veraciter Deus vivit. *Qui abstulit judicium meum,* id est, judicium quo quis judicatur secundum merita sua, abstulit a me : nam contra formam talis judicii me innocentem ac justum dirissime flagellavit. Unde superius dixit : [*Job* xvi, 22.] Utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo. **A** Vel, Abstulit judicium meum, id est, ita plagando me innocentem, dedit hominibus occasionem judicandi de me non vere, utpote quod peccator sim et hypocrita fuerim, qui tam graviter cæsus sum. Sic et de Christo Isaias loquitur : In humilitate judicium ejus sublatum est. [*Act.* viii, 33; *Is.* liii, 8.] Hinc superius dixit : Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. [*Job* xvi, 9.] *Et Omnipotens qui ad amaritudinem,* id est acerbissimam pœnam, *adduxit animam meam,* licentiando Satanam ad affligendum me ita.

B *Quia donec superest halitus,* id est, quamdiu manet flatus *in me, et spiritus Dei,* id est respiratio data a Deo, manet *in naribus meis :* hoc est, quamdiu vivo et respirare valuero. Addit autem, In naribus meis, quia (ut ait Albertus) naturalis anhelitus est per nares, et per os fœtidus de stomacho procedens. Unde Sapientiæ liber habet : Fumus afflatus est in naribus nostris. [*Sap.* ii, 2.] Thomas quoque allegat Philosophum, libro de Historiis animalium asserentem : Respiratio quæ fit per os, non est tam congrua ut quæ fit per nares. **C** *Non loquentur labia mea iniquitatem,* id est verba iniqua iniquitate peccati mortalis ; *nec lingua mea meditabitur mendacium.* Meditari est mentis, non linguæ corporalis. Idcirco quod ait, Nec lingua mea meditabitur mendacium, intelligendum est de interiori spiritualique lingua : qua verbum fertur mentale, nec aliud est quam intellectus. Vel quod ait, Meditabitur, exponendum est, Ex meditatione effabitur, juxta illud Psalmi : Lingua mea meditabitur justitiam tuam, [*Ps.* xxxiv, 28.] **D** tota die laudem tuam.

Sed nonne istud erat periculosum juramentum, quo juravit se in tota vita sua

Digitized by Google

nunquam loquendo peccaturum aut falsa A dicturum, nisi forte cognovit se confirmatum in caritate et gratia, ita quod mortaliter labi non posset? Et respondendum, quia (ut Thomas exponit) quod ait, Non loquentur labia mea iniquitatem, specialiter refertur ad devitationem erroneorum verborum amicorum ipsius Job. Quasi dicat: Non loquar verba iniqua vestri erroris, nec vestra meditabor mendacia per consensum. Superius quoque sæpe præhabitum est, quod Job in hac positus plaga, putavit se protinus moriturum, inter cetera dicens : B
Job VII, 16. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam. Hinc confidentius obligavit se ad vitandum verba impia ac mendosa. Vel ex instinctu occulto Spiritus Sancti et speciali devotione ac confidentia gratiæ Dei, cujus innitebatur auxilio, ita juravit, sicut et aliqui vovent castitatem aut simile aliquid.

Albertus quoque hic ait : Notandum quod ait, Meditabitur : ex meditatione enim non protulit falsum, licet forte ex subreptione aliquando dixit. Gregorius etiam scribit
Exod. I, 20, 21. hic, quod merces benignitatis obstetricum C Hebræorum, quæ eis in æterna vita potuit dari, propter admixtam culpam mendacii, in terrenam est recompensationem conversa. Hoc tamen communiter non tenetur, quia nec mendacium illud obstetricum fuit perniciosum vel mortale peccatum, sed veniale, secundum doctores.

Absit a me ut justos vos esse judicem. Gregorius aliquoties affirmat, quod sanctus Job injustos amicos non habuit, et quod viri isti sibi tam familiares, injusti non erant. Quod ergo nunc ait Job, intelli- D gendum est, quod quantum ad hoc injusti fuerunt, quod circa providentiam Dei sic erraverunt, ipsumque Job tot reprehensionibus condemnationibusque injustis ac falsis sic molestaverunt, et veris ejus contradixerunt sententiis. Denique, qui iniquitatem et falsitatem odit in se ipso, non approbat eas in aliis. Aliqui autem adulatorie etiam aliorum mala commendant.
Ezech. XIII, 18. Quibus per Ezechielem Dominus loquitur : Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis. Et in Proverbiis Salomon contestatur : Qui justificat impium, et qui *Prov.* XVII, 15. condemnat justum, uterque abominabilis est ante Deum. *Donec deficiam,* id est moriar, *non recedam ab innocentia mea ;* nec postea in æternum. Qui enim in gratia hinc emigrat, hanc postea nunquam amittit.

Justificationem meam, id est justificationem mihi per Dei gratiam condonatam, scilicet justam conversationem, mandatorumque observationem, *quam cœpi tenere* ab adolescentia mea, imo a prima hora qua orsus sum rationis uti judicio, *non deseram :* quam desererem, nisi vestris peccatis erroribusque resisterem. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea :* ideo confidenter spero me non recessurum ab innocentia atque justitia, tanquam habituatus in eis; veraciter etiam dico, quod justificationem meam non deseram, eo quod hactenus justus fui. O quam sublime verbum est hoc! et quanta monstratur fuisse perfectio sancti Job ex hoc verbo! Sed nonne superius dixit, Peccavi; *Job* VII, 20; XIV, 16; IX, 20. et, Parce peccatis meis ; itemque, Si justificare me voluero, os meum condemnabit me? Verum hoc ex præinductis frequenter solutum est. Non enim denegat se in venialibus fuisse culpabilem, sed de mortalibus veraciter se excusat. Denique viri virtutum interdum ad gloriam Dei ædificationemque proximi, et ne veritas patiatur jacturam, aut bono communi derogetur, laudant se ipsos, quemadmodum Jeremias in libro suo. Huic autem testimo- *Jer.* XV, 16, 17. nio Job de se ipso conforme est, quod in Tobia perhibet Sara de semetipsa : Nun- *Tob.* III, 17. quam, inquiens, cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui. Præterea dupliciter irreprehensibilis est quis a proprio corde. Primo ita, quod nunquam se peccasse mortaliter meminit : sicut nunc ait Job. Alio modo, quod licet graviter peccaverit, pœnituit tamen et emendavit : quomodo Paulus ait, Nihil mihi conscius sum. I *Cor.* IV, 4. Sicque Joannes scribit : Carissimi, si cor I *Joann.* III, 21, 22.

nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus.

Sicut impius inimicus meus, id est, quilibet istorum contradicentium et resistentium mihi, est sicut impius : quia circa providentiam errat divinam; nec pie compatitur, sed injuriatur mihi percusso. *Et adversarius meus* est *quasi iniquus,* quia in proximum peccat. Et Quasi, ac Sicut, notant hic veritatem, non similitudinem
Joann. I, 14. tantum : quemadmodum Joannes, Vidimus, inquit, gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.

Causam dictorum subjungit, insinuans amicos suos hypocritarum secutos vestigia. *Quæ enim est spes hypocritæ, si avare rapiat?* id est, si terrena et laudes humanas injuste et cupide sortiatur, nihilo minus vana est spes ejus : quoniam vera felicitate privatur, et ista caduca cito ab eo tollentur; sicque spe omni frustratus, damnatus atque miserrimus erit. Specialiter quoque de hypocrita mentionem inducit, quoniam simulata æquitas, est duplex iniquitas; et hypocritæ tanquam falsarii veritatis, videntur maxime detestabiles coram
Job XXXVI, 13. Deo, secundum quod infra habetur : Simulatores et callidi provocant iram Dei. *Et non liberet Deus animam ejus :* id est, quid ei prosunt terrena, quando Deus animam ejus juste relinquit et damnat, non liberans eam a morte culpæ in præsenti, nec a morte æternæ miseriæ in futuro?

Numquid clamorem illius exaudiet Deus, quum venerit super illum angustia? id est, tempore tribulationis, pavoris et necessitatis Deus non audiet preces ejus : quia videlicet tempore sanitatis et prosperitatis Deum contempsit, et in periculo constitutus, non tam ex vero Dei amore, quam ex servili timore invocat Deum. Nil autem meritorium est, nisi ex vera caritate emanet. Unde in Proverbiis increata Sapientia loquitur
Prov. I, 24-28. impiis : Quia vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo. Tunc (scilicet tempore angustiæ) invocabunt me, et non exaudiam. Rursusque : Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Ut ergo oratio sit exaudibilis, virtuosa conversatione est fulcienda, vel saltem bono ac firmo emendationis proposito. Unde in Isaia loquitur Deus : Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos; et quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine (id est peccato) sunt plenæ. Prov. XXVIII, 9. Is. I, 15.

Aut poterit in Omnipotente delectari, id est in Deo veraciter et sincere lætari et consolari, videlicet in contemplatione et dilectione, in laude et cultu ipsius? Non utique, quamdiu est talis : quia non diligit Deum; nec in ipso, sed in terrenis et vilibus rebus delectatio sua consistit : quod spernendum est illi, qui quærit in Domino delectari, secundum illud Psalmi : Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. Quocirca scribit Gregorius: Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima non potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis; et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio fastidit ad infima. *Et invocare Deum in omni tempore.* Hypocrita omnisque vitiosus, si ad tempus cœperit in divinis et precibus occupari, cito lassatur et attædiatur : quia non diligit Deum, nec in ejus obsequio delectatur. Qui autem Deum sinceriter diligit et ardenter, laudibus ejus, orationi, bonisque actibus omni tempore opportuno et congruo libenter hilariterque insistit, juxta illud in Psalmo : Psallam Deo meo quamdiu sum. Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino. Ps. LXXVI, 3, 4. Ps. CIII, 33, 34.

Docebo vos per manum Dei, id est virtute et subsidio ejus, sine quo nihil boni valemus, *quæ Omnipotens habeat,* id est justitiam et formam judicii, quam habet in se, et quæ est ipsemet Deus justus ac sapiens judex; vel, Quæ Omnipotens habeat, id est quid rectum et justum sit coram eo. *Nec abscondam,* quia hoc caritatis non esset. Sic Sapiens inducit : Quid Sap. VI, 24, 25.

autem sit sapientia referam, et non abscondam a vobis sacramenta Dei, et non præteribo veritatem ; neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Hinc Ecclesiasticus : Sapientia (inquit) abscon- *Eccli.* XLI, 17.
dita et thesaurus invisus, quæ utilitas in
Ibid. XX, 33. utrisque ? Salomon quoque : Melior (inquit) est homo qui abscondit stultitiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam. *Ecce vos omnes nostis.* Si noverunt quæ dicere voluit, quomodo docuit eos ? Et respondendum, quod vel imperfecte, vel virtualiter, seu in quodam communi noverunt. Hæc ideo docuit eos ad cognoscendum actualiter, distincte atque perfecte. *Et quid sine causa vana loquimini ?* id est, quum hæc quæ dicam, aliquo modo sciatis, cur tam irrationabiliter contradicitis mihi ?

Hæc est pars, id est retributio, *hominis impii apud Deum,* id est apud divinam justitiam, ei quod meruit retribuentem ; *et hereditas,* id est quasi hereditaria merces, *violentorum,* qui alios per potentiam opprimunt, *quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane.* Hoc quidam nimis litteraliter de gladio materiali et fame corporali exponunt, quum frequentissime videamus,
Job XXI, 8-13. et Job hoc supra probavit, quod filii et nepotes pravorum sæpe in mundo hoc usque ad ultimam ætatem prosperentur atque abundent. Melius ergo per gladium intelligitur ultrix justitia Dei, quam incidunt im-
Ibid. XIX, 29. pii : de quo ait Job, Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est. Per famem vero exprimitur spiritualis refectionis carentia, qua pravi tabescunt. Filii quoque et nepotes vocantur, qui non propagatione naturæ dumtaxat, sed et imitatione peccati filii nuncupantur. *Qui reliqui fuerint ex eo,* id est amici, familiares atque domestici malitiam ejus sectantes, *sepelientur in interitu,* id est, in suis morientur peccatis, et quantum ad animam, in inferno sepelientur in morte miseriæ. Sic et Judæis
Joann. VIII, 21, 24. ait Salvator : In peccato vestro moriemini.

A Et Psalmista : Infixæ sunt gentes in interitu *Ps.* IX, 16.
quem fecerunt. *Et viduæ illius,* scilicet impii, *non plorabunt :* vel quia de pessimi viri morte gaudebunt ; vel quia et ipsæ tantis prementur angustiis ob suos excessus, quod ad deflendum se ipsas agere satis habebunt, sicut per Ezechielem Dominus dixit Judæis, Non plangetis, videlicet *Ezech.* XXIV, 23.
vestros occisos. Porro quod de impio dictum est, de vitioso prælato accipi potest : cujus filii et nepotes, id est subditi et discipuli, eorumque posteri, gladio diabolicæ
B tentationis necantur, et fame seu carentia verbi cœlestis deficiunt ; de cujus obitu non dolent viduæ, id est plebes subjectæ, in quantum vita sua fuit sibi ipsi et subditis periculosa.

Si comportaverit sicut terram argentum, id est, in maxima copia illud sibi collegerit ; *et sicut lutum,* id est valde abundanter sicut lutum abundat, *præparaverit vestimenta* pro sua non tam necessitate, quam voluptate et exornatione ; *præparabit quidem,* habendo laborem
C sollicitudinemque in parando, *sed justus vestietur eis,* id est, ab eo tanquam injusto possessore tollentur, atque ad justorum usum devenient ; *et argentum innocens dividet,* id est, pecuniam, ceterasque opes illius in potestatem innocentis redactas, ipse innocens hinc inde moderanter exponet, aut egenis donabit. Hoc, sicut et præcedentia, interdum litteraliter ita contingit, aliquando aliter, sicut superius Job ostendit. Quoniam ergo probavit quod frequenter ita non accidit, dum scilicet impii
D usque ad finem vitæ suæ diu abundant ac prosperantur, nuncque fatetur aliquando taliter evenire : apertissime docet, quod prosperitas atque adversitas vitæ præsentis, non sint finale aut sufficiens præmium virtutis et vitii.

Spiritualiter, argentum est sacra Scriptura, seu ejus verba clarissima. Vestimenta autem sunt testimonia Scripturarum, quibus se induunt versipelles, ad persuadendum errores, peccata, perfidias. Itaque si impius, id est hæreticus vel seductor, tale

argentum collegerit, talesque vestes sibi paraverit, ac secum detulerit ad disceptandum contra Catholicum edoctum, vir iste catholicus verba testimoniaque illius ad proprium assumet comprobandum intentum, ad fidei defensionem, ad falsitatis ac impietatis destructionem : sicque impium propriis quæ secum detulit, armis convin- I Reg. XVII, 48-51. cet, sicut David occidit Goliath. Verba demum et scientiam Scripturarum dabit et dividet, seu proponet atque exponet fidelibus.

Ædificavit sicut tinea domum suam, id est, instabilem sibi mansionem construxit, quia peccando meretur illa privari, quemadmodum tinea vestem rodendo præparat sibi locum in ea, sed corrosioni insistens, locum illum amittit. *Et sicut custos fecit umbraculum :* id est, quemadmodum custos vineæ facit tugurium in quo paululum conquiescat, quousque uvæ tollantur; sic ipse habitaculum sibi fecit, in quo modico tempore permanebit. Ista, quantum ad sensum, frequenter præhabita sunt, ideo immorari superfluum est. Spiritualiter, malus negligensque prælatus domum sibi ædificat sicut et tinea : quoniam inter illos moratur, quorum corda malis exemplis, verbisque impiis ac negligentia demolitur; et quasi diu victurus sit hic, construit, emit, paratque multa, non attendens quod celeriter morietur, et cuncta relinquet. Hinc subditur :

Dives quum dormierit, nihil secum auferet, id est, nihil de suis opibus ipsum sequetur, juxta illud Apostoli ad Timo- I Tim. VI, 7. theum : Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid Ps. XLVIII, 17, 18. possumus. Et in Psalmo : Ne timueris quum dives factus fuerit homo, et quum multiplicata fuerit gloria domus ejus; quoniam quum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Aperiet oculos suos, et nihil inveniet :* quia vel hora mortis mentales aperit oculos, considerando quo tendat, quid restet, quomodo vixit, quid habuit, quam cito tempus vitæ suæ defluxit : tuncque invenit se om-

A ni virtute et merito vacuum. In pœnis quoque inferni suam advertet insaniam atque inopiam ; in resurrectione etiam oculos carnis aperiet, seque pauperrimum cernet. Hinc fertur in Psalmo : Dormie- Ps. LXXV, 6. runt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Apprehendet eum quasi aqua, id est abundanter, *inopia,* id est omnis boni defectus in inferno. Propter quod Ecclesiastes habet : Quodcumque potest manus Eccle. IX, 10. tua, instanter operare; quia nec opus, nec B ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos quo tu properas. Et Ecclesiasticus : Ante obitum tuum operare ju- Eccli. XIV, 17. stitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibos. Denique, sicut aqua eum quem apprehendit, extra circumdat et intus replet; sic pœnæ et inundationes inferi, damnatos operiunt ac totaliter implent. Tanta demum est inferni inopia, ut dives epulo guttam aquæ petierit, et im- Luc. XVI, 24-26. petrare non potuit. *Nocte,* id est hora adversitatis, mortis, seu damnationis, *op-* C *primet eum tempestas,* id est impetus ultionis divinæ, secundum illud Nahum : Do- Nahum I, 3. minus, in tempestate et turbine viæ ejus. Jeremias quoque : Tempestas erumpens Jer. XXIII, 19. super caput impiorum veniet.

Tollet eum ventus urens, et auferet : quia per languorem acutum aufertur de vita hac. Diabolus quoque flatu tentationis corda male incendens, et nocendi desiderio ardens, tollit eum ad inferos, juxta illud Sapientiæ : Tanquam turbo venti di- Sap. V, 24. videt illos. *Et velut turbo rapiet eum de* D *loco suo,* id est de vitæ hujus mansione ac voluptate, sicut superius dictum est : Du- Job XXI, 13. cunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *Emittet* Deus *super eum* debitas pœnas, *et non parcet,* id est, pœnam inferni non terminabit, nec quidquam vitiorum relinquet inultum. *De manu ejus fugiens fugiet,* id est, manum seu potestatem atque vindictam judicis percutientis evadere cupiet, imo et non esse optabit.

Stringet super eum manus suas, id est, potestate sua Deus sic eum arctabit, et in

Digitized by Google

pœnis concludet, ut se movere nisi ad libitum Dei non possit. Sic et Osee ait : *Osee* XIII, 8. Occurram eis (videlicet impiis) quasi ursa raptis catulis. Dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo. *Et sibilabit super illum, intuens locum ejus,* hoc est, inspector loci et pœnarum talis damnati, eum contemnet ac deridebit. Nam et Deus in *Prov.* I, 26. Proverbiis, reprobis ait : Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit. Unus etiam damnatorum alterum invidiose subsannat, quemadmodum leguntur principes damnati dixisse regi Babylonis in inferum descendenti : *Is.* XIV, 10, 11. Et tu vulneratus es sicut et nos, id est, nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua. Præsertim autem hoc facit diabolus, intuens in inferno eum quem vicit, juxta illud Psalmi : *Ps.* XII, 5. Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero. Electi insuper zelo justitiæ reprobos subsannabunt, quemadmodum dictum est : *Job* XXII, 19. Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.

Postremo, ex his calamitatibus quæ de divite avaro atque hypocritis dicta sunt, discamus mundum et ea quæ mundi sunt, cordialiter aspernari; divitias temporales, deliciasque carnales et omnem sæculi laudem, honorem, famam et gloriam prorsus A contemnere, abhorrere ac fugere. Veras autem divitias, id est virtutes et dona Spiritus Sancti, charismata gratiarum, quæ mentem ditant, ornant, confortant, reficiunt, desideremus, adipiscamur, possideamus, ac jugiter conservemus, imo et omni hora augere conemur : quæ morientibus nobis animas nostras non deserant, sed eas Deo locupletes præsentent. Inferni supplicia sagaciter ponderemus, vereamur, vitemus. Insuper, exemplo beati Job, stabiles simus in bono incepto; inchoatam B justificationem, profectum, emendationem usque ad mortem nullatenus deseramus, prout hortatur Apostolus : Stabiles estote *I Cor.* XV, 58. et immobiles, abundantes in opere Domini semper. Id quoque sciendum, quia quæ de corporaliter divite dicta sunt, de quibusdam qui se spiritualiter divites arbitrantur, intelligi queunt. Hi sunt, qui se ceteris reputant perfectiores, magni et sa- *Is.* V, 21. pientes in oculis suis, atque inaniter de se ipsis, non in Domino gloriantes, inconsulti, audaces, et sibi stulte placentes : C qui quum obierint, nihil de divitiis quas se habere putabant, deferent secum; sed coram Deo se inanes invenient, apprehendetque eos inopia sempiterna, confusio summa, et cetera quæ dicta sunt mala.

ARTICULUS LIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI OCTAVI : HABET ARGENTUM VENARUM SUARUM PRINCIPIA.

Capitulum istud non parum difficile est, ideo expositioni ejus est diligentius intendendum. Dicit autem Albertus : In isto capitulo ostendit beatus Job excellentiam sapientiæ Dei in vestigio creaturarum, id est in creaturis, in quibus perfectio Creatoris apparet per modum vestigii. Suntque tria alia Scripturæ capitula concordan- D tia super istud, videlicet octavum Proverbiorum, vicesimum quartum Ecclesiastici, et maxime tertium capitulum Baruch.

Thomas quoque hic ait : In hoc capitulo ostendit Job spiritualis boni dignitatem, quod justi a Deo recipiunt etiam in hoc mundo : quod bonum sub sapientia comprehendit. Idcirco intendit præferre sa-

Digitized by Google

pientiam cunctis corporalibus rebus, et quantum ad originem, et quantum ad pretiositatem. Hinc primo ostendit, quod quæ in corporalibus rebus pretiosa videntur, habent in certis locis originem. His consonat quod aliqui dicunt, quia postquam ostendit Job non indecens esse providentiæ divinæ, sed decens, quod aliquando impii temporaliter in hoc sæculo prosperantur, ratione accepta ex parvitate boni, puta temporalis, sensibilis et caduci, quod a Deo sortiuntur; nunc idem ostendit ex magnitudine boni, quod justi etiam in hac vita a Domino consequuntur : quod est bonum spirituale, sic temporalia transcendens, quomodo centenarius parvulum numerum, secundum Hieronymum. Ideo, licet justi temporalibus bonis privati, judicentur miseri ab iniquis temporalia sola quærentibus, tamen revera feliciores sunt illis, utpote majora bona habentes. Ideo mirum non est, quod Deus interdum permittit reprobos et injustos temporaliter abundare, quibus non intendit spiritualia bona, quæ præstantiora sunt, communicare : sicut et pater carnalis ac sapiens, bonis filiis bona meliora concedit, malis filiis dimittens bona minora, quia sunt filii ejus. Sic Deus electis et bonis tribuit bona gratiæ et virtutum, tanquam filiis adoptivis; reprobis vero dat terrena, quia sunt filii ejus per creationem, et ad ejus facti imaginem.

Incipiens itaque a metallis, quæ hominibus pretiosa et necessaria sunt, ait : *Habet argentum venarum suarum principia.* Circa quod Thomas affirmat : Metalla ex humidis generantur vaporibus ex terra resolutis per virtutem solis atque stellarum, unde metalla ductilia liquabiliaque consistunt : quemadmodum econverso lapides et hujusmodi, quæ non malleantur neque funduntur, ex sicca exhalatione gignuntur intra terram retenta. Diversificantur autem species metallorum, secundum majorem et minorem puritatem resoluti vaporis, et secundum diversitatem digerentis caloris : inter quæ aurum videtur purissimum, deinde argentum, postea æs et ferrum. Insuper, secundum majorem minoremve puritatem, metalla ut plurimum habent diversam originem. Unde argentum communiter invenitur in quibusdam terræ aut lapidum venis seu meatibus, qui per laborem studiumque reperiuntur humanum, quamvis difficulter. Itaque ait : Habet argentum venarum suarum principia, id est origines seu exordia, scilicet in aliquibus locis determinatis, ex quibus resolvuntur vapores apti ad generationem argenti, qui dum immiscentur terræ vel lapidi, efficiuntur ibi venæ argenti. Quidam autem, per principia venarum argenti, intelligunt materiale ejus principium, puta minerias, ex quibus argentum naturaliter generatur : quæ in determinatis terræ venis esse dicuntur.

Et auro locus est in quo conflatur. Secundum Thomam, quia aurum purissimum est, invenitur ut plurimum generatum in sua puritate inter arenas fluminum, propter multitudinem evaporationis et caliditatis arenæ. Ideo ait, Auro locus est in quo conflatur, quia ex multis arenis colliguntur granula auri, quæ in unum liquantur : quod non in omni agitur loco, sed in aliquibus determinatis, ubi concurrit debita virtutis activæ proportio ad materiam tali speciei determinatam *. [* proportionatam] Quidam exponunt sic : Auro locus est in quo conflatur, id est generatur : cujus generatio vocatur conflatio, quia materia auri magis digesta est virtute caloris, quam aliorum metallorum; propter quod purius est atque ductilius. Aliqui quoque ita exponunt : Conflatur, id est, in fornace purgatur ab alieni mixtura metalli.

Ferrum de terra tollitur : quod scilicet in terra quasi indigesta invenitur, hoc est in terra fæculenta, et nondum perfectam habet ferrum digestionem : cujus videlicet ferri mineria seu materia de terra accipitur, id est ex vapore humido resoluto ex terra, ut patuit. *Et lapis solutus calore, in æs vertitur.* Lapis enim proportionatus naturæ æris cui permiscetur, solutus calo-

Digitized by Google

re ignis vehementis, in æs vertitur, dum id quod est de natura æris, per calorem eliquatur, ut asserit Thomas, secundum quem æs invenitur aliis incorporatum. Et ut aliqui dicunt, mineria æris, quæ lapis vocatur, quia ob sui duritiam similitudinem cum lapide quamdam sortitur, in æs vertitur. Porro Albertus hic scribit : Ferrum juxta argentum proportionaliter sumitur, et æs juxta aurum. Itaque ait : Ferrum de terra tollitur. Ferrum enim nascitur de argento fæculento et vivo, scabrosoque sulfure : a quibus si fæculentia scabrositasque tollantur, et maneat minerialis vis frigiditate congelans humidum, valde depuratum efficitur argentum, et lapis calore solutus in æs vertitur. Lapis (ut asserit Hermes) dicitur omne quod non evaporat in igne, eo quod sola coagulatione, quæ generatio lapidis est, generatur. Estque regulariter verum, ut in libro Meteororum habetur, quia omne quod coagulatur ex humido frigido, solvitur calido sicco, sicut argentum, aurum, ferrum, omniaque metalla quæ in profundo terræ gignuntur. In prima enim generatione, in lapide mixtum est æs, quod igne solvente liquescit ac depuratur.

Intenditque sanctus Job, quod in occultis terræ hoc principaliter non format nisi sapientia Dei, ad litteram insinuans, quod etiam in infimis terræ, vestigia sapientiæ Dei monstrantur. Unde summum et primum, quod in naturæ effectibus investigatur, est sapientia Dei, quæ est primum principium vitæ et esse ac luminis, virtutis quoque et pacis, in qua totus animus conquiescit. Ideo Baruch scripsit : Disce ubi sit prudentia, ubi virtus, ubi intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, ubi sit lumen oculorum et pax. (*Baruch* III, 14.)

Tempus posuit tenebris, id est, Deus præordinavit quando debeat esse nox, et quamdiu debeat perdurare. Successionem enim diei et noctis instituit, juxta illud Genesis : Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et divisit lucem a tenebris ; appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem. (*Gen.* I, 3-5.) Albertus exponit sic : Tempus posuit tenebris, id est tempus generationis prædictorum posuit in tenebris, hoc est in tenebrosis terræ visceribus, ubi undique circumposita terra et mons, evaporationem fieri non permittunt, imo vaporem ad ima, ut inspissetur, reflectunt. Porro, omnia quæ in superficie terræ nascuntur et luce, aliquid vitæ participant, ut plantæ, animalia, homines. *Et universorum finem ipse considerat,* id est causam eorum finalem, propter quam ea produxit. Nil enim frustra aut casualiter fecit, sed unumquodque ad debitum, convenientem seu naturalem finem præordinavit et condidit, prout spectat ad sapientem auctorem. Ideo Psalmista loquitur Deo : Numquid vane constituisti omnes filios hominum ? (*Ps.* LXXXVIII, 48.) Philosophus quoque : Natura, inquit, et Deus nil faciunt frustra. Thomas autem exponit sic : Universorum finem considerat, id est terminum resolutionis rerum.

Lapidem quoque caliginis, id est rupem petrosam excelsam, solis ardore nigratam, *et umbram mortis,* id est profundissimam vallem sub monte jacentem, umbrosam, ad quam vitalis calor et lux solis raro et parum vel nunquam pertingit ; *dividit torrens,* qui scilicet ex monte descendit, in quo nives resolvuntur, quæ defluunt, *a populo peregrinante,* id est hinc inde pro necessariis vagante seu mendicante : qui circa unam torrentis ripam viam habet et graditur, sed ad aliam ripæ partem non patet ei accessus, quoniam torrens ob suam magnitudinem transmeari non valet. Solent etenim in quorumdam radicibus montium defluere immeabiles torrentes. *Eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios,* id est, torrens dividit a populo peregrinante quosdam habitantes ex alia parte torrentis. Interdum equidem in talibus inaccessibilibus locis pauci aliqui habitant, ad quos mendicantes, impediente in medio torrente, pertingere nequeunt : ideo illos habitatores dicitur pes egentis hominis esse oblitus, quia non vadit ad eos pro pane. Et quoniam habitatores illi manent

Digitized by Google

in loco inaccessibili, additur, Et invios, A quia via ad eos non patet de facili. Ita exponit Thomas.

Albertus vero aliter, dicens : *Lapidem,* inquit, *caliginis,* id est in caligine (puta sub terra) natum, *et umbram mortis,* videlicet locum, vel locatum sub terra, ubi nil vitæ est, *dividit torrens* de monte cum impetu veniens, secumque trahens lapides, ligna et terram multam, per quæ obruit et occultat generata in imis, *a populo peregrinante,* id est variis hospitiis demorante in terra, quales præcipue sunt B qui metallorum minerias quærunt; *quos* lapides caliginis *oblitus est pes egentis hominis,* quia eos ignorat, invenireque nescit, quum tamen ob indigentiam quærat thesauros; *et invios,* scilicet lapides, qui et caliginis lapides dicuntur, et etiam invii : quia in profundissimis terræ generantur, propter quod a paucissimis inveniuntur.

Terra de qua oriebatur panis, id est sustentaculum vitæ, seu fructus de quo fit panis, *in loco suo, igni subversa est :* sicut
Gen. XIX, 24, 25. in Genesi de subversione Pentapolis legi- C tur, quæ igne et sulfure est subversa. Unde
Sap. X, 6, 7. in libro Sapientiæ scribitur : Descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat terra deserta. Insuper sæpe contingit, ut sub terra habitabili atque arabili lateant venæ sulfureæ, ex quibus aliquando accenditur ignis per modum vaporis infra terram inclusi; fitque terræ motus, terram illam subvertens et inhabitabilem agens. Sic et de igneis vel sulfureis locis seu montibus Siciliæ fertur, quomodo terram vicinam infertilem D faciant. Quid autem utilitatis, ordinante Dei sapientia, inde proveniat, subdit. *Locus sapphiri lapides ejus,* id est, locus generationis sapphiri, est inter lapillos hujusmodi terræ. Ibi enim gignuntur sapphiri. Siquidem, superabundante calore, resolutiones tam siccæ quam humidæ ad magnam digestionem perveniunt, ut ex eis aliqua pretiosa, ut lapides et metalla gignantur. Hinc ait Albertus : Dum igne liquefaciente mineriam, humidum eliquatur, quasi in vitri puritatem convertitur : in quod dum fumosum vaporis penetrat, sapphiri colorem sortitur. In talibus autem locis sapphiri multoties reperiuntur. *Et glebæ illius,* videlicet terræ subversæ, *aurum,* id est, mineria auri est, quod generatur ex vaporatione humida, resoluta ex hujuscemodi terra. Dicitque Albertus : Generatio auri est ex humido multum claro argenti vivi, et ex terrestri sulfure multum depurato atque digesto, quod præcipue in talibus terræ glebis apparet.

Semitam terræ talis *ignoravit avis :* quoniam aves terram hujusmodi vitant propter aeris corruptionem et sulfuris abundantiam, propter quæ in ea non inveniunt locum alimenti aut congruæ nidificationis. *Nec intuitus est* eam *oculus vulturis,* quia vitat eamdem : qui tamen a remotis intuetur. Allegat namque Albertus Avicennam, dicentem sexto de Naturalibus, quod (secundum opinionem quorumdam) oculus vulturis ad quingentas leucas cadavera videt. Aliqui textus habent, Oculos : et ita legit Gregorius, qui etiam accipit, Avis, ut est genitivi casus. Sicque sensus est : Semitam ignoravit avis, id est, terra ita subversa, experta non est semitas avium, quia non volant per eam; nec intuitus est, id est, nullus in ea vidit, oculos vulturis. *Non calcaverunt eam filii institorum,* id est, negotiatores filii negotiatorum talem terram devitant; *nec pertransivit per eam leæna,* quamvis per diversa decurrat prædam quærendo.

Ad silicem, id est ad loca saxosa, lapidososque montes, *extendit* Deus *manum,* id est potestatem, *suam,* operando ibi magnifica, sicut subjungitur. *Subvertit a radicibus montes,* id est, funditus eos evertit atque destruxit : quod plenius superiori recordor loco expositum, quo habetur,
Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos Job IX, 5.
subvertit. *In petris rivos excidit.* Hoc supernaturaliter fecit Deus bis per Moysen Exod. XVII, 6; Num. XX, 11.
in deserto, ut legitur in Exodo et in Numeris. Unde fertur in Psalmo : Qui con- Ps. CXIII, 8.
vertit petram in stagna aquarum, et rupes

Digitized by Google

in fontes aquarum. Naturaliter quoque interdum per terræ motum erumpit rivus defluens inter lapides, qui prius latebat. Similiter interdum medium montium pertranseunt aquæ, quasi divina virtute essent excisæ de petris. Sicque, In petris rivos, id est meatus rivorum, excidit, secundum illud Psalmi : Qui emittis fontes in convallibus ; inter medium montium pertransibunt aquæ. *Et omne pretiosum vidit oculus ejus.* Quidquid enim in universo præclarum et carum est in corporalibus aut spiritualibus rebus, mens divina clarissime intuetur.

Ps. CIII, 10.

Profunda quoque fluviorum scrutatus est, id est, certe cognoscit, non per inquisitionem, sed per infallibilem inspectionem, quomodo dicitur scrutari corda et renes ; *et abscondita produxit in lucem,* id est ad hominum cognitionem apertam : quia veritates difficiles, supernaturales, occultas manifeste revelat ; ea quoque quæ latent sub terra seu alibi, facit inveniri et sciri. Hoc plenius dictum est atque expositum supra, ubi inter cetera dicitur : Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.

Ps. VII, 10; Apoc. II, 23.

Job XII, 22.

Consequenter beatus Job declarat spiritualis boni dignitatem, quod electis et justis etiam partim in vita confertur præsenti. *Sapientia vero ubi invenitur?* tanquam dicat : Quum præfata corporalia bona, quæ hominibus pretiosa videntur, et frequenter injustis divinitus conceduntur, in determinatis sint locis, et situales origines habeant, sapientia tamen, quum incorporeum donum sit, spirituale et simplex, loco circumscriptive non continetur. Loquitur autem de sapientia, non utique naturali et philosophica, neque de sapientia originaliter supernaturali, scilicet per revelationem primo accepta, quæ est sacræ Scripturæ notitia, prout sapientia illa ponitur donum gratiæ gratis datæ : de qua dicit Apostolus, Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ. Talis quippe sapientia bonis et malis hominibus est communis, sicut et cetera dona gratiæ gratis datæ. Loquitur itaque de sapientia, quæ vere et proprie sapientia appellatur, videlicet de sapientia supernaturali infusa, quæ est unum et primum inter septem dona Spiritus Sancti, quæ solis et omnibus caritatem habentibus inest ; per quam mens rectum sortitur judicium de divinis, de Deo et pertinentibus ad ipsum, bene judicans per saporem seu gustum internum et connaturalitatem affectus ad ipsum : quæ sapientia dicitur, quasi sapida scientia, id est caritate formata, et bonis actibus decorata, juxta illud Ecclesiastici : Sapientia, secundum nomen est ejus. Ideo Dei dilectionem notitiamque includit, et per consequens gratiam gratum facientem, ceterasque virtutes infusas, quæ sine caritate non insunt, saltem quoad esse formatum atque completum. De hac sapientia dicitur : In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quod autem sic nunc accipiatur sapientia, in processu hujus patebit capituli.

I Cor. XII, 8. Is. XI, 2. Eccli. VI, 23. Sap. I, 4.

Et quis est locus intelligentiæ? Per intelligentiam, quidam hoc loco intelligunt intellectum : et sic accipit Thomas. Sed non videtur insinuare quomodo accipiat intellectum, qui valde multis modis accipitur, utpote pro substantia intellectuali, quemadmodum S. Dionysius angelos nominat intellectus supermundanos ; pro potentia intellectiva, sicque dividitur in intellectum agentem et possibilem ; pro habitu primorum principiorum, et ita Philosophus ponit eum inter quinque habitus intellectuales ; pro habitu supernaturali infuso, quo ea quæ fidei sunt, intelliguntur et quodammodo penetrantur, rationes credendorum intuendo, et sic est unum de septem donis Spiritus Sancti ; item pro actione intellectiva, scilicet cognitione mentali, quemadmodum ait Apostolus : Dabit tibi Dominus de omnibus intellectum. Videtur tamen Thomas innuere, quod capiat intellectum prout est habitus seu notitia principiorum, quæ in sacra doctrina ponuntur articuli fidei. Dicit etenim, quod

II Tim. II, 7.

Digitized by Google

intellectus seu intelligentia sit principium sapientiæ et scientiæ, scilicet quoad actum earum, secundum quod sunt habitus supernaturales infusi et dona. Sic quoque intelligentiam sumit Albertus. Juxta quod ultra rationabiliter diceretur, quod intellectus vel intelligentia sumitur jam prout *Is.* XI, 2. est secundum inter septem dona Spiritus Sancti. Jam enim est sermo de intelligentia, quæ vitiosis non inest, sed virtuosis dumtaxat. Quemadmodum autem sapientia locum circumscribentem seu corporalem non habet, ita nec intelligentia : sed sicut Aristoteles ait, quod intellectus vel memoria est locus intelligibilium specierum, *Sap.* VII, 7, 28. et juxta Scripturas, anima justi sedes est sapientiæ; sic intellectiva vis seu mens, locus est sapientiæ et intelligentiæ. Quod etiam Alphorabius peripateticus, in libro suo de Intellectu et intelligibili, ait.

Deinde ponit sapientiæ dignitatem. *Nescit homo pretium ejus,* quia impretiabilis est, nec æstimari potest aliquo bono corporali aut temporali, nec est commutabilis seu emptibilis pretio tali. Propter quod in Actis dictum est a principe Apostolorum *Act.* VIII, 20. Simoni mago : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Denique sapientia non amatur ut pretium, quoniam pretium propter aliud diligitur, ut dicitur sexto Ethicorum, quum sit quasi fidejussor futuræ necessitatis. Sapientia vero propter se ipsam diligitur, ad quam corporalia bona sunt ordinanda. Propter quod in *Prov.* XVII, 16. Proverbiis scriptum est : Quid prodest divitias habere stulto, quum sapientiam emere non possit? In actu insuper sapientiæ omnes meliores philosophi, Aristoteles, Plato et eorum sequaces, Augustinus quoque cum præclaris theologis, felicitatem constituunt, præsertim quum Unigenitus *Joann.* XVII, 3. Dei Patris dicat ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. *Prov.* VIII, 11. Hinc in Proverbiis fertur : Melior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Deinde ponit loca in quibus sapientia non invenitur. *Nec invenitur in terra suaviter viventium,* id est in carnalibus et voluptuosis hominibus, qui vitam brutalem præeligunt, delectationes gustus et tactus Deo ac spiritualibus bonis vilissime præferentes : qui divina illuminatione, inflammatione caritativa, consolatione interna prorsus indigni sunt, tanquam incepti et incapaces ad talia, sicut vas stercoribus plenum, non est purissimi balsami susceptivum. Idcirco ad Corinthios ait Apostolus : Sapientiam loquimur inter perfectos; *I Cor.* II, 6. et : Animalis homo non percipit ea quæ *Ibid.* 14. sunt Spiritus Dei. Isaias quoque inducit : Quem docebit Dominus scientiam? et quem *Is.* XXVIII, 9. intelligere faciet auditum? Ad quod respondet : Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. Hinc Salomon loquitur : Qui amat *Prov.* XXI, 17. vinum et pinguia, non erit sapiens. Et : Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, *Eccle.* II, 3. ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. *Abyssus dicit : Non est in me ; et mare loquitur : Non est mecum.* Per abyssum, intelligi potest Oceanus; per mare, quæcumque alia magna aquarum collectio. Hæc ergo facto seu materialiter dicunt, id est, consideranti ostendunt, seu cognoscendi occasionem ministrant, quod in eis non sit sapientia : quæ est spirituale bonum atque dignissima qualitas, cujus subjectum et locus non est nisi vitalis ac intellectualis essentia.

Non dabitur aurum obrizum pro ea, tanquam condignum pretium ejus, aut quod pro tali auro valeat emi. Aurum autem obrizum, inter differentias auri pretiosissimum est atque purissimum, optimique coloris. Unde obrizum dicitur, quasi obradians. Vel (secundum Albertum) aurum obrizum dicitur, quasi obrude, quia in sua manens natura, nulli alienæ naturæ permixtum est, nec ad usus aliquos fabricatum : quod in metallis pretiosissimum perhibetur. Hinc in Sapientiæ libro legitur : Omne aurum in comparatione illius arena *Sap.* VII, 9. est exigua. In Proverbiis quoque : Beatus *Prov.* III, 13, 14. homo qui invenit sapientiam. Melior est acquisitio ejus negotiatione auri et argen-

Digitized by Google

ti. Unde subjungitur : *nec appendetur argentum in commutatione ejus,* ut pro argento quasi pro pretio valeat comparari.

Non conferetur, id est, non comparabitur sapientia, *tinctis Indiæ coloribus,* quia pulchrior est coloribus illis. Circa quod ait Albertus : Colores tincturarum eo pulchriores sunt, quo terra in qua fiunt, calidior est, et ad æquinoctialem sub quo summum est temperamentum, vicinior. Et quoniam India sub æquinoctiali est, æqualiter distans a polis in quibus locus frigoris est, et æqualiter a tropicis in quibus locus summi caloris est, bis habens æstatem in anno, videlicet in Ariete et in Libra; ibi tincturæ pulcherrimæ sunt. Quos colores pulchritudine superat sapientia, quia omne corporale superat spiritualis pulchritudo.
Sap. VII, 29. Propterea de sapientia legitur : Hæc est speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Thomas, per tinctos Indiæ colores, intelligit lapides pretiosos, diversis coloribus naturaliter tinctos, qui maxime reperiuntur in India.

Insuper, sapientia non confertur *nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.* Sardonychus seu sardonyx, lapis est similis rubicundissimæ terræ, et splendoris videtur purpurei : cujus lapidis decorem ac dignitatem sapientia vincit. Lapis iste (secundum Thomam) accendit mentem ad gaudium, acuitque ingenium, atque (ut dicitur) luxuriam pellit, hominem pudicum reddens et castum. Ideo pretiosissimus appellatur. Nam et tristitiam ac timorem a lapide onychino excitatos refrenat. Sardonychus quippe (secundum Thomam) ex lapidibus duobus componitur, puta ex sardio, prædictas proprietates efficientiasque habente, quæ et ob id attribuuntur sardonycho; [et onychino]. Denique super
Apoc. XXI, 20. Apocalypsim de sardonycho scripsi ex dictis doctorum. Lapis iste candidus perhibetur, in rubeum colorem parumper declinans. Ejus tamen multa sunt genera. Nam alius rubeus fertur; alius bicolor, ut dictum est; alius triformiter coloratur, pri-

A mum habens nigrum, medium candidum, superiorem rubeum : et iste est pretiosior. Sardonyx etiam humilem facit. Porro sapphirus, cœlestis et aerei est coloris. Qui corpus humanum vegetat, et membra consolidat, tactusque radiis solis, ardentem ex se mittit fulgorem. Ideo pretiosus asseritur.

Verumtamen S. Gregorius ait hic sardonychum et sapphirum pretiosos non esse, imo aliarum comparatione gemmarum vilissimos : quod ideo dicit, ut persuadeat B sensum litteralem relinquendum, præsertim quoniam lapides istis pretiosiores hic reticentur. Potius tamen videtur cum littera standum, et affirmandum, quod sardonychus (sicut hic dicitur) pretiosissimus, id est valde pretiosus fuit, saltem in terra Job et tempore suo. Siquidem pretia lapidum non sunt eadem in omnibus locis, neque in cunctis temporibus, sicut et Thomas hic tangit. Verba B. Gregorii arctari queunt ad loca, in quibus hi lapides magis abundant, ita ut minus curentur. Nihilo C minus, absolute loquendo, sardonychus et sapphirus pretiosæ sunt gemmæ : quod ex canonica probatur Scriptura. Scriptum est enim Apocalypsis vicesimo primo : Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Et ibi consequenter inter lapides pretiosos sapphirus sardonychusque ponuntur. Apoc XXI, 19, 20.

Non adæquabitur ei aurum, in pretiositate, vel splendore, seu pulchritudine, *vel vitrum,* in perspicuitate seu claritate. Horum enim decorem et luciditatem sapi- D entia vincit. Unde constat istud ad litteram posse exponi, non obstante verbo dicentis oppositum. Ad diversa enim fit comparatio, non ad idem secundum incrementum, ut ille sentire se innuit. *Nec commutabuntur pro ea,* juxta æqualitatem valoris, *vasa auri excelsa et eminentia,* id est aurea vasa quantumcumque prævalida, et quantitate ac qualitate præclara. Artificialia namque sapientiæ nequeunt comparari : imo nullius pene sunt reputationis respectu ipsius. Ideo additur : *Non commemo-*

Digitized by Google

rabuntur, id est, commemoratione indigna erunt, *comparatione ejus :* juxta illud Sapientiæ, (Sap. vii, 8.) Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. *Trahitur autem sapientia de occultis,* id est, a supernaturali et secretissima omnium causa Deo suscipitur, impetratur et hauritur sapientia ista, videlicet ab incomprehensibili bonitate, caritate et pietate ejus, et ex abysso ineffabili judiciorum Dei. Unde contingit, ut uni hanc sapientiam magis quam alteri præstet. Per occultam quoque pœnitentiam ac præparationem homo ad eam pertingit, atque tam occulte conceditur, ut lateat recipientes eo modo, quo de caritatis inexsistentia exstant ambigui. Præterea sapientia acquisita, ex secretis rerum creatarum proprietatibus, naturis, operibus atque ordinibus trahitur, id est, considerando talia invenitur.

Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia. Juxta Gregorium, πᾶν Græce, Latine dicitur *omne.* Unde topazion, quoniam omni colore resplendet, quasi topandion appellatur. Itaque gemma hæc pretiosissima omni fulget colore, quamvis color aureus et aereus in ipsa abundent. Quæ dum solis luce perfunditur, jubar suum undique fundit, omniumque gemmarum superat claritatem, in suum adspectum maxime trahens adstantes. Hæc gemmarum amplissima, regibus est tam cara, ut ea nil carius inter divitias suas habere se reputent. Valetque contra iram atque lunaticam passionem. Quæ ab Æthiopia venit. *Nec tincturæ mundissimæ componentur,* id est, tincturæ quantumlibet puræ pretiosissimarum vestium, poni non poterunt pro condigno sapientiæ pretio.

Unde ergo sapientia venit? id est, quis est dator ipsius? et quæ origo unde emanat? *Et quis est locus intelligentiæ?* Hoc jam supra interrogavit, sicut expositum est : quærit enim in quo originaliter sit, et cui infundatur. *Abscondita est ab oculis omnium viventium.* Hoc quidam de increata Sapientia interpretantur, quam nul-

A lus in hac vita per speciem contemplatur, vita vivens mortali atque humana. Sed quia de sapientia quæ donum est, sermo fuit hucusque, de illa continuanda est expositio. Ista ergo abscondita est ab oculis omnium viventium : vel quia corporalibus oculis non videtur, quum sit spirituale intellectualeque bonum ; vel quoniam latet viventes omnes qui vivunt solum vita naturæ, secundum se ipsos, non secundum caritatem et gratiam Dei (quomodo ait Apostolus : (Galat. ii, 20.) Vivo autem, jam non ego ; vivit B vero in me Christus); vel quoniam viatores certitudinaliter scire non valent se sapientiam hanc habere, nisi per revelationem, sicut nec caritatem, quæ huic dono inseparabiliter est conjuncta. Unde habentibus sapientiam istam scripsit Apostolus : (Coloss. iii, 3.) Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Volucres quoque cœli latet.* Hoc dicitur contra superstitiosos et augures, qui in quibusdam avibus ponebant sapientiæ participationem tam altam, quod homo ex illis C volucribus perduceretur ad futurorum notitiam : quamvis per volucres cœli, homines ingeniosi, seu leves et animosi possint intelligi, qui superbiæ suæ demerito hac sapientia destituuntur.

Perditio et mors, id est dæmones et reprobi mortui, *dixerunt : Auribus nostris* interioribus vel exterioribus, *audivimus famam ejus,* id est præconia sapientiæ hujus, sed ipsam non possedimus permanenter : juxta illud Sapientiæ, (Sap. v, 6.) Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non D est ortus nobis.

Denique, præinductis verbis consonant quæ in Baruch scripta sunt : (Baruch iii, 14, 15, 29-32.) Quis invenit locum sapientiæ? aut quis introivit in thesauros ejus? Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit eam, et attulit illam super aurum electum? Non est qui possit scire viam ejus, neque qui excogitet semitas ejus ; sed qui scit universa, novit et adinvenit eam prudentia sua. Hoc est quod subditur.

Digitized by Google

Deus intelligit viam ejus, id est modum A et proprietatem sapientiæ hujus, et qualiter acquiratur ac infundatur, omnemque ejus processum; *et ipse novit locum illius,* id est mentes eorum quibus infunditur : quas noscit per approbationem, sicut ad Moysen ait : Te ipsum novi ex nomine. Et Apostolus dicit : Novit Dominus qui sunt ejus. Sapiens quoque : Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat. Denique ipsemet Deus est primus summusque sapientiæ locus : in quo solo plenitudo sapientiæ continetur, a quo omnis B sapientia derivatur, qui solus comprehensive et plene noscit se ipsum.

(Exod. xxxiii. 17. — II Tim. ii, 19. — Sap. vii, 28.)

Ipse enim fines mundi intuetur, id est finem cujuslibet creaturæ, ad quem ipsa spiritualiter creata et ordinata ab ipso est. Fines etiam mundi, id est extrema universi vel suprema in creaturis et terminos omnium, intuetur, juxta illud Sapientiæ : Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Quoniam ergo scit finem rationalis creaturæ, sapientiam ei infundit, per quam ultimo fini qui Deus C est, conjungatur. *Et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit.* Idcirco novit sapientiæ locum. Omnia enim (juxta Apostolum) nuda et aperta sunt oculis ejus. In Ecclesiastico quoque scriptum est : Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita. Omnia enim in divina essentia tanquam in superclarissimo exemplari et speculo fontali atque causali principio, universorum rationibus idealiter pleno, æternaliter certissimeque resplendent. Ideo cognoscendo se ipsum, omnia contemplatur.

(Ibid. viii, 1. — Hebr. iv, — Eccli. xxiii,)

Qui fecit ventis pondus, id est, inclina- D tionem eis impressit, qua huc illucque moventur. Unde (secundum Augustinum) amor et inclinatio rei, est quasi pondus ipsius, quoniam instar ponderis trahit eam ad locum aptum, vel ad amatum, aut ad quoddam conveniens. Albertus allegat Avicennam, dicentem : Ventus est vapor terrenus aerem fortiter impellens, cui pondus datur, dum exsufflationi ascensionique ejus terminus certus præfigitur. Unde in apocryphis Esdræ angelus Uriel loquitur Esdræ : Pondera mihi ventum. *Et aquas appendit in mensura,* id est, vaporabiliter elevat eas, atque in nubibus servat in certa mensura secundum ordinem sapientiæ suæ, prout novit terræ nascentibus expedire, vel prout complacet sibi. In mensura enim magnitudinis ac temporis eas suspendit, determinans quantum concrescant, et quando descendant. Imo, omnia in numero, mensura et pondere fecit, ut Sapiens scribit.

(IV Esdr. iv, 5. — Sap. xi, 21.)

Quando ponebat pluviis legem, id est, naturalem cursum, modum et ordinem eis impressit, quomodo et ubi ac quando descenderent, *et viam procellis,* id est ventis seu tempestatibus ac undis marinis, *sonantibus,* quia cum sono et impetu tendunt : quibus viam, id est certum motus et actionis iter ac modum, præstitit. *Tunc,* scilicet in principio, dum ista creavit et ordinavit, *vidit illam,* id est, sapientiam in se ipso cognovit, non aliunde accepit; *et enarravit,* id est, aliis eam communicavit et inspiravit, videlicet angelis, vel in eorum creatione, vel confirmatione ; *et præparavit,* id est, hominibus eam dare disposuit, eorumque corda ad illam aptavit; *et investigavit,* id est, in aliis eam discussit, inquisivit et consideravit an veraciter eam haberent; et quos invenit ea privatos, abjecit. Vel, Investigavit, id est, ab hominibus eam investigari fecit, corda eorum movens ad adeptionem profectumque ejus.

Et dixit homini, scilicet primo parenti, et ceteris ad hoc electis, allocutione interna seu inspiratione angelica. Uni quoque homini hoc per alium insinuavit. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* Timor Domini non est sapientia per identitatem, quia realiter differunt, et distinguuntur subjecto, quum timor sit in appetitu seu voluntate. Porro timor est triplex : puta, servilis, qui non est sapientia nisi a remoto, disponendo ad eam. Facit enim vitare peccata timore pœnarum, non Dei amore, nec zelo justitiæ : ideo nudus et informis

Digitized by Google

est, seu absque caritate. Secundus, est timor initialis, quo vitatur peccatum partim amore Dei æquitatisque zelo, et partim pœnarum formidine. Hic itaque timor est sapientia non per essentiam, sed per causam : sicut notitia dicitur amor, et dies dicitur latio solis super nostrum horizontem. Timor autem initialis realiter idem est cum timore filiali : ideo simul tempore cum sapientia quæ donum est, datur, inest, atque infunditur, sicut et caritas ac cetera dona caritati inseparabiliter juncta. Si ergo hic timor initialis est causa sapientiæ hujus, et de ipso exponitur illud in Psalmo, Initium sapientiæ timor Domini : hoc sumi oportet, quantum ad profectum et actum sapientiæ hujus, non quantum ad habitum seu essentiam ejus, quia per creationem infunditur. Quo enim quis peccata plenius atque sincerius vitat, eo in dono sapientiæ amplius crescit. Porro tertius, est timor filialis, qui ex caritate procedit : quo vitatur peccatum, ne Deus inhonoretur aut offendatur, seu deseratur vel deserat. Hic timor potest sapientia nominari, per quamdam inclusionem et propinquitatem ad eam : siquidem caritatem magnam sapientiamque includit. De quo scriptum est in Ecclesiastico : Plenitudo sapientiæ timere Deum.

Ps. cx, 10. — *Eccli. i, 20.*

Et recedere a malo, id est a peccato se elongare, est *intelligentia :* loquendo de prædicatione per causam, quemadmodum de sapientia dictum est. In hoc enim intelligentia consistit, perficitur et monstratur, quod omnis culpa abjicitur, discernendo inter bonum et malum, verum et falsum : per quod mens in dono intellectus perficitur, ut ea quæ fidei sunt, lucide contempletur.

Ex quibus omnibus Job intendit, quod præsentis vitæ prosperitas summa non in temporalibus, exterioribus et caducis rebus consistat, sed in actu sapientiæ et intelligentiæ : quod in sæculo isto non fit, nisi timendo Deum vitandoque malum.

ARTICULUS LV

EXPOSITIO MYSTICA EJUSDEM CAPITULI VICESIMI OCTAVI.

HABET *argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur.* Frequenter jam patuit, argento, nitorem eloquentiæ, seu splendida verba sacræ Scripturæ, auro autem, claritatem sapientiæ, seu caritatis fervorem signari. Venæ itaque hujus spiritualis argenti, sunt libri Scripturæ canonicæ, ex quibus velut ex venis, rivuli sanctorum ducuntur profluuntque verborum. Principia autem venarum, exordia sunt librorum. Insuper, locus in quo conflatur, sunt corda fidelium, in quibus sapientiæ donum locatur, et adversis probatur, caritas quoque accenditur : imo et per creationem infunditur, et crescendo quasi conflatur. *Ferrum de terra tollitur :* id est, homo justus ac solidus veri æquique tenax, de terrena conversatione frequenter ad perfectionem hanc gratiæ, Deo miserante ac operante, provehitur. Cujus etiam origo terrena est, juxta illud Ecclesiastici : Omnes homines terra et cinis. Et in Genesi : Formavit Deus hominem de limo terræ. *Et lapis,* id est peccator lapidei cordis, ad divinorum susceptionem eloquiorum durus, *solutus calore,* id est divini amoris fervore ab hac duritia resolutus, et pius beneque mollis effectus, *in æs vertitur,* id est, fortis et constans efficitur, amando splendens, et docendo instar æris sonorus.

Eccli. xvii, 31. — *Gen. ii, 7.*

Tempus posuit tenebris. Tenebræ, sunt homines vitiosi, juxta illud Joannis : Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non com-

Joan. i, 5.

Digitized by Google

prehenderunt. Conversis quoque ad lucem
Ephes. v, 8. justitiæ loquitur Paulus : Fuistis aliquando
tenebræ. His tenebris posuit Deus tempus
pœnitendi, ut emendati salventur, juxta il-
Is. xxx, 18. lud Isaiæ : Propterea exspectat Dominus ut
II *Petr.* iii, 9. misereatur vestri. Et Petrus ait : Patienter
agit Dominus propter vos, nolens aliquos
perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.
Insuper, posuit Deus tempus his tenebris,
quia præfixit quamdiu eos impœnitentes in
suis perversitatibus sustinebit; et pondere
ac tempore impietatis eorum completis,
mox aufert damnatque eos. Propter quod in
Gen. xv, 16. Genesi ait : Nondum impletæ sunt iniqui-
tates Amorrhæorum. Et Christus in Evan-
Matth. xxiii, 32. gelio loquens Judæis incredulis : Implete,
inquit, mensuram patrum vestrorum. *Et
universorum,* videlicet tam electorum quam
reproborum, *finem considerat,* id est qua-
liter quisque viam suam hic terminet, quo-
modo moriatur, in qua affectione et dis-
positione suæ mentis a corpore separetur :
et secundum hoc judicat eum. Quod enim
angelis est ruina, hoc hominibus est mors,
secundum Damascenum. Ideo, sicut angeli
mali inconvertibiliter manent in ea affe-
ctione et dispositione, in qua ceciderunt;
sic animæ in ea permanent dispositione et
affectione, in qua a corpore separantur.
Quod in Ecclesiaste Salomon innuens, ait :
Eccle. xi, 3. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad
aquilonem, in quocumque loco ceciderit,
ibi erit.

Lapidem quoque caliginis, id est tene-
brosum, induratum, perfidumque populum
Judæorum : de quo Dominus loquitur Eze-
Ezech. ii, 4. chieli, Filii indomabili corde sunt; *et um-
bram mortis,* id est gentiles incredulos,
morte peccati fuscatos, *dividit torrens,* id
est inundatio divinæ ultionis : de qua il-
Dan. vii, 10. lud Danielis accipi potest, Fluvius igneus
rapidusque egrediebatur a facie ejus, vi-
delicet Dei; *a populo peregrinante,* id est
ab electis, qui in vita hac vere sunt viato-
res, peregrini et hospites, præsentia con-
temnendo atque cœlestia ferventer ac ju-
giter appetendo. De quibus ad Hebræos
Hebr. xi, 13. scribit Apostolus : Confitentes quia pere-

A grini et hospites sunt super terram. Præ-
dicta itaque pœna et ultio Dei, in die ju-
dicii istos ab invicem dividet, quando
reprobi ibunt in ignem æternum, electi *Matth.* xxv, 46.
vero in vitam æternam. Unde in Isaia le-
gitur : Spiritus Domini velut torrens inun- *Is.* xxx, 28.
dans ad perdendas gentes in nihilum. De
quibus subjungitur : *eos quos oblitus est
pes egentis hominis,* id est reprobos, cru-
deles et immisericordes, ad quos pauperes
pro subsidio propter illorum ferocitatem
non accesserunt : imo pauperes discipuli
B Christi, de quo et ejus discipulis scriptum
est in Isaia, Conculcabit eam (scilicet civi- *Ibid.* xxvi, 5, 6.
tatem sublimem) pes, pes pauperis, gressus
egenorum; a præfatis Judæis propter eo-
rum duritiam recesserunt, sicut in Actibus *Act.* xiii, 46, 51.
patet. *Et invios :* hi enim iniqui, quia er-
rorum viis repleti sunt, et per diversa iti-
nera properant ad infernum, invii nuncu-
pantur.

Terra de qua oriebatur panis, id est Sy-
nagoga vel Ecclesia, de qua, tempore quo
in ea viguit fervor caritatis et gratia devo-
C tionis, processit panis vitæ et intellectus, *Eccli.* xv, 3.
refectio bonæ operationis, panis lacrima- *Ps.* lxxix, 6.
rum, confortatio internæ consolationis. Ta-
libus enim spiritualibus alimentis fideles
communiter abundabant, unusque alium
pavit, præsertim prælati subjectos. *In loco
suo, igni subversa est,* id est spiritualiter
destructa, virtutibus destituta, mente cor-
rupta igne libidinis, flamma cupiditatis,
fervore iræ, impatientiæ atque similium
vitiorum. Quanta enim fuerit corruptio
Synagogæ in primo Christi adventu, Evan-
D gelistæ testantur : cujus, tempore David
et Salomonis, fuit magna devotio. Ideo
scriptum est : Quomodo facta est meretrix *Is.* i, 21.
urbs fidelis? Porro, quam ineffabilis fue-
rit sæpe Ecclesiæ virtus, sanctitas, fervor,
atque perfectio, chronicæ narrant. Cujus
quam deplangenda, infelix, et maxima sit
modo ruina, desolatio, carnalitas, proprius
amor, abusio, experientia docet, ita ut il-
lud Apostoli ad Timotheum videatur im-
pleri : Scito, quod in novissimis tempori- II *Tim.* iii, 1-4.
bus instabunt tempora periculosa; et erunt

Digitized by Google

homines se ipsos amantes, cupidi, elati, sine affectione, sine pace, criminatores, voluptatis amatores magis quam Dei.

Locus sapphiri lapides ejus. Lapides Synagogæ seu Ecclesiæ, sunt viri virtutibus stabiles. De quibus in Isaia Dominus promittit Ecclesiæ : Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua. Isti fuerunt locus sapphiri, id est subjecta seu congregatio cœlestis conversationis, quæ per sapphirum cœlestis coloris, exprimitur : qui dicere potuerunt, Nostra conversatio in cœlis est. *Et glebæ illius aurum.* Gleba est frustum terræ. Glebæ ergo Ecclesiæ sunt fideles, lutea vasa seu terrena corpora circumferentes : qui olim aurum fuerunt, id est præcipuæ perfectionis in fervore dilectionis, et in sapientiæ claritate. Nunc autem fideles tales non sunt, sed carnales, terreni, insensibiles ad divina et duri, juxta illud Threnorum : Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? In Isaia quoque : Argentum tuum versum est in scoriam. De præfatis autem glebis cœliformiter decoratis, scribit Apostolus ad Corinthios : Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit ex Deo, et non ex nobis.

Is. LIV, 11, 12. — *Philipp.* III, 20. — *Thren.* IV, 1. — *Is.* I, 22. — II *Cor.* IV, 7.

Semitam ignoravit avis : id est, Synagoga viam Christi nescivit per approbationem ; imo illam contempsit, abjecit et reprobavit. Christus autem avis vocatur ratione suæ altissimæ contemplationis et ascensionis : qui plumis et alis virtutum atque donorum summe fuit ornatus. Semitam etiam Christi, id est ejus ascensionem, Synagoga credere noluit. Præterea omnes impii Christiani semitam Christi hoc modo ignorant : qui arctam viam salutis, quæ est conversatio virtuosa, ac pœnitentiæ iter relinquunt, latissimamque æternæ perditionis perambulant viam. De Christo quoque ad litteram illud Isaiæ, Vocans ab oriente avem, exponit Hieronymus, per avem ibi intelligens Christum. *Nec intuitus est oculos vulturis.* Per vulturem Gregorius intelligit Christum, sicut per avem. Qui vultur vocatur, quia ad nostræ fragilitatis morticinium descendit : cujus oculos, id est sapientiam et intentionem qua genus humanum venit proposuitque salvare, Synagoga non novit : imo hunc seductorem et impium exclamavit.

Matth. VII, 14, 13. — *Is.* XLVI, 11. — *Joann.* VII, 12.

Non calcaverunt eam filii institorum, id est Apostoli filii Prophetarum, qui spirituales institores fuerunt, institutioni morum populi sui jugiter insistentes. Hi, inquam, Apostoli, videntes Synagogæ obstinationem durissimam, amplius eam non calcaverunt, ad eam prædicationis gratia gradiendo : sed ea relicta, ad gentes convertendas profecti sunt, prout Paulus et Barnabas dicunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes. *Nec pertransivit per eam leæna,* id est Ecclesia, quæ ratione virtutis seu potestatis, et propter bellum ejus contra invisibiles hostes, nominatur leæna, sicut et Christus dicitur leo. Hæc ergo Ecclesia, cernens Apostolos reliquisse Judæam, eam dimisit et ipsa, nec Christi Evangelium ei prædicare adjecit, de ipsius conversione diffidens.

Act. XIII, 46. — *Gen.* XLIX, 9; *Apoc.* V, 5.

Ad silicem, id est ad duram gentilitatem convertendam, *extendit* Deus *manum suam :* quia per Apostolorum prædicationem eam instruxit ac potenter convertit, juxta illud Isaiæ : Ecce levabo ad gentes manum meam. *Subvertit a radicibus montes,* id est, sæculi principes et tyrannos, ac superbos Judæorum pontifices ac prælatos prorsus dejecit et condemnavit, juxta illud Psalmi : Conturbati sunt montes in fortitudine ejus. De quibus per Isaiam loquitur Christus : Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.

Is. XLIX, 22. — *Ps.* XLV, 4. — *Is.* LXIII, 3.

In petris rivos excidit, id est, convertendo gentiles, in cordibus eorum sapientiæ et gratiæ suæ fluenta fundavit, quemadmodum in Joanne legitur : Clamavit Jesus : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Omne pretiosum vidit oculus ejus.* Pretiosiora in creaturis,

Joann. VII, 37, 38.

Digitized by Google

sunt rationales seu intellectuales Dei fa-
cturæ, præsertim si donis gratiæ perorna-
tæ, Creatori suo tota mente inhæreant.
Omne itaque pretiosum sub sole, id est
omnem hominem virtuosum, Deus oculo
approbationis conspectat : tantoque homo
pretiosior est in oculis Dei, quanto vilior
in oculis suis ; tanto quoque fit vilior
Deo, quanto pretiosior sibi, id est, quanto
magis se erigit. Hinc loquitur Christus :
Luc. xvi, 15. Quod hominibus altum est, abominatio est
ante Deum. *Profunda quoque fluviorum
scrutatus est,* id est occulta et intima cor-
dium humanorum. Per aquam enim et
Job xxvi, 10. flumina, homines designantur, ut patuit,
propter abundantiam utriusque, et quo-
niam cor humanum instar aquæ et fluvii
instabile fluidumque consistit. Unde in
Ps. xcii, 3. Psalmo cantatur : Elevaverunt flumina vo-
cem suam. Omnium autem corda Deus
Jer. xvii, 10. scrutatur, juxta illud Jeremiæ : Ego Do-
minus scrutans cor, et probans renes. *Et
abscondita produxit in lucem,* id est, my-
steria legis ac Prophetarum, atque velami-
na Scripturarum, per evangelicam doctri-
nam exposuit Christus, et per Apostolorum
prædicationem manifestavit. Unde de Chri-
Luc. xxiv, 45. sto scriptum est : Aperuit illis sensum, ut
intelligerent Scripturas. Et Apostolus ait :
II *Cor.* iv, 6. Deus qui dixit de tenebris lumen splende-
scere, illuxit in cordibus nostris ad illu-
minationem scientiæ veritatis.

*Sapientia vero ubi invenitur? et quis
est locus intelligentiæ?* Hæc Gregorius de
increata Sapientia, id est Unigenito Dei
Christo, exponit. De quo loquitur Paulus :
I *Cor.* i, 23, 24. Prædicamus Christum Dei virtutem et Dei
sapientiam. Ipse quoque est intelligentia
Sap. v, 6. increata : de quo reprobi dicunt, Sol in-
telligentiæ non est ortus nobis. Siquidem
in Deo sunt idem, intelligens et intelli-
gentia, sicut sapiens et sapientia. Hæc
ergo Sapientia, secundum suam divinita-
tem infinita et incircumscriptibilis ma-
nens, a nullo perfecte cognoscitur, nullibi
circumscriptive continetur aut clauditur.
Nescit homo pretium ejus : quia omnia
infinite excedit, nec eam quis de condi-
A gno propriis potest viribus promereri. *Nec
invenitur in terra suaviter viventium :*
quia voluptuosorum delicate viventium
corda Christus per gratiam non inhabitat.
Propter quod ait : Væ vobis divitibus, qui *Luc.* vi, 24, 25.
habetis consolationem vestram ; væ vobis
qui saturati estis, quia esurietis ; væ vobis
qui ridetis, quia lugebitis et flebitis. In
cordibus ergo pœnitentialem vitam du-
centium, sua et proximorum peccata de-
flentium, Christo cordialiter condolentium,
propriam calamitatem et exsulationem, ac
B patriæ dilationem lugentium, habitat Chri-
stus, qui ait : Beati qui lugent, quoniam *Matth.* v, 5.
ipsi consolabuntur. Ideo ait Psalmista :
Renuit consolari anima mea. Verumtamen *Ps.* lxxvi, 3.
est quædam spiritualis suavitas interna,
bona, prædulcis, quæ Christi inhabitatio-
nem non excludit, sed præsupponit, aut
concomitatur.

Abyssus dicit : Non est in me. Per abys-
sum, homines sæculares, duplices corde et
callidi designantur : qui instar maris, va-
nitate et peccatis sunt fluidi et duplicitate
C obscuri, juxta illud Jeremiæ, Pravum est *Jer.* xvii, 9.
cor hominis et inscrutabile. In talibus au-
tem Christus gratiose non immoratur. Pro-
pter quod sapiens quidam monet : Sentite *Sap.* i, 1.
de Domino in bonitate, et in simplicitate
cordis quærite illum. Et rursus : Spiritus *Ibid.* 5.
sanctus disciplinæ effugiet fictum. *Et ma-
re loquitur : Non est mecum.* Per mare,
quod orbem sequitur lunæ, et inquietum
atque amarum est, mentes vitiis agitatæ
et amaricatæ signantur : quæ facto testan-
tur, quod in ipsis non sit Sapientia ista
D æterna gratiose quiescens, quæ ait, Super *Cf. Is.* lxvi, 2.
quem requiescet Spiritus meus, nisi super
quietum et humilem? Unde Ecclesiasticus:
Homo sanctus in sapientia manet ut sol ; *Eccli.* xxvii, 12.
nam stultus mutatur ut luna. Sapientia
igitur facit hominem ordinatum et sta-
bilem.

Non dabitur aurum obrizum pro ea. Per
aurum obrizum, quod purissimum preti-
osissimumque consistit, angeli sancti in
sua puritate manentes, et supernaturali-
bus donis ornati, intelliguntur : qui pro

Digitized by Google

Sapientia increata quasi pretium ejus condignum non dantur, quia incomprehensibiliter inferiores sunt ea, sicut ad Hebræos docet Apostolus : Cui angelorum dixit aliquando Deus : Filius meus es tu, ego hodie genui te? *Nec appendetur argentum in commutatione ejus.* Sicut per aurum obrizum angeli, ita argento homines exprimuntur : qui quantumlibet venustate eloquentiæ et splendore scientiæ perornentur, Sapientiæ increatæ nequeunt comparari, quum et Joannes Baptista testatus sit indignum se esse solvere corrigiam calceamenti illius.

Hebr. I, 5; *Ps.* II, 7. *Joann.* I, 27.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus. Per Indiam Æthiopes proferentem, mundus hic vitiis tenebrosus notatur : cujus tincti colores, sunt hujus sæculi sapientes, quorum sapientiam (juxta Apostolum ad Corinthios) stultam efficit Deus. Qui licet intus coram Deo immundi sint, coram hominibus tamen se ornant, et velut sapientes virtuososque exhibent, sicut et Scribis et Pharisæis locutus est Christus : Væ vobis qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos quidem a foris paretis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate. Itaque horum nullus comparabilis est Sapientiæ increatæ. *Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.* Per lapidem sardonychum rubeæ terræ colorem habentem, quicumque incola mundi ; per sapphirum, cujus color cœlestis est apparentiæ, quicumque supernæ patriæ civis exprimitur. Quum ergo nec terræ, nec cœli habitator comparetur Sapientiæ huic, rite prolatum est verbum inductum.

I Cor. I, 20. *Matth.* XXIII, 27, 28.

Non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Aurum cunctis metallis præfulget, et tamen quæ continet in se, abscondit. Vitrum vero extra est clarum et intus perspicuum, et qualis sit liquor in ipso contentus, foris apparet. Per aurum ergo et vitrum, superna patria, supernorumque societas civium designatur : quorum corda sibi invicem claritate fulgent, et puritate translucent. De qua in Apocalypsi ait Joannes : Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide ; ipsa vero ex auro mundo simili vitro mundo. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet ; sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia. Sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi ; et dum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur.

Apoc. XXI, 18.

Omnia ista sunt verba B. Gregorii. Quibus concordat quod vicesimo secundo de Civitate Dei, de hac materia loquitur Augustinus, insinuans ibi, quod omnis interiorum compago et habitudo, prædicto modo patebit. Quod etiam Thomas super quartum Sententiarum affirmat, asserens hoc dicendum, quia per hoc magis salvatur dignitas corporis glorificati, quam si dicatur, quod perspicua, transparentia, seu translucentia non erunt corpora glorificata, sed solum forinsecus clara et lucida sicut aurum : quod tamen aliqui adstruunt. Sed præfatis sanctis Doctoribus magis credendum est. Quos etiam in hoc sequitur vir magnæ illuminationis, Joannes Ruysbroeck in libro de Regno electorum. Verum nullus in superna hac patria, nec tota illa societas increatæ valet Sapientiæ adæquari.

Nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia, id est homines præclarissimi, divinorum vasa charismatum exsistentes, sicut de Paulo perhibuit Christus : Quia vas electionis mihi est iste. *Non commemorabuntur comparatione ejus.* Infinite enim ab ejus majestate deficiunt : ideo comparatione ejus pro nihilo reputantur. Circa quod ait Gregorius : Electi supernæ patriæ, sancti et justi sunt, sed participatione Sapientiæ, non comparatione. Sola enim Sapientia increata cum Patre et Spiritu Sancto veraciter est : cujus essentiæ comparatum esse nostrum, est non esse. Huic si conjungimur, sumus, vi-

Act. IX, 15.

Digitized by Google

vimus, sapimus; huic si comparamur, nec sapimus, nec vivimus omnino, nec sumus. Hinc Sancti omnes, quando in visione Dei proficiunt, quanto magis Divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. *Trahitur autem sapientia de occultis:* quia invisibilis exsistens, invisibiliter invenitur atque percipitur; ex incomprehensibili quoque Dei pietate ac censura infunditur, et interdum pro occultissimis meritis ipsa per gratiæ suæ communicationem se præstat. Ad ejus insuper aliqualem cognitionem, ex occultis rerum proprietatibus, naturis et actibus subtiliter consideratis promovemur: in suis quippe relucet effectibus.

Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia. Per topazium, lapidem pretiosissimum, omni colore ornatum ac splendidum, quicumque vir perfectus ex gentilitate (per Æthiopiam designata) conversus, diversis virtutum atque donorum charismatibus micans, significatur: qui quantumlibet commendatur, Sapientiæ quæ Christus est, non æquatur. *Nec tincturæ mundissimæ,* id est quibuslibet virtutibus eminenter ornati, seu virtutes creatæ, quamvis clarissimæ in suo ordine, *componentur,* id est, sapientiæ hujus comparabuntur, quæ est virtus et sanctitas per essentiam, omnemque perfectionem habet per eminentiam infinitam.

Unde ergo sapientia venit? Sapientia ista increata, sicut a Patre æterno procedit, ita ab eo venit ac mittitur, prout protestatur: Exivi a Patre, et veni in mundum. (*Joann.* XVI, 28.) Sapiens quoque quidam petit: Mitte illam a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret. (*Sap.* IX, 10.) *Et quis est locus intelligentiæ?* Intelligentia hæc et Sapientia increata, est in sinu Patris, ut in Joanne habetur (*Joann.* I, 18): imo quælibet divina et increata Persona est in alia circumincessibiliter vere et inconfusibiliter. Nihilo minus, omnis mens creata, divinæ Sapientiæ contemplativa amatrix, locus, templum et thronus, receptaculumque ipsius vocatur. *Abscondita est ab oculis omnium viventium,* id

A est, a nullo mortalium in hac vita clare per speciem cernitur. Quod si aliquibus in hac vita datum est Deum videre per speciem, sicut præcipue de Moyse et Paulo asserit Augustinus; tamen pro tunc non vivebant vita sensitiva humana, sed in maxima erant abstractione et ecstasi. Hinc ait Gregorius: Quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines et figuras Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest. Refert quoque Gregorius quosdam fuisse, qui Deum dixe-

B runt in patria, non in natura sua, sed in claritate sua videri: cujus oppositum probat Gregorius per certissimas Scripturæ auctoritates, et ratione, quoniam Deo idem est sua natura, suaque claritas. Verumtamen istis obviare videtur quod Sapiens inducit: Sapientia facile videtur ab his qui diligunt illam, et invenitur ab his qui quærunt illam; præoccupat eos qui se concupiscunt. (*Sap.* VI, 13, 14.) Et respondendum, quod hoc atque similia, de cognitione clara per speciem non profertur, sed de imperfecta quadam

C notitia, qua etiam Deus facillime a cunctis cognoscitur, quantum ad quia est, et quoad aliquas suas proprietates, quæ ex creaturis de facili perpenduntur.

Volucres quoque cœli latet, id est animas contemplativas seu angelos sanctos, [qui] ita increatam Sapientiam comprehensive non sciunt, nec vident, id est tam perfecte et clare, sicut ipsa ex se cognoscibilis exstat. Sicut enim infinitæ est actualitatis, ita est et infinitæ cognoscibilitatis: idcirco a nullo intellectu comprehensive

D conspicitur, nisi qui infinitæ est perspicacitatis et perfectionis. Unde solus Deus comprehendit se ipsum. Et de tali cognitione accipi potest illud Apostoli: Beatus et solus potens Rex regum, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. (I *Tim.* VI, 15, 16.) Divinus quoque Dionysius ait sexto Cœlestis hierarchiæ capitulo, quod angeli divinos ornatus perfecte non sciunt, sed sola divina virtus princeps totius illuminationis.

Digitized by Google

Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus. Dæmones nempe et condemnati, increatam Sapientiam in se ipsa non vident, sed in suis eam effectibus noscunt, et multa de ea audierunt. In ipsa demum proportione pœnarum ad culpas eam cognoscunt. *Deus* Pater, imo et Spiritus Sanctus, *intelligit viam ejus,* id est increatæ Sapientiæ operationem, et iter seu modum quo venit ad mentes creatas per Incarnationis mysterium, seu invisibilem missionem. *Et ipse novit locum illius :* de quo loco jam dictum est. Nam et Pater, secundum Gregorium, locus est Sapientiæ hujus, quemadmodum ipsa
Joann. xiv, 10, 11. ait : Ego in Patre, et Pater in me est. Pater etiam et Trinitas superbenedicta novit et approbat mentes, quas Sapientia ista
Ibid. 23. inhabitat, quæ loquitur : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Apostolus
I Cor. III, 17. quoque testatur : Templum Dei sanctum est, quod estis vos.

Qui fecit ventis pondus. Per ventos, propter eorum velocitatem ac subtilitatem, intellectuales essentiæ, scilicet animæ, angelique signantur : quibus Deus fecit pondus, id est, amorem eis impressit et naturalem inclinationem ad felicitatem ; pondus quoque virtuosæ gravitatis ac maturitatis. *Et aquas,* id est charismata gratiarum, *appendit in mensura,* hoc est, creatis mentibus indidit secundum ordinem sapientiæ suæ, decenti ac varia diversitate, sicut ait
Ibid. XII, 8-10. Apostolus : quia alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii discretio spirituum. Salvator quoque (ut parabolice ait)
Matth. XXV, 15. uni servorum dedit quinque talenta, alii duo, alii unum. Hinc rursus testatur Apo-
Ephes. IV, 7. stolus : Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Unicuique etiam electorum Deus gratiam præstat juxta mensuram prædestinationis suæ et capacitatis illius. Unus vero solus est, scilicet Christus ut homo, de quo scri-

A ptum est : Non ad mensuram dat Deus Joann. III, 34. Spiritum.

Quando ponebat pluviis, hoc est doctrinis et sermonibus doctorum ac prædicatorum. Unde in Deuteronomio Moyses ait : Concre- Deut. XXXII, 2. scat ut pluvia doctrina mea. Quemadmodum autem prædicatores dicuntur nubes, sic doctrina eorum dicitur pluvia. *Legem,* id est præceptum, qualiter et quibus debeant impertiri, ac observari primo a docentibus, deinde ab audientibus ; *et viam procellis sonantibus,* id est processum sive
B effectum terribilibus Scripturarum comminationibus de futuris suppliciis ; vel, Viam, id est aditum atque introitum ad mentes audientium.

Tunc vidit illam. Pater enim æternaliter noscit, intuetur et comprehendit Unigenitum suum, videlicet Sapientiam hanc increatam ac genitam, sicut et ipse Filius protestatur : Nemo novit Patrem nisi Fi- Matth. XI, 27. lius, nec Filium quis novit nisi Pater. Vel, Tunc vidit, id est, se videre monstravit, aliosque videre fecit hanc Sapientiam, sicut
C in Genesi ait ad Abraham : Nunc cognovi Gen. XXII, 12. quod timeas Deum. *Et enarravit,* hoc est, aliis eam per lumen fidei declaravit, videlicet prædicatoribus, ceterisque divinitus illustratis ; *et præparavit,* id est, audientium cordibus per prædicatorum sermones infundere seu revelare disposuit : quod tempore apostolicæ prædicationis præsertim fiebat, quando per Apostolorum prædicationem Deus corda illustravit gentilium. *Et investigavit,* id est, ab aliis investigari fecit, quorum intellectum excitavit ad con-
D siderandum et perscrutandum quæ de Sapientia Patris Christo prædicabantur, scriptaque erant : quemadmodum in Actis de Thessalonicensibus legitur, Nobiliores ex Act. XVII, 11. eis susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas. Et in Sapientiæ libro ait auctor libri hujus : Quid Sap. VI, 24. sit sapientia, referam ; et non abscondam sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo. Juxta hunc modum loquendi ait Apostolus : Ipse Spiritus postulat pro Rom. VIII, 26. nobis, id est, postulare nos facit. In Exodo

Digitized by Google

quoque populo Israel loquitur Dominus: Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi, id est, scire me monstrem, et alios scire hoc faciam. *Exod.* XXXIII, 5.

Denique, juxta Gregorium, notanda sunt hæc quatuor, quæ de Sapientia dicta sunt, scilicet vidit, enarravit, præparavit, investigavit. Vidit namque Pater Sapientiam hanc, quia species est; enarravit, quia verbum; præparavit, quia remedium; investigavit, quia occultum. Quæ quia communitas non capit, fecit quod subditur.

Et dixit homini : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia ; et recedere a malo, intelligentia : id est, quamvis Sapientia ista tanquam incomprehensibilis et immensa, sit omnium oculis viventium, quoad plenam ejus comprehensionem, abscondita; nihilo minus, per timorem Dei castum ac filialem, peccatorumque devitationem, ad

A eam pertingitur et ipsa acquiritur, ita ut nunc adsit per gratiam, et cognoscatur per fidem ac sapientiæ donum, postea vero adsit per beatificam fruitionem. Hujus namque Sapientiæ increatæ gratiosam præsentiam atque internam inhabitationem non impedit nisi peccatum. Propter quod loquitur Isaias : Peccata vestra diviserunt inter Deum et vos. Itemque : Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Timor autem aufert, cavet et vitat peccata, quemadmodum scriptum est : Timor Domini expellit peccatum. Et alibi : Per timorem declinat unusquisque a malo. Unde hortatur Psalmographus : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Hinc (secundum Gregorium) ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis operibus pravis custodit. *Is.* LIX, 2. *Ibid.* XXVII, 9. *Eccli.* I, 27. B *Prov.* XV, 27. *Ps.* XXXIII, 10.

ARTICULUS LVI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI NONI : ADDIDIT QUOQUE JOB, ASSUMENS PARABOLAM SUAM, ET DIXIT : QUIS MIHI TRIBUAT, ETC.

A*DDIDIT quoque Job, assumens parabolam suam.* Sicut præhabitum est, ideo dicitur assumpsisse parabolam, quia per similitudines et metaphorice loquitur. Denique (juxta Thomam) verbis ejus jam supra descriptis finitis, præstolabatur ut aliquis amicorum suorum loqueretur : quibus tacentibus, ipse præinductis ista adjecit, in quibus propositum suum diffusius declaravit. *Et dixit : Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos,* hoc est in tali incolumitate ac prosperitate honestateque famæ? Unde se ipsum declarans, subjungit, *secundum dies quibus Deus custodiebat me,* conservando in bonis, et præservando ab adversis. Et hoc ait, non quasi Deus eum quando hæc dixit, non custodiret, imo virtute et gratia Dei sciebat se in tan-

C tis adversitatibus ab impatientia, desperatione, et ceteris vitiis præservari. Sed hoc ideo ait, quia nunc ab invisibilibus ac visibilibus adversariis Deus eum gravissime affligi permisit. Sicque quodammodo a Deo fuit relictus, sicut et Christus tempore passionis clamavit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Insuper, corporis sospitatem temporalemque prosperitatem optavit, non absolute secundum se, sed ut sunt instrumenta virtutis, et quoniam naturaliter talia appetuntur, D præsertim ab ægris et depauperatis. *Matth.* XXVII, 46.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, id est, provisiva, protectiva, et directiva illustratio Dei menti meæ infulsit, seu læta prosperitas a Deo concessa mihi arrisit, *et ad lumen ejus,* id est

Digitized by Google

secundum instructionem directionemque gratiosæ illustrationis Dei, *ambulabam in tenebris*, id est, in incertis ac dubiis me habui ac processi, non propriæ prudentiæ *Mich.* VII, 8. innitendo. Sic et Michæas propheta : Quum sedero (inquit) in tenebris, Dominus lux *Ps.* XXVI, 1. mea est. Et Psalmista : Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo? *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ*, ita quod gratia mane prævenit me. Unde non ait, Infantiæ, aut, Pueritiæ : quoniam illa ætas illustrationis divinæ ad regimen vitæ humanæ, communiter non est capax, sed adolescentia, juxta illud Prover- *Prov.* I, 4. biorum : Detur adolescenti scientia et intellectus. *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*, id est, domui meæ in omnibus benedixit. Vel, Secreto erat in tabernaculo meo, id est, intus in abdito mentis mihi adfuit per multiplicem pietatis et gratiæ suæ effectum, dum in domo mea orationi et contemplationi instabam : quemadmo- *Act.* X, 30. dum in Actis Cornelius ait, Orans eram in domo mea.

Quando erat Omnipotens mecum, per varia beneficia corporalia ac spiritualia. *Job* I, 10. Sicut et Satan loquitur Deo de Job : Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti. *Et in circuitu meo pueri mei*, quos spiritualiter ac corporaliter educavi. Et hoc delectabile est, videre pueros ex se natos, quoniam causa diligit proprium germen, et si cognitiva sit, delectatur in eo. Unde timorato pro- *Ps.* CXXVII, 3. mittitur : Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. *Quando lavabam pedes meos butyro*, id est, in tantum abundabam butyro, ac ceteris animalium pinguedinibus, ut usque ad pedum lotionem sufficere posset. Et forte loquitur juxta consuetudinem patriæ. Antiquorum autem divitiæ præcipuæ, pecora erant, secundum Augustinum. Hinc a nomine isto, Pecus, pecunia nomen accepit, secundum eumdem. *Et petra fundebat mihi rivos olei.* Secundum Albertum, oleum de amurca in A concavis petræ exprimitur. Sicque depuratum, a petra funditur. Per quod omnis abundantia terræ nascentium designatur. Thomas, per petram intelligit terram saxosam : quia (ut asserit) olivæ optimum oleum producentes, in locis lapidosis ac arenosis solent consistere. Itaque sensus est, quod ex talibus locis, rivos, id est copiam, olei sumpsit.

Quando procedebam ad portam civitatis, ad judicandum ibidem. Antiquitus enim judicia proferebantur in urbium portis, ubi B judices ab introeuntibus seu aliis promptius inveniebantur, et ne civitas inquietaretur per tumultum causarum. Unde in Deuteronomio scribitur : Judices consti- *Deut.* XVI, 18. tues in omnibus portis tuis. *Et in platea*, videlicet juxta portam, *parabant cathedram mihi*, id est solium solenne, quo residerem, ad docendum ac judicandum. *Videbant me juvenes*, scilicet vanitatibus dediti, *et abscondebantur*, id est, coram me apparere, et vanum quid agere erubuerunt timore maturitatis atque justitiæ C meæ. *Et senes assurgentes* mihi accedenti, *stabant*, mihi in hoc reverentiam impendentes. *Principes cessabant loqui*, quum ego loqui ordirer, *et digitum superponebant ori suo*, hoc est, diligentissime tacuerunt, et mea eloquia attenderunt, et forte tali exteriori silendi indicio se ad taciturnitatem cohortabantur. *Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat*, id est, ad loquendum non movebatur, sed tam attonite et attente me auscultabant, quasi lingua eorum ad lo- D quendum laxari non potuisset.

Auris audiens verba mea vel famam meam, *beatificabat me*, id est, felicem me reputavit : *et oculus videns, testimonium reddebat mihi*, id est, conspiciendo opera justa et virtuosa quæ feci, testabatur quod vere justus consisterem : quod de interioribus aure et oculo congruentius verificatur. Vel, si de exterioribus sensibus accipiatur, auris et oculus hæc egisse dicuntur, in quantum homines per sensus hos sumpserunt occasionem seu materiam

Digitized by Google

hæc agendi. *Eo quod liberassem pauperem* de manu potentioris et oppressoris, *vociferantem*, id est conquerentem, vel ad me pro ope clamantem; *et pupillum* similiter liberassem, *cui non esset adjutor*, quia nec patrem nec amicos habuit se juvantes. *Benedictio perituri super me veniebat*, hoc est, qui periturus seu occidendus vel opprimendus fuerat, nisi ego ei subvenissem, benedixit mihi, optando imprecandoque mihi bona, et gratias referendo. Ad hoc
Prov. XXIV, 11. Salomon hortans : Erue, inquit, eos qui ducuntur ad mortem; et eos qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Et cor viduæ consolatus sum :* quæ ob viri carentiam magis eget solatio. His verbis confutat Job verba amicorum suorum, qui eum
Job IV, 10, 11. superius de crudelitate atque tyrannide accusabant.

Justitia indutus sum, et vestivi me ea sicut vestimento, id est, animam meam justitia decoravi, et in omnibus juste habere studui, ut sicut corpus circumdatur veste, sic ego undique justitiæ actibus
Is. LXI, 10. perornarer : juxta illud Isaiæ, Induit me Dominus vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. *Et diademate judicio meo*, id est, justo judicio, quod in omnibus pronuntiavi et feci, ornatus sum in ratione, sicut caput diademate adornatur. Diadema namque est signum recti judicii rationis.

Oculus, id est director, illuminator, instructor, *fui cæco*, id est ignoranti, vel etiam corporaliter cæcum, opportunitate se offerente, ducendo. Ignorantem autem instruere, ad spiritualia misericordiæ pertinet opera. *Et pes claudo*, id est adjutor infirmo : quod et corporaliter facere potuit, talem necessitate ingruente portando.
Rom. XII, 5. Sic et Apostolus ait : Sumus singuli alter
Ibid. XV, 1. alterius membra. Itemque : Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum por-
Matth. V, 14. tare. Et Christus Apostolis loquitur : Vos estis lux mundi. Quid enim est lux mundi, nisi oculus hominum mundanorum? *Pater eram pauperum :* pater, inquam, per curam et caritatem, opem et consolationem,

A quas eis impendi : secundum illud in Ecclesiastico, Congregationi pauperum te affabilem facito. Eccli. IV, 7.
Tobias quoque : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Tob. IV, 7.
Et causam quam nesciebam, hoc est negotium in judicio propositum, mihi ignotum, *diligentissime investigabam*, inquirendo veritatem facti, processum, originem et circumstantias ejus, ne quid doli lateret, aut aliquid de ordine juris omitterem. Bonum enim bene agendum est, juxta
B illud Deuteronomii : Juste quod justum est exsequeris. Deut. XVI, 20.
Istud præcipue ad judices spectat, prout rex Josaphat ait judicibus suis : Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. II Par. XIX, 7.
Conterebam molas iniqui, id est, mandibulas ejus destruxi, hoc est, ejus crudelitatem violentiamque repressi, *et de dentibus illius auferebam prædam*, id est, bona quæ aliis injuste abstulit, excussi ab eo, et quibus pertinebant, restitui. In quo secutus est Deum, de quo in Psalmo cantamus : Deus conteret Ps. LVII, 7.
C dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus.

Dicebamque, id est, propter hæc opera mea pia ac virtuosa fiducialiter cogitavi : *In nidulo meo moriar*, hoc est, in propria domo manebo quietus, et ibi in pace ac prosperitate stabili vivam, nec alibi velut exsul et pauper decedam. Quia enim tam clementissimus fuit egenis, putavit se in prosperitate mansurum : sicut Berzellai dixit ad David, Obsecro ut revertar in civitatem meam, et moriar ibi, sepeliarque II Reg. XIX, 37.
D juxta sepulcrum patris mei et matris meæ. *Et sicut palma multiplicabo dies*, id est, diu victurus sum, sicut palma valde diu vegetabiliter vivit : quia et scriptum est, Justus ut palma florebit. Ps. XCI, 13.
Radix mea aperta est juxta aquas :* id est, ratio vitæ et prosperitatis meæ plurima habet fomenta * secus
diu manendi in vita et prosperitate, quemadmodum arbor juxta aquas plantata, diutius manet, floret, fructificat. Prædicta autem fomenta intelligit sua opera virtuosa, quæ vitam suam interiorem et pro-

Digitized by Google

speritatem fovebant ac fulciebant, sicut aqua arborem juxta se sitam. Vel radix ista, fuit fundamentum vitæ spiritualis, plantatum juxta charismata gratiarum, quæ per aquas signantur : sicque radix potest intelligi fides, seu gratia gratum faciens, vel cordis intentio, quibus ceteræ virtutes ac dona junguntur. Unde Jere- *Jer.* XVII, 7, 8. mias dicit : Benedictus vir qui confidit in Domino ; et erit tanquam lignum quod transplantatum est super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.

Insuper dixi : *Et ros morabitur in messione mea :* hoc est, terræ nascentia mea tempore messis solis ardore non comburentur, sed rore erunt humecta. Ros etiam (secundum Albertum) auget, mollificat, et ad digestionem cooperatur, ut fructus fiat *Gen.* XXVII, 39, 40. boni saporis. Hinc in Genesi dicitur : In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua. Dixi quoque : *Gloria mea semper innovabitur,* hoc est, gaudium conscientiæ meæ, vel claritas famæ, seu delectatio in prosperitate quotidie crescet, perseverante me in bonis inceptis. Unde *II Cor.* I, 12. Apostolus ait : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et iterum : *Ibid.* IV, 16. Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. *Et arcus meus,* id est virtus animi mei, qua hostibus meæ salutis resisto, et jacula virtutum contra eos projicio, *in manu,* hoc est operatione, *mea instaurabitur,* ita quod de die in diem in virtute proficiam, atque in bonis actibus amplius abundabo.

Qui me audiebant, exspectabant sententiam, id est, sollicite præstolabantur quid determinative dictarem, scientes quod verbis meis standum esset, et quod non nisi verba sensibus veritateque plena profferrem ; *et intenti tacebant ad consilium meum,* parati acquiescere definitioni meæ. *Verbis meis nihil addere audebant,* quia tantæ me prudentiæ reputabant, quod suis verbis verba mea perficere non valerent ; *et super illos stillabat,* hoc est, ordinate et congruenter venit, *eloquium meum,*

A quemadmodum guttæ cadunt in terram : juxta illud Deuteronomii, Fluat ut ros elo- *Deut.* XXXII, 2.
quium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina. *Exspectabant me sicut pluviam,* id est cum grandi affectu, sperantes consolationem et fructum ex verbis meis percipere ; *et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum,* qui in fructibus debitam complet digestionem, ne amari permaneant. In quo notatur, quod avidissime cupiebant eum audire : nam per os, intellectus vel
B desiderium cordis exprimitur.

Si quando ridebam ad eos, gratiosum et hilarem me eis præbendo : quod aliquando agendum est, ne maturitas sit austera, et homo velut agrestis, sit aliis onerosus, vel etiam immoderato rigore lædat se ipsum. Unde a Philosopho atque moralibus ponitur virtus moralis, quæ eutrapelia vocatur, per quam homo in ludis et recreativis solatiis moderanter se habet. Hinc Seneca docet : Ita te habeas, ut nemo te quasi levem despiciat, aut quasi silve-
C strem graviter ferat. Porro risus non semper peccatum est ; quando autem sit et quomodo, et quando et quomodo non, articulo vicesimo secundo fuit ostensum. *Non credebant,* quod riderem ex animo et simplici causa, sed potius mystica ratione et ex virtute. Unde et tunc me verebantur.

Et lux vultus mei non cadebat in terram. Si de corporali vultu accipitur, lux vultus, est visus vel faciei hilaritas. Per hoc ergo quod ait, Lux, etc., insinuat,
D quod non fuit mœrore depressus, ut hi qui tristitia victi, visum in terram defigunt. Sicque, per lucem vultus, intelligitur oculus : et ita exponit Thomas. Si autem per lucem hanc intelligatur interioris faciei hilaritas, sensus est, quod non fuit inani lætitia dissolutus : ita quod lætitia sua non ruit in terram, id est in vitii conculcationem tanquam confusibilis et inhonesta. Sic exponit Albertus. Potest et ita exponi, quod lux vultus sui, id est visus exterior, non cadebat in terram, id est, ad

Digitized by Google

terrenorum immoderatum adspectum non ferebatur : ut visus illorum qui terrena cœlestibus præferunt, ideoque instar porcorum ad carnalia intuenda jugiter flectunt visum ; vel vagi sunt oculis, sicut et Salomon loquitur : Oculi stultorum in finibus terræ. Porro, si de interiori spiritualique vultu effatur, lux vultus hujus, est ratio vel sapientia ejus : quæ in beato Job non cadebat in terram, quia ad divina quotidie erigebatur, nec imprimebatur carnalibus. Jugiter ergo interiori visu et frequenter exteriori ad cœlestia se levavit.

Prov. XVII, 24.

Si voluissem ire ad eos : quod sine idonea causa non fecit, sed propter instructionem, consolationem, judicationem, aut simile aliquid aliquando præfatos accessit ; *sedebam primus,* id est in loco supremo et tempore ante alios tanquam omnium principalis. *Quumque sederem quasi rex* A *circumstante exercitu.* Quod ait, Circumstante exercitu, referri potest vel ad ipsius Job sessionem, ut sit sensus, quod sedit circumstantibus multis ; vel ad regem, eritque sensus, quod sedit sicut rex sedet circumstante regem exercitu : ex quo patet, quod maximam impendebant reverentiam sancto Job. *Eram tamen mœrentium,* id est afflictorum et desolatorum seu tristium, *consolator,* in prosperis me humilians, non extollens, nec illos despiciens. Sicque beatus Job implevit illud B Ecclesiastici, Non desis plorantibus in consolatione ; et quod rursum eodem in libro præcipitur, In die honoris tui ne extollaris. Hæc quoque præcipue ad reges, prælatos, ac principes spectant, juxta illud Proverbiorum : Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.

Eccli. VII, 38. *Ibid.* XI, 4. *Prov.* XX, 28.

ARTICULUS LVII

PERTRACTATIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI NONI.

ADDIDIT *quoque Job, assumens parabolam suam.* Juxta Gregorium, quia parabola similitudo dicitur, constat quod per exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad loquendum, parabolam assumpsisse memoratur. Denique, secundum doctores, sanctus Job nunc Christi, nunc Ecclesiæ, nunc cujuscumque justi seu pœnitentis speciem tenet, figuramque exprimit et personam præsentat. Unde principium hujus capituli exponit Gregorius de Ecclesia, pro statu ac tempore ejus in persecutionibus Antichristi, quando (secundum Gregorium) tanta erit Ecclesiæ persecutio atque angustia, ut hæc tempora cum magno suspirio optet, quæ nos cum magno toleramus dolore. Propter quod ait : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus cu-* C *stodiebat me ?* Verum, expositionem hanc, quoniam a B. Gregorio plenissime est digesta, prætereo ; aliamque tropologiam inducam.

Quemadmodum ergo Job a temporali prosperitate dejectus, et corporaliter gravissime læsus, verba hæc protulit ; sic quilibet veraciter pœnitens, qui aliquando præclaræ exstitit æquitatis, qualis fuit David quum adulterium homicidiumque inexcusabiliter incurrisset, verba hæc dicere potest, tanquam ad pristinum gradum virtutum cupiens reformari : quamvis etiam D de homine justo, corporaliter vulnerato aut tribulato et mente afflicto, elucidari hæc possint : quod quomodo fieri possit, ex præinducta explanatione facillime consideratur. Præfata ergo spiritualis moralitas est tractanda.

II *Reg.* XI, 4, 15, 17.

Digitized by Google

Pœnitens igitur ait : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos,* id est in tali opulentia spirituali, in tali devotionis compunctionisque gratia, in tali perfectione virtutum, quales aliquando habui? Quo enim spiritualia dona bonis terrenis sunt digniora, et munera gratiæ bonis fortunæ, eo de illarum amissione amplius est dolendum, cordialiusque optandum et efficacius satagendum, ut lapsus ad pristinam revertatur mensuram gratiæ ac virtutum. Si ergo nos in caritate tepuisse, in Dei obsequio pigros factos conspicimus, aut grave incidisse peccatum invenimus, intime doleamus, fortiter emendemus, et verba hæc affectuosissime proferamus, attendentes quod in Apocalypsi Deus ait cuidam : Habeo adversus te, quia caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age. Alioqui venio tibi cito. *Secundum dies quibus Deus custodiebat me,* id est, in bonis gratiæ conservabat. Sicut enim diei lux incessanter conservatur a sole, sine quo nec ad momentum valet durare ; sic nec in ictu oculi in donis gratiæ permanere valemus, nisi indesinenter in eis divinitus conservemur. Non ergo stultissime gloriemur, neque vanissime præsumamus; sed cum Psalmista quilibet nostrum humiliter deprecetur : Custodi me ut pupillam oculi ; sub umbra alarum tuarum protege me. Atque ex animo fateatur : Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Apoc. II, 4, 5. — *Ps.* XVI, 8. — *Ps.* CXXVI, 1.

Quando splendebat lucerna ejus, id est lumen gratiæ, vel doctrina sacræ Scripturæ, *super caput meum,* id est in mente mea : quæ est principium et principale in anima, sicut caput in corpore ; *et ad lumen ejus,* id est secundum directionem illustrationis divinæ, *ambulabam in tenebris,* id est, inter mundanos ac impios conversabar virtuose ac sapienter, non illorum sequendo peccata : quamvis dicat Scriptura, Cum perverso perverteris. Pro hac directione orat Psalmista : Dirige me, Domine, in veritate tua, et doce me. Itemque : Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. Porro, quod peccatores tenebræ nuncupentur, constat ex eo quod conversis ait Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ. Joannes quoque : Tenebræ eam (videlicet lucem, quæ Christus est) non comprehenderunt.

Ps. XVII, 27. — *Ps.* XXIV, 5. — *Ps.* LXXX 11. — *Ephes.* V. — *Joann.* I.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ. Spiritualis adolescentia dici potest initium conversionis, dum homo spiritualiter sapere inchoat, sicut in adolescentia corporali, ratione incipit uti. Quidam autem in conversionis suæ exordio sunt ferventes, et postea tepent ac pigri sunt, carnalesque fiunt. Quod quam detestandum sit, ex verbo claret Apostoli ad Galatas : Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Talibus ergo incumbit dolere, emendare, præinductaque verba proferre, ut scilicet cupiant et conentur esse in tali fervore et gratia, in qualibus in conversionis suæ fuere primordiis. Unde in Apocalypsi hujuscemodi homini dicitur : In mente habe qualiter acceperis, et audieris ; et pœnitentiam age, et esto vigilans. *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo,* id est in conscientiæ thalamo seu cordis mei cubiculo, animam meam familiariter visitando, dulciter consolando, inflammando, regendo : ita quod illud Isaiæ, Secretum meum mihi, dicere potui.

Galat. III. — *Apoc.* III, 3. — *Is.* XXIV, 16.

Quando erat Omnipotens mecum : ita quod dicere potui, Omnia possum in eo qui me confortat ; et rursum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Et in circuitu meo pueri mei,* id est spirituales filii sive discipuli, vel cogitatus, affectus, actusque virtuosi, quibus undique fecundabar et adornabar. *Quando lavabam pedes meos butyro.* Pedes sunt mentis affectus operumque processus. De quibus in Canticis legitur : Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos ? Qui pedes butyro lavantur, dum fervidæ caritatis exuberanti affectu, vel internæ devotionis pinguedine, seu bonæ conversationis abundantia, a præteritis malis ac quotidianis defectibus

Philipp. IV, 13. — *Ps.* LXXII, 26. — *Cant.* V.

Digitized by Google

I *Petr.* IV, 8. expurgantur. Caritas enim operit multitu- A
Joann. XIII, dinem peccatorum. Et Salvator ait : Qui
10. lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.
Ps. LXII, 6. Hinc orat Psalmista : Sicut adipe et pin-
guedine repleatur anima mea.

*Quando procedebam ad portam civita-
tis.* Civitas est regnum cœleste. De quo
Apoc. XXI, in Apocalypsi habetur : Civitas non eget
23. sole neque luna ; nam claritas Dei illumi-
Is. LX, 19. nabit eam. Cui Isaias dicit : Non erit tibi
sol amplius ad lucendum per diem, sed
erit tibi Dominus in lucem sempiternam.
Hujus civitatis porta, est actio virtuosa : B
de qua in Evangelio loquitur Christus,
Matth. VII, Quam angusta porta quæ ducit ad vitam !
14. Ad hanc ergo portam procedere, est ad
opera virtutum se ipsum extendere. *Et in
platea,* id est populi latitudine, *parabant
cathedram,* id est auctoritatem et locum
docendi, *mihi. Videbant me juvenes, et
abscondebantur ; et senes assurgentes, sta-
bant.* Potest hoc cum verbis sequentibus
clausulæ hujus, de ipsis diversæ conditio-
nis personis exponi ; et de homine qui
aliquando tantæ exstitit auctoritatis, per- C
fectionis ac sapientiæ, ut talia sibi exhibe-
rentur ab illis, qualia sancto Job leguntur
exhibita. Spiritualiter vero, per juvenes
intelligi possunt affectus et motus indisci-
plinati ac puériles, qui ab homine virtuo-
so ad bona agenda tendente pelluntur. Se-
nes vero, sunt affectus et motus maturi ac
sapientiales, qui in virtuoso oriuntur ac
stant, ad rationis imperium præparati.
Principes cessabant loqui, id est, princi-
pales conceptus ipsius intellectus, ratione
jubente, intus quieverunt, nec in verba D
exteriora proruperunt, exigentibus id causa
et loco et tempore : quia aliquando vicis-
sim etiam a bonis verbis cessandum est,
Ps. XXXVIII, juxta illud Psalmi : Obmutui, et humiliatus
3. sum, et silui a bonis. *Vocem suam cohibe-
bant duces,* id est conceptus interiores, di-
rectivi operum externorum : qui interdum
pro rationabili causa non jubent exteriora
opera fieri, dum contemplationi vacan-
dum est, aut aliud quid occurrit.

*Auris audiens beatificabat me, et oculus
videns testimonium reddebat mihi.* Qui-
cumque irreprehensibiliter conversatur,
implens illud Apostoli, Nemini demus ul- II *Cor.* VI, 3.
lam offensionem, ut non vituperetur mi-
nisterium nostrum, præinducta hæc verba
dicere potest : quemadmodum in Actis de
Christianis primitivæ Ecclesiæ sub Aposto-
lis in Jerusalem legitur, quod habebant *Act.* II, 47;
gratiam ad omnem plebem, et ceterorum V, 13.
nemo audebat se jungere eis, sed beatifi-
cabat eos populus. Ad quod hortatur nos
princeps Apostolorum : Conversationem I *Petr.* II, 12.
(inquiens) vestram inter gentes habentes
bonam, ut in eo quod detrectant de vobis
tanquam malefactoribus, ex bonis operi-
bus vos considerantes, glorificent Deum.
*Eo quod liberassem pauperem vociferan-
tem,* id est hominem spiritualiter indigen-
tem virtute et gratia, invisibilium hostium
impugnationibus victum, et pro adjutorio
proclamantem : quem vir caritativus ac
virtuosus orando, instruendo, consulendo-
que liberat, sicut monet ad Galatas Apo-
stolus : Fratres, et si præoccupatus fuerit *Galat.* VI, 1.
homo in aliquo delicto, vos qui spirituales
estis, hujusmodi instruite in spiritu leni-
tatis. Unde, ut a Jacobo scriptum est : Qui *Jacob.* V,
converti fecerit peccatorem ab errore viæ 20.
suæ, salvabit animam ejus a morte. *Et pu-
pillum,* id est eum qui spirituali patre,
prælato et instructore carebat, *cui non
esset adjutor* contra hostes suæ salutis,
quemadmodum Ecclesiastes inducit : Væ *Eccle.* IV,
soli, quia quum ceciderit, non habet sub- 10.
levantem se. *Et cor viduæ consolatus sum.*
Vidua est anima, quæ peccando cœlestem
Sponsum amisit : quæ consolanda est, ne
desperet. Nisi enim hac causa anima vi-
dua diceretur, Jeremias non diceret : Quia *Jer.* LI, 5.
non fuit Israel viduatus a Deo suo.

Benedictio perituri, id est peccatoris
æternaliter condemnandi, nisi Deus ei per
meam informationem et subventionem au-
xiliatus fuisset, *super me veniebat.* Talis
quippe jam conversus et desuper illustra-
tus, intelligens in quantis fuit periculis, et
quanta sibi Deus per me beneficia gratiæ
præstitisset, benedixit mihi et maximas

Digitized by Google

egit grates. Quo enim vita gratiæ vitaque gloriæ meliores sunt vita naturæ; quo insuper mors æternæ damnationis fugibilior est morte corporali ac temporali, imo brevissima : eo pro ereptione a morte peccati, amplius gloriandum regratiandumque est, quam pro ereptione ab interitu corporali.

Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento. Vestis ad duo proficit corpori, scilicet ad ornatum, atque ad protectionem contra nociva, ut sunt frigus et cauma. Sic virtus ad duo animæ prodest. Nam eam coram Deo pulchre perornat, et contra hostes suæ salutis defendit, confortat, seu armat. Denique vestis vestitum ex omni parte circumdat : ille ergo quasi vestimento induit se ipsum justitia, qui in omni quod agit, justus est, nullumque præceptum transgreditur, sed regia semper graditur via, nec ad dexteram nec ad sinistram declinans. Et (ut ait Gregorius) qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi unum latus operuit, aliudque nudavit. Imo nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Verba quoque inducta, accipi possunt tam de justitia quæ est virtus communis seu omnis virtus (omnis siquidem virtus est quædam justitia, quia per eam fit quod decens seu debitum est), quemadmodum ea quæ est virtus specialis, moralis et cardinalis, unicuique quod suum est reddens. *Et diademate judicio meo.* Qui in omnibus rationis judicium sequitur, non passionis impulsum, et recte judicat, discutit, increpat et castigat se ipsum, judicio suo quasi diademate decoratur ; et tam sapienter regendo se, rite rex appellatur, impletque quod ait Salvator : Justum judicium judicate. Cujus judicii fructum pandit Apostolus, dicens : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

Joann. VII, 24. — I *Cor.* XI, 31.

Oculus fui cæco, et pes claudo. Hoc ad prælatos ac præsidentes potissime pertinet, quorum est inferiores illuminare et sustentare, ne vel per ignorantiam errent, vel per infirmitatem vincantur et peccent. Ideo Apostolis ceterisque prælatis loquitur Christus : Vos estis lux mundi. Vos estis sal terræ. Unde ad Timotheum scribit Apostolus : Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hoc enim faciens, te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Per Ezechielem quoque reprobis pastoribus Dominus improperatorie loquitur : Quod infirmum fuit, non consolidastis. Præterea, spiritualiter cæcus est, ignorans, et omnis qui in mortali jacet, putet ac putrefit culpa ; claudus vero, qui nutat in actibus bonis, et faciliter ruit in eis, aut omnino deficit ab eisdem. Unde monet Apostolus : Rectos facite gressus pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Et in Psalmo scribitur : Claudicaverunt a semitis suis. Postremo, quilibet nostrum pro modulo suo, cæcorum atque claudorum oculus et pes debet consistere, illos pro posse instruendo et roborando, hoc est sapientiam et fortitudinem seu virtutem sibi collatas illis communicando, prout Petrus inducit : Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Matth. V, 14, 13. — I *Tim.* IV, 13, 16. — *Ezech.* XXXIV, 4. — *Hebr.* XII, 13. — *Ps.* XVII, 46. — I *Petr.* IV, 10.

Pater eram pauperum. Ita et nos omnem pauperem in caritatis visceribus amplectamur, eique cordialiter compatiamur, et efficaciter suffragemur. *Et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Hoc ad prælatos, principes ac judices potissime spectat, ne ex suspicione, aut passione, aut facili creditione ad judicandum procedant ; sed cum maturitate et utriusque partis auditione, ac ceteris observandis, omnia agant. Hinc in Deuteronomio Moyses filiis Israel ait : Date ex vobis viros sapientes et gnaros, quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, et ponam illos vobis principes.

Deut. I, 13.

Dicebamque proposito mentis : *In nidulo meo moriar,* id est in loco mansionis meæ usque ad mortem stabilis permanebo : quia (ut ait S. Antonius) qui corpus suum in loco uno figere nequit, animum suum in Deum non figet. Hinc sancti Pa-

Digitized by Google

tres loci facilem seu non necessariam mutationem vehementer vituperant, quoniam *Prov. XXVII, 8.* in Proverbiis legitur : Sicut avis transmigrans de loco suo, sic vir qui relinquit locum suum. Hinc ad Hebræos hortatur *Hebr. X, 24. 25.* Apostolus : Consideremus invicem in provocatione caritatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes. Verumtamen vitiosa ac periculosa societas est vitanda. Spiritualis vero nidulus, in quo manendum et moriendum est, ponitur ipsa tranquillitas internæ pacis mentis humanæ in Deo, seu quies caritatis *Ps. IV, 9.* fideique in eo, juxta illud : In pace in id ipsum dormiam et requiescam. In quo nido etiam quotidie mori debemus propriæ voluntati ac mundo, et sepeliri in luce vultus divini per contemplationem illius. *Ps. CXV, 6.* Unde, super illud, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Maximus ait : *Maximus episcopus.* Pretiosissimus transitus in lucem conspectus Domini, quo ab omnibus exterioribus absconduntur et moriuntur sibi et mundo, mors Sanctorum est, digna beatitudinis pretio. Talibus dicitur ad Colossenses : Mortui *Coloss. III, 3.* enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Qui autem propriam voluntatem, et sensualitatem in omnibus frangit, et mundi vanitates contemnit, vivitque secundum legem Dei in cunctis, moritur sibi ipsi ac mundo, et vivit Deo, *Galat. II, 19. 20.* dignus dicere cum Apostolo : Christo confixus sum cruci ; vivo autem, jam non ego.

Et sicut palma multiplicabo dies, id est, in vita gratiæ floribusque virtutum cunctis diebus manebo. Dies quoque illuminationum, hoc est gratias illustrationum, in aliorum cordibus procreabo, ut illud Psal- *Ps. LI, 10.* mi dicere queam, Ego autem quasi oliva fructifera in domo Dei ; conveniatque mi- *Osee XIV, 6.* hi illud Osee, Israel germinabit quasi li- *Eccli. XXIV, 18.* lium ; et quod Ecclesiasticus habet, Quasi palma exaltata sum in Cades. *Radix mea,* id est intima cordis mei affectio, *aperta est juxta aquas,* id est, ad susceptionem charismatum Spiritus Sancti ardenter de- A siderando, patula et capax effecta est : quia divinorum charismatum tanto efficimur capaciores, quanto ferventiores : quoniam caritatis affectio aperit cor amantis ad dilecti ingressum. *Et ros,* id est gratia et consolatio Spiritus Sancti : de quo loquitur Isaias ad Deum, Ros tuus ros lucis ; *Is. XXVI, 19.* *morabitur in messione mea,* id est, stabiliter conquiescet in meis operibus bonis ac fructibus tempore suo metendis, atque in horreum Domini colligendis, ut meritorie ac delectabiliter quæ bona sunt agam, et in- B tra cœleste congreger regnum, juxta illud quod dictum est de Christo : Congregabit *Matth. III, 12.* triticum in horreum suum ; paleas autem comburet igne inexstinguibili. *Gloria mea semper innovabitur.* Studeamus et nos quotidie in Deo copiosius atque sincerius gloriari, interius renovari, mentaliter reformari. *Et arcus meus in manu mea instaurabitur.* Hoc juxta expositionem præhabitam completur in eo, qui illud ad Ephesios adimplet : Confortamini in Do- *Ephes. VI, 10. 13.* mino et in potentia virtutis ejus. Accipite C armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.

Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum, etc. Quilibet prædicator, prælatus et doctor ac judex, non ad propriam laudem, sed ad Dei gloriam inferiorumque ædificationem, tam ordinate, virtuose ac sapienter habere se debet, seu habere se studeat in verbis et factis, ut hæc atque sequentia sibi conveniant, ut scilicet a subditis reverentialiter ac avide audiatur, fru- D ctuose suscipiatur ; sicque in ipso rigor justitiæ et dulcor clementiæ per discretionem debent contemperari, ut simul timeatur ac diligatur, neque ut levis et mobilis, ab aliquo, etiam dum pium se exhibet ac jucundum, spernatur, credatur vel judicetur, competatque ei quod subditur : *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Itaque, hilares simus absque dissolutione, tristes sine dejectione, maturi sine austeritate, sociales absque levitate, custoditi in visu : et quidquid prosperitatis aut pro-

Digitized by Google

motionis nobis acciderit, nullatenus extollamur; nec honores mutent mores in pejus, sed pauperum memores simus, verbis et ope eos pro viribus consolantes, quemadmodum scriptum est : In die bonorum ne immemor sis malorum. Eccli. xi, 27.

ARTICULUS LVIII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI : NUNC AUTEM DERIDENT ME JUNIORES TEMPORE.

OPPOSITA juxta se posita clarius innotescunt. Ideo sanctus Job præcedenti capitulo sua præterita prosperitate descripta, nunc suam adversitatem commemorat, ut ejus magnitudo evidentius innotescat : pateatque, quod non pro suis peccatis hæc passus sit, quum tantam fuisse suam perfectionem jam supra ostenderit, et infra ostendet.

Nunc autem derident me juniores tempore, propter adversa quibus affligor, reputantes quod ea meruerim, quem olim seniores honorabant. Sic et pueri leguntur derisisse Eliseum prophetam. IV Reg. ii, 23. *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei,* id est assumere ut simul cum canibus animalia mea custodirent. Pastores enim Job habuerunt canes gregum custoditores, et protectores a lupis aut similibus feris. Aliquæ etiam viles personæ pastoribus illis subjectæ fuerunt, et simul cum canibus a feris animalia tuebantur. Quod autem Job sic tales parvi pendit, non fuit superbiæ, sed potius æquitatis : quoniam illi vitiis suis se contemptibiles exhibebant. *Quorum virtus manuum,* id est ars vel potestas eorum, *erat mihi pro nihilo,* id est nullius reputationis ; *et vita ipsa putabantur indigni,* propter eorum excessus.

Egestate et fame steriles, id est præ inopia atque esurie fructum non producentes, *qui rodebant in solitudine,* id est, grossa ibi alimenta instar brutorum carpebant, *squalentes calamitate* interiori *et miseria* exteriori. Sic in Luca de filio prodigo legitur : Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. Luc. xv, 16. Porro squalentes, deturpati dicuntur. Proprie autem squalens vocatur, qui laxata cute consumptaque carne, pallore coloratur cinereo, juxta illud Threnorum : Virgines ejus squalidæ. Thren. i, 4. *Et manducabant herbas* silvestres et crudas : quæ, secundum Albertum, sunt inconveniens hominis nutrimentum. Allegatque Avicennam, dicentem quod natura nullum nutrimentum sufficienter parat homini, nisi lac ; cetera oportet elixari sive assari. *Et arborum cortices :* quia, secundum Albertum, cortices sunt farinabiles, quod non est lignum. *Et radix juniperorum,* id est talium arborum. Unde et legitur Elias se projecisse subter unam juniperum. III Reg. xix, 5. *Erat cibus illorum. Qui de convallibus ista rapientes,* id est avide capientes, et sibi mutuo præripere cupientes, *quum singula* jam præfata *reperissent, ad ea cum clamore currebant,* se invicem prævenire conantes, et de istorum inventione gaudentes. In convallibus quoque humidiora ac esibiliora, in montibus vero duriora nascuntur.

In desertis habitabant torrentium, id est, ubi torrentes fuerunt, vel in locis torrentium desiccatis, se a caumate protegebant ; *et in cavernis terræ,* propter umbram, *vel super glaream,* propter refrigerium aquæ vicinæ mollitiemque arenæ. Glarea namque est terra mollis et arenosa. Gregorius tamen dicit : Glaream dicimus minutissimos lapides, quos aqua fluvialis trahit. Secundum Albertum vero, glarea

Digitized by Google

dicitur mobilis arena, significatque loca in paludibus solida, ubi latrones propter tutelam morantur, eo quod loca talia inaccessibilia sint. Dicuntur autem aliqui habitare supra aliquem locum, quia habitant juxta eum : quemadmodum quidam dicuntur habitare super Rhenum ; super quem et Colonia dicitur sita, quia juxta eum constructa est.

Qui inter hujuscemodi lætabantur : quia tantæ fuerunt penuriæ, quod præfata vilissima erant eis pretiosa atque jucunda, juxta illud Proverbiorum : Anima saturata, calcabit favum ; anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet. *Et esse sub sentibus delicias computabant.* Sentes sunt spinæ. Itaque sensus est, quod sub locis spinosis, hoc est sub umbra parvarum arborum spinosarum, esse fuit eis amœnum, quoniam commodius refrigerium non habebant. *Filii,* carnis propagatione vitiorumque imitatione, *stultorum* in anima, *et ignobilium* corpore, *et in terra penitus non parentes,* id est in nullo spectabiles, seu nulla dignitate conspicui. Vel hoc ideo dicit, quia inter homines communiter non manebant, sicut jam dixit. Ex his omnibus magnitudo adversitatis beati Job declaratur : quia quo viliores sunt irrisores, eo illorum derisio solet esse molestior, ignominiosiorque censetur.

Prov. XXVII, 7.

Nunc in eorum canticum versus sum, id est, de mea adversitate faciunt decantationes vel cantilenas ; *et factus sum eis proverbium,* id est materia proverbii maledictorii : quia proverbium maledictionis de Job composuerunt, dicendo : Accidat tibi et pereas sicut Job. Hinc supra sanctus Job dixit : Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis. Et ibi hæc magis exposita sunt. *Abominantur me,* tanquam miserrimum, *et longe fiunt a me,* tanquam ab homine penitus detestando ; *et faciem meam conspuere non verentur,* reputantes me tam indignum, ut sine peccato quilibet possit me persequi : quod instigante diabolo fecisse creduntur.

Job XVII, 6.

Pharetram enim suam aperuit, id est, Deus ex sua præordinatione quasi ex arcu quodam sagittas adversitatis mihi immisit, sicut ex pharetra mittuntur sagittæ ; *et afflixit me :* quia licentiante vel permittente Deo, hæc omnia acciderunt. Hinc supra dixit : Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. *Et frenum posuit in os meum :* id est, tam dire me affligendo, abstulit mihi quodammodo apparentiam me excusandi ac respondendi. Hinc superius dixit : Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus contradicens mihi. Denique, Deus interdum justo judicio pravorum malignitatem per adversa compescit : quod per freni impositionem aliquando designatur, quemadmodum in Isaia loquitur regi Assyriorum : Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis tuis. Vel sic : Et frenum posuit in os meum, id est, per gratiam suam os meum a verbis impatientiæ refrenavit in omnibus his adversis, prout supra legitur : In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

Job VI, 4. Ibid. XVI, 9. Is. XXXVII, 29. Job I, 22; II, 10.

Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt. Hoc dicit, quia a plaga meridiana (quæ est ad dexteram respectu orientis, in quo Job habitavit, ut supra patuit : nam si quis ad orientem se vertat, meridies apparet ad dexteram) : itaque, a parte meridiana cœperunt contra Job suæ adversitates et calamitates insurgere : quia (ut dicitur) ex illa parte venerunt contra eum Sabæi, qui primo boves et asinos sancti Job rapuerunt, ejusque pueros, id est pastores, interfecerunt. *Pedes meos subverterunt,* id est, a solitis viis impediverunt, *et oppresserunt quasi fluctibus,* id est, gressus meos impetuose impediverunt, *semitis suis,* id est violentis suis accessibus contra me, ita quod præ adversitatibus non habeo quo me vertam. *Dissipaverunt itinera mea,* id est operum meorum processus et commoda ; vel etiam ipsa corporalia terræ itinera, per quæ pertinentia ad me, duci seu ire solebant. *Insidiati sunt mihi,* dolose molientes qualiter

Ibid. I, 3. Ibid. I, 14, 15.

Digitized by Google

mihi nocerent, *et prævaluerunt,* id est, desideriorum suorum effectum sortiti sunt in me; *et non fuit qui ferret auxilium* mihi adversus eos. *Quasi rupto muro,* id est sine resistentia, *et aperta janua,* id est prompte et absque obstaculo, *irruerunt* (*Job* i, 14-19; ii, 7.) *super me* Chaldæi, Sabæi et Satan; *et ad meas miserias,* id est adversitates pœnales, *devoluti sunt,* id est convenerunt, ut me per illas opprimerent.

Redactus sum in nihilum, id est, jam pene consumptus sum, mortique proximus. (*Ibid.* xvi, 8.) Sic superius dixit: In nihilum redacti sunt omnes artus mei. Vehementer autem afflicti, hyperbolicis locutionibus, utpote verbis per excessum prolatis, uti consueverunt, ut affectionis suæ magnitudinem clarius promant. *Abstulit quasi ventus desiderium meum:* id est, quemadmodum ventus repente cum impetu pulverem propellit et agitat, sic Deus subito omne desiderabile in exterioribus bonis abstulit mihi, videlicet substantiam ac sobolem omnem atque familiam. *Et velut nubes pertransiit,* id est, cito finita est et recessit a me, *salus mea,* id est corporis sanitas et terrena prosperitas.

Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, id est, variis doloribus premitur, quum naturale sit, rebus liberisque amissis, et corpore vulnerato, tristari. Sed tristitia ista fuit moderata in Job, ut dictum est sæpe. *Et possident me dies afflictionis,* id est universæ hujus adversitatis meæ pœnosæ. *Nocte os meum perforatur doloribus,* id est, nocturnis temporibus, quibus languores atque dolores aggravantur, puncturæ dolorum meorum usque ad ossa mea pertingunt; *et qui me comedunt,* id est vermes ex meis putridis ulceribus nascentes, meamque carnem mordentes et consumentes, *non dormiunt;* sed die et nocte me rodunt, saltem quidam ex eis. *In multitudine eorum,* id est a vermibus istis multis, *consumitur vestimentum meum:* quia tam multi erant, quod et vestes Job corroserunt. *Et quasi capitio tunicæ sic cinxerunt* me.* (* succinxerunt) Capitium est pars vestis

A circa collum, per quam caput ingreditur. Itaque sensus est, quod vermium tanta exstitit multitudo, quod undique corpus suum occupaverunt, sicut capitium ambit collum; nec continebantur sub vestibus, sed eruperunt in publicum, et collum circumdabant: quod miserabile ac pœnalissimum fuit. *Comparatus sum luto,* id est, vilis reputatus sum, fragilis et putrescens apparui; *et assimilatus sum favillæ et cineri,* id est, impulsione tentationum et impetu adversitatum diversimode agita-

B tus, sicut favilla et cinis ventis impelluntur; item, pro nihilo habitus, et tanquam levissimus reputatus.

Deinde dirigit verbum ad Deum: *Clamabo* ad te,* id est, affectuose orabo*. (* Clamo * oro) Apud Deum etenim plus sonat intensa affectio, quam clamor vocalis. *Et non exaudies** (* exaudis) me ad votum, id est tam cito ut cupio. *Sto* orationi intentus, *et non respicis me* oculo pietatis, quantum ad corporalis meæ afflictionis amotionem. *Mutatus es mihi in crudelem:* id est, tu qui invaria-

C biliter bonus, pius ac dulcis es in te ipso, quantum ad tuum effectum, circa me habes te per modum crudelis, me tam dire ac diu affligendo, nec exaudiendo. Sic et Habacuc ait: Usquequo, Domine, clamabo, (*Habac.* i, 2.) et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Denique, quid mirum si Deo adscribatur crudelitas, cui furor et severitas attribuuntur? Scriptum est enim: Ulciscens Dominus, et habens (*Nahum* i, 2.) furorem. Domine, ne in furore tuo arguas (*Ps.* vi, 2; xxxvii, 2.) me. Ad Romanos quoque Paulus: Vide (*Rom.* xi, 22.)

D bonitatem et severitatem Dei. Nonne Deus metuendissimus judex velut crudelis videtur, qui de impiis loquitur per Osee, Oc- (*Osee* xiii, 8.) curram eis quasi ursa raptis catulis, dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo? *Et in duritia manus tuæ,* id est in pœnali effectu tuæ potentiæ, vel in rigore tuo, secundum quod foris apparet, *adversaris mihi,* id est, affligis me contra naturalem meam inclinationem, et contra prosperitatem incolumitatemque pristinam. Hinc superius locutus est Deo: Cur (*Job* xiii, 24.)

Digitized by Google

faciem tuam abscondis, et arbitraris me A inimicum tuum?

Elevasti me temporali prosperitate, honore, fama et gloria, prout præcedenti capitulo patuit; *et quasi super ventum ponens,* id est alte me promovens, et in statu sublimi, instabili instar venti, me statuens, *elisisti me valide,* id est, fortiter dejecisti
Ps. ci, 11. atque læsisti : juxta illud Psalmi, Quia elevans allisisti me. Unde supra testatus
Job xvi, 13. est : Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum.

* quia *Scio quod* morti trades me,* id est, non B hac tantum tribulatione affliges me, sed tandem per mortem finem hujus vitæ mihi impones. Vel dicit hoc, desperando de vita diuturniori in sæculo isto, eo modo
Ibid. vii, 16. quo supra dixit : Desperavi, nequaquam ultra jam vivam. Et hoc scire se perhibet secundum ordinem inferiorum naturaliumque causarum : quia (ut dictum est sæpe) letaliter fuit percussus, supernaturaliter vero sanatus. *Ubi constituta est domus,* id est quies a tumultu vitæ præsentis, finalisque mansio a cursu et motu peregrinationis istius; vel monumentum, quod concomitanter se habet ad mortem; *omni viventi*
Ps. xlviii, 12. in carne mortali : juxta illud Psalmi, Sepulcra eorum domus illorum in æternum.
Ps. lxxxviii, 49. Et rursus : Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? *Verumtamen, non ad consumptionem eorum emittis manum tuam,* id est, potestatem tuam extendis. Tanquam dicat : Quamvis omnem viventem in sæculo morti tradas, non tamen potestate tua eos omnino consumis; nam anima permanet immortalis, nec omnes D consumptioni, id est æternæ damnationi, immittis. Vel sensus est, quod licet eos in vita hac puniat per adversa, hoc tamen frequenter facit ad emendationem, non ad destructionem eorum, sicut in Apocalypsi
Apoc. iii, 19. protestatur : Ego quos amo, arguo et castigo. Hinc subditur : *et si corruerint,* peccando, moriendo seu adversa ferendo, *ipse salvabis* animas eorum, per gratiam in præsenti, vel per gloriam in futuro : quem-
Ps. xxxvi, 24. admodum de justo ait Psalmista, Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Flebam quondam super eo qui afflictus erat, id est, afflictis usque ad lacrimas tempore prosperitatis meæ condolebam : juxta illud Apostoli, Flere cum flentibus. Rom. xii, 15.
Et Ecclesiasticus ait : Non desis plorantibus in consolatione. Eccli. vii, 38.
Et compatiebatur anima mea pauperi, id est egenis, apprehendendo eorum inopiam quasi propriam propter communionem naturæ : sicque eis pro posse subveni. Non enim vere compatitur alteri, qui ejus miseriam pro posse non relevat. Hanc pietatem sectemur. Beatus enim qui intelligit super egenum et Ps. xl, 2.
pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. *Exspectabam bona,* id est prosperitatem et consolationem a Deo propter merita mea : quod scilicet faceret mihi sicut ego feci proximis meis inopibus. Communiter enim in lege naturali et scripta, virtuosi etiam in hac vita sortiebantur prospera mundi a Deo, quamvis non semper sic accidit. Unde nec Job talia exspectavit, tanquam principale, sufficiens C et finale præmium suorum operum meritoriorum, sed tanquam minus principale, prout de prædicatore evangelicæ veritatis loquitur Christus : Dignus est operarius Luc. x, 7.
mercede sua : per mercedem intelligens ibi corporis refectionem. *Et venerunt mihi mala* pœnæ, id est adversa : de quibus Amos ait, Si erit malum in civitate quod Amos iii, 6.
Dominus non fecit? *Præstolabar lucem,* id est jucunditatem : secundum illud Proverbiorum, Exspectatio justorum lætitia. Prov. x, 28.
Et eruperunt tenebræ, id est, desolatio et amaritudo mihi jam evenerunt : quemadmodum Jeremias ait : Exspectavimus pacem, Jer. xiv, 19.
et non est bonum; et tempus curationis, et ecce turbatio.

Interiora mea, puta viscera atque vitalia, *efferbuerunt,* id est, extra ferbuerunt ex calore febris et ulcerum. Ubi Albertus allegat Hippocratem, dicentem : Febris est in generatione saniei magis quam generata jam sanie. *Absque ulla requie,* id est incessanter ad tempus. *Prævenerunt me*

Digitized by Google

dies afflictionis, id est, tempore juventutis meæ afflictiones incidi, quæ tempore senectutis naturalius evenirent. Tunc enim homo naturaliter propter invaletudinem Ps. LXXXIX, 10. suam affligitur, juxta illud in Psalmo : Si autem in potentatibus, octoginta anni; et amplius eorum, labor et dolor.

Mœrens incedebam, id est, etiam tempore prosperitatis cum mediocri seu ordinato mœrore processi, propter aliorum peccata seu adversa dolendo : juxta illud in Ps. CXVIII, 139. Psalmo, Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Item-Ps. LXVIII, 10. que : Zelus domus tuæ comedit me. Unde, secundum Bedam, zelus est indignatio et tristitia de malo culpæ : quæ mala quæ videt, corrigit, si potest; si non potest, tolerat et gemit. *Absque* * *furore* hoc feci : quoniam mœror et zelus hujusmodi debet esse sine ira fervente. *Consurgens,* id est vitiis me opponens, *in turba clamabam,* ejus peccata redarguendo, atque ad bona mansuete hortando. *Frater fui draconum,* id est, homines venenatos, qui alios verbis et exemplis vitiosis inficiunt, fraternaliter dilexi : qui tamen mihi nunc quasi dracones fuerunt, me infestando; *et socius struthionum,* id est crudelium. Struthio enim proprii obliviscitur fetus. Unde loquitur Thren. IV, 3. Jeremias : Filia populi mei crudelis sicut struthio in deserto. Vel nomine struthionis, quæ pennas habet, nec volat, simulatores atque hypocritæ designantur : inter quos Job sociali caritate se habuit.

* Sine

Cutis mea denigrata est super me, id est, propter interiorem corruptionem humorum, quasi exusta est, juxta illud in Threnis : Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Thren. v, 10. Unde supra ait : Cutis mea aruit et contracta est. Job VII, 5. *Et ossa mea aruerunt,* id est, viribus et medullis destituta sunt atque siccata, *præ caumate,* id est ex grandi incendio caloris febrilis seu apostematis. *Versa est in luctum cithara mea,* id est, loco jucunditatis, quam habui ex citharæ usu et melodia, successit mihi hic planctus. Forte enim aliquando musicis instrumentis usus est ordinate, sicut et David lusit in cithara. I Reg. XVI, 23. *Et organum meum* versum est *in vocem flentium :* sive per organum intelligatur musicum instrumentum, quod fistulis sonat; sive vox propria, vel membrum corporis ad cantandum sive loquendum, ita quod pro gaudio quod ex organo habui, vox lugubris mihi successit.

Per organum quoque, quod fistulis sonat, vera prædicatio seu instructio designatur; per citharam, quæ chordis sonat, recta operatio denotatur : quæ in mœrorem vertuntur, dum alii inde non emendantur, aut scandalizantur. Sic et in Threnis inducitur : Versus est in luctum chorus noster. Thren. v, 15.

ARTICULUS LIX

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : PEPIGI FOEDUS CUM OCULIS MEIS, UT NE COGITAREM QUIDEM DE VIRGINE.

QUONIAM tres amici Job concorditer nisi sunt demonstrare ipsum propter sua peccata plagatum, et non nisi pro magnis excessibus tam dire percussum, cujus oppositum ipse defendit; hinc virtutes suas et merita diligentissime ac distincte prosequitur, ostendens se in virtutibus consummatum fuisse. Et primo se ab inquinamento peccati carnalis excusat : quod peccatum plures commaculat, involvit et damnat; atque, ut Thomas disseruit, peccatum hoc in lubrico positum est, ut nisi

Digitized by Google

quis occasiones et præambula seu principia ejus devitet, a posterioribus vix possit pedem extrahere. Denique, primum in hoc peccato, est oculorum adspectus, quo mulier pulchra adspicitur, et præcipue virgo; secundum, est cogitatio; tertium, delectatio in cogitatione; quartum, consensus; quintum, opus. Voluit ergo Job originem hujus peccati excludere, sicut fatetur.

Pepigi fœdus cum oculis meis, id est, firmiter decrevi oculos meos ab incauto mulierum intuitu custodire. Oculi quippe annuntiant seu ostendunt delectabile venereum, et ex adspectu cogitatio manat, ex qua concupiscentia surgit. *Ut ne cogitarem quidem de virgine,* id est, ne ab incauto adspectu ad periculosam cogitationem devolverer. Cogitare autem de virgine, secundum Albertum, est decorem et formam ejus cum colore et compositione ac ceteris delectantibus intus tractare : quæ cogitatio frequenter polluit mentem etiam ejus qui impotens est corpore. Nec solum beatus Job oculos custodivit, ne sic cogitaret de virgine, sed etiam ne de aliqua muliere non sua. Verumtamen ideo ait, De virgine, quoniam hæc amplius movet ad concupiscentiam : et magis appetitur, quia intacta est ; adhuc quoque majoris decoris est, idcirco facilius decipit. Itaque, quilibet nostrum hanc beati Job cautelam sectari non negligat, præsertim qui imperfectus et juvenis atque ad mala proclivis est. Quam enim periculosa sit incustodia oculorum, constat ex eo quod ait Salvator :
Matth. v. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Hinc scriptum est in Ecclesiastico :
Eccli. ix. 5, 7-9. Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus. Noli circumspicere in vicis civitatis. Averte faciem tuam a muliere compta. Propter speciem mulieris multi
Ibid. xxv. 28, 29. perierunt. Itemque : In specie mulieris, ira, et irreverentia, et confusio magna. Quoniam ergo intuitus oculorum, tot occasio est malorum, iterum in Ecclesiastico scri-
Ibid. xxxi. 15. ptum est : Oculo quid nequius creatum est ? Porro, secundum Gregorium, exterio-

A res sensus sunt velut foramina et fenestræ, per quas anima exteriora percipit seu respicit, et respiciens concupiscit, quemadmodum loquitur Jeremias : Ascendit mors Jer. ix. 21.
per fenestras nostras, ingressa est domus nostras. Mors enim per fenestras ascendit, et domum ingreditur, dum per sensus corporis concupiscentia veniens intrat mentem. Hinc (secundum Gregorium) intueri non debet, quod concupisci non licet. Itaque cum Psalmista devote oremus : Averte Ps. cxviii, 37.
oculos meos ne videant vanitatem.

B Insuper sanctus Job causam hujus custodiæ et castitatis assignat. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper?* id est, si vitio carnis deditus essem, nihil in me esset quod ad Deum pertineret per caritatem ejus et gratiam : unde non essem pars aut possessio Dei, imo totus essem diaboli. Illi vero sunt pars Dei, in quibus ipse per gratiam habitat, juxta illud Deuteronomii : Pars autem Domini populus ejus. Non au- Deut. xxxii, 9.
tem habitat in inquinatis luxuria. Ideo ait Gregorius : Nulla sunt bona cetera, si Dei
C oculis testimonio castitatis non approbantur. Thomas quoque hic scribit : Homo per peccatum luxuriæ videtur a Deo recedere. Accedit enim ad Deum per actus spirituales, qui maxime impediuntur per delectationem veneream. *Et hereditatem,* id est, quam hereditariam possessionem haberet in me, *Omnipotens de excelsis?* id est Deus altissimus, habitans in supernis ac cœlestibus civibus, juxta illud Deuteronomii : Ascensor cœli Deus rectissi- Ibid. xxxiii, 26, 27.
mus ; habitaculum ejus sursum, et subter
D brachia sempiterna. Præterea, juxta Thomam, quandoque contingit quod luxuriosi ad horam de Deo spiritualiter cogitant, sed mox per delectationis concupiscentiam revocantur ad ima. Ideo Deus in eis hereditatem, id est firmam ac stabilem possessionem, non habet. Unde oportet ut hereditas Dei sit in his qui sublimia et spiritualia appetunt, non in his qui ad carnalia corruunt ac descendunt. Itaque electi et virtuosi sunt proprie hereditas Dei, qui per Isaiam testatur : Hereditas mea Is. xix, 25.

Digitized by Google

Israel. In Deuteronomio quoque asseritur: A *Deut.* xxxii, 9. Jacob funiculus hereditatis ejus. Et in Es- *Esther* xiii, 17. ther libro : Miserere, Domine, sorti tuæ et funiculo hereditatis tuæ. Denique non solum virtuosi sunt pars et hereditas Dei, sed etiam ipse est pars hereditasque illorum. Illi namque dicuntur pars et hereditas ejus, quia præ ceteris eos elegit, assumpsit, ac possidet per dona gratiarum, quæ contulit eis. Ipse vero est pars et hereditas ipsorum, quia per dona gratiæ ab ipso suscepta, præ cunctis quærunt, amant et possi- *Thren.* iii, 24. dent eum. Unde in Threnis dicitur : Pars B mea Dominus, dixit anima mea ; propterea *Ps.* xv, 5. exspectabo eum. Et in Psalmo : Dominus pars hereditatis meæ.

Postremo, hæc est dignissima atque purissima ratio cavendi peccata, ex sincera caritate procedens, ne scilicet per peccatum Deus amittatur, et ab eo mens separetur. Ideo Job tanquam vir perfectus, hac de causa perhibet se vitasse corporis inquinamenta. Quæ quam vitanda sint, innotescit ex verbis Apostoli, protestantis : *I Cor.* vi, 18. Qui fornicatur, in proprium corpus pec- C *Ibid.* 9, 10. cat. Et rursus : Neque fornicatores, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Itemque: *Ibid.* 15. Tollens membrum Christi, faciam membrum meretricis? Siquidem virtuosus et castus, membrum est Christi; vitiosus vero et luxuriosus, membrum est meretricis, imo et dæmonis, qui caput est universorum malorum, secundum Gregorium. Unde et consequenter Job ostendit damna, quæ homo per præfatum incurrit peccatum.

Numquid non perditio est iniquo? quasi dicat : Utique luxurioso debetur et inest D perditio. Multiplicem enim per luxuriam incurrit perditionem: quia nunc perdit charismata gratiarum, deinde felicitatem æternam; insuper, in præsenti incurrit periculum personæ et rerum, deinceps æternam acquirit damnationem. Etenim impura hujus peccati voluptas, quo major ac turpior est, eo plus mentem excæcat, inconsideratamque efficit, ita ut præ affectu delectationis istius tot se periculis ingerat. Propter quod in Proverbiis Salomon de in- continente juvene scribit : Sequitur eam *Prov.* vii, 22, 23. (scilicet fornicariam) quasi bos ductus ad victimam ; et nescit quia de periculo animæ ejus agitur. Hinc in Ecclesiastico habetur : Vinum et mulieres apostatare fa- *Eccli.* xix, 2. ciunt etiam sapientes. Et ibidem : Qui se *Ibid.* 3. jungit fornicariis, erit nequam. Et Osee ait : Fornicatio, et vinum, et ebrietas au- *Osee* iv, 11. ferunt cor. Talibus ait et Amos : Væ qui *Amos* vi, 4. lascivitis in stratis vestris. *Et alienatio operantibus iniquitatem*?* id est, injustis et fornicatoribus inest aversio mentis a Deo, et recessus a bonis operibus : quoniam delectatio vitiosa incensa, animum fortiter trahit ad mala, retrahitque a bonis. Inest etiam eis alienatio ab usu rationis, quæ in actu hujus peccati totaliter absorbetur : imo et peccatum hoc ad quamdam insaniam amoremque erotos pertrahit cor stultorum, ita ut instar phreneticorum alienationem quamdam videantur incurrere. Quibus competit illud Osee : Spiritus *Osee* iv, 12. fornicationis decepit eos.

* *injustitiam*

Circa hunc locum multa utilia scribit S. Gregorius, inter cetera dicens : Festina consolatio bonorum, est consideratus finis malorum. Dum enim boni ex interitu pravorum mala conspiciunt quæ evadunt, leve existimant quidquid adversi in vita hac patiantur. In suis voluptatibus relaxatur injustus, quoniam tanto plus ei temporalia bona suppetunt, quanto amplius ei denegantur æterna.

Insuper causam, cur peccatum istud et alia vitaverit, aliam introducit : quia videlicet Deus judex omnia intuetur et pensat. *Nonne ipse considerat vias meas,* id est operum meorum processus, *et omnes gressus meos dinumerat?* id est, etiam minimas meas actiones in cogitando, operando, loquendo, distinctissime perpendit ad judicandum ac remunerandum. Hinc supra ait : Observasti omnes semitas meas, et vesti- *Job* xiii, 27. gia pedum meorum considerasti. Et rursus superius dixit : Tu quidem gressus meos *Ibid.* xiv, 16. dinumerasti. Unde magna nobis indicta est ratio bene agendi, quoniam ante oculos Judicis omnipotentis cuncta cernentis om-

Digitized by Google

Ps. cxviii, 168. nia operamur. Ideo fatetur Psalmista : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Divinæ igitur majestatis præsentiam, æternæ Sapientiæ intuitum jugiter consideremus et veneremur ; nec humanum intuitum amplius quam divinum revereamur : alioqui Deum dignitatis immensæ parvipendimus nimis, et stulti atque vilissimi comprobamur.

Si ambulavi in vanitate, id est, si levitatibus, falsitatibus, jocis, ludis seu risibus fui intentus. Hæc enim ad vanitatem pertinent, tanquam soliditate virtutis ac veritatis carentia. *Et festinavit in dolo pes meus* corporalis, seu spiritualis, puta affectus, id est, si aliquid per fraudem exsequi properavi. Et mala hæc in luxuriosis præcipue vigent, qui per prætactas vanitates quærunt ad desideratam pertingere voluptatem, atque ad hoc fraudulentiis multis utuntur. *Appendat me in statera justa,* id est in æquitate sui judicii, per quam omnia recte mensurat ac ponderat, juste- Job vi, 2. que judicat. Unde dixit Job : Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera. Ubi de significatione hujus stateræ dictum est plenius. Porro, in his atque sequentibus hujus capituli verbis, utitur Job juramento exsecrationis, quo jurans obligat se ad pœnam, si quod dicit, verum non est : quo II Cor. i, 23. et Apostolus utens, Ego, inquit, Deum testem invoco in animam meam. *Et sciet* * (* alias *sciat*) *Deus,* id est, se scire monstrabit, et alios scire faciet, per approbationemque sciet, *simplicitatem meam* (quæ duplicitati calliditatis ac simulationis seu fraudis opponitur), et quod sibi soli intentus sum. De Job i, 1. simplicitate autem Job, in expositione primi capituli diffuse tractatum est. His verbis beatus Job de vanitate et fraude excusat se, præsertim prout inter peccata mortalia computantur. Cujus gravitatem, sinceritatem ac simplicitatem imitari de- Tob. iii, 17. bemus, illud Tobiæ intuentes : Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in vanitate ambulant, participem

A me præbui ; et quod Isaias asserit : Fraudulenti vasa pessima sunt. Is. xxxii, 7. Itemque in Psalmo : Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Ps. v, 7. Et Sapiens : Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. Sap. i, 1, 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.

Si declinavit gressus meus, id est operatio mea, *de via,* id est de jussione legis divinæ, et de regia via quæ ducit ad vitam : Matth. vii, 14. hoc est, opera mea direxi secundum B legis divinæ præcepta : juxta illud Jeremiæ, Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, Jer. vi, 16. et invenietis requiem animabus vestris. *Et si secutus est oculus meus cor meum,* id est, si oculo exteriori incaute concupiscibiliterque adspexi, quod corde concepi seu cogitavi. Interdum enim oriuntur in mente cogitationes illicitæ per subreptionem : quod etiam homo vitare non valet. Sed tunc cohibendus est oculus corporalis, ne illud inordinate aut appetenter adspiciat, quod menti se ingerit. Hinc ait C Gregorius : Quemadmodum sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta interius, facit sibi extrinsecus oculos deservire. Hoc ergo et nos cum sancto Job vitare curemus, nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Rom. vi, 13. *Et si in manibus meis adhæsit macula,* id est, si ad opus iniquum manum extendi, vel impudice aliquam tetigi, aut aliena diripui. *Seram, et alius metat,* id est, fructus meos alii rapiant, ut sicut feci aliis, fiat mihi ; *et progenies mea eradicetur,* id est, D soboles mea seu propinquitas destruatur. Solent enim aliqui aliorum bona auferre, ut filios suos ditent, juxta illud Nahum : Leo cepit prædam sufficienter catulis Nahum ii, 12. suis.

Si deceptum est cor meum super muliere, id est, si ratio mea concupiscentiæ succubuit et consensit, sicque passione decepta, alterius conjugem concupivit. Contra quod in Proverbiis inducitur : Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius? Prov. v, 20. *Et si ad ostium amici mei*

Digitized by Google

insidiatus sum, fraudulenter et callide enitendo, quomodo uxorem ejus cognoscerem. *Scortum sit alteri uxor mea*, id est, publice prostituatur, *et super illam incurventur alii*, eam per adulterium cognoscendo, ut pœna correspondeat culpæ, et illud com-
Sap. XI, 17. pleatur in me : Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. Unde David regi, quum uxorem Uriæ cognovisset, locutus est Deus :
II *Reg.* XII, 11. Ecce ego tollam uxores tuas, et dabo eas proximo tuo, et dormiet cum eis. Sed quum adulterium et prostitutio feminæ maritatæ sit tam grande peccatum, quomodo licuit sancto Job id optare ab aliis fieri, si ipse hoc faceret ? Et respondendum, quod desideravit hoc in tali casu, non in quantum prostitutio talis habet rationem culpæ, sed pœnæ.

Hoc enim, scilicet adulterium, *nefas est*, impium et prorsus illicitum, quia contra
Deut. V, 21. divinum præceptum, *et iniquitas maxima:* quia inter peccata quæ fiunt in proximum, est unum de maximis ; imo post homicidium ab aliquibus gravissimum dicitur. Unde et Thomas ait : Quanto majus bonum alicui per peccatum aufertur, seu majus nocumentum infertur, tanto peccatum illud est gravius : qui autem alterius conjugem violat, maximum quid et carissimum bonum ejus subtrahit ei, videlicet
Gen. II, 24. conjugem, quæ est una caro cum viro ; aufert quoque certitudinem prolis, et frequenter totam patrimonii viri successionem, quæ per adulterium ad extraneum venit. Denique, conjugati sibi invicem fidem seu perpetuam fidelitatem promittunt, quod scilicet altero vivente, non erit cum alia quadam persona commixtio. Idcirco in adulterio est fractio voti, quæ a multis doctoribus ponitur majus peccatum quam perjurium. In adulterio quoque est furtum, quia possessori res sua, id est marito conjux sua, occulte aufertur, quantum ad usum et tempus. Iterum, adulterium maxime est contra caritatem fraternam seu proximi. Adulter namque invitissime haberet, quod quis suam conjugem violaret, quam vel habet, vel si haberet. Tan-

A tum ergo scelus prorsus cavendum est, et ei gravissima debetur damnatio. Quidam quoque pravissimi atque stultissimi sunt, qui tam faciliter et frequenter virorum conjuges appetunt. Interdum etiam in loco sacro et in divino Officio, soloque cogitatu ac desiderio, in tantam se impietatem præcipitant : in quibus nihil divini timoris est, nilque reverentiæ ad Deum immensum.

Ignis est adulterium, propter æstum libidinis et per similitudinem operis, sicut subjungitur, *usque ad consumptionem de-*
B *vorans*, id est adulterantem spiritualiter destruens, ita quod omnem virtutem et gratiam perdit, damnationem incurrit, sæpe etiam facultates suas consumit : et ut dictum est, per adulterium patrimonium alterius ad impertinentem heredem devolvitur, juxta illud Ecclesiastici : Omnis mu- *Eccli.* XXIII, 32.
lier relinquens virum suum, peccat, statuens heredem vel hereditatem ex alieno matrimonio. De igne quoque adulterii Osee dicit : Omnes adulterantes quasi clibanus *Osee* VII, 4.
succensus a coquente. *Et omnia eradicans*
C *genimina*, id est germina auferens universa, quia (ut dictum est) certitudinem prolis tollit, et successionem facit incertam ; fructum quoque virtutis et gratiæ prorsus exstirpat, juxta illud Proverbiorum : Num- *Prov.* VI, 27-29.
quid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant ? Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non erit mundus quum tetigerit eam.

Si, pro non, *contempsi judicium subire*, id est juri et judici me subdere, *cum servo meo et ancilla mea, quum disceptarent*, id
D est, in judicio contenderent, *adversum me*, de subtractione mercedis vel oppressione laboris : quemadmodum in Genesi Jacob ait ad Laban, Mutasti mercedem meam de- *Gen.* XXXI, 41.
cem vicibus. Ex his patet magna humilitas sancti Job, et quod nulli injuriam fecit, nec avaritiæ deditus fuit. Et hoc fecit intuitu divini judicii. Propter quod subdit : *Quid enim facerem*, nisi prædicto modo me habuissem, *quum surrexerit ad judicandum Deus*, id est, potestatem et æquitatem suam exhibuerit circa me, ad judi-

Digitized by Google

candum me, et ad retribuendum mihi quod A
merui? quasi diceret: Tunc effugere non
valerem, nec ab eo salvarer. *Et quum quæsierit,* id est, rationem a me exegerit, *quid respondebo illi?* id est, respondere non potero, si prædicta bona omisero, sed damnabilis invenirer. Gravissimum etenim scelus est, mercenarios et famulos atque ancillas opprimere, aut debita mercede privare. Propter quod in Deuteronomii libro habe-
Deut. xxiv, 14. 15. tur: Non negabis mercedem pauperi, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. Et Ecclesiasticus: B
Eccli. xxxiv, 27. 25. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Itaque panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Et Ja-
Jacob. v, 4. cobus: Ecce merces operariorum vestrorum quæ fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

Denique, quod ita habere se debuit, ostendit ex parilitate conditionis. *Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est?* quasi dicat: Idem Deus meam et C
servi mei animam creavit, et corpori adhuc in utero exsistenti infudit, atque ibidem nostra corpora organizavit. *Et formavit me in vulva unus?* id est, per vulvæ conceptum ab eodem Deo sumus formati:
Job x, 10. sicut superius ait ad Deum, Nonne sicut lac mulsisti me? Ideo similes sumus et æquales in natura specifica. Unde unus super alium extolli non debet, quemadmo-
Malach. ii, 10. dum Malachias inducit: Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despi- D
cit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Hinc scriptum
Sap. vi, 8. est libro Sapientiæ: Pusillum et magnum Deus fecit, et æqualiter ei cura est de omnibus. Ad hanc considerationem humilitatis inductivam, hortatur Apostolus præsiden-
Ephes. vi, 9. tes, dicens: Et vos, domini, eadem facite illis, videlicet servis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis. Cur igitur quidam propriæ conditionis et fragilitatis obliti, alios aspernantur ita ut eos alloqui aut adspicere vix dignentur, non attendentes quod sola propria sua superbia faciat eos cunctis bestiis coram Deo contemptibiliores? Imo, quanto majora et plura a Deo beneficia sunt sortiti, tanto plus humiliari Deoque regratiari ac subjici, atque ipsius districtum judicium formidare deberent.

Si, pro non, *negavi quod volebant* voluntate rationabili, *pauperibus:* id est, quidquid rationabiliter a me petierunt, eis donavi. De qua voluntate rationabili, intelligendum est quod in Evangelio loquitur Christus: Quæcumque vultis ut faciant *Matth.* vii, 12.
vobis homines, facite eis. Hinc Ecclesiasticus docet: Fili, eleemosynam pauperis ne *Eccli.* iv, 1.
defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Tobiasque dixit: Noli avertere *Tob.* iv, 7, 8.
faciem tuam ab ullo paupere; quomodo potueris, ita esto misericors. *Et oculos viduæ exspectare feci:* id est, viduis a me consilium, auxilium, eleemosynamve petentibus, mox subvenire non distuli, ne tristarentur, aut me differente verecundatæ abirent. Ideo Proverbiorum liber habet: Non dicas amico tuo, Vade, et revertere, *Prov.* iii, 28.
cras dabo tibi, quum statim dare possis. Et Ecclesiasticus: Cor inopis ne afflixeris, et *Eccli.* iv, 3.
ne protrahas donum angustianti. Unde recte ait Apostolus: Hilarem datorem diligit *II Cor.* ix, 7.
Deus. *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea:* id est, pupillos ac indigentes habui commensales, vel de propriis meis cibariis manducantes, quia quæ mihi paravi, eis communicavi. Porro buccella dicitur, quia intra cellam buccæ continetur: per quam hic omne alimentum exprimitur. Hinc Isaias monet: Egenos, inquit, vagosque induc in domum *Is.* lviii, 7.
tuam.

Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: id est, quantum ætate et corporis quantitate, tantum in misericordiæ actibus interioribus exterioribusque profeci, me in illis quotidie exercitando. In bonis nempe, ut ætas corporis, ita et ætas crescit virtutis; in malis, crescente ætate, innocentia decrescit, secundum Gregorium. *Et de ute-*

Digitized by Google

ro matris meæ egressa est mecum, per aptitudinem quamdam, ita quod ex speciali dono auctoris naturæ, naturalique complexione et inclinatione, pronus fui ad opera pietatis : secundum quod aliqui sunt naturaliter bonæ indolis, et secundum diversitatem complexionum dispositionisque naturalis sive ingenitæ, quidam inclinantur ad hanc virtutem, aliique ad aliam. Aliqui quoque ex naturali dispositione proni sunt ad aliqua vitia : ad quod illud in
Ps. LVII, 4. Psalmo potest aptari, Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero. His demum verbis Deo, non sibi ipsi, Job misericordiam suam adscribit. Juvenes itaque naturalem inclinationem sibi ad virtutes insitam, per vitia non corrumpant ; sed ea bene utantur, et laudabilibus studiis eam perficiant, actuent et perornent. Imo, quo aliquis melioris est indolis, eo, ceteris paribus, ad vitam virtuosam plus obligatur, graviusque damnatur, nisi donis Dei bene
Luc. XII, 48. utatur. Etenim, Christo testante, Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.

Si, pro non, *despexi prætereuntem,* id est quemlibet viatorem, seu peregrinantem, aut mendicantem, *eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem :* id est, pauperem nudum non
Is. LVIII, 7. sprevi : juxta illud Isaiæ, Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Si non benedixerunt mihi latera ejus :* id est, ipse mihi gratias egit et bona imprecatus est, eo quod latera ejus vestivi ; *et de velleribus ovium mearum calefactus est :* id est, tunicas pelliceas talibus dedi, quibus calefacta est caro eorum. His verbis redarguuntur qui pannosos despiciunt, quum tamen Deus sit honorandus in paupere. Contra quos terribiliter
Jacob. II, 2-6. loquitur Jacobus in sua Canonica : Si introierit, inquiens, vir in veste candida, et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, ita ut dicatis ei, Tu sede hic bene ; pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum : nonne facti estis judices cogitationum iniquarum ? Nonne

A Deus elegit pauperes in hoc mundo ? Vos autem inhonorastis pauperes. Hinc in Proverbiorum libro scriptum est : Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus. Quocontra de compatiente Salomon ait : Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem reddet ei. Itaque vestiendi sunt nudi. Nam et Christus dicturum se perhibet in die judicii : Nudus fui, et non cooperuistis me. In Luca ait quoque Joannes Baptista : Qui habet duas tunicas, det non habenti. Prov. XVII, 5. Ibid. XIX, 17. Matth. XXV, 43. Luc. III, 11.

B *Si levavi super pupillum manum meam :* id est, pupillos seu alios inferiores et impotentiores, quos impune lædere potui, nequaquam per potentiam oppressi, nec molestavi ; *etiam quum viderem me in porta,* id est in loco judicii, quod solebat dari in urbium portis, ut dictum est, *superiorem,* id est potentiorem. Vel sensus est : Quum in causa justitiæ prior essem, justamque haberem contra inferiores querelam, non dure aut totaliter ab illis exegi, quod juste exigere potui, sed clementer peperci. *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur*,* id est, membra hæc mea quibus abusus sum, dissipentur. Siquidem justum est ut homo membris privetur, quibus ad injustitiam utitur.

C * confringatur

Semper enim quasi tumentes super me fluctus Deum timui : id est, indesinenter Deum vehementissime formidavi, timore utique filiali, velut si vidissem undas maris in altum crescentes, mihique imminentes, super me cadere ; et ut metuunt naviD gantes, dum fluctus marini super navem elevati, imminent eis. Tunc enim vehementissime timent, nil carnale eos delectat, nil de temporalibus curant, sed vitam solam cupiunt conservare. Taliter sanctus Job timuit Deum et ejus inhonorationem atque judicium. Cujus timorem saltem aliqualiter sequi nitamur, pensantes quantum in Scripturis timor iste laudetur. Salomon itaque in Proverbiis ait : Beatus homo qui semper est pavidus. Et rursus : In timore Domini esto tota die, quia habebis Prov. XXVIII, 14. Ibid. XXIII, 17. 18.

Digitized by Google

Prov. xv, 27. spem in novissimo. Itemque : Per timorem A
Domini declinat unusquisque a malo. De
hoc timore in Ecclesiastico multa scribun-
Eccli. I, 13. tur, videlicet : Timenti Deum bene erit in
extremis, et in die defunctionis benedice-
Ibid. 28. tur. Et : Qui sine timore est, non potest ju-
Ibid. XXIII, 37; XL, 28. stificari. Nihil melius quam timere Deum.
Timor Domini sicut paradisus benedictio-
Ibid. XXVII, 4. nis. Et : Si non in timore Domini tenueris
te instanter, cito subvertetur domus tua.
Ibid. I, 22; XVIII, 27. Timor Domini, corona justitiæ est. Sapi-
ens in omnibus metuit. Porro qui ita ut
Job Deum formidat, sapit quod scriptum B
Ibid. XXXIV, 16. est : Qui timet Deum, nihil trepidabit. Ideo
Matth. x, 28. loquitur Christus : Eum timete qui pote-
statem habet corpus et animam perdere in
gehennam.

Et pondus ejus, id est majestatem Dei, *ferre non potui,* nisi misericorditer ageret mecum, ideo aliis fui misericors ; et nisi Deo me per timorem humiliter inclinarem, ideo quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Pondus quoque Dei ferre non possumus, quoniam magnitudine sua et perfectione sua immensa infinite excedit et C
superat nos, nec ad ejus contemplationem sufficimus. In ejus etiam dilectione et gu-
Ps. LXXII, 21, 22, 26. stu deficimus, juxta illud in Psalmo : Quia
inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum. Defecit caro mea et cor meum.
Ps. CXVIII, 81. Itemque : Defecit in salutare tuum anima
Prov. xv, 27; XVI, 6. mea. Quoniam ergo timor Dei retrahit a
peccato, Deum jugiter timeamus, quam terribilia sint ejus judicia, quam intolerabilia quæ infligit inferni supplicia, perpendentes ; quam item malum sit eum of- D
fendere, eum amittere, ab eo æternaliter separari. Sicque illud Isaiæ implere cone-
Is. VIII, 13. mur : Dominum exercituum sanctificate ;
ipse pavor vester, et ipse terror vester ; et
Philipp. II, 12. quod ait Apostolus : Cum metu et timore
ac tremore vestram operamini salutem.
Ps. II, 11. Hinc monet Psalmista : Servite Domino in
timore, et exsultate ei cum tremore.

Si, pro non, *putavi aurum robur meum :* id est, in auro fortitudinem meam non posui, sed in Deo. A pretiosiori autem metallo (secundum Albertum) omnes designat divitias : quia, secundum Philosophum, quinto Ethicorum, Omnia hoc mensurantur metallo, in quo multi robur suum constituunt, in quantum est fidejussor necessitatis futuræ, et pretium redimens ab eadem. Job autem in Creatore robur suum
constituit, juxta illud in Psalmo : Mihi au- Ps. LXXII, 28.
tem adhærere Deo bonum est. Et iterum :
Diligam te, Domine, fortitudo mea. Item- Ps. XVII, 2.
que : Fortitudinem meam ad te custodiam. Ps. LVIII, 10.
Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Qui Eccli. XXXI, 5.
diligit aurum, non justificatur. Et rur-
sus : Beatus dives qui post aurum non abiit. Ibid. 8.
Et obrizo dixi, Fiducia mea es : id est, in auro rudi, videlicet in sua puritate ma-
nenti, quod pretiosissimum est juxta præ- Job XXVIII, 15.
habita : in eo, inquam, spem meam non collocavi, sed in Deo beatitudinis meæ :
quemadmodum ait Apostolus, Divitibus I Tim. VI, 17.
hujus sæculi præcipe, non altum sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.

Si lætatus sum super divitiis meis multis : id est, inordinate de eis gloriatus non sum, quia nec eas immoderanter amavi, nec in eis confisus sum, sed ordinate usus sum eis, tanquam instrumentis et mediis ad beatitudinem veram. Scriptum est enim
in Ecclesiastico : Nihil iniquius quam ama- Eccli. x, 10.
re pecuniam ; hic enim animam suam ha-
bet venalem. Et in Psalmo : Super eum Ps. LI, 8, 9.
(scilicet impium et avarum) ridebunt justi, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. De hujusmodi divite, terrena cœlestibus, creaturam Creatori præferente, ait in Evangelio
Christus : Possibilius est camelum per fo- Matth. XIX, 24.
ramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. *Et quia plurima reperit manus mea :* id est, de hoc quod multa possedi, inordinate lætatus non sum, nec in illis superflue occupor : implens
illud Psalmographi, Divitiæ si affluant, no- Ps. LXI, 11.
lite cor apponere. Itaque in affectu et usu divitiarum inordinatus non fuit. Quum enim corporalia bona ad spiritualia fina-

Digitized by Google

liter ordinentur, in tantum possunt ordinate quæri ac diligi, in quantum necessaria vel utilia sunt ad spiritualia bona acquirenda, atque ad sustentaculum vitæ, quatenus Deus ultimate possideatur.
Prov. xi, 28. Hinc fertur : Qui confidit in divitiis suis, corruet.

Si, pro non, *vidi solem quum fulgeret* hominibus, non interpositis nubibus, *et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum*, id est, intus lætatus sum in his creaturis lætitia fruitionis, quasi in diis et cultu latriæ dignis ; *et osculatus sum manum meam ore meo*, in honorem solis et lunæ, quasi eorum cultui devote intentus : *quæ* res, scilicet deosculatio manus hujusmodi, et abscondita perfruitionis creaturæ lætitia, seu luminarium cœli cultura, *est iniquitas maxima*, quum sit idololatria et superstitio vitiosa, qua creaturæ impenditur quod soli Creatori debetur, *et negatio contra Deum altissimum*. Adoratio namque et fruitiva lætitia ac latriæ cultus, soli altissimo Deo debentur : quæ quum creaturis exhibentur, ipso facto Deus altissimus denegatur. His verbis fatetur se luminaria cœli non adorasse, nec idololatram exstitisse. Suis enim temporibus gentiles communiter luminaria cœli et stellas tanquam deos colebant : quorum insaniam frequenter imitabantur Judæi, ut
IV Reg. xxi, 3; xxiii, 5, 11. patet in libris Regum. Porro quidam idololatrarum solem colebant, ut ducem fortunæ in potentatu, fama et gloria ; lunam vero, ut ducem in sanitate et prosperitate terrena, sicut in Jeremia habetur, quod
Jer. vii, 18. mulieres Judæorum placentas fecerunt reginæ cœli, videlicet lunæ. Contra quod scri-
Deut. iv, 19. ptum est in Deuteronomio : Ne oculis elevatis ad cœlum videas solem et lunam et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sub
Jer. x, 2. 3. cœlo sunt. Unde Jeremias loquitur : A signis cœli, inquiens, nolite metuere, quæ timent gentes ; quia leges populorum vanæ sunt.

Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me
A *oderat :* id est, de adversitate seu morte hostium meorum non exsultavi, quia eos non odi. Imo personas dilexi, peccata odivi : ideo naturæ condolui. *Et exsultavi, quod invenisset eum malum :* id est, de hoc gloriatus non sum, quod malum culpæ seu pœnæ incurrit. Imo potius dolui inde, quemadmodum David Saulem deplanxit. In hoc II Reg. i, 17-25.
ostenditur Job fuisse vir evangelicæ conversationis, implens quod præcipit Christus : Diligite inimicos vestros, benefacite his Matth. v, 44.
qui oderunt vos. Hinc Proverbiorum libro
B dicitur : Qui in ruina lætatur alterius, non Prov. xvii, 5.
erit impunitus. Rursusque Proverbiorum vicesimo quarto Salomon docet : Ne dicas, Ibid. xxiv, 29.
Quomodo fecit mihi, sic faciam ei. Quum Ibid. 17.
ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina illius ne exsultet cor tuum. Hoc est quod ait Apostolus : Noli vinci a malo, sed Rom. xii, 21.
vince in bono malum. Unde fatetur Psalmista : Si reddidi retribuentibus mihi ma- Ps. vii, 5.
la, decidam merito ab inimicis meis inanis. Ecclesiasticus quoque optime dicit : Memento novissimorum tuorum, et de- Eccli. xxviii, 6 et 10.
C sine inimicari ; et ne irascaris proximo tuo, et abstine te a lite. Sed et in Levitico Moyses ait : Non quæras ultionem, nec Lev. xix, 18.
memor eris injuriæ civium tuorum. Porro quod ait lex, Odio habebis inimicum Matth. v, 43.
tuum, intelligendum est quantum ad culpam, non quoad naturam illius. *Non enim dedi ad peccandum guttur meum :* id est, per guttur impia verba non protuli, optando infortunia inimici. Ideo subditur : *ut expeterem*, id est, malum exigerem seu rogarem, *maledicens animam ejus*, id est
D mala imprecans animæ adversarii mei : imo correctionem et salutem ejus veraciter concupivi.

Si non dixerunt, id est, imo locuti sunt, *viri tabernaculi mei*, id est domestici mei : *Quis det de carnibus ejus ut saturemur ?* Hoc Gregorius et Albertus exponunt, quod viri illi in tantum oderant ipsum Job propter suam justitiam, et quia redarguit culpas eorum, quod de carnibus ejus seu mollioribus quæ habuit, saturari optabant, id est de ejus adversitatibus refici, vel de

Digitized by Google

ejus morte lætari : et tamen hos patienter sustinuit. Thomas vero exponit opposito sensu, quod conversatio et præsentia sancti Job fuit suis domesticis tam grata et placita, quod dixerunt, Quis det de carnibus ejus? id est, quis det ut carne præsens sit nobis dominus noster Job, ut saturemur, id est, ad libitum eum intueamur? Et expositio ista rationabilior mihi videtur. Non enim apparet, quod vir tantæ mansuetudinis, simplicitatis ac innocentiæ, domesticis fuerit onerosus : præsertim quia superius dixit, quantum ejus præsentia ab extraneis appetebatur, et quam avidissime verba ejus audierant. Verumtamen, utrique expositioni satisfaciendo, dici forsitan posset, quod inter domesticos ejus et familiares fuerint quidam perversi, quibus propter suas justitias fuerat odiosus ; quod autem plures eorum boni fuerunt, certum reor.

Job XXIX, 7-10; 21-23.

Foris non mansit peregrinus, id est, quemcumque peregrinum mihi occurrentem, vel ad me venientem, caritative suscepi, et in domum meam deduxi, ac bene tractavi ; *ostium meum viatori patuit,* ita quod quilibet viator facilem et securum ad me introitum habuit. Sicque beatus Job, sicut et Abraham, hospitalitati liberalissime deditus fuit, sicut et ceteris misericordiæ actibus. Unde ad Hebræos ait Apostolus : Hospitalitatem nolite oblivisci. Et Petrus : Hospitales invicem sine murmuratione.

Gen. XVIII, 1-8. Hebr. XIII, 2. I Petr. IV, 9.

Si abscondi quasi homo peccatum meum, id est, false me excusavi, et culpam meam per hypocrisim palliavi, vel alio modo celavi, quando fuit pandenda et confitenda : sicut homines facere solent ex inordinato et stulto timore, in quibus timor Dei non est ; *et celavi in sinu,* id est in corde *meo iniquitatem meam :* id est, nec peccatum commissum in proximum, nec iniquitatem in Deum inordinate abscondi, sed humiliter fassus sum. Unde de homine vitioso non confitenti dictum est : Quum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua ; parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo. Hanc virtutem beati Job imitemur, quia (ut Salomon ait) Justus in principio accusator est sui. Et Isaias hortatur : Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris.

Job XX, 12, 13. Prov. XVIII, 17. Is. XLIII, 25, 26.

Si expavi ad multitudinem nimiam : id est, nullam hominum turbam, quantumlibet magnam, inordinato timore sic timui, ut propter eam timore corporalis periculi ab æquitate recederem, aut peccata incurrerem, utpote malens mori quam Deum offendere. Peccatum enim est fugibilitatis immensæ, eo quod Deus sit honorabilitatis amabilitatisque infinitæ. Ideo nullo modo debet quis ad peccata induci. Sic et Psalmista testatur : Non timebo millia populi circumdantis me. Itemque : Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Isaias quoque dicit : Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescet? Propter nullius ergo timorem a Dei timore est recedendum, quemadmodum scriptum est : Time Deum, præter eum vero ne timueris alienum. *Et despectio propinquorum terruit me :* id est, a propinquis et proximis non ita timui sperni, ut ex hoc viam veritatis et æquitatis relinquerem. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Hoc sancti martyres maxime impleverunt, quibus et Christus ait : Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis. Sed jam multi sunt qui potius volunt multa illicita operari, quam ab hominibus despici, et præsertim quam velint consanguineos suos offendere, aut despici ab eisdem : in quibus timor carnalis et sæcularis præponderat divino timori. *Et non magis tacui,* id est, contumeliosa illorum verba patienter silenterque passus sum : juxta illud Psalmi, Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me. Hinc in Proverbiis habetur : Gloria viri, iniqua prætergredi. Et sequenti ibi capitulo : Honor est homini qui separat se a contentionibus. Et in Ecclesiastico : Non litiges cum homine po-

Ps. III, 7. Ps. XXVI, 1, 3. Is. LI, 12. IV Reg. XVII, 35-37. Matth. V, 10. Luc. XXI, 16. Ps. XXXVIII, 2. Prov. XIX, 11. Ibid. XX, 3. Eccli. VIII, 1, 4.

tente, et cum homine linguato. *Nec egressus sum ostium,* ad invadendum injuriantes mihi, sicut impetuosi et præsumptuose audaces facere solent, periculis incaute se exponentes.

Consequenter Job videns sibi a multis non credi, seque contemni, ad divinum se refert judicium, sicut et supra aliquoties jam fecit. *Quis mihi tribuat adjutorem?* id est, cupio me juvari, ut veritas pateat; vel, Auditorem, ut aliqui textus habent, id est, qui rationes, quibus veritatem defendo, advertat; *ut desiderium meum Omnipotens audiat,* id est, ad effectum perducat declarando per suam sententiam quis verum dicat, ego vel contradictores mei; *et librum scribat ipse qui judicat,* id est, Deus justus et infallibilis judex in scriptis redigi faciat, quidquid boni et mali commisi, ne veritati amplius derogetur. *Ut in humero portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi,* id est, ubique eum circumferam, omnibusque præsentem quidquid in eo conscriptum exstiterit, quatenus omnes qualis sim, noscant. Hoc totum ait beatus Job, ad ostendendum securitatem et innocentiam conscientiæ suæ, quodque nil cupiat, nisi ut veritas causæ ipsum concernentis, universis pandatur. Unde in
Joann. III, 21. Joanne legitur : Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

Per singulos gradus meos corporales et spirituales, videlicet pedum ac virtutum mearum processus et actus, *pronuntiabo illum,* loquendo et vera esse testando, quæ Deus in libro illo conscripserit, cujus sententiæ contradicere nolo : *et quasi principi offeram eum,* id est, hunc offeram Deo principi summo, contentus gratumque habens ut mecum procedat juxta ea quæ ipse de me in libro asseruit. Hæc autem litteraliter de libro conscientiæ proprie sumi non valent, quia ex illo alteri in hac vita
I Cor. II, 11. veritas non monstratur. Quis enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis? juxta Apostolum.

Si adversum me terra mea clamat, et
A *cum ipsa sulci ejus deflent.* Terra et sulci ejus, materialiter contra possessorem suum clamant et plorant, quando possessor vitiose se habet circa terræ culturam, operarios terræ nimis gravando, aut non debite præmiando, ita quod justam habent rationem clamandi cum fletu adversus dominum terræ, qui mercedem dignam eis non tribuit : quod vitium in beato Job locum non habuit. Juxta istam metaphoram ait Psalmista : Valles abundabunt Ps. LXIV. 14.
frumento; clamabunt, etenim hymnum di-
B cent. Unde expositorie subdit : *si fructus ejus comedi absque pecunia :* id est, laboratoribus, qui terræ nascentia aptaverunt ad usum meum atque meorum, metendo, molendo, pinsendo, seu aliter cooperando, debitam pro labore pecuniam non solvi; *et animam agricolarum ejus afflixi,* eis injuriam aliquam irrogando, aut solutionem diu differendo. *Pro frumento,* quod seminatum præstolor multiplicatum mihi nasci, *oriatur mihi tribulus,* id est herba inutilis ac spinosa : *et pro hordeo, spina.*
C Justum est enim ut qui aliena retinet, propria perdat. Et verbum istud alludit ei, quod in Genesi dictum est homini : Quum Gen. IV, 12; III. 18.
operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos; sed spinas et tribulos germinabit tibi.

Præterea, spiritualiter terra contra dominum suum clamat, dum subditi contra prælatum aut principem suum juste conqueruntur, quia debitum prælaturæ et præsidentiæ eis non exhibet. Sulci vero terræ, sunt homines virtuosi virtutibus culti : qui,
D juxta Joelem, corda sciderunt pœnitentiæ Joel II. 13.
vomere; qui superiorum negligentiam injustitiamque deplorant, imo et boni communis atque animarum deflent pericula et jacturam. Talis autem Job non fuit. Porro fructus terræ absque pecunia edere, est de bonis Ecclesiæ sustentari, nec tamen prædicationis talentum subditis impertiri, sed debitum officii non implere. Quod quam impium sit, quis non advertat? Animam demum agricolarum terræ affligere, est vicarios substitutosque principes seu

Digitized by Google

prælatos injuste vexare. Postremo, quod A ait, Pro frumento oriatur mihi tribulus, ita spiritualizatur : Si prætacta mala commisi, pro bonis gloriæ quæ justis donantur, mala mihi damnationis pro mercede præstentur.

ARTICULUS LX

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : OMISERUNT AUTEM TRES VIRI ISTI RESPONDERE JOB.

Tribus amicis beati Job a sua disputatione et replicatione cessantibus, et assertionibus ipsius Job cedentibus, quartus disputator insurgit, videlicet Eliu, qui (secundum Thomam) acutioribus rationibus utitur contra Job, quam priores, magisque ad veritatem accedit. Unde nec Job ei respondet, quamvis in aliquo a veritate declinet, et verba Job sinistre interpretetur. Quomodo autem intelligendum sit dictum hoc Thomæ, ex dictis Alberti patescit, dicentis : Sententiæ tres præmissæ, antiquiores dicuntur: quia ex communibus C sunt et generalibus, quæ in inventione scientiarum et artium prima fuerunt, secundum Philosophum in fine Elenchorum; quæ communia posteriores coarctaverunt atque auxerunt, et ad propositum determinaverunt. Talia autem communia fuerunt, quæ dixerunt tres viri : et quoniam Eliu iste determinat et coaptat talia communia principia ad propositum, magisque arguit ex particularibus, quod fuit (secundum Philosophum) studium posteriorum, idcirco sententia ista dicitur junior atque D posterior. Non enim alia dicit quam primi tres : sed quia priorum studia coarctavit, et per adjuncta multiplicavit, et ex his probabilius arguit; hinc sententia ejus junior perhibetur, quam divinitus accepisse se asserit. In rhetoricis quippe disputationibus, quæ (secundum Boetium) sunt involutæ adjunctis, prima et generaliora principia frequenter sunt falsa ; particularia autem et coarctata, efficaciora sunt ad per- B suadendum : quæ tamen posteriora sunt, secundum artis inventionem.

Præterea, secundum Gregorium, verba Eliu tanto graviori circumspectione pensanda sunt, quanto per juventutis audaciam ferventiore spiritu proferuntur. Postremo, quam sublimia sint quæ dicit, constat ex eo quod Dominus ait de eo : Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Alta etenim dixit; sed in modo loquendi excessit, debitam non observans modestiam, sicut in processu patebit. Job XXXVIII, 2.

Itaque dicitur : *Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur,* sicut et fuit. Bonæ enim conscientiæ fuit, et Dei auxilio, non propriis viribus, justum se censuit; atque hoc tot verbis monstravit, quod amici ejus ei consensisse creduntur. *Et iratus indignatusque* [*est*] *Eliu filius Barachel,* qui forte fuit proximus pater ejus, *Buzites,* id est de progenie Buz, qui, sicut in Genesi legitur, fuit secundogenitus filius Nachor fratris Abrahæ, ut quidam exponunt; *de cognatione Ram.* Secundum Albertum, Abraham primo vocatus est Ram, id est excelsus, postea dictus est Abram, id est pater excelsus, postremo dictus est Abraham, id est pater multarum gentium. Quum autem primo habitaret in Chaldæa, non dicebatur nisi Ram. Hoc alibi non legi. Itaque, secundum Albertum, Eliu fuit de cognatione Abrahæ per Esau : quod præinducto verbo non consonat. Gen. XXII, 21.

Digitized by Google

Iratus est autem contra Job, eo quod justum se diceret coram Deo, id est in veritate et secundum infallibile judicium Dei, non tamen comparatione ipsius. Superius
Job XIII, 18. enim Job dixit : Si fuero judicatus, scio
Ibid XXIII, 11. quod justus inveniar. Et iterum : Viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. Rur-
Ibid. XXVII, 6. susque : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Hæc etenim dicens, videbatur præsumptuosus, et agere contra
Eccli. VII, 5. illud Ecclesiastici : Non te justifices ante Deum, quoniam cognitor cordis ipse est. Verum hæc ira Eliu, quamvis sibi videbatur justa, seu ira per zelum, utpote ex amore Dei ac veritatis procedens, tamen non fuit secundum scientiam, id est discreta : imo et ex errore processit, quia non recte intellexit verba beati Job. Denique, non semper nec universaliter exstat illicitum, ut homo justum se dicat coram Deo, secundum expositionem prætactam,
IV Reg. XX, 3. quum et Ezechias alloquens Deum : Memento, inquit, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto. Atque
Ps. LXXXV, 2. Psalmista : Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Quod autem in Ecclesiastico scriptum est, tantumdem convincit, quod homo non debet se passim et sine grandi necessitate seu rationabili causa justificare coram Deo. *Porro adversus amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem* argumentorum Job, quibus se justum probavit, illosque reprobavit ; *sed tantummodo condemnassent Job,* id est, verbis multis eum reprobassent, non rationibus idoneis dicta sua firmantes.

Igitur Eliu exspectavit Job loquentem, id est, verba ejus non interrupit, et tamdiu conticuit, quousque speravit aliquem trium amicorum Job locuturum aut responsurum, *eo quod seniores essent qui loquebantur,* videlicet Eliphaz, Baldad et Sophar. Ideo cessit eis propter eorum æta-
Eccli. XXXII, 10, 11, 13. tem, juxta illud : Adolescens, loquere in causa tua vix quum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum ; et ubi sunt senes, non mul-
A tum loquaris. In Levitico quoque scribi-
tur : Coram cano capite consurge, et honora Lev. XIX, 32.
personam senis. *Quum autem vidisset* oculo interiori, et id ipsum etiam exteriori oculo perpendisset, *quod respondere non possent* beato Job, *iratus est vehementer :* quia putavit quod ex superatione et taciturnitate illorum Deo derogaretur, veritas deperiret, et Job in suis obduraretur erroribus. *Respondensque Eliu filius Barachel, Buzites, dixit.*

Ex hoc quod omnia ista tam determinate
B et circumstantionaliter describuntur, certissime liquet, quod historia libri hujus sit de re veraciter gesta, non de quodam conficto vel tantum parabola.

Junior sum tempore, non tamen scientia aut eloquentia minor, saltem loquendo de nuda atque informi veritatis notitia ; *vos autem,* amici Job, *antiquiores : idcirco demisso,* id est reverenter inclinato, *capite, veritus sum,* id est timui, *vobis indicare meam sententiam,* ne loquacitatis et præsumptionis arguerer. Allegat Albertus Ci-
C ceronem, dicentem quod Socrates in juventute sua septem annis siluit, antequam aliquid loqueretur respondendo.

Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, id est, quod vos senes rationabilius responsuri essetis, *et annorum multitudo doceret sapientiam,* id est, vos qui tot annis vixistis, et multa experti estis, ostenderetis errorem et insipientiam Job, et quid vere tenendum est in materia disputationis
præsentis. Unde superius dictum est : In Job XII, 12.
antiquis est sapientia, et in multo tempore
D prudentia. In Proverbiorum quoque libro
fertur : Dignitas senum canities. Quod in- Prov. XX, 29.
telligitur de canitie mentis : de qua Sa-
piens asserit, Cani sunt sensus hominis, Sap. IV, 9.
et ætas senectutis vita immaculata. Ad insinuandum quoque quam detestabilis sit insipientia in antiquis, scripsit Ecclesia-
sticus : Tres species odivit anima mea, et Eccli. XXV, 3, 4.
aggravor valde animæ illorum : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.

Sed, ut video, experimentaliter ex supe-

Digitized by Google

ratione atque silentio amicorum Job, *spiritus est in hominibus.* Hoc quidam exponunt de Spiritu Dei seu Spiritu Sancto, qui est in eo quem per gratiam suam inhabitat et illustrat. Potest tamen (ut reor) aptius interpretari de anima hominis, quæ est spiritus rationalis : tanquam dicat, Omnibus hominibus est commune, spiritum seu animam rationalem habere, sed non omnibus commune est sapientiam possidere. Hinc subditur, *et inspiratio,* id est interna illuminatio, *Omnipotentis dat intelligentiam,* id est certam veritatis notitiam, a qua ratio naturalis desuper non adjuta, multipli-
Dan. II. 21. citer deficit. Hinc Daniel inducit : Deus dat sapientiam sapientibus, et prudentiam intelligentibus disciplinam. Et Ecclesiasti-
Eccli. I. 1. cus : Omnis sapientia a Domino Deo est.
Joann. XVI. 13. Salvator quoque ait : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Deus autem quandoque per se ipsum immediate edocet mentem humanam, quandoque per angelum. Hinc Sapiens
Sap. IX. 10. orat : Mitte, Domine, sapientiam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Porro, juxta S. Gregorium, his verbis Eliu ruit ad arrogantiam, reputans se aliis sapientiorem. Quatuor enim (secundum Gregorium) sunt species superborum : Prima, eorum qui bonum a se ipsis habere se arbitrantur ; secunda, eorum qui illud propriis meritis suis attribuunt ; tertia, eorum qui se jactant habere quod non habent ; quarta, eorum qui despectis ceteris, singulariter appetunt videri habere quod habent.

Non sunt longævi, id est antiqui, *sapientes,* cognoscendo divina, *nec senes intelligunt judicium,* id est rectam veramque censuram actuum humanorum. Hoc ad litteram dicit contra Job, et præsertim contra ejus amicos, quod consenserint verbis Job derogantibus justitiæ ac providentiæ Dei, secundum Eliu æstimationem, et quod crediderint ipsum Job esse justum. *Ideo dicam* digna auditu. *Audite me* auribus mentis et corporis ; *ostendam vobis*

A *etiam ego meam scientiam**. In quibus verbis notatur hic Eliu de immoderata sui reputatione et suæ scientiæ præsumptione. *Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaretis**, id est, pariter disputaretis, *sermonibus ; et donec putabam vos aliquid dicere,* quod efficax esset ad ostendendum propositum, *considerabam* vestra verba, et quis vestrum rationabilius loqueretur : ideo decet ut nunc me audire dignemini. *Sed, ut video, non est* aliquis vestrum, *qui arguere possit Job,* B id est dicta ejus improbare, *et respondere ex vobis,* id est ex sensu vel numero vestro, *sermonibus ejus,* quibus se excusat atque justificat, vosque accusat.

* sapientiam

* disceptaremini

Itaque, Ostendam vobis scientiam meam, *ne forte* vos, amici Job, *dicatis : Invenimus sapientiam,* id est, vere et sapienter argumentati sumus adversus Job, dicendo : *Deus projecit eum, non homo :* id est, per hoc sufficienter probavimus ipsum Job esse injustum, quoniam Deus eum in hanc adversitatem projecit, qui errare non po- C test ; et non homo, qui frequenter errat in judicando ac puniendo. Ex hoc enim potissime arguerunt, quod Job esset pro suis peccatis percussus, quia a Deo plagatus, qui est justus et infallibilis judex, non inferens pœnam nisi pro culpa. Sed (ut patuit) istud argumentum non exstat sufficiens, quoniam falsum est quod Deus nullum puniat in hac vita, nisi pro suis peccatis. Hinc Eliu intendit per efficaciora argumenta intentum probare. *Nihil locutus est mihi :* id est, in hac disputatione D non ad me, sed ad vos verba sua direxit ; nec mihi injuriam intulit, ut putetis me ex ira et passione irrationabili provocatum ad impugnandum verba ipsius ; *et ego non secundum vestros sermones respondebo illi,* id est, non tam invalidis utar argumentis, ut vos, sed subtilius arguam. Aliqui autem affirmant quod Eliu ideo dicit hoc, quia ponebat animam hominis immortalem, cujus oppositum senserunt amici Job. Verum, ut frequenter ostensum est, amici Job non senserunt oppositum hujus.

Extimuerunt, nec responderunt ultra : id est, amici Job ita ex verbis ejus perterriti sunt, quod sibi ultra respondere ausi non erant, putantes quod esset veraciter justus, et quod ipsi male egissent eum sic objurgando; *abstuleruntque a se eloquium,* id est, sibi ipsis imposuerunt silentium. *Quoniam igitur exspectavi,* deferendo senioribus, nec loquendo quousque loqui cessarent : secundum illud Ecclesiastici, Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia; itemque, Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus; *et non sunt locuti,* id est, isti tres viri post ultimam sermocinationem Job ultra non responderunt; *steterunt,* advertendo quæ protulit Job, *nec responderunt ultra; respondebo et ego partem meam,* id est tantumdem ut spectat ad me, *et ostendam vobis scientiam meam.* Hoc semel jam dixit, et rursus illud nunc repetit : quia, etsi zelo æquitatis fuit utcumque succensus, tamen, quoniam juvenis imperfectusque fuit, vanitas se miscebat, et ostentare se concupivit. Imperfecti nempe et passionati, quamvis aliquando bonum concipiant, et ex bono fonte quid inchoent, multiplex tamen se miscet in processu defectus.

Eccli. XXXII, 9. Ibid. XX, 7.

A

B

C

Plenus sum sermonibus mentalibus, id est, ad loquendum multa concepi, et ad loquendum rhetorice pronus sum, tanquam eminenter facundus et doctus. Sed revera vitio loquacitatis subjacuit. Contra quod ait Scriptura : Est odibilis qui procax est ad loquendum. *Et coarctat me spiritus uteri mei.* Uteri nomine, mens seu intellectus exprimitur, quo verbum internum concipitur, sicut in utero corporeo proles. Spiritus autem uteri, est vel voluntas ad actum intellectus impellens, vel ipsa anima, cujus vis est ipse intellectus : qui spiritus coarctavit, id est, constrinxit et incitavit seu impulit, ipsum Eliu ad loquendum, partim ex vanitate, et partim ex impatientia. Interdum vero justi ad loquendum impelluntur ex Dei et proximi caritate, ad Dei honorem et proximorum salutem, prout in Actis de Paulo narratur, quod incitabatur spiritus ejus in semetipso, videns idololatriæ deditam civitatem Atheniensem.

Ibid. 5.

D

Act. XVI 16.

En venter meus quasi mustum absque spiraculo : id est, intellectus meus ita conatur in verba oris erumpere, sicut mustum carens spiraculo seu foramine, per quod vapor ex musto ascendens erumpat, conatur vaporem suum emittere; *quod lagunculas novas disrumpit,* id est vasa in quibus est, quæ nisi aperturam habeant, per quam vapor ascendens emanet, solent disrumpi et frangi. Multiplicatur enim vapor interior musti, egredi quærens. Unde in Evangelio loquitur Christus : Nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioqui rumpuntur utres, et vinum effunditur. Hoc ipsum et justi aliquando patiuntur ex purissimo zelo veri et æqui, quemadmodum asserit Jeremias : Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus. Unde de Apostolis ferventissime in die Pentecostes loquentibus, scelerati dixerunt : Quia musto pleni sunt isti.

Matth. IX. 17. Jer. XXIII. 9 Act. II. 13.

Loquar, et respirabo paululum, id est, loquendo anxietatem et æstuantem cordis fervorem ad loquendum pro Deo, aliqualiter temperabo, consolabor, et requiescere faciam. *Aperiam labia mea,* quasi ex deliberatione sublimia prolaturus, *et respondebo.* Etenim, quo diutius tacuit, quum ea quæ sibi displicuerunt, et Deo atque justitiæ obviare tanquam blasphemiæ videbantur; eo ardentius desiderium respondendi succrevit in eo. Sic et Eliphaz ad Job dixit : Conceptum sermonem tenere quis poterit?

Job IV, 2.

Non accipiam personam viri, id est, intuitu hominis a veritate et justitia non recedam. Ille equidem, secundum Thomam, in respondendo personam hominis accipit, qui veritatem relinquit, ut homini deferat sive complaceat. In quo verbo Eliu ostendit se Deum imitari : de quo in Paralipomenon Actuumque libris scriptum est, quod non sit personarum acceptor. *Et Deum homini non æquabo,* quum Deus sit

II Par. XIX, 7; Act. X. 34.

Digitized by Google

infinite, et per consequens, incomparabiliter melior atque perfectior homine, imo et toto universo : quod etiam Eliu ideo ait, quia, secundum suam æstimationem, Job immoderanter comparavit se Deo. Nam infra ait ad Job : Numquid tibi justa videtur cogitatio tua, ut diceres, Justior Deo sum ? Cur autem tam juste loqui intendat, adjicit. *Nescio enim quamdiu subsistam,* id est, diem et horam mortis ignoro ; *et si post modicum tollat me factor meus,* id est, ignoro an Creator meus cito auferet me de hac vita. Vel sensus est : Nescio an post breve tempus vel longum adducet me ad suum tribunal. Ideo sic agere debeo,

Job xxxv, 2.

A quasi quotidie moriturus, quia tempus pœnitendi mihi dandum esse non novi : unde pro modico dubiæ atque corruptibilis vitæ, a veritate et æquitate nequaquam recedere debeo. Sic et Christus hortatur : Videte, vigilate, et orate ; nescitis enim quando Dominus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. Denique Eliu (ut moris est inaniter sapientium, et in propriis oculis virtuosorum) verbis jactantiæ sapientiæ verba commiscet, ut sapiens judicetur, et rationabiliter loqui monstre- B tur. Sed in talibus hominibus passiones et vitia actui rationis se intus permiscent, atque ad reprehensibilia verba inducunt.

Marc. xiii, 33, 35.

ARTICULUS LXI

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI TERTII : AUDI ERGO, JOB, ELOQUIA MEA.

FINITO suæ disputationis procemio, Eliu nunc disputationem ipsam adversus Job inchoat ; et partim ira ac impatientia, partimque præsumptione et elatione cæcatus, modestiam in loquendo non servat. *Audi ergo, Job, eloquia mea,* id est evidentia verba, quasi extra seu aperte ac lucide pronuntianda ; *et omnes sermones meos ausculta.* Quasi dicat : Omnia quæ effabor, advertentia sunt condigna. *Ecce aperui os meum ; loquetur* * *lingua mea in faucibus meis,* id est, intra fauces ad formationem verborum movebitur : lingua quippe con- D tinuatur ad cor ; idcirco præmeditata, articulata, litterataque profert. Numquid parvus fuit in oculis suis, qui hoc magnum atque notabile reputavit, quod aperuisset os suum, idque pronuntiavit, quod lingua sua in faucibus suis mox loqueretur ? Non utique parvæ sapientiæ aut modici ponderis se putavit, qui proprios actus sic extulit.

* alias loquatur

Simplici corde omnes sermones mei, id est, verba mea ex sincera intentione pendent, ita C quod nihil intendo nisi veritatis defensionem, ad Dei honorem et aliorum ædificationem ; nec loquar ad calumniandum, nilque calliditatis vel duplicitatis in me reperietur, neque in verbis meis sonabit. Verumtamen, juxta præhabita, istud ita non fuit : quia non tantum ex zelo veritatis motus est loqui, sed insuper ex gloria vana, utpote excellentiam sapientiæ et eloquentiæ suæ cupiens demonstrare, indeque reputari. *Et sententiam labia mea loquentur puram,* id est, sensus altos ac sapientiales sine admixtione falsitatis pronuntiabo. Quod rursus penitus verum non est : quamvis enim multa vera sententiosaque proferat, falsa tamen ex eis conclusit adversus Job, et multa crimina ei mendose imposuit.

Spiritus Dei fecit me : ideo dignum et justum est, ut me verbis divinæ majestati derogativis opponam. Quemadmodum enim totum quod sumus et habemus, a Deo suscepimus ; ita omne id in ejus honorem expendere reverenter debemus, ut ait Hi-

larius. Porro, per Spiritum Dei, intelligi potest Spiritus Sanctus, vel intellectus seu voluntas divina, seu Deus absolute, qui spiritus est. *Et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* In Genesi ait Scriptura : Gen. II, 7. Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; et factus est homo in animam viventem. Ubi per spiraculum, intelligitur spiritus seu anima rationalis, corpus vivificans vita naturæ, imo dans homini vitam vegetativam, sensitivam, secundum locum motivam, et intellectivam. Et ita hic accipi potest spiraculum : quod dicitur, spiraculum Omnipotentis, quia ab ipso procedit, creatur, infunditur, imo quodammodo insufflatur. Hinc in Scripturis veteris Testamenti, anima flatus vocatur, ut quum Is. LVII, 16. per Isaiam Dominus ait : Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. Daniel quoque propheta Balthasar regi lo- Dan. V, 23. quens : Deum, inquit, qui habet flatum tuum in manu sua, non honorasti. Insuper, per spiraculum, intelligi potest ipsa inspiratio Dei per gratiam illustrantem : quæ vivificat mentem ad vitam sapientialem, seu interiorem sapientiæ actum, qui animæ vita est, juxta illud Ecclesiastici : Eccli. IV, 12. Sapientia vitam filiis suis inspirat. Christus Matth. XI, 19. etiam in Evangelio : Justificata est, ait, sapientia ab omnibus filiis suis.

Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste, id est, argumentationibus meis satisfac et resiste, si vales : quasi dicat, Paratus sum morem gerere tibi, tuamque responsionem suscipere. Sed hoc verbum rursus superbiam videtur prætendere. Quid enim est dicere, Si potes, etc., nisi, Scio quia non poteris mihi respondere atque resistere?

Ecce, me sicut te fecit Deus : juxta illud Malach. II, 10. Malachiæ, Numquid non Deus unus creavit nos? Etenim, quantum ad animam, immediate a Deo sumus creati. Substantia vero corporis, a Deo originaliter condita est, sed per causas secundas formatur et organizatur, atque a propriis parentibus propagatur. Sed opus naturæ est principaliter opus primæ causæ, etiam juxta philosophos. *Et de eodem luto ego quoque formatus sum.* Quamvis corpus humanum ex quatuor elementis mixtum dicatur, nihilo minus de limo terræ primus parens formatus descri- Gen. II, 7. bitur, quia in hominis corpore dominatur terra præ ceteris elementis. De eodem ergo luto in specie, non eodem in numero, Job Eliuque formati fuerunt : quoniam utriusque materia, ejusdem est rationis : et quantum ad primam hominis formationem, omnes de luto seu terræ limo formati asserimur, quia videlicet is ita formatus est, in quo omnes quodammodo eramus et continebamur, tanquam in originali quodam principio. Unde et omnes in ipso pec- Rom. V, 12. cavimus, secundum Apostolum. Præterea, per lutum apte designatur materia corporis nostri propinqua, videlicet semen jam coagulatum in utero matris, atque per hoc luto assimilatum. Unde et supra Job ait ad Deum : Memento, quæso, quod sicut Job X, 9. lutum feceris me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Hinc per Jeremiam Dominus loquitur : Sicut lu- Jer. XVIII, 6. tum in manu figuli, ita et vos in manu mea. Hæc Eliu introduxit, ut ex consideratione paris conditionis, Job sumat respondendi fiduciam, vel ne Job despiceret disputare cum Eliu, eo quod minor esset.

Verumtamen miraculum meum, id est sapientia mea mihi desuper mirabiliter data : in qua ita præfulgeo, quod quasi miraculum videatur quod ego qui juvenis sum, in tantum seniores in sapientia vinco, quum tamen de luto sim sicut et illi; *non te terreat; et eloquentia mea non sit tibi gravis,* id est, non erubescas, quod ego junior te, ita te in eloquentia supero. Aliquibus enim molestum est, quod alius eis invenitur perfectior. Communiter quoque minus periti, et minus facundi, terreri solent coram sapientiore et eloquentiore. Itaque consolatur et admonet sanctum Job, ne immoderanter gravetur audiendo suæ positionis reprobationem per verba et argumenta rhetorica. Siquidem tanto solet alicui alterius eloquentia esse molestior, quanto per

Digitized by Google

eam sua assertio apparentius confutatur. Denique, secundum Gregorium, arrogantibus proprium est, ut antequam aliquid dicunt, mira se dicturos existiment, et locutionem suam mirando præveniant : quia [vel] in acutis sensibus ipsa elatio quanta fatuitas sit, ignorant. Hinc Paulus Hebræos sublimiter exhortatus, subjunxit : Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis. (*Hebr.* XIII, 22.) Eliu autem quædam inania protulit, et quasi consolando subjungit : Miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis. Ille dicta sua, verbum solatii; hic vero, eloquentiam et miraculum vocat.

Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi. Dupliciter dicitur aliquid alteri dici in auribus ejus. Primo, quia occulte ei quid dicitur, ore loquentis applicato auribus audientis. Secundo, quia sic dicitur, quod verba pertingunt usque ad aures perceptionemque audientis : et ita intelligit Eliu. *Mundus sum ego, et absque delicto; immaculatus, et non est iniquitas in me.* Hoc formaliter Job non dixit ; et quamvis quædam similia protulit, non tamen ad sensum quem Eliu inde elicit et intendit. Denique moris est quorumdam animo fervidorum, dum quid sibi displicens audiunt, illud repetendo exaggerare, aliisque verbis durius iterare. Passiones equidem ratione non refrenatæ, faciunt a medio virtutis ac veritatis recedere. Imponit autem Eliu ipsi Job, quod verba hæc dixerit, quia jam frequenter et diffuse suas recitavit justitias, atque justum se esse probavit, nec meruisse flagella sibi illata. Nam inter cetera affirmavit : Vestigia ejus, scilicet Dei, secutus est pes meus ; viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. (*Job* XXIII, 11.) Itemque : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. (*Ibid.* XXXI, 23.) Et rursus : Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, quum haberem mundas ad Deum preces. (*Ibid.* XVI, 18.)

Insuper, quamvis verba inducta soleant accipi pro eodem, tamen hic possunt distingui hoc modo : *Mundus sum* corde a cogitationibus et affectionibus inordinatis, *et absque delicto,* id est sine culpa omissionis, *immaculatus* corpore a vitiis carnis, *et non est iniquitas* commissionis ac operum seu injustitiæ contra Deum aut proximum, *in me.* Et hoc Eliu accipit, quasi Job dicere voluisset, quod nulli unquam peccato etiam veniali subjacuit, quum tamen Job hujus oppositum fassus sit, dicens : Peccavi : quid faciam tibi, o custos hominum? (*Job* VII, 20.) Et denuo : Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. (*Ibid.* XIV, 16.) Non itaque a venialibus prorsus asseruit se immunem.

Quia querelas in me reperit : id est, ita se circa me habuit, sicut qui de alio conqueritur, et ei mala imponit, quum ille sit innocens. Albertus autem exponit sic : Quia querelas, etc., id est, occasiones inveniendi querelas adversus me molitus est. *Ideo arbitratus est me inimicum sibi.* Hoc sumit ex eo quod Job supra dixit, alloquens atque interrogans Deum : Quantas habeo iniquitates et peccata? scelera mea et delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? (*Ibid.* XIII, 23, 24.) Sed, ut ex dictis in expositione verborum istorum claruit, sanctus Job ad talem sensum non protulit verba hæc, ad qualem Eliu ea retorquet. Non enim Deus insidiatur homini tanquam malevolus, ut capiat vel circumveniat eum. Imo potius occasiones miserendi exquirit. *Posuit in nervo pedes meos,* ut me quasi captum teneret ; *et custodivit,* id est, ad puniendum observavit, *omnes semitas meas,* ut occasiones contra me reperiret. Verba hæc jamdudum scripta atque exposita sunt, atque ex dictis ibidem patescit, quod secundum hunc intellectum beatus Job verba non protulit ista. (*Ibid.* 27.)

Hoc est ergo in quo non es justificatus : id est, quamvis in nullo alio excessisses, quam in verbis his Deo sic derogantibus, clarum esset quod graviter offendisses : quod verum est, si Job tam male sensisset de Deo, aut sensum hunc prætendisset. Præterea, juxta Gregorium, mens arrogan-

tium, dictorum suorum sensum non penetrat, quia interno gustu privatur, et in exteriores favores quos amat, relabitur. Vera autem scientia afficit, non extollit; et quos impleverit, non superbientes efficit, sed † calentes.

Respondebo tibi, quia major sit Deus homine, id est sapientior, justior, perfectior. Hoc præmittit Eliu, ad innuendum quod Job non debuit conqueri de dispositione Dei circa se, nec asserere se injuste percussum, sed divinæ mentis judicium sensui suo præferre, tacere et contentari; item, ad insinuandum quod Job præsum- *Job* xiii, 3. ptuose locutus sit, Disputare cum Deo cupio, quasi Deo esset tam par, quod idoneus esset disputare cum Deo; itemque, ad comprobandum quod Deus melius scit defectus et vitia hominis, quam ipsemet homo, et ideo homo se ipsum nimis justificare non debeat. *Adversus eum contendis,* id est, Deo litigiose imponis, *quod non ad omnia responderit tibi,* id est, justitiis tuis non reddiderit vicem seu præmium singulatim; vel, Non ad omnia responderit tibi, id est, omnia dubia et quæsita quæ ei proposuisti de causis flagellationis tuæ atque similibus, tibi non solverit. Hoc ideo dicit, *Ibid.* 22, 23. quia superius dixerat Job : Responde mihi, quantas habeo iniquitates, etc. Rursus- *Ibid.* 22. que : Voca me, et ego respondebo tibi; aut certe loquar, et tu responde mihi.

Consequenter innuit, cur Job ista dicere non debebat. *Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.* Hoc tripliciter explanatur. Primo sic : Semel in Scripturis et verbis Sanctorum aperuit Deus modum sui regiminis, et cur hominem puniat seu flagellet : ideo secundo id non resumit, unicuique seorsum et singulariter respondendo ad singula, cur eum ita et ita in hoc et in hoc flagellaverit. Propterea tu, Job, irrationabiliter quæris tibi divinitus ad singula responderi. Hinc ait Gregorius : In Scripturis nobis in eo quod specialiter patimur, omnibus communiter respondetur; ibi vita præcedentium fit forma sequentium. Sic exponit Gregorius. Thomas ex-

A ponit sic : Semel loquitur Deus, id est sua locutione causali ad extra, qua omnia fecit, juxta illud, Ipse dixit et facta sunt. *Ps.* cxl… 5. Semel animabus rationalibus impressit naturale lumen rationis, per quod inter verum et falsum, bonum et malum discernere, veritatem quoque et causam suorum eventuum inquirere, invenire, seu discere queunt. Ideo opus non est, ut Deus singulis seorsum respondeat. Hoc autem lumen naturale Deus non repetit, quoniam semel inditum animæ, in ea jugiter manet. Est-

B que quasi quædam impressio lucis divinæ in anima : per quod videri potest, quid agendum, omittendum, quid bonum, quid malum. Hinc quum in Psalmo dixisset Psalmista, Multi dicunt, Quis ostendit nobis *Ps.* iv, 6. bona? statim addit, Signatum est super *Ibid.* 7. nos lumen vultus tui, Domine, etc. Porro Albertus exponit sic : Semel loquitur Deus, id est, uno modo admonet in communi flagellando; et secundo id ipsum non repetit, ut scilicet per singula peccata admoneat eum.

C *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo; tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Verbum hoc concordat et correspondet ei quod supra Eliphaz ait : In horrore visionis no- *Job* iv, 13, 14, 16. cturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi, etc. Unde multa quæ circa hu-

D jus loci explanationem possent induci, illo in loco inducta sunt et requirenda ibidem, ne sine necessitate multiplicatio fiat verborum. Nempe (ut ibi patuit) in somno exterioribus sensibus ab occupatione, tumultu et strepitu operationum suarum cessantibus, anima ad susceptionem revelationum aptatur : estque capacior infusionis specierum occulta signantium atque cœlestium impressionum, quo minus circa alia occupatur sive distrahitur. Ideo Eliu asserit, quod *per somnium,* id est tempore

Digitized by Google

somni, *in visione* imaginaria seu intellectuali, seu ex utraque commixta, *nocturna*, id est, quæ fit in nocte, sopore seu gravi somno in homines irruente; *tunc* Deus per se, vel ministerium angelorum, *aperit* interiores *aures virorum*, videlicet imaginativam et intellectivam, quibus interiora verba percipiuntur, proferuntur, noscuntur, sicut in libro de Trinitate Augustinus deducit: virorum (inquam) virtute virentium, scilicet virtuosorum, quamvis interdum ex speciali dispensatione et ratione seu consilio Dei, etiam vitiosis id
Num. XXII-XXIV. fiat, ut patet in Balaam : quem S. Hieronymus et alii multi putant fuisse hunc Eliu. *Et erudiens eos* instructione interna, *instruit* eos *disciplina*, id est cognitione seu eruditione agendorum, videlicet pertinente ad mores; imo etiam frequenter cognitione speculativa et notitia futurorum penitus contingentium. Hic tamen potissime loquitur de instructione morali. Nam subditur :

Ut avertat hominem ab his quæ fecit, id est peccatis commissis, *et liberet eum de superbia*, id est, ad humilitatem perducat, ad quam homo tanto perfectius profundiusque perducitur, quanto desuper clarius illustratur. Specialiter quoque, postquam communiter dixit, Avertat hominem ab his quæ fecit, expressit superbiam : pri-
Eccli. X, 15. mo, quia superbia omnium origo, caput atque regina est vitiorum; secundo, ut insinuaret ipsum Job potissime excæcatum, quod scilicet nimis justus et sapiens esset in oculis suis, ideoque putaret se absque suis percussum demeritis, nec acquiesceret rationibus oppositum hujus probantibus. *Eruens animam ejus de corruptione*, id est læsione et languore peccati, quod vulnus est animæ. Unde et in Sapientiæ libro
Sap. VI, 20. habetur : Incorruptio facit esse proximum Deo. De peccatoribus quoque ait Psalmi-
Ps. LII, 2. sta : Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus. *Et vitam illius* corporalem ac temporalem liberans a pœnis præsentibus, *ut non transeat in gladium*, id est in occisionem; vel, Vitam animæ

A ejus, ne transeat in gladium, id est, ne incidat in divini judicii districtionem, pœnam ac damnationem. Unde superius ait Job : Ultor iniquitatum gladius est. Job XIX, 29.

Porro, secundum Albertum, ad hanc eruditionem supernam reducitur omnis instructio quæ fit per vehementem a sensibilibus abstractionem homini per oraculum vel per visionem revelationis, sive fiat per signa cœli, sive per angelos, sive per inspirationem immediatam a Deo : et vix est homo qui non aliquo horum modorum ad-
B moneatur de futuris, ut dicit Tullius in libro de Divinatione et natura deorum. Ideo quoque Eliu ait, Ut avertat hominem ab his quæ fecit, quia peccatoribus terribilia somnia solent occurrere. Alluditque ei quod supra dixit Job Deo : Terrebis me Ibid. VII, 14. per somnia. Per quod ipse Eliu pungit Job : quasi dicat, Ideo terruit te per somnia, ut recederes a tua malitia. Item hæc ait, ut innuat quod Deus per somnium ei satis respondit, immittendo ei visiones horribiles.

C Circa præhabita scribit multa pulchra Gregorius. Nam super illud, Per somnium, etc., ait : Quid est quod per somnium locutio nobis divinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si in terrenis desideriis vigilemus? Si ergo interna contemplari volumus, ab implicatione externa dormiamus. Vox Dei quasi per somnium auditur, quando tranquilla mente ab hujus sæculi actione quiescitur, et ipso mentis silentio divina præcepta pensantur. — Denique, super illud, Erudiens eos in-
D struit disciplina, testatur : Consideranti et sese per pœnitentiam laceranti, quasi quædam plagæ percussionis sunt lamenta compunctionis. Hinc Salomon loquitur : Livor Prov. XX, 30. vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris. Per livorem quippe vulneris, disciplinam insinuat corporeæ percussionis; plagæ vero in secretioribus ventris, sunt interna mentis vulnera, quæ per compunctionem fiunt. Quæ duo inter se differunt, quoniam plagæ percussionum dolent, lamenta compunctionum sapiunt;

Digitized by Google

illæ affligentes cruciant, ista reficiunt dum A affligunt; per illas in afflictione mœror est, per hæc in mœrore lætitia. Quatuor quippe sunt qualitates, quibus viri justi anima in compunctione vehementer afficitur : prima, dum malorum seu vitiorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; secunda, dum judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quærens, cogitat ubi erit; tertia, dum mala vitæ præsentis solerter attendens, metuens, considerat ubi est; quarta, dum bona supernæ patriæ contemplatur : quæ quia necdum adipisci- B tur, lugens conspicit ubi non est. — Insuper, præsentis vitæ mala sicut sunt, conspicere nequit : quia bona æternæ patriæ per contemplationis gustum non attigit. Unde aliquando mens devota ad quamdam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, et raptim aliquo modo ardenti spiritu afflata, renovatur : tantoque magis inhiat, quanto magis quod amet, degustat; atque ad hoc intrare appetit, quod sibi dulciter sapere intrinsecus sentit : quia videlicet hujus dulcedinis amore sibi coram C se viluit, et postquam hanc utcumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuerat, invenit. Cui inhærere conatur, sed ab ejus fortitudine, sua adhuc infirmitate repellitur; nec potest mentis oculum in id, quod intra se raptim conspexerat, figere, quia ipso vetustatis suæ usu deorsum compellitur ire. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur; sed ad familiares tenebras suas, victa fatigatione, relabitur.

Consequenter ponitur tertius modus locutionis seu responsionis divinæ. *Increpat* D *quoque* Deus peccatorem, *per dolorem,* id est infirmitatem, *in lectulo,* quo jacet ægrotus, *et omnia ossa ejus marcescere facit :* id est, tam graviter eum affligit interdum, ut robur corporis attenuetur, caro consumatur, ossa siccentur. Asserit autem Albertus, quod verba Eliu non sunt nisi determinationes et expressiones clariores verborum trium amicorum : et primo exprimit verba Eliphaz. Ideo contra Job loquens, incipit
Job iv, 13. sicut Eliphaz incepit supra, dicens : In horrore visionis nocturnæ. Similiter, quod nunc Eliu ait, Increpat quoque, etc., superius ita locutus est Eliphaz : Increpationem Job v, 17 Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et et seq. medetur, etc.

Abominabilis ei fit in vita sua panis : id est, præ magnitudine infirmitatis, cibaria vertuntur ei in nauseam; *et animæ illius cibus ante desiderabilis :* id est, durante languore, anima ægri cibos detestatur, quos tempore sanitatis dulces et concupiscibiles reputavit. Infirmitas namque per adustam choleram inficit gustum, seu palatum et linguam. Ideo infirmis omnia videntur amara, turbaturque appetitus et cadit. *Tabescet caro ejus,* id est, in tabem putredinemque vertetur, durante languore; *et ossa quæ tecta fuerant* pelle et carnibus, *nudabuntur* eisdem in toto aut parte, ita quod sola pelle apparebunt operta, carne consumpta. *Appropinquabit corruptioni,* id est morti, *anima,* id est vita sensitiva animalis, *illius* peccatoris, divinitus ita plagati. Sic anima sumitur in Genesi, dum Ruben fratribus suis ait de Joseph : Non Gen. xxxvii, interficiamus animam ejus. Et in Jeremia 22. Johanan loquitur Godoliæ de Ismaele : Ne Jer. xl, 15. veniat et interficiat animam tuam. *Et vita illius* præfata, appropinquabit *mortiferis,* id est signis et causis mortis.

Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus his quæ dicta sunt, id est, quod æger per somnii terrorem vel inspirationem, aut infirmitatem correptus, instructus et emendatus sit. Aliqui legunt, Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, id est unus de numero millium angelorum : secundum illud Danielis, Millia Dan. vii, 10. millium ministrabant ei. *Ut annuntiet hominis æquitatem,* id est, Deo præsentet et offerat justitiam ægri et peccatoris, ad quam per pœnitentiam conversus, et per aliquod prædictorum adductus est, ita quod inspirationi divinæ acquievit, vel vexatione intellectum accepit. *Miserebitur ejus* Is. xxx, Deus, qui non continet in ira sua miseri- 18. cordias suas, et post tempestatem tranquil- Ps. lxxvi, litatem largitur; *et dicet* angelo : *Libera* 10. Tob. iii, 22.

Digitized by Google

eum ab infirmitate, *ut non descendat in* A *corruptionem,* id est, ne moriatur. *Inveni in quo ei propitier :* id est, quia mihi obtulisti æquitatem pœnitentiæ ejus, et quod corporaliter tam dure afflictus est, idque æquanimiter tulit ; hinc habeo rationem propitiandi ei etiam in corporis curatione. In quo pietas Dei ostenditur, qui tam pronus est indulgere ac subvenire, et quasi occasionem quærit ad propitiandum. *Consumpta est caro ejus a suppliciis* pro suis peccatis sibi inflictis ; *revertatur ad dies adolescentiæ suæ,* id est ad talem disposi- B tionem in sanitate ac prosperitate, in quali fuit tempore adolescentiæ suæ, prout quarto Regum legitur caro Naaman restituta sicut caro pueri parvuli. (IV *Reg.* v, 14.)

Deprecabitur Deum æger sic castigatus, *et placabilis ei erit,* mentem ejus virtutibus decorando, et corpus sanando, vel in sanitate conservando. *Et videbit faciem,* id est piam et gratiosam præsentiam *ejus,* seu ipsum præsentem per fidem et divinæ virtutis effectum, *in jubilo,* id est in excessivo et maximo gaudio. In patria autem videbit C faciem Dei clare per speciem in jubilo consummato. *Et reddet homini justitiam suam,* id est secundum justitiam suam seu juxta actus et merita suæ justitiæ : quia propter pœnitentiam suam sanat eum in corpore, justificatque in mente. Juxta hunc modum loquendi sæpe ait Dominus in Prophetis : Reddam vobis iniquitates vestras in caput vestrum ; vel simile aliquid. (*Is.* lxv, 6, 7; *Jer.* xvi, 18; xxv, 14; *Ezech.* ix, 10; xi, 21; xvi, 43; xxii, 31; *Joel* iii, 4, 7; *Abd.* 15.) Vel, Reddet homini justitiam suam, id est, virtutes et gratiam, quas peccando perdidit homo, Deus per pœnitentiam illius restituet illi. D Virtus autem et justitia nostra, est Dei, ut dantis, et nostra, ut recipientis.

Respiciet homines, id est, recognoscet ac intuebitur eos lætus, de sua sanatione exsultans ; *et dicet : Peccavi, et vere deliqui :* id est, peccata sua, tam commissionis quam omissionis, humiliter confitebitur, seque pro eis percussum testabitur. Hoc etenim facit, quia jam Deus cor ejus illuminat, ideo se ipsum humiliat et accusat. *Et ut eram dignus, non recepi,* id est, citra condignum castigatus sum, et misericorditer actum est mihi : quia æterna, quam merui, pœna mihi in temporalem, parvam et brevem commutata est pœnam : ideo gratias ago. Verba ista notanda et imitanda sunt nobis indesinenter, ut in adversis non murmuremus ; sed quæ, quanta et qualia commiserimus peccata pensantes, nunquam putemus nos in vita hac condigne puniri : imo omne quod patimur, patientissime toleremus, velutque nihilum ponderemus respectu vitiorum nostrorum, atque intuitu infernalium quæ meruimus tormentorum, implentes illud Judith : Non ulciscamur nos pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini (quasi servi qui corripimur) ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. (*Judith* viii, 26, 27.) Hinc superius dictum est : Multo minora exigeris, quam meretur iniquitas tua. (*Job* xi, 6.)

Liberavit enim animam suam, id est, Deus animam rei percussi flagellando et gratiam infundendo a morte peccati salvavit. Vel ipsemet reus, per pœnitentiam liberavit animam per modum causæ meritoriæ, sicut Ezechieli Dominus loquitur : Tu animam tuam liberasti. (*Ezech.* iii, 19, 21; xxxiii, 9.) *Ne pergeret in interitum,* id est, ne in æternum periret : quemadmodum pater erudit et flagellat filium suum, ne a judice condemnetur ; *sed vivens lucem videret,* id est, vivendo per gratiam ad lumen gloriæ perducatur, et Deum qui vera lux est intueatur ; vivens quoque in sæculo isto vita naturæ, videret lumen solare et prospera hujus vitæ, juxta illud in Ecclesiaste : Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem. (*Eccle* xi, 7.)

Ecce hæc omnia, id est præscriptas jam admonitiones et correptiones per visionem nocturnam et infirmitatis immissionem, per angelicam subventionem et illuminationem secretam, ut homo redeat a peccatis ad gratiam, *operatur Deus tribus vicibus per singulos.* Verbum hoc intricatum est satis, multisque fuit erroris occasio, ita ut dicerent hominem non posse pœni-

Digitized by Google

tere post tertiam recidivationem : cujus A erroris assertor (ut Lyra hic recitat) fuit et quidam Rabbi Salomon, excæcatorum Judæorum excæcatus magister. Novatus quoque hæreticus, Romanæ Ecclesiæ olim diaconus, dixit sacramentum Pœnitentiæ iterari non posse, allegans illud Apostoli ad Hebræos : Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, et gustaverunt donum cœleste, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam; et quod primo Regum habetur : Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Deum B peccaverit, quis orabit pro eo? Istam difficultatem Thomas in Summa contra gentiles rite determinat. Apostolus enim de renovatione ad pœnitentiam per sacramentum Baptismi, quod non iteratur, locutus est loco prætacto, quamvis verba ejus aliis modis possint exponi. In verbis quoque libri Regum inductis, non impossibilitas absoluta, sed difficultas magna exprimitur.

Hebr. VI, 4, 6.

I Reg. II, 25.

Porro quod jam Eliu ait, Deum omnia hæc tribus vicibus operari per singulos, nequaquam superficialiter verificatur. Mul- C ti enim fuerunt, quos Deus per horribiles visiones somniales et per infirmitates corporales non monuit. Oportet ergo ut distributio hic notata, sit accommoda, et intelligatur de his, quos Deus præfatis visitat modis et vicibus : juxta quem modum loquendi fertur in Psalmo, Allevat Dominus omnes qui corruunt. Per trinarium vero, seu per tres vices, insinuatur numerus indeterminatus. Et convenienter hoc loco, per trinarium indeterminatus numerus denotatur, quia nunc agitur de judicio quo D Deus judicat actus humanos : in quibus sententiam præcedit trina monitio. Interdum equidem per millenarium, quandoque per denarium, aliquando per septenarium, nunc autem per trinarium indeterminatus exprimitur numerus. Denique non sequitur : Deus agit hæc tribus vicibus, ergo non pluribus. Postremo, quum tota hæc vita, sit peregrinatio quædam et via ad aliam vitam, quamdiu durat hæc via, durat et status atque facultas merendi ac demerendi : ad quod ex utroque Testamento plura ac certissima possent testimonia introduci.

Ps. CXLIV, 14.

Ut revocet animas eorum a corruptione, id est peccato, quod mentis corruptio est, *et illuminet luce viventium,* id est lumine gratiæ in præsenti, et lumine gloriæ in futuro, juxta illud in Psalmo : Placeam coram Deo in lumine viventium. Qui enim Deo fruuntur, præ ceteris creaturis propriissime vivere asseruntur. Virtuosi etiam viatores, quoniam fonti vitæ per caritatem et cetera gratiarum charismata juncti sunt, vivere proprie perhibentur : in quibus multiplex lux invenitur, videlicet gratia gratum faciens, dona Spiritus Sancti, inter quæ donum sapientiæ splendidius micat ; ceteræ quoque virtutes, fructus ac beatitudines frequenter lumina appellantur : quibus omnibus anima intus coram Deo pulchriformiter clarificatur.

Ps. LV, 13.

Deinceps admonet Eliu sanctum Job, non parum animose atque frontose. *Attende, Job, et audi me ; et tace dum ego loquor,* ne tanti tamque sapientis viri verba interrumpere audeas. *Si autem habes quod loquaris, responde mihi. Loquere,* quia paratus sum, et facile mihi erit satisfacere tibi. *Volo enim te apparere justum :* id est, non ex invidia increpo te, quia justitiam tibi nunc faveo ; et quantum in me est, vellem quod posses te vere justum probare. *Quod si non habes,* quod mihi respondeas, et quo te justum ostendas, *audi me ; tace,* tanquam discipulus et convictus, *et docebo te sapientiam,* ut ea quæ Dei sunt, vere intelligas, atque per illa de te ipso discretius judices.

Digitized by Google

ARTICULUS LXII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI QUARTI : PRONUNTIANS QUOQUE ELIU.

PRONUNTIANS *quoque Eliu, etiam hæc verba locutus est.* In eo quod dicitur, Pronuntians, datur intelligi quod cum grandi auctoritate, audacia atque facundia loquebatur, ceteros quasi minus sapientes, infra se reputans constitutos. *Audite, sapientes* in divinis, *verba mea ; et eruditi* in moralibus et rebus humanis ac naturalibus, *auscultate me.* Quasi dicat, Talia loquar, quæ non nisi a sapientibus et eruditis queunt intelligi : quemadmodum ait Apostolus, Sapientiam loquimur inter perfectos. (Cor. ii. 6.) In quibus etiam verbis Eliu de se ipso non mediocriter magnifice sentit, utpote in sapientia et doctrina se innuens eminentem, sapientiumque et eruditorum advertentia dignum.

Auris enim verba probat, id est, percipit et judicat cujus sint soni ; *et guttur escas gustu dijudicat.* Guttur enim per nervum gustativum usque ad ipsum protensum, escarum sapores percipit, atque dijudicat quales sint : quod facit gustu, id est per sensum gustus, cujus objectum est sapor ; vigetque gustus in nervo gustativo, et fundatur in eo. Hoc Eliu ait, ad innuendum quod sicut exteriorum sensuum est de propriis objectis bene judicare, sic sapientium et eruditorum de intelligibilibus, præsertim sublimibus ac divinis, qualia ipse Eliu intendit proponere : ita quod sicut auris non noscit aut percipit escas, nec guttur verba, ita nec stultus sententiam sapientis. Hoc ipsum et Job superius ait : Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem? (b xii, 11.) Porro sensus seu potentiæ animæ dicuntur operari seu agere tanquam a quo agens : quia per eas suppositum, quod est homo, agit, qui agit tanquam quod agens. Quemadmodum enim esse, ita agere et pati proprie sunt suppositorum, secundum Philosophum.

Judicium eligamus nobis : id est, falsitate et præcipitatione animi spretis ac evitatis, verum amplectamur judicium, discrete agendo, rite considerando ; sicque quid verius sit, dictum Job an meum, idonee judicemus. Tale judicium quilibet nostrum eligere debet in his, quæ ipsum concernunt, et ad ipsius judicium pertinent, Christo dicente : Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. (Joann. vii, 24.) Unde Apostolus ait : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. (I Cor. xi, 31.) *Et inter nos videamus* oculo intellectuali, id est, vivaciter perpendamus, *quid sit melius,* id est verius et justius de materia disputationis præsentis. Ideo enim datus est homini intellectus, ut verum a falso, bonum a malo, appetendum a fugiendo discernat ac segreget. Quod agere quam sit placitum Deo, ipse testatur per Jeremiam : Si separaveris, inquiens, pretiosum a vili, quasi os meum eris. (Jer. xv, 19.)

Consequenter aggreditur ipsum Job. *Quia dixit Job : Justus sum.* Hoc utique dixit : Si judicatus, inquit, fuero, scio quod justus inveniar. (Job xiii, 18.) *Et Deus subvertit judicium meum,* id est, perverse atque injuste me judicavit, videlicet contra ordinem juris, infligendo mihi pœnam absque meo demerito. Verbum istud sanctus Job non dixit formaliter, sed simile aliquid, quod Eliu cepit ad sensum istum. Superius enim Job dixit : Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. (Ibid. xix, 6.) Judicium autem non æquum, videtur esse iniquum. Et iterum dixit : Vivit Deus qui abstulit judicium meum. (Ibid. xxvii, 2.) Sed, sicut expositum est, talia Job

non dixit, intendens quod absolute iniquo judicio esset divinitus judicatus, sed quod judicium quo judicatus fuit, non esset æquum, loquendo de æquitate humani judicii, quo unicuique datur secundum quod meruit.

In judicando enim me, mendacium est, id est, error et falsitas fuit in judicio, quo Deus me judicavit, et pœnis istis exposuit. Hoc Job nequaquam asseruit : sed Eliu hoc ipsi mendose imponit, quia videbatur sibi sequi ex verbis Job. Consequens quippe in antecedente quodammodo dicitur, scilicet virtualiter atque implicite. *Et violenta sagitta mea :* id est, pœna mihi a Deo inflicta, non per justitiam, sed per violentiam seu tyrannidem Dei mihi inflicta est. Hoc rursus Job non dixit directe, imo nec æquivalenter. Eliu tamen hoc ipsi impo-
Job xxx, 20, 21. nit, quia supra Job locutus est Deo : Sto, et non respicis me ; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Quod quomodo intelligendum sit, in superioribus jam patuit. Iterum ait Job :
Ibid. xix, 11. Iratus est contra me furor Domini, et sic me habuit quasi hostem suum. *Absque ullo peccato,* id est, nullam habui culpam, ut paterer ista. Verum est quod Job testatus est se absque peccato suo esse percussum ;
Ibid. xvii, 2. nam dixit : Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Tamen non dixit se absolute esse absque omni peccato : imo oppositum fassus est, deprecans
Ibid. xiv, 16. Deum, Parce peccatis meis. Unde dicere voluit, quod licet aliquoties venialiter peccavit, non tamen tam graviter, ut tanta adversa meruerit, præsertim quia et pro venialibus quotidie satisfecit. Eliu autem sequitur eos, qui alio repetunt sermone, et quædam adjiciunt : quod impium est et plurimorum origo malorum. Propter quod
Prov. xvii, 9. in Proverbiis scribitur : Qui alio sermone repetit, separat fœderatos.

Ex præinductis præmissis Eliu infert, loquens ad adsistentes : *Quis est vir ut est Job ?* id est, nullus invenitur ei similis in malitia, quia sacrilegus est et blasphemus. Juxta quem modum tertio Regum, de Achab rege Israel scribitur : Igitur non fuit alter *III Reg.* xxi, 25.
talis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. *Qui bibit,* id est, quasi poculum intra se sumit, *subsannationem,* id est peccata subsannanda, seu divini derisionem judicii, *quasi aquam,* id est abundanter et absque mensura ac freno ; *qui graditur,* id est, conversando communicat, *cum operantibus iniquitatem, et ambulat* ad infernum *cum viris impiis,* ita quod affectu, verbo et opere eis conformis est. *Dixit enim : Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo,* id est, quamvis ferventer atque alacriter fuerit voluntatem Dei secutus, et obedierit ei. Ire autem cum Deo, est bene agendo ei in omnibus consentire, seu ejus voluntati se conformare, quemadmodum in Genesi legitur Enoch ambulasse cum *Gen.* v, 24.
Deo. Qui autem hoc ipsum ferventer peregerit, non solum vadit, sed insuper currit cum Deo. Porro, hæc verba beatus Job non dixit, sed Eliu ea illi imponit : quia hinc inde quædam asseruit, ex quibus hæc sequi ipsi Eliu videbantur. Siquidem supra ait Job : Innocentem et impium ipse (vide- *Job* ix, 22.
licet Deus) consumit. Et iterum : Si fla- *Ibid.* 23.
gellat, occidat semel, et non de pœnis innocentium rideat. Rursusque : Si lotus *Ibid.* 30, 31.
fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Denique Job multipliciter probavit se justum, sicque cucurrisse cum Deo ; et tamen dixit ad eum, Arbitraris me *Ibid.* x..., 24.
inimicum tuum. Ex quibus Eliu intulit, quod Job dixerit se innocentem, et Deo nihilo minus displicentem. Verum (ut patuit) inducta hæc verba Job, non ita sunt intelligenda, ut Eliu interpretatur.

Ideo, viri cordati, id est magnanimes, fortes et intelligentes, *audite me,* quia tales verborum meorum capaces sunt, nec alii digni sunt me audire, ut Job vitiis passionibusque repletus, et ideo incorrigibilis manens. Sic Eliu sensit. Insipientes autem et vitiosi dicuntur non habere cor, juxta illud Jeremiæ : Audi, popule stulte, qui *Jer.* v, 21.
non habes cor. Osee quoque ait : Ephraim *Osee* vii...

Digitized by Google

quasi columba seducta, non habens cor. A

Prov. XI, 12. In Proverbiis quoque legitur : Qui despicit amicum suum, indigens corde est. In quibus verbis, cor pro intellectu seu ratione accipitur. Similiter formidolosi dicuntur non habere cor, quia in eis ratio passioni timoris statim succumbit.

Absit a Deo impietas mentis, *et ab Omnipotente iniquitas* operis. Hoc est quod

Ps. XCI, 16. ait Psalmista : Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. Etenim Deus sublimis et benedictus, naturaliter bonus est, essentialiter sanctus, pu- B re et infinite, substantialiterque perfectus, universæ bonitatis, sanctitatis atque justitiæ mensura, causa et ratio. *Opus enim hominis reddet ei,* id est, secundum exigentiam et meritum actionis seu vitæ hominis reddet ei, infligendo adversa, tribuendove prospera ; *et juxta vias singulorum restituet eis,* id est secundum affectiones et studia, quibus bene vel male egerunt. Sed quoniam virtus et vitium, meritum et demeritum, magis in interioribus quam exterioribus actibus constituuntur, ipsum- C que præmium essentiale in patria interiori atque elicito actui caritatis correspondet ; certum est quod in verbis Eliu atque similibus Scripturæ locis, per opus non solum exterior operatio designetur, sed quælibet actio hominis. Juxta quem modum

Joann. VI, 29. Christus loquitur Judæis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Denique, quamvis verba hæc Eliu vera sint, et multis locis Scripturæ conformia, tamen secundum sensum quem Eliu hic intendit, non semper veritatem sortiuntur. D Ideo namque hæc verba inducit, ut probet quod Deus non puniat quemquam in vita hac, nisi pro suis peccatis : quod jam supra frequenter patuit falsum.

Vere enim Deus non condemnabit frustra, id est sine ratione idonea, puta peccato, ut Eliu sensit : quod verum est, si ad finalem atque æternam condemnationem referatur; si vero intelligatur ut Eliu intendebat, quod Deus neminem in hac vita objicit seu exponit adversis et plagis, nisi pro suis peccatis, stare non valet. Nec huic verbo secundum quod verum est, obviat quod supra Dominus ait ad Satan :

Tu commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Absolute enim loquendo, Deus nullum frustra affligit. Quomodo tamen dicat se frustra sanctum Job afflixisse, in expositione secundi capituli requiratur. *Nec Omnipotens subvertet judicium.* Justus enim Dominus et justitias dilexit. Hinc Baldad disseruit : Numquid Deus supplantat judicium, et Omnipotens subvertit quod justum est ? Job II, 3. Ibidem. Ps. X, 8. Job VIII, 3.

Quem constituit alium super terram? id est, nullum alium præfecit terræ in principem, sed ipse omnium terrenorum provisor, judex et Dominus est. *Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ?* id est, alium non ordinavit mundi rectorem, sed ipse qui condidit omnia, regit. Sed his obviare videtur, quod ipsemet Christus ex parte naturæ assumptæ protestatur : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Matth. XXVIII, 18. Hinc, secundum doctores, anima Christi prælata et dominans facta est omni creaturæ, humanitatique Christi subjecta sunt omnia. Denique inferiora reguntur per superiora, sicut corpora cœlestia a suis motoribus, et terrena seu mixta et elementa, ab orbibus, planetis, et stellis. Unde, secundum Philosophum, oportet hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur. Imo superius dictum est : Terra data est in manus impii. Job IX, 24. Sed omnium horum atque similium una solutio est, quod scilicet Deus nullum constituit regem et principem, provisorem ac judicem terræ aut orbis alium, quam se tanquam principalem et propria auctoritate, voluntate et lege agentem ; sed hoc modo solus Deus præsidet universis. Alii vero quos sibi in quibusdam agendis substituit, sunt ministri ipsius, et velut instrumentales ac secundarii præsidentes, quibus desuper lex certa præfigitur, quam nisi sequantur, a summo Principe punientur. Sicque intelligenda sunt, quæ hic scribit Gregorius :

Digitized by Google

Per se mundum regit, qui per se hunc condidit. Unde Eliu verba ista induxit, ad demonstrandum quod mundus bene regatur, nec actus hominum injuste desuper judicentur : quia omnipotens Deus, si per se ipsum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit utique bene regit; et qui necdum facta creavit ut essent, quæ jam fecit non deserit. Hinc non licet ad alium appellare, ut quum Deus sit mensura et regula universæ æquitatis ac veritatis, eo ipso quo ipse aliquid agit, sequitur quod sit rectum et bonum, justum et verum. Unde judicia Dei aliquando occulta sunt, nunquam injusta.

Si direxerit ad eum cor suum, id est, si homo mentem suam ad Deum converterit, seu ad susceptionem gratiæ ejus aptaverit, faciendo quod in se est, juxta illud Threnorum : Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. (*Thren.* III, 40.) Itemque in Osee : Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. (*Osee* XIV, 2.) In Proverbiis quoque scriptum est : Hominis est animum præparare. (*Prov.* XVI, 1.) Et denuo ibidem : Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. (*Ibid.* 9.) *Spiritum illius*, id est mentem seu animam, *et flatum*, id est desiderium, quod flatui comparatur, quum sit quædam adspiratio ad desideratum; vel per flatum, designatur anima, quantum ad vires suas inferiores; *ad se trahet*, id est, Deus gratiose sibi conjunget, et per caritatem in se transformabit ac vertet; et quod homo per se ipsum non valet, Deus efficiet et complebit. Ideo monet Apostolus : Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. (*Hebr.* IV, 16.) Et Psalmista : Accedite, inquit, ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. (*Ps.* XXXIII, 6.) Ecclesiasticus quoque inducit : Quis invocavit illum, et despexit eum? (*Eccli.* II, 12.) Hinc per Jeremiam Dominus loquitur : Quis est iste qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi? (*Jer.* XXX, 21.) Præterea, curvatur cor, quum appetit ima; rectificatur vero, quum ad Deum dirigitur : et quo homo se ad divinam illuminationem ac inflammationem magis disponit, pœnitendo, orando, adspirando, seu aliis virtuosis exercitiis se parando; eo Deus eum gratiosius abundantiusque implebit, illustrabit, accendet.

Deficiet omnis caro simul, id est, Deo spiritum hominis ad se trahente, caro deficiet, et omnis carnalis affectio exstinguetur, corporaleque robur debilitabitur, juxta illud in Psalmo : Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei. (*Ps.* LXXII, 26.) Quo enim anima in divina plus transformatur ac rapitur, eo pars sensitiva et corpus in suis actibus amplius remittuntur ac debilitantur. *Et homo in cinerem revertetur*, id est, cinerem et pulverem se esse humiliter recognoscet : quia quo altius contemplando erigitur, eo propriam infirmitatem clarius intuetur. Denique comparatione divinæ potestatis spiritum hominis ad se trahentis, omnis virtus humana occumbit et deficit, ipseque homo per mortem in cinerem redit. Quemadmodum etiam Eliphaz dixit : Qui habitant domos luteas, consumentur velut a tinea. (*Job* IV, 19.)

Præterea, quidam exponunt hæc aliter. Si direxerit ad eum cor suum, id est, si Deus ad aliquem voluntatem suam direxerit ad eum destruendum, spiritum illius et flatum ad se trahet, id est, ab esse in corpore tollet, atque deficere faciet, ita quod caro prorsus corrumpetur, homoque morietur. Expositio ista videtur inepta, idcirco pertranseo.

Si ergo habes intellectum, id est intellectualem capacitatem ad ea quæ dico, o Job, *audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei* a me. In quibus verbis clarescit, quod Eliu rursus a sua superbia tactus sit, et de altitudine eloquentiæ atque scientiæ suæ inaniter elevatus. Hinc ait Gregorius : Habent hoc proprium arrogantes, ut quum acutum quid sentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, sensusque omnium in sui comparatione despiciant, et se in suo judicio aliorum meritis anteponant : quia dum minora incaute negligunt, ad majora perniciose prorumpunt. *Numquid qui non amat judicium*,

sanari potest? Hoc dupliciter potest exponi. Primo, quod qui judicium discretionis, quo inter bonum et malum, inter verum et falsum discernitur, non diligit, a vitiis non curatur. Talis enim est indiscretus, rationis judicio non acquiescens. Secundo, quod qui judicium Dei non amat, sed reprobat, in anima non sanatur. Per quod Eliu notat Job, quod nec anima nec corpore possit sanari, quia divino judicio se opponat, et informationi humanæ acquiescere spernat. Itaque debet homo rectæ rationis amare judicium, examinare et increpare se ipsum, aliorum recto judicio stare, in proprio sensu pertinax non manere.

Et quomodo tu eum qui justus est, scilicet Deum, *in tantum condemnas,* ut dicas eum subvertisse judicium tuum, teque mendaciter judicasse? Quod rursum Eliu erronee imponit beato Job. *Qui dicit regi, Apostata,* id est, impios reges Deus vocat apostatas, id est a Deo atque justitia apostatantes, ita quod Deus potestati aut personæ non defert contra justitiam, sed reges deponit, occidit, condemnat, juxta illud Ecclesia-
Eccli. x, 17. stici : Sedes ducum superborum destruxit Deus. *Qui vocat duces, impios,* dum impii sunt, ita quod Deus neminem timet, nullique cedit in derogationem veritatis. Dicit autem Gregorius : Unusquisque rector superbus, toties ad culpam apostasiæ labitur, quoties præesse hominibus delectatur. Sub quo enim sit, non considerat. Unde necesse est ut qui aliis præest, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat, et tantis se sciat vivere, quantis præ-
* præest esse *.

Qui non accipit personas principum, id est, contra justitiam eis non defert propter dignitatem principatus eorum. Unde
Num. xxv, 4. in Numerorum libro jussit omnes principes Israel suspendi in patibulis. Et Sapiens
Sap. vi, 7, 9. habet : Potentes potenter tormenta patientur; et : Fortioribus fortior instat cruciatus. *Nec cognovit tyrannum,* id est, eum non approbavit, nec causam ejus justificavit, *dum disceptaret contra pauperem,* id est, judicio contra eum injuste contenderet. Imo judicium sine misericordia facit Jacob. II, 13.
his, qui non faciunt misericordiam, præsertim pauperibus. His autem similia et majora locutus est Job, dicens : Balteum Job xii, 18, 19.
regum Deus dissolvit, et præcingit fune renes eorum; ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat. Multaque alia loquitur ibi, ex quorum prolixa elucidatione illic inducta, ista clarius patent. *Opus enim manuum ejus sunt universi,* id est, creaturæ Dei sunt parvi et magni, juxta illud in libro Sapientiæ : Pusillum et ma- Sap. vi, 8.
gnum fecit Dominus, et æqualiter ei cura est de omnibus.

Subito morientur, id est, justo Dei judicio repente et improvise de vita tollentur præsidentes iniqui, secundum illud Psalmi : Quomodo facti sunt in desolatio- Ps. lxxii, 19.
nem? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. *Et in media nocte curvabuntur populi,* id est, divina virtute humiliabuntur et dejicientur; *et pertransibunt,* id est, de vita ista ad aliam atque ignotam regionem transibunt. Potestque per mediam noctem, tempus illud nocturnum intelligi, vel quæcumque grandis adversitas et tempestas, vel ignorantia, ac vitiositas mentis. Hinc Isaias asserit : In- Is. ii, 17.
curvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. Est autem et curvatio seu curvitas bona, qua quis propriam parvitatem perpendens, deprimit semetipsum, humiliter de se sentiens, seque in cunctis spernens et vilipendens. Unde Baruch inducit : Anima quæ tristis Baruch ii, 18.
est super magnitudine mali, et incedit curva, dat tibi gloriam Domino. Per Isaiam quoque Deus promittit Ecclesiæ : Venient Is. lx, 14.
ad te curvi filii eorum qui detrahebant tibi. *Et auferent violentum absque manu:* id est, tyranni et violenti ab adversariis suis tollentur ac perimentur, quoniam contra tales frequenter excitatur seditio subditorum, vel occulte interficiuntur. Ideo subditur, Absque manu, id est insidiose, non potestative. Gregorius vero exponit, quod divina judicia auferunt violentum,

Digitized by Google

absque manu, id est invisibiliter, sicut in Daniele de Antichristo seu Antiocho scribitur, quia sine manu conteretur. Dan. VIII. 25.

Oculi enim ejus, scilicet Dei, sunt *super vias hominum*, id est, actus hominum intuentur; *et omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis*, id est, in Deo non sunt tenebræ ignorantiæ aut oblivio, quæ est velut umbra mortis. Similiter nec extra Deum sunt hujusmodi tenebræ, talisve umbra mortis, *ut abscondantur ibi*, id est in eis seu per eas, *qui operantur iniquitatem*, id est, peccatores lateant Deum. Nil enim occultare potest creaturam a Creatore. Istis, quia sæpissime dicta sunt, immorandum non reor. Deum omnia intueri, pensare et judicare, ideo tam frequenter profert Scriptura, ut hominibus timorem Dei, custodiam cordis, emendationem vitæ incutiat. Eccli. XXIII, 28; Prov. XV, 3. Unde in Ecclesiastico legitur: Oculi Domini multo lucidiores sole, in omni loco contemplantur bonos et malos. In Jeremia Jer. XVI. 17. quoque Dominus protestatur: Oculi mei super omnes vias eorum; non sunt absconditæ ab oculis meis.

Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad eum in judicium. Jam de violento asseruit, quod auferetur absque manu; et causam adjecit, quoniam oculi Dei sunt super omnes vias hominum: ideo pro peccatis debitas pœnas infligit. Quibus verbum istud subjunxit: Neque enim, etc. Unde ad litteram, de violento loqui videtur, vel de iniquo ac reprobo: ut sit sensus, quod ultra, scilicet postquam de vita sublatus est, et a Deo in suis iniquitatibus deprehensus, seu definitiva sententia condemnatus, non est in ejus potestate ut veniat rursus ad Deum in judicium disceptationis seu examinationis: quia non amplius ad judicium istud habet reduci, præsertim loquendo de particulari judicio. Gregorius vero exponit de judicio discretionis seu propriæ discussionis, quo homo in vita hac examinat judicatque se ipsum salubriter, atque per hoc venit ad Deum, ejusque gratiam, re-

A probando et castigando se ipsum. Post mortem autem non est in hominis potestate venire ad Deum, in seu per tale judicium, quia post mortem non est status merendi. Potest etiam ita exponi, quod ex quo Deus omnium habet notitiam, hinc post mortem [non] est in hominis alicujus potestate venire ad Deum in judicium, quia, velit nolit, ad divinum judicium trahitur, dicente Apostolo: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. II Cor. V. 10.

Conteret multos et innumerabiles, et B *stare faciet alios pro eis*, id est, Deus innumerabiles homines in sæculo isto sæpe occidet propter eorum peccata, quibus alios succedere faciet. Quod etiam spiritualiter facit, dum plurimos justo judicio gratia privat et perire permittit: aliis vero in illorum succedentibus locum, vitam naturæ et gratiæ confert. Hoc est quod supra dixit Job: Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit. Job XII. 23. *Novit enim opera eorum* vitiosa, notitia simplicis cognitionis, non approbationis, C quemadmodum in Amos fatetur: Cognovi multa scelera vestra. Amos V. 12. *Et idcirco inducet noctem*, id est æternæ lucis privationem, juxta illud in Isaia: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Is. XXVI. 10. In præsenti quoque nox, hoc est caligo peccati et ignorantiæ, seu privatio gratiæ, eis inducitur. Unde ait Apostolus: Non sumus noctis neque tenebrarum. I Thess. V. 5. *Et conterentur*, id est, corporaliter morientur, spiritualiterque peribunt. Hoc loco scribit S. Gregorius: Omne peccatum, quod tamen citius pœnitendo D non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum et pœna est peccati: quia justo judicio Deus omnipotens cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat. Hinc de quibusdam scribit ad Ro-

Digitized by Google

Rom. i, 21, 28, 24. manos primo Apostolus : Quum cognovisſent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut contumeliis afficiant corpora sua in se ipsis. In *Ps. lxviii, 28.* Psalmo quoque dicitur Deo : Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.

Quasi impios percussit eos in loco videntium : id est, præfatos innumerabiles homines malos Deus contrivit atque plagavit in sæculo isto, quod est viventium atque videntium mansio, ita quod coram aliis eos percussit, sicut decuit percuti B impios, vel sicut alios infideles sacrilegosque percussit. Sicque, Quasi, notare potest tam similitudinem quam veritatem. Ideo demum percutit Deus iniquos in loco videntium seu in conspectibus aliorum, ut illorum exemplo alii terreantur et emendentur. Hinc Albertus allegat Ptolemæum in Almagesti dicentem : Qui ad alios non corrigitur, alii corrigentur ad ipsum.

Qui quasi de industria recesserunt ab eo : id est, a Deo, et a luce justitiæ aversi sunt mente ex studio atque proposito vi- C tioso ; et peccaverunt non ex infirmitate, vel ignorantia pura, sed ex habitu pravo, ex certa malitia, ex deliberatione iniqua, excogitantes quasi industriose vias et media perpetrandi iniqua : quales sunt, qui concupiscentias suas conceptasque malitias studiose ad effectum perducere moliuntur, et præcepta Creatoris sui scienter transgrediuntur, atque in rebus creatis, caducis et vanis, carnalibus seu terrenis finem sibi constituunt, amorem defigunt, delectationem exquirunt, talia summo, im- D menso, ac incommutabili bono impiissime et insipientissime præferentes. De quibus *Jer. iv, 22.* loquitur Jeremias : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. *Prov. ii, 14.* Isti sunt qui lætantur quum malefecerint: *Ps. xxxv, 2.* quibus competit illud Psalmi : Dixit injustus ut delinquat in semetipso ; non est timor ante oculos ejus. *Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* id est, divina præcepta, consilia, testimonia, documenta cognoscere contempserunt. Vel si eas nude

A atque informiter sciverunt, aut scire optarunt ex vanitate ad commodum sui, non tamen eas scire voluerunt notitia formata et efficaci, de qua in prima sua epistola ait Joannes : Qui dicit se nosse Deum, et *I Joann. ii, 4.* mandata ejus non custodit, mendax est. Horum ignorantia inexcusabilis est, gravans et affectata, quemadmodum Judæorum : de quibus ait Salvator : Si non ve- *Joann. xv, 22.* nissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent. Cujus causam subjungens : B Viderunt, inquit, et oderunt me et Patrem *Ibid. 24, 25.* meum gratis. Illorum ergo sequuntur malitiam, qui veritatis odiunt instructorem.

De hac materia dicta sunt plura in superioribus; ubi etiam verbum istud sententialiter continetur, quum dicitur : Qui *Job xxi, 14.* dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Sed occurrit hic dubitatio una, quæ solet quosdam movere, quomodo scilicet aliquis peccet ex certa scientia atque malitia, seu ex deliberatione, et velut industria, quum tamen se- C cundum beatissimum principem theologorum, divinum Dionysium, nullus respiciens ad malum, operetur ; et juxta Philosophum, omnis malus sit ignorans. Secundum quem, etiam objectum appetitus, est bonum, ita ut malum (secundum quod tale) appeti nequeat. Et respondendum, quod nullus appetit aut efficit malum culpæ, in quantum est malum, sed in quantum est apparens bonum. Nisi enim videretur aliquo modo bonum, videlicet ad aliquid utile et delectabile, nullatenus ap- D peteretur, nec fieret. Propter quod Salomon loquitur : Omnis viri via, recta sibi *Prov. xxi, 2.* videtur. In quantum ergo peccator judicat aliquo modo bonum, quod vere est malum, errat atque ignorans vocatur. Hinc, secundum Philosophum, notitiam veri quam homo in generali sinceriter habet, passio seu malitia in particulari obtenebrat, ita quod caret scientia actuali formata, quæ dicitur practica et boni efficaciter approbativa. Itaque peccat quis ex deliberatione et certa scientia, quia quod agit, novit

Digitized by Google

esse illicitum, et tamen id facere decrevit, loquendo de informi et nuda notitia : nihilo minus caret formata et actuali notitia sive scientia. Illa quoque informis notitia in particulari facto, ignorantiæ et errori alicui permiscetur, ut dictum est.

Sic ergo perversi quasi de industria recesserunt a Deo, ejusque vias intelligere noluerunt, *ut pervenire facerent ad eum clamorem,* id est querelam, fletum, orationem, *egeni,* quem impie oppresserunt, *et audiret* Deus, id est, per effectum et exauditionem cognoscere se monstraret, *vocem pauperum* ab impiis afflictorum. Itaque, Ut, concomitanter, non causaliter, hic tenetur. Ex hoc enim quod perversi se tam impie habuerunt, consequitur quod Deus magis attendit seu audit vel vindicat eos qui opprimuntur ab illis. Unde in Genesi
Gen. IV, 10. ait ad Cain : Vox sanguinis fratris tui cla-
Exod. III, 9. mat ad me. Et in Exodo : Clamor filiorum Israel venit ad me : quia videlicet ab Ægyptiis opprimebantur crudeliter.

Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? id est, si Deus dederit alicui pacem pectoris in præsenti, vel pacem æternitatis in futuro, quam potissime dat pauperibus et oppressis, nullus poterit electum hunc Dei damnare ; quod si Deus concesserit pacem temporis, nullus poterit temporaliter perturbare, Deo resistere, ejus propositum opusque impedire. Sic et
Rom. VIII, 31. Apostolus ait : Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Ex quo absconderit vultum* suum, id est, gratiam contemplationis atque præsentiæ suæ gratiosam serenitatem abstraxerit : quod etiam bonis aliquando dispensative quodammodo facit ; *quis est qui contempletur eum?* Nullus plane, quia ad contemplationem summæ et incomprehensibilis veritatis, ad intuendam pulchritudinem Dei, ad delectandum in eo sinceriter, requiruntur gratia gratum faciens, caritas, donumque sapientiæ. *Et super gentem et super omnes homines,* id est, tam in qualibet gente, quam in tota hominum multitudine seu in hominibus singulis, istud dictum locum et veritatem sortitur,

A quod scilicet Deo pacem donante, non est qui damnet ; et si vultum suum absconderit, non est qui hominem consoletur. Hoc patet (secundum Gregorium) in gentilitate conversa, et in Synagoga relicta. Nullus ergo suis viribus gratiam contemplationis adscribat.

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Deus indignos, insufficientes, inidoneosque prælatos seu principes aliis præficere dicitur permissive magis quam effective, nisi forte in
B quantum per impios præsidentes corrigit et emendat vitia subditorum, electos purgans subjectos per rectores iniquos. Hinc per Isaiam ait : Dabo pueros principes eo- *Is.* III, 4.
rum, et effeminati dominabuntur eis. Atque in Osee : Dabo tibi regem in furore meo, *Osee* XIII, 11.
et principes in indignatione mea. Hoc ergo propter populi fit peccata. Denique, quod interim particulariter agitur, in fine sæculi generalissime durissimeque complebitur, quando propter Judæorum totiusque mundi excessus, homo peccati, filius per-
C ditionis Antichristus, mundi monarchiam suscipiet. De quo Judæis locutus est Christus : Ego veni in nomine Patris mei, et *Joan.* V, 43.
non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. De quo ad Thessalonicenses scribit Apostolus : Mittet illis *II Thess.* II, 10.
Deus operationem erroris, ut credant mendacio, eo quod caritatem veritatis non receperunt.

Hinc ait Gregorius : Nullus qui injustum rectorem patitur, illum immoderanter accuset, quoniam sui fuit meriti, perversi
D rectoris subjacere ditioni : culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernantis. Sic quoque secundum merita subditorum, tribuuntur personæ regentium, ut sæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur, sicut de Saule primo Regum habetur. Iterum, *I Reg.* XV.
sic pro qualitatibus subditorum aliquando disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis, delinquat etiam vita boni pastoris, ut patet de David in numeratione *II Reg.* XXIV, 1-15.
populi : cujus culpam ideo populus luit.

Digitized by Google

II Reg. xxiv, 10. Sed quia ipse David culpa in hoc ipso non caruit, nam voluntarie superbiens fuit, Ibid. 17. hinc et ipse punitus est : quia intimo dolore atque ingenti timore angelum intuendo, et populi sui plagam cernendo, fuit prostratus. Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela est subditorum, non temere judicare vitam regentium, sed propriam infirmitatem incessanter pensare. Sæpe etenim quia de nobis ipsis fortia credimus, prælatos nostros districte judicamus. Quo enim nos ipsos minus cognoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur, plus videmus. Hæc atque similia multa, pulchra ac valde utilia, circa hunc locum scribit Gregorius de his, quæ præsidentes subditosque concernunt, et quomodo quilibet eorum de se ipso humiliter æstimare et ad alium habere se debeat : quæ in Gregorio requirantur.

Postremo, Eliu ideo verbum istud induxit, ut insinuaret ipsum Job fuisse hypocritam, et propter populi sui peccata, divina permissione regnasse.

Consequenter alloquitur sanctum Job. *Quia ergo locutus sum,* probando intentum, *ad Deum,* id est ad ipsius honorem, atque finaliter propter eum, ad quem etiam aliquando direxi sermonem, *te quoque non prohibeo* loqui. Disputantium enim est, se invicem audire. *Si erravi, tu doce me.* Condisputantes etenim dociles esse debent, non pertinaces. Ideo si unus alio quid melius novit, alter acquiescere debet. Nec propter victoriam aut laudem inanem, sed propter veritatis notitiam et virtutis profectum disputatio fieri debet ex caritate. *Si iniquitatem locutus sum,* id est verba iniqua, *ultra non addam :* quia peccatis præteritis non sunt nova addenda, sed de illis dolendum, et de futuris cavendum, Eccli. xxi, 1, 2. secundum illud Ecclesiastici : Fili, peccasti? ne adjicias iterum, sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur, et quasi a facie colubri fuge peccata. Præterea (juxta Gregorium) consuetudo arrogantium est, tunc auditores de verborum suorum errore inquirere, quum se noverint non errasse, sed fortia quædam dixisse, ut de ipsa inquisitione laudentur : qui tamen de errore argui aspernantur, dum errasse noscuntur.

Numquid a te Deus expetit eam? id est, si loquendo iniquitatem incurri, hanc Deus exquiret a me, non a te : quoniam ego pro ea rationem dare et pœnam perpeti exigar, non tu ; *quia displicuit tibi* iniquitas mea vel sermo meus. Ideo pro meo peccato non punieris : sicut frequenter unus fit particeps culpæ alterius per consensum ad illam. Quasi dicat : Non debes de verborum meorum prosecutione turbari, quia si in eis excedo, egomet puniar. Unusquisque enim, teste Apostolo, pro se ipso rationem reddet. Rom. xiv, 12. Ad quod insuper aliam rationem adducit : *Tu enim cœpisti loqui,* id est, occasionem huic disputationi dedisti, dicendo, Pereat dies in qua natus sum, etc., *et non ego.* Job iii, 3 et seq. Hoc etiam Eliu ait, quoniam culpabiliores esse solent qui in contentionibus inchoant, quam qui respondent. *Quod si quid melius nosti, loquere :* quod dicit, non putando quod Job aliquid melius ipso sciret, sed ut eum magis confunderet. Imo ad ostendendum insipientiam sancti Job, superbe mox subdit :

Viri intelligentes loquantur mihi, quia tales dumtaxat digni et apti sunt mecum conferre et disputare; *et vir sapiens audiat me,* quia talis solum capax est sententiæ verborum meorum. Quasi dicat : Iste Job propter passiones et vitia sua, indignus est me alloqui et audire. Hinc subditur : *Job autem stulte locutus est :* quum tamen jam dictum sit, In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. Ibid. i, 22; ii, 10. *Et verba illius non sonant disciplinam,* id est, non indicant eum moralem, reformatum et disciplinatum, nec continent veram doctrinam : imo ostendunt, quod sit penitus vitiosus. Siquidem minus dicit, et magis significat. In quibus verbis rursus Eliu præsumptionem suam arrogantiamque demonstrat. Verumtamen consequenter zelum Dei habere se simulat.

Pater mi, id est, o Deus creator, ratione conditionis et gubernationis Pater, *probetur Job usque in finem,* id est, usque ad mortem adversitatibus exerceatur, quousque ab errore cessaverit, et veritas tua ei per flagella ista probetur, quia per rationem instrui dedignatur. *Ne desinas ab homine iniquitatis,* hoc est, non cesses impium istum percutere, quia non emendatur verberibus, qui tantæ est impietatis, quasi homagium fecerit ipsi peccato. Unde Antichristum Apostolus hominem peccati appellat. (II Thess. II, 3.) *Qui addidit super peccata sua* alia multa et magna, *blasphemiam :* quæ est impositio falsi criminis in Deum, a quo se perhibet injuste judicatum et cæsum. *Inter nos interim constringatur,* id est, pœnis coarctetur, et flagellis cingatur, ut se

A libere movere non queat; *et tunc,* id est ita constrictus, *ad judicium* ultionis, videlicet pœnas condebitas divino judicio infligendas, *provocet sermonibus suis* blasphematoriis *Deum,* id est, causam pœnarum harum Deo ministret : non quod quietissimus et invariabilis Deus nostris vitiis aut modo aliquo provocetur; sed quoniam ob nostra peccata tales nobis pœnas infligit, quasi per hæc provocatus exsisteret. In tantum enim hoc est, ut etiam ira et furor ei ob similitudinem operis adscribantur.

B Porro quod ait, Provocet sermonibus suis Deum, non imprecative seu optative, sed ironice dixit. Quasi dicat, Obstinatus et incorrigibilis est, ideo peccet et agat quod vult : quemadmodum in Apocalypsi dicitur, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. (Apoc. XXII, 11.)

ARTICULUS LXIII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TRICESIMI QUINTI : IGITUR ELIU HÆC RURSUM LOCUTUS EST.

I*GITUR Eliu hæc rursum locutus est.* Eliu multis argumentationibus usus est, et vicissim intento concluso, paulisper conticuit, dans locum respondendi beato Job. Quo silente, Eliu arbitrans eum, vel ex ignorantia, vel ex indignatione tacere, disputationem suam resumpsit, ipsumque Job acriter impugnavit, quia se victum non fatebatur, nec culpabilem affirmabat. *Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres,* illam verbis prodendo, *Justior Deo sum? Dixisti enim : Non tibi,* o Deus, *placet quod bonum est,* id est vita seu actio virtuosa. Verba ista beatus Job non deprompsit formaliter, imo nec virtualiter; sed Eliu asserit eum ista dixisse, quia sequebantur ex præhabitis verbis Job, secundum quod ea Eliu intellexit. Siquidem superius ait Job : Quis mihi tribuat, ut veniam usque ad solium ejus (scilicet Dei)? (Job XXIII, 3, 4, 6, 7.)

C Ponam coram eo judicium. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum. Ex quo sequi videtur, quod secundum sincerum processum justitiæ, Job in causa judiciali contra Deum prævaluisset, sicque senserit Deo esse se justiorem. Sed ad quem sensum verba illa protulerit, ibidem expositum est. Quod autem Job dixerit Deo, Non tibi placet quod justum est, Eliu sumpsit ex eo, quod Job

D superius dixit : Si fuero justus, non levabo caput, videlicet quasi non habeam spem placendi Deo per hoc. (Job x, 15.)

Vel dixisti Deo : *Quid,* id est aliquid, *tibi,* o Deus, *proderit, si ego peccavero.* Vel legendum est hoc interrogative, eritque sensus : O Deus, quid proderit tibi, si ego peccavero? tanquam dicat : Placet tibi ut

Digitized by Google

peccem, quasi hoc tibi prosit; et tamen A quid tibi hoc potest prodesse? Sic itaque Eliu imponit beato Job errorem illorum, qui dixerunt Deo nostram iniquitatem placere, quasi sibi ad aliqua utilem, ut scilicet ipse ex ea justior appareret, eamque ulciscendo, suam declararet justitiam : ad quod aliqui allegaverunt illud Psalmistæ,
Ps. L, 6. Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Contra quorum errorem Apostolus ad Roma-
Rom. III, 7. nos tertio disputat, inter reliqua dicens : Si Dei veritas in meo mendacio abundavit in B gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator judicor? Præterea, verbum istud Eliu imponit beato Job, quia superius di-
Job X, 14. xit Deo : Cur mundum me esse non pateris?

Itaque ego respondebo sermonibus tuis, quibus te justum probasti, ostendendo quod falsi sint; *et amicis tuis tecum,* id est tribus viris istis, qui a te convicti et tibi nunc consentientes, pariter tecum sunt reprobandi.

Suspice cœlum, id est orbes cœlestes et C stellas, seu cives supernos, *et intuere* naturam, cursum, dignitatem, actionem et perfectionem omnium horum; *et contemplare æthera quod altior te sit :* id est, ex consideratione creaturarum istarum Dei altissimi, perpendere potes, quod Deus sit justior, altior, perfectior, sanctior, sapientior quam tu; sitque extra sphæram et ordinem activorum et passivorum, ita quod malum in eum cadere nullatenus possit.
Rom. I, 20. Invisibilia etenim Dei (secundum Apostolum) ex creatura mundi cognoscuntur. Et D
Sap. XIII, 5. in libro Sapientiæ scriptum est : A magnitudine speciei et creaturæ, poterit creator horum cognoscibiliter videri. Unde et ab
Is. XL, 26. Isaia admonemur : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Omnia equidem condidit Deus omnipotens perfectionaliter infinitus, ut sua in eis reluceret perfectio, atque ex creaturarum ordinisque earum consideratione, ipse a rationali creatura honoraretur. Propter quod
Prov. XVI, 4. in Proverbiis dicitur : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Ecclesiastes quoque ait : Fecit Deus opera sua ut ti- Eccle. III, 14.
meatur. Denique, quamvis omne creatum finitum sit : omnia etenim in numero, Sap. XI, 21.
mensura, et pondere Deus creavit; nihilo minus ex creaturarum speculatione cognoscitur Creator esse immensus, hoc est infinitæ perfectionis in potestate, bonitate et sapientia. Ideo Eliu admonet ipsum Job ad cœli et ætheris seu aeris intuitionem. Quasi dicat : Si illa, o Job, rite consideras, cognoscis quod Deus sit te justior et absolute perfectior infinite. Ideo ei nec obesse vales, neque prodesse. Hinc subditur :

Si peccaveris, quid ei nocebis, qui invariabilis impassibilisque consistit? *Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum,* id est in nocumentum ipsius seu minorationem perfectionis et beatitudinis ejus? Quamvis enim Deus in Scripturis frequenter perhibeat se ex hominum peccatis ad iracundiam provocari; imo in Isaia testatur : Laboravi sustinens. Is. I, 14.
Et rursus : Præbuisti mihi laborem in ini- Ibid. XLIII, 24.
quitatibus tuis. Itemque in Genesi de Deo Gen. VI, 5-7.
asseritur, quod videns iniquitatem hominum, tactus dolore cordis intrinsecus, dixit : Pœnitet me fecisse hominem. Et per Malachiam loquitur : Si configet homo Malach. III, 8.
Deum, quia vos configitis me? Quamvis (inquam) ista atque similia in Scriptura veritatis contenta sint, non tamen ita dicuntur, quasi divina mens infinitæ tranquillitatis et gloriæ suæ internæ usquam sustineat detrimentum; sed propter similitudinem operis ejus ad extra, talia asseruntur. Ideo in Jeremia legitur : Numquid Jer. VII, 19.
me ad iracundiam provocant? dicit Dominus; nonne semetipsos in confusione vultus sui?

Porro, si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? id est, perfectioni ejus nihil adjicies, nec aliquid quo perficiatur, a te sumet. De quo ait Psalmographus : Dixi Domino : Deus meus Ps. XV, 2.
es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec obstat quod in Jeremia scriptum est : Date gloriam Domino Deo vestro, antequam Jer. XIII, 16.

Digitized by Google

contenebrescat ; et in Apocalypsi : Regnavit Dominus Deus noster omnipotens : gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei. [Apoc. xix, 6, 7.] Talia quippe dicuntur, non quod demus Deo quod ipse non habet, aut quo caret vel indiget ; sed quia quod tenemur, vel ab ipso accepimus, ei exsolvimus, quemadmodum primo Paralipomenon David loquitur Deo : Quis ego et quis populus tuus, ut possimus tibi ista promittere? Tua enim sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. [I Par. xxix, 14.]

Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua. Culpa unius, alteri non nocet nocumento culpæ, ita quod propter peccatum unius, alter reddatur culpabilis culpa personali et propria, cui pœna sensus debeatur, nisi alter ex peccato alterius inducatur ad culpam, personaliter peccans per impatientiam, iram, consensum, aut simili modo. Sed peccatum uniuscujusque in proprium redundat auctorem. Propter quod Ecclesiasticus ait : Qui fodit foveam, incidet in eam; et facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. [Eccli. xxvii, 29, 30.] Ecclesiastes quoque : Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. [Eccle. x, 8.] Quomodo ergo impietas unius nociva est alteri ? Et respondendum, quod impietas, id est impia et crudelis seu vitiosa actio unius, nociva est alteri directe nocumento pœnæ seu damno pœnali, inferendo damnum in persona, substantia, fama, aut sobole, ut patet de homicidio, oblocutione et furto. Interdum etiam et quasi indirecte, culpa unius nocet alteri nocumento culpabili, in quantum est sibi occasio delinquendi. Immediate tamen alter non incidit culpam personalem, nisi per propriam voluntatem, secundum Augustinum, dicentem quod peccatum adeo est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum.

Et filium hominis adjuvabit justitia tua. Virtus enim et perfectio unius alteri, imo et multis prodest, bonum exemplum præstando, veniam et gratiam impetrando, ad cautelam providam inducendo, ab erroribus corrigendo, ad veritatis notitiam perducendo. Ideo Jacobus monet : Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. [Jacob. v, 16.] Et in Ecclesiastico scriptum est : Videte quia non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus sapientiam. [Eccli. xxiv, 47 ; xxxiii, 18.] Denique, quomodo impietas unius noceat alteri, atque justitia unius alium juvet, præcipue constat ex eo quod ad Romanos ait Apostolus de Adam et Christo : Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituentur multi. [Rom. v, 19.] Postremo, hoc loco, inter hominem et filium hominis, non oportet differentiam realem inducere. Siquidem in toto hoc libro rhetorice scripto, eadem res atque sententia sub aliis verbis frequenter exprimitur.

Insuper, quæ induxit, consequenter et explanat. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt,* id est, calumniam patientes dolorose vociferabuntur, et a Deo vel ab homine auxilium postulabunt propter injuriam et violentiam eis a calumniatoribus factam : sicut filii Israel clamaverunt ad Dominum in Ægypto, propter multitudinem Ægyptiorum calumniantium eos. [Exod. ii, 23.] Talis autem clamor venit interdum ex zelo justitiæ, prout in Evangelio ait Salvator : Deus non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte? [Luc. xviii, 7.] tanquam dicat, Imo utique faciet. Nam subjecit, Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. [Ibid. 8.] Juxta hanc expositionem, quod dicitur, Calumniatorum, active accipitur. Potest quoque sumi passive, eritque sensus : Propter multitudinem calumniatorum, id est injuriam violentiamque passorum, clamabunt calumniatores, quando pro suis peccatis debita sustinebunt tormenta. Prima tamen expositio sequentibus amplius consonat. Nam sequitur : *et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum,* id est, impotentiores et inopes flebunt propter oppressionem et contumeliam eis a tyrannis et duris illatam. Quod spiritualiter sumi potest. Quemadmodum enim quidam corporalia damna inferunt, persua-

Digitized by Google

dendo aut opprimendo; sic quidam spiritualiter nocent ad vitia inducendo, blandiendo aut perterrendo. Unde, secundum Augustinum, duplicem aciem mundus producit adversus Dei electos seu martyres. Nam blanditur ut fallat, terret ut vincat.

Et non dixit : Ubi est Deus qui fecit me? Hoc quidam singulariter trahunt ad Job, ita quod Eliu dicere voluit, quod Job contradicendo divinæ justitiæ, et in adversis cedendo impatientiæ, non attendit divinæ majestatis præsentiam, nec pensavit Deum esse suum factorem et omnium justissimum conditorem. Insuper, indeterminate accipi potest, quod quicumque in adversis deficiens, non dicit verbo seu facto, Ubi est Deus qui fecit me? id est, in ipso non sperat, et ejus adsistentiam non perpendit, neque præsentiam intuetur. Hinc dicit Gregorius : Quisquis adversitatum tribulatione frangitur, a quo factus sit, minime contemplatur. Nam Deus, qui quod non erat, fecit, factum sine gubernatione non deserit; et qui benigne hominem condidit, nequaquam cruciari injuste eum permittit. Nunquam ergo injuste nos tribulari putemus. *Qui dedit carmina in nocte*, id est cantica jucunda seu consolationem in adversitate : quia per gratiam suam dat Deus electis adversa cum gaudio ferre, prout Jacobus monet : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Et Paulus ait : Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Christus quoque hortatur : Gaudete in illa hora, et exsultate. Hinc dicit Gregorius : Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione : quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe æternorum gaudemus. In quibus verbis Eliu notat Job, quod in tribulationibus suis non debuit sic tristari. Vel sic : Qui dedit carmina, id est psalmos et spiritualia cantica ac revelationes per modum carminum scriptas; in nocte, id est in sæculo et caligine ignorantiæ vitæ hujus. Vel, ad litteram, In nocte, quando revelationes divinæ communius fiunt, exterioribus (ut dictum est) sensibus quietatis. Talia carmina in

Jacob. I. 2. — *Rom.* XII. 12. — *Luc.* VI. 23.

A libro Justorum poterant contineri, de quo Scriptura canonica facit aliquando mentionem. Unde Albertus : In nocte, inquit, ignorantiæ hujus prima carmina de Deo fuerunt, illud Catonis allegans :

Josue X. 13; II *Reg.* I, 18.

> Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.

Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos. Illa enim sunt irrationalis naturæ, in quibus nec intellectus, nec ratio est, sed sola sensitiva cognitio. Hominibus autem contulit intelle-B ctum, quo inter verum et falsum, bonum et malum discernunt, a particularibus abstrahunt, immaterialia, insensibilia et divina cognoscunt, studendo proficiunt, unum ex alio considerant et concludunt. Insuper, Deus homines erudivit per legem scriptam et evangelicam, per illuminationem angelicam, per instructionem divinam; unum quoque hominem per alium multipliciter erudit : quod per Apostolos præcipue fecit, quemadmodum Paulus testatur, Corripientes, inquiens, omnem hominem, et C docentes omnem hominem in omni sapientia. Spiritualiter, per jumenta terræ, designantur homines carnalibus vitiis dediti; per volucres cœli, notantur superbi et curiosi : qui divinarum illustrationum capaces non sunt. Unde super illos, seu plus quam illos, Deus instruit virtuosos ac spirituales, quorum unum Eliu esse se sensit. Postremo, dispositioni animæ rationalis, qua inferioribus formis per rationem præfulget, etiam corporis dispositio correspondet. Non enim ut cetera animalia, habet D homo corpus et vultum prona in terram, sed elevata ad cœlum, ut ex hoc perpendat se propter cœlestium ac divinorum contemplationem plasmatum, sicque terrenis et carnalibus spretis, ad superna feratur. Hinc Ovidius ait :

Coloss. I, 28.

> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Ibi, videlicet in tribulatione, secundum Gregorium; vel, Ibi, id est, quia eruditioni qua Deus homines erudivit, non acqui-

Digitized by Google

everunt; *clamabunt* vitiosi atque feroces dignis plagis percussi, *et non exaudiet* eos Deus, *propter superbiam malorum,* id est propter eorum arrogantiam in qua manserunt, ac divinis præceptis fuerunt rebelles : ita quod non pœnituerunt veraciter, nec ex amore Dei, sed ex privato amore ac servili timore procedit clamor oratioque ipsorum. Unde in Proverbiis Dominus de talibus protestatur : Tunc (scilicet in adversitatis necessitatisque tempore) clamabunt, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint. Et Psalmista fatetur : Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos. Itaque, qui desuper cupit audiri, nequaquam remaneat in affectu peccati, nec in voluntate peccandi; sed ex corde pœniteat et emendet, atque ad Deum mentaliter amorose conversus, ac justitiam zelans, preces fiducialiter fundat indesinenter. Hinc in Isaia Dominus loquitur : Si quæritis, quærite; convertimini et venite : hoc est, si me quæritis, vere et ex corde me quærite.

Prov. I, 28, 29. — *Ps.* XVII, 42. — *Is.* XXI, 12.

Non enim frustra audiet Deus. Superius dixit, quod calumniam patientes seu injuriati, clamabunt et ejulabunt : quorum Deus audit clamorem. Deinde subjecit, quod Deus vitiosos et oppressores aliorum non audiet : cujus rationem assignans, nunc ait, Non enim frustra audiet Deus. Itaque sensus est, quod Deus non frustra audiet clamorem, precem et gemitum afflictorum; sed pie atque salubriter eos exaudiet : quorum clamorem frustra audiret, si et oppressores eorum in suis precibus exaudiret, præsertim quia (ut dictum est) oppressi, ex zelo justitiæ orant Deum, ut adversariorum suorum impietatem ac ferociam debite ulciscatur. *Et Omnipotens causas singulorum intuebitur,* id est, actus, negotia, necessitates, vota, preces et studia omnium considerabit, imo indesinenter considerat, ut omnia juste judicet et disponat. Circa quod scribit Gregorius : Nemo qui tardius exauditur, credat quod

A a superna cura negligitur. Sæpe enim quod impleri velociter petimus, ex ipsa tarditate melius prosperatur.

Etiam quum, o Job, *dixeris, Non considerat,* id est, Deus hominum acta non pensat, nec judicat; *judicare coram illo,* id est, coram Deo judica per rectam rationem te ipsum, omnia tua discutiendo, et invenies quod Deus providentiam actuum habeat humanorum, et quod per tuos excessus justo ejus judicio sis percussus. Vel, Judicare coram illo, id est, ab eo utique judi-

B caberis, et per damnationis tuæ experientiam scies, quod Deus cuncta consideret. Ideo subditur : *et exspecta eum.* Quasi dicat, Tempore suo videbis quantum erraveris : juxta illud Machabæorum, Sustine, et videbis qualiter te Deus torquebit. *II Mach.* VII, 17.

Nunc enim non infert furorem suum, id est, in hac vita Deus peccatores longanimiter tolerat, et pœnitentiam eorum patienter exspectat. Flagella quoque quæ hic infert, ex misericordia prodeunt, et ad correctionem hominum communiter or-

C dinantur : quoniam pœnæ vitæ præsentis medicinales dicuntur, tanquam ad correctionem patientium ordinatæ; quamvis interdum contingat oppositum in quibusdam, quos Deus in vita hac horribiliter plagat, et æternaliter insuper damnat, ut in Pharaone et suis, in Dathan et Abiron innotescit. *Nec ulciscitur scelus valde,* id est, peccata hominum in sæculo isto non vindicat secundum rigorem suæ justitiæ, nec multum districte, sed citra condignum et pie nunc punit et admonet per adversa, *Exod.* XIV, 28; *Num.* XVI, 27, 31-33.

D juxta illud Sapientiæ : Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Hæc autem Eliu introducit contra ea quæ superius Job induxit, in quibus asseruit se ultra quam meruit flagellatum, et quod contra eum furor Dei esset iratus. Præterea, juxta Gregorium, Deus diu nunc impios tolerat, quoniam æternaliter damnat; et furorem suum nunc inferre dissimulat, quia effundendum sine fine in posterum servat. Eant ergo nunc reprobi, et *Sap.* XI, 24.

Digitized by Google

voluptatum suarum desideria inulta iniquitate consumment; atque eo temporalia flagella non sentiant, quo supplicia eos æterna exspectant.

Ex præinductis concludit : *Ergo Job frustra aperit os suum,* quia quod loquendo intendit ostendere, non potest firmis rationibus comprobare. Sed oppositum jam probavi. *Et absque scientia verba multiplicat,* id est, indiscrete et insipienter est A garrulus, quemadmodum in Ecclesiaste legitur : Stultus verba multiplicat. Porro, *Eccle.* x, 14. secundum Gregorium, proprium arrogantium esse solet, ut pauca credant, quæ ipsi multa dixerint, et multa credant, quæ ipsis pauca dicuntur. Quia enim sua semper dicere volunt, aliena audire non possunt; vim se pati existimant, si ea quæ immoderate sentiunt, immoderatius non effundant.

ARTICULUS LXIV

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : ADDENS QUOQUE ELIU.

ADDENS *quoque Eliu, hæc* etiam *locutus est.* Tacente beato Job, Eliu positionem suam multipliciter confirmare curavit, et nunc in isto capitulo aliis rationibus probat idem, quod superius jam probavit. *Sustine me paululum,* id est, patienter me audi paulisper, quia succincte loquar, *et indicabo tibi* quod verum est, et quod scire te convenit. *Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar,* id est, alias intueor rationes ad defendendum justitiam Dei, cui tu derogas, dum te ipsum præsumptuose justificas. *Repetam scientiam meam a principio,* id est, ea quæ ab exordio hujus disputationis meæ locutus sum de ista materia, nunc de novo plenius prosequar, eademque cum clariori probatione resumam; *et operatorem,* id est Deum creatorem, *meum probabo justum. Vere enim absque mendacio sermones mei.* Verumtamen Eliu iste nonnunquam false conclusit, et ex veris præmissis contra Job inania intulit. *Et perfecta scientia probabitur tibi :* id est, probabo tibi, quod scientia mea quam de Deo et ejus providentia, æquitate, judicio habeo et propono, sit integraliter vera, et in genere suo perfecta, videlicet quantum spectat ad viatorem meumque B statum. Perfectum quippe pluribus dicitur modis.

Consequenter probat rectitudinem divini judicii. *Deus potentes non abjicit,* id est, ea ratione qua potentes sunt, eos non detestatur, nec odit, repellit aut damnat, *quum et ipse sit potens,* imo omnipotens. Non enim odit aut abjicit eos ob id, vel per id, in quo ei assimilantur : quoniam similitudo per se est causa dilectionis, secundum illud Ecclesiastici, Omne *Eccli.* XIII, 19. animal diligit simile sibi. Quum ergo potentes per potentiam Deo assimilentur, a quo illam etiam sortiuntur, prout ad Romanos legitur, Non est potestas nisi a Deo; *Rom.* XIII, 1. constat quod ratione potentiæ eos non abjicit, sed quia abutuntur potentia : qua si bene utantur, eos acceptat, ut Samsonem, David, Judam Machabæum. Simili modo divites non abjicit, quum et ipse sit dives. Porro quod Sapiens habet, Potentes potenter tormenta patientur, et, Fortioribus *Sap.* VI, 7. fortior instat cruciatus, de potentibus et *Ibid.* 9. fortibus sua potentia abutentibus dictum est : quemadmodum et quod loquitur Christus, Possibilius est camelum intrare per *Matth.* XIX, 24. foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

Digitized by Google

Sed non salvat impios impœnitentes : id est, si potentes abjicit et condemnat, hoc est propter impietatem eorum : in quo notat, quod Job qui tempore sanctitatis potentissimus fuit, propter sua sit abjectus et cæsus peccata. Sed argumentum istud nihil concludit. Quamvis enim Deus potentes justos non abjiciat, spiritualia dona eis tollendo aut damnationem infligendo ; tamen quantum ad temporalem tribulationem et exteriorum bonorum privationem, eos aliquando abjicit seu quasi relinquit, propter majorem eorum profectum, et ob alias causas frequenter expressas. *Et judicium pauperibus tribuit.* Deus enim est pauperum specialis adjutor et judex in bonum eorum, juxta illud Psalmi : Tibi derelictus est pauper. Et item : Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum. Injuriam etiam pauperum singulariter vindicat. (*Ps.* IX, 35. *Ps.* LXXI, 4.)

Non aufert a justo oculos suos, id est, pietatis suæ respectum non subtrahit justis, imo per complacentiam respicit eos, et gratiose conservat ac diligit, etiam dum eos adversitatibus tribulationibusque exponit, juxta illud Psalmi : Cum ipso sum in tribulatione. (*Ps.* XC, 15.) *Et reges in solio,* id est throno regali, *collocat in perpetuum,* id est per omne tempus vitæ eorum, si potestate sua bene utantur, quemadmodum in Proverbiis inducitur : Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. (*Prov.* XXIX, 14.) Potestque perpetuatio ista ad successores regum referri, dummodo et successores hujusmodi justitiam patrum suorum sectentur. *Et illic eriguntur* potestate regali, vel elatione superbiæ. *Et si fuerint in catenis,* id est, propter suam iniquitatem et pompam humilientur et captiventur, catenisque constringantur, *et vinciantur funibus paupertatis,* id est, quibusdam penuriis velut funibus aggraventur, videlicet fame, siti, nuditate et frigore, *indicabit eis opera eorum et scelera eorum :* id est, per illa adversa Deus reducet eos ad vitiorum suorum considerationem, ita quod ex pœnis considerabunt proprias culpas, prout in Isaia habetur : Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. (*Is.* XXVIII, 19.) *Quia violenti fuerunt.* Potentes enim, præcipue reges, multoties potestate utuntur pro lege justitiæ, nec voluntatem dirigunt ratione, dicentes verbo vel facto :

Hoc volo, sic jubeo ; sit pro ratione voluntas.

Animosi sunt enim, et animositas rationem ineffabiliter cæcat. Hoc modo reduxit Manassen regem ad pœnitentiam, ut secundo Paralipomenon fertur. (II *Par.* XXXIII, 11-16.)

Revelabit quoque aurem eorum, id est, interiorem illorum aurem docebit, *ut corripiat,* id est, de peccatis eos increpet et emendet ; *et loquetur,* per verba interna seu verbera exhortando, *ut revertantur ab iniquitate,* id est, vere pœniteant. *Si audierint,* id est, divinæ exhortationi et increpationi consenserint, *et observaverint,* id est, opere compleverint quæ Deus eis injungit ; *complebunt dies suos in bono,* id est, liberabuntur a captivitate, et ad prosperitatem pristinam reducentur, *et annos suos in gloria,* id est regia dignitate atque lætitia. *Si autem non audierint,* id est, obstinati permanserint, *transibunt per gladium,* id est, gladio percutientur, *et consumentur in stultitia,* id est, in suo errore et malitia morientur. Apteque ait, In stultitia, quia nec verberibus et adversis corrigi velle, stultissimum est. De talibus Jeremias asserit : Domine, percussisti eos, et non doluerunt ; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam. (*Jer.* V, 3.) In Isaia quoque : Populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt. (*Is.* IX, 13.)

Simulatores et callidi provocant iram Dei. Simulatores dicuntur, qui aliud intus sunt, et aliud foris confingunt : sicut hypocritæ et sophistæ, qui virtuosos se simulant desiderio laudis humanæ seu commodi temporalis, quemadmodum de Pharisæis loquitur Christus, quod devorabant domos viduarum sub prætextu prolixæ orationis. (*Luc.* XX, 47.) Callidi vero vocantur homines astuti, vel

Digitized by Google

potius versuti et nequam, qui ingenio suo A male utuntur, subtiliter excogitando media vitiosa obtinendi seu adimplendi intentum : ut quidam ambitiosi, qui per fictam humilitatem conantur sortiri prælationem.
Eccli. XIX, 23. Quibus illud Ecclesiastici competit : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Hi ergo iram Dei contra se provocant, quia gravissime peccant ; tantoque gravius, quanto industriosius et magis scienter, quanto etiam eorum peccata magis directe contrariantur simplicitati, veritati et æquitati divinæ. Hinc si- B mulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia et iniquitas est et simulatio. Simulatores autem et callidi a sinceritate et simplicitate mentis divinæ præsertim recedunt, suntque duplices animo, sequentes Scribas et Pharisæos, quibus in
Matth. XXIII, 27, 28. Evangelio loquitur Christus : Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos quidem a foris paretis hominibus justi ; intus vero pleni C estis hypocrisi et iniquitate. Hinc in Pro-
Prov. XIV, 17. verbiis dicitur : Vir versutus odiosus est. Tantam ergo impietatem vitemus, atque in omnibus coram Deo sinceriter ambulemus, scientes quod ipse indesinenter cordium nostrorum inspector et judex est. Porro, verbum hoc Eliu protulit, ad innuendum quod Job non vere exstiterat justus, sed simulator et callidus, ideoque a Deo percussus sit.

Neque clamabunt, id est, Deum non invocabunt vere ex corde, *quum vincti fue-* D *rint,* id est adversitatibus seu vinculis aggravati : quoniam tales raro aut nunquam convertuntur vere ad Deum, secundum Thomam. Et, ut ait Gregorius, quo plus ab hominibus se justos reputari gaudent et appetunt, eo difficilius etiam in adversis suam malitiam confitentur. Si autem aliquando graviter coarctantur, iniquos se vix superficie tenus confitentur, quia interna sua detegere veraci confessione confunduntur.

Morietur in tempestate anima eorum. Duplici morte moritur anima, scilicet morte peccati in præsenti, et morte pœnæ seu æternæ miseriæ in futuro. De prima morte dicitur in Sapientiæ libro : Os quod mentitur, occidit animam. De secunda, in Apo- *Sap.* I, 11.
calypsi : Pars impiorum erit in stagno ardenti igni et sulfure, quod est mors secunda. *Apoc.* XXI, 8. Simulatorum ergo callidorumque anima in vita hac moritur morte culpæ, in tempestate, id est multiplici strepitu tentationum, impetu passionum, inquietudine vitiorum, quibus succumbunt ; deinde moritur in inferno, in vario impetu gehennalium tormentorum. Tales equidem in vita hac innumerabilibus vitiis implicantur. *Et vita eorum inter effeminatos* reputabitur, id est, effeminatis comparabuntur. Quemadmodum enim effeminati ferientur, qui ad femineam mollitiem sunt deducti, omni peccato et concupiscentiæ succumbentes, ut molles et habituati in vitiis carnis et spiritus ; sic illi cunctis flagitiis enerviter cedunt, et rationis fortitudinem viliter deserunt, sicque pusillanimibus ac timidis conformantur, quia quærunt latere. Magnanimus vero quærit sinceriter apparere, ut dicitur septimo Ethicorum. Detestabile igitur atque ignobile prorsus est genus simulatorum ac callidorum, qui et dæmonibus et effeminatis sunt comparandi.

Eripiet pauperem de angustia sua. Pauperibus misereri Deus singulariter est paratus, si clament ad eum, et spiritu pauperes sint seu humiles : quos etsi aliquando in præsenti permittat vel diu vel usque ad mortem a visibilibus seu invisibilibus hostibus infestari, tamen in morte eripit eos de omni hujus vitæ angustia ; et si purgandum nil habeant, deducit eos mox ad gaudia sempiterna. Hinc Isaias inducit : Domine Deus, confitebor tibi, quia factus *Is.* XXV, 1, 4.
es fortitudo pauperi et egeno in tribulatione sua. Jeremias quoque : Cantate Do- *Jer.* XX, 13.
mino, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. *Et revelabit in tribulatione animam ejus,* id est, tempore tribu-

Digitized by Google

lationis, seu per ipsam tribulationem, illuminabit atque erudiet mentem ipsius. Quo enim quis gravius tribulatur, magisque spernitur, tanto Deus gratiosius solet adesse et adest, si ejus auxilium imploretur : imo ex sua miseratione immensa nonnunquam prævenit tales, corda eorum gratiose tangendo et convertendo. Tunc quoque consolationes occultas infundit, ad contemplationem cœlestis præmii animam elevat, ita ut in adversis velut in omnibus divitiis glorietur, utpote tribulationis profectum experiens, et Christo libenter cruciformiter se conformans.

Igitur salvabit te Deus, si pœnitueris conversusque fueris, *de ore angusto,* id est ab arcta et dira tribulatione, quæ te quodammodo devoravit : juxta illud Jeremiæ, Absorbuit me quasi draco. (*Jer.* LI, 34.) Vel, Os angustum, nominat Satanæ, qui Job percussit, ferocitatem. Salvabit te, inquam, *latissime,* id est abundantissime, reducendo te ad maximam prosperitatem. Vel quod ait, Latissime, refertur ad Os angustum, ut os dicatur angustum latissime, quoniam tribulatio una est velut parvus introitus ad multiplicem calamitatem, quia ex uno malo homo incidit plura. *Et non habente fundamentum subter se,* id est prædicto ore angusto : quod dicitur absque fundamento, quoniam tribulatio impiorum hic inchoatur, et in futuro continuatur, nunquam vero finitur. Quemadmodum autem pelagus dicitur infinitum et sine fundo, non quia simpliciter careat fundo et fine, sed quia a nobis investigari fundus ejus non valet ; sic mala quæ incidit homo paulatim ex aliqua prima sua tribulatione, nequeunt numerari, dum quis in mala pœnæ seu culpæ, continue atque quotidie profundius mergitur. Ideo, os istud dicitur sine fundamento et fundo, præsertim quum stabili basi non innitatur. Juxta hunc modum etiam voracitas cupiditasque pravorum dicitur absque fundo et termino. Propterea Habacuc habet : Vir superbus quasi infernus dilatat animam suam ; et ipse quasi mors, et non implebitur. (*Habac.* II, 5.) In Proverbiis quoque legitur : Infernus et perditio non replebuntur; similiter oculi hominum insatiabiles. (*Prov.* XXVII, 20.) Rursusque Salomon loquitur: Venter impiorum insatiabilis. (*Ibid.* XIII, 25.) De inferni vero immensa quadam voragine scriptum est in Isaia : Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. (*Is.* V, 14.)

Requies autem mensæ tuæ, id est quieta tua in mensa refectio, *erit plena pinguedine,* id est abundantia alimentorum, ita quod victualibus abundabis, reddita tibi pristina prosperitate. Spiritualiter vero, requies mensæ viri justi, id est tranquilla cordis sui refectio in contemplatione et gustu delectationeque divinorum, repletur pinguedine, id est uberrimis charismatibus gratiarum, exuberantia consolationum, profectu virtutum. Propter quod orat Propheta : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. (*Ps.* LXII, 6.) Ad hanc mensam per pœnitentiam et quotidianam compunctionem pertingitur, dum omnis carnalis delectatio spernitur, et mundi vanitates vilipenduntur.

Causa tua, quæ fuit inter Deum judicem et te, id est actio seu conversatio tua qua judicari meruisti, *quasi impii judicata est :* id est, propter causæ tuæ demerita a Deo plagatus es, ut impii solent, et sicut causa iniqui solita est judicari : quasi dicat, Non quia potens, sed quia iniquus fuisti, sic es judicatus a Deo. Unde, secundum intentionem Eliu, Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. *Causam judiciumque recipies :* id est, si vere pœnitueris, restituet tibi Deus causam bonam de cetero, et pium tibi judicium faciet : ut pœnitentibus fieri solet, qui divino judicio ad bona peccando perdita reducuntur, quemadmodum per Ezechielem Dominus protestatur : Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. (*Ezech.* XVIII, 21, 22.) Et Psalmista loquitur Deo : Quoniam fecisti judicium meum et causam meam. (*Ps.* IX, 5.) Ita exponit Albertus. Thomas vero exponit : Causam judiciumque recipies, id est, causa et judi-

Digitized by Google

cium tibi reddentur, seu auctoritatem et potestatem judicandi quas dudum habebas, recipies, ut aliorum possis causas discernere, et judicare de eis.

A

Spiritualiter ita exponitur, ut cuilibet justo conveniat. *Causa tua quasi impii judicata est :* quia videlicet eorum justa vita et actio a malis hominibus reprobatur, persecutionibusque impetitur; a Deo quoque in vita hac affliguntur quasi impii essent. Sed *causam judiciumque* recipient,
I Cor. VI, 2, 3. quia in futuro cum Christo judicabunt, et judiciariæ potestatis erigentur honore.

B

Sicque versiculus iste maxime competit
Dan. IX, 24. Christo, qui quum esset Sanctus sancto-
Is. LIII, 12. rum, inter sceleratos est reputatus, et sua humiliatione, dijudicatione ac passione ju-
Act. X, 42. diciariam potestatem promeruit, et vivorum ac mortuorum constitutus est judex.

Consequenter instruit ipsum Job, quomodo habeat se, dum judicandi potestas sibi fuerit in vita hac restituta. *Non te ergo superet ira,* id est, commotio, fervor seu impetus iræ in te rationem non vin-
Eccle. VII, 10. cat : secundum illud Ecclesiastæ, Ne sis

C

velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit; *ut aliquem opprimas* in judicio seu aliquo facto, ut aliqui judices facere solent. Judex quippe debet esse velut animata justitia, ita quod peccatis et passionibus careat, atque in omnibus rationem sequatur, neque alicui injuriam
Eccli. VII, 6. irroget. Ideo Ecclesiasticus dicit : Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Nec multitudo donorum inclinet te :* id est, avaritiam fuge, ne munera accipiendo, a justitia usquam rece-

D

das. Hinc in Deuteronomio Moyses scribit:
Deut. XVI, 19. Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos etiam sapientium, et pervertunt verba justorum.

Depone magnitudinem tuam, id est cordis tui pompam, *absque tribulatione,* id est absque hoc quod, seu antequam Deus per adversa te rursus dejiciat; *et omnes robustos fortitudine* depone per tuam justitiam atque sententiam a sua præsumptione et violentia qua opprimunt alios : hoc est, quantum tibi possibile est, non cedas eis contra justitiam, sicut nonnulli judices potentibus deferunt ex timore. Hinc in
Deuteronomio judicibus dicitur : Ita par- Deut. I, 17.
vum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam. *Ne protrahas noctem,* id est, quieti corporali non immoderanter indulgeas, sed tempestive et mane ad justitiam faciendam consurge; *ut ascendant populi pro eis :* id est, si noctem protraheres et tardares, contingeret quod populus multus adunaretur atque accederet pro robustis, id est ad laborandum seu pugnandum pro eis contra justitiam; vel, Pro eis, id est ad faciendam querelam tibi contra robustos propter eorum violentiam et offensam. Potest et ita exponi : Ne protrahas noctem, id est, statim sine dilatione fac contra robustos justum judicium, ne per tuam dilationem robusti aggregent sibi populos, qui ad eos defendendos ascendant. *Cave ne declines ad iniquitatem,* id est, peracta pœnitentia, non recidives : sicut et Christus in Evangelio ait cuidam :
Ecce sanus factus es; jam amplius noli Joann. V, 14.
peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. *Hanc enim cœpisti sequi post miseriam,* id est, etiam post afflictionem istam pœnosam tibi a Deo immissam, non pœnituisti, sed justificasti te ipsum in derogationem divinæ justitiæ. Ideo admonendus es, ne tempore prosperitatis ad vitia cor-
ruas : juxta illud Proverbiorum, Prosperi- Prov. I, 32.
tas stultorum perdet eos. Facilius etenim atque frequentius peccant homines tempore prosperitatis quam adversitatis.

Præterea, quoniam Eliu supra jam imposuit sancto Job quod derogavit divinæ justitiæ, ideo nunc ostendit incomparabilem excellentiam Dei in omni æquitate et sanctitate. *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua,* id est, propria potestate, non aliunde participata, sublimis est absolute, videlicet celsior cunctis. De quo fertur in
Psalmo : Qui dominatur in virtute sua in Ps. LXV, 7.
æternum. Et in Isaia : Hæc dicit Dominus Is. LVII, 15.
excelsus et sublimis, habitans æternitatem. Circa hoc allegat Albertus Aristote-

Digitized by Google

lem, dicentem in libro de Causis : Primum A regit res, præterquam commisceatur cum eis. Per quod Albertus insinuare videtur, quod Aristoteles librum de Causis ediderit : quod dici non potest. Nec Albertus, ut arbitror, hoc intendit ; sed ideo forsitan sic allegat, quia (ut in commento suo super librum de Causis testatur) quidam Judæus philosophus nomine David, librum illum composuit ex quadam epistola Aristotelis de principio universi esse, quædam adjungens ex dictis Alphorabii et Avicennæ ac Algazelis. Veruntamen magis B consentiendum est Thomæ, qui in commento suo super librum de Causis, affirmat præfatum librum ex Elementatione theologica Procli Platonici compilatum : cujus signum est, quod omnia in libro de Causis contenta, in libro Procli habentur, etiam quasi sub eadem forma verborum frequenter.

Et nullus ei similis in legislatoribus. Omnis enim legislator creatus, a perfectione sapientiæ atque justitiæ Dei deficit infinite ; et quidquid sapientiæ aut justi- C tiæ, perfectionisque habet, ab illo sortitus est. Ideo Deus in Proverbiis disseruit : Per (Prov. VIII, 15, 16.) me reges regnant, et legum conditores justa decernunt : per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. De quo legislatore scriptum est in Isaia : Dominus (Is. XXXIII, 22.) judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ; atque in Psalmo : Et- (Ps. LXXVIII, 8.) enim benedictionem dabit legislator. Denique, Deus est lator legis naturæ, legis scriptæ, et legis evangelicæ. Unde et verba hæc de Unigenito Dei incarnato Jesu Chri- D sto legislatore nostro, præcipue exponuntur, cui nec Moyses, nec aliquis legis cujuscumque dator poterit comparari. Nunc enim de similitudine æquiparantiæ, non imitationis, est mentio, sicut et in Isaia, quo habetur : Cui similem fecistis Deum ? (Is. XL, 18.) aut quam imaginem ponetis ei ? Præterea lex Christi longe perfectior est omni alia lege : quod in epistola ad Hebræos, quan- (Hebr. X, 1-18.) tum ad legem Moysis, probat Apostolus.

Quis poterit scrutari vias ejus, id est processus ejus in operando ad extra, seu ejus effectus, quæ sunt viæ seu media ascendendi ad Creatoris notitiam ? Opera enim Dei plenarie cognoscere non valemus, videlicet quoad singulas eorum proprietates, actiones, vires et habitudines. Unde in libro Sapientiæ habetur : Difficile (Sap. IX, 16.) invenimus quæ in terra sunt ; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore : quæ autem in cœlo sunt, quis investigabit ? Et Ecclesiastes ait : Cunctæ res dif- (Eccle. I, 8.) ficiles ; non potest eas homo explicare sermone. Apostolus quoque ad Romanos loquitur : Quam incomprehensibilia sunt (Rom. XI, 33.) judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! *Aut quis ei dicere potest, Operatus es iniquitatem ?* id est, Deum nullus reprehendere potest, quum ipse sit bonus, sanctus et sapiens per essentiam, mensura et regula prima ac summa universæ bonitatis, sanctitatis ac sapientiæ, ita ut eo ipso quo Deus sic agit aut judicat, bonum et irreprehensibile sit.

Memento quod ignores opus ejus. Opus Dei, est totum universum seu mundus, qui, ut in libro de Civitate Dei asserit Augustinus, majus miraculum est omni, quod in eo perpetratur, miraculo. Ideo opus hoc homo in vita hac perfecte cognoscere nequit, scilicet ordinem universi, et naturam differentiamque specificam cujuslibet rei. Potest autem hoc loco, per opus Dei, quodcumque excellens opus ejus intelligi ; vel opera ejus pluraliter, quoniam in Scripturis frequenter pro plurali ponitur singulare. *De quo,* scilicet Deo, vel opere ejus, *cecinerunt viri,* id est sapientes, qui de Deo et ejus operibus multa metrice conscripserunt.

Omnes homines vident eum, id est, aliqualem saltem habent de Deo cognitionem, per naturalem rationem, vel famam, seu aliorum providam instructionem, seu per Scripturas, aut per creaturas. Unde, secundum Damascenum, omnibus naturaliter insita est cognitio exsistendi Deum : quod si aliqui fuerunt, vel nunc sunt, qui unum verum et summum Deum esse igno-

Digitized by Google

raverint aut ignorent, tales omnino sunt bestiales, et hominis appellatione indigni. Unde distributio ista intelligenda est pro generibus singulorum, præsertim quoniam infantes et naturaliter stolidi Deum non noscunt, quia nec ratione utuntur. *Unusquisque intuetur procul,* id est obscure et imperfecte, quia in hac vita Deum non noscimus, nisi ex suis effectibus, qui a plena Dei repræsentatione deficiunt infinite, quoniam in infinitum imperfectiores sunt Creatore; sed nec ipsos Dei effectus perfecte cognoscere hic valemus. Unde Deum intuemur, quantum ad quia est, et quid non est. Nunc quoque intuemur per fidem, et in exsilio degimus : ideo dicit Apostolus : Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino ; per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et rursus : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem (scilicet in patria) facie ad faciem ; et : Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. (II *Cor.* v, 6, 7. I *Cor.* xiii, 12.)

Ecce, Deus magnus, non quantitate seu mole, sed omnipotentia, beatitudine, perfectione et gloria substantialiter infinitus, juxta illud in Psalmo : Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. (*Ps.* cxliv, 3.) *Vincens scientiam nostram :* quia majoris scientiæ est quam nos incomparabiliter, et sua scibilitate, cognoscibilitate et actualitate nostram capacitatem atque scientiam transcendit et superat infinite. Propter quod ait Philosophus, quod sicut se habet oculus noctuæ ad lumen solis, ita intellectus noster ad manifestissima naturæ, id est ad cognitionem substantiarum separatarum, potissime Dei : quæ ex sua natura sunt maxime cognoscibiles, quia plurimum habent de formalitate et actualitate, quæ est ratio cognoscibilitatis : propter quod res dicitur tantum habere de cognoscibilitate, quantum habet de actualitate. Unde quod talia non cognoscimus, ex nostra est imperfectione. Ideo, Deo Psalmista fatetur : Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam. (*Ps.* cxxxviii, 6.) Et Apostolus ait : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! (*Rom.* xi, 33.) Itemque Psalmista : Magnus Dominus et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. (*Ps.* cxlvi, 5.) *Numerus annorum ejus inæstimabilis,* id est, innumerabilibus infinitisque annis, si fuissent aut sint, Deus consistit : non quod tempus cadat in ipsum, tanquam sui esse mensura; sed quia æternitas competit ei, tanquam mensura sui invariabilis esse, quæ omne tempus ambit et comprehendit. Propter quod ait Psalmista : Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. (*Ps.* ci, 28.) De quo Daniel ait : Antiquus dierum sedit. (*Dan.* vii, 9.) Et in Exodo dicitur : Dominus regnabit in æternum et ultra. (*Exod.* xv, 18.)

Consequenter excellentiam Dei per opera ejus declarat. *Qui aufert stillas pluviæ,* id est, stillicidia pluviæ in aere aliquando non producit, nec terræ infundit : sicut ad preces Eliæ tribus annis et mensibus sex non pluit. (*Jacob.* v, 17.) Unde in Jeremia scriptum est : Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus siccitatis. (*Jer.* xiv, 1.) *Et effundit imbres ad instar gurgitum,* id est, quum sibi placuerit, dat pluviam copiosam. Porro Gregorius legit : Qui aufert stellas pluviæ. Quod exponitur de stellis, quarum est pluviam suo influxu causare, sicut sunt stellæ Hyades et Pleiades : quas Deus aufert, quantum ad hoc quod, eo volente, pluviam non producant vel non appareant. *Qui* imbres *de nubibus fluunt,* quia exinde descendunt dum nubes resolvuntur in aquas : non tamen semper tanta pluvia simul actualiter in nubibus continetur, sed vapores nubium successive in pluvias condensantur. *Quæ prætexunt cuncta desuper.* Nubes enim sic extenduntur, quod cœlum visui nostro operiunt, et terram totam cui superextenduntur, humectant. Propter quod ait Psalmographus : Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. (*Ps.* cxlvi, 8.)

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, id est sic eas augere in aere, ut totum hemisphærium cœli nostro visui tegant, sicque instar cœli atque tentorii

videantur extensæ; *et fulgurare lumine* A *suo desuper*, id est de nubibus emittere micantia fulgura : quæ sunt lumina quædam a Deo principaliter procedentia, sicut a prima causa, cujus opus est omne opus naturæ et intelligentiæ; *cardines quoque maris operiet*, id est littora maris, quæ infra nubes contineri videntur aut etiam continentur : sed et aqua nubium ad littora quædam maris pertingere potest. *Per hæc enim judicat populos multos*, id est, per impressiones istas pluviales, inter gentes judicialiter ac juste discernit, quibusdam pluvias misericorditer concedendo, aliis subtrahendo, juxta illud Amos : Plui super unam civitatem, et super aliam non plui. (Amos IV, 7.) *Et dat escas multis mortalibus :* quia per pluvias terram fecundat, ut fructus, quibus homines sustententur, producat, secundum quod Isaias ait : Descendit imber de cœlo, et infundit terram, et dat semen serenti et panem comedenti. (Is. LV, 10.)

ARTICULUS LXV

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI : IN MANIBUS ABSCONDIT LUCEM.

QUIDAM incipiunt capitulum tricesimum septimum in his verbis; aliqui vero in verbis paulo post subditis, scilicet, Super hoc expavit. Convenientius tamen hoc loco inchoari videtur, quia hic specialis sensus exordium habet, et quod subditur, Super hoc, etc., est determinatio, explanatio et prosecutio sensus verbi istius.

In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Hucusque intelligentia condependet. Est autem verbum istud sublime atque subtile : in cujus expositione adsit illuminatio Spiritus Sancti. Itaque, planissime procedendo, manus incorporei ac supersimplicissimi Dei, sunt sapientia et potentia, justitia et clementia, itemque voluntas ipsius. Hæc enim præcipue sunt principia operationis divinæ ad extra. In his manibus Deus sublimis et benedictus lucem abscondit : quia tam lucem gratiæ et dona ad ipsam spectantia quam lumen gloriæ in sua habet et continet potestate, ad omnipotentiæ suæ arbitrium lumen gratiæ occultans et pandens, retinens et effundens, auferens atque restituens. Ideo dicitur, Præcipit ei, scilicet lumini gratiæ, ut rursus adveniat : quia ad ejus imperium, lumen gratiæ indignis reprobisque absconsum, seu peccanti ablatum, vel etiam virtuoso dispensative suspensum quoad aliquem luminis hujus actum, rursum advenit, oritur atque infunditur pœnitenti, sive ostenditur fervide diligenti. In qua re, infusione aut iterata ostensione, annuntiat Deus per allocutionem internam, per spei bonæ immissionem, per angelicam inspirationem, per testimonia Scripturarum, per os hominum vicariorum et ministrorum suorum : annuntiat, inquam, amico, id est suo electo atque dilecto, utpote homini virtuoso, quod lux ista possessio ejus sit, id est, lumen gratiæ stabiliter valeat velut bonum quoddam hereditarium in vita hac possidere, et ad ipsum hoc lumen, etiam quum deest, aut actualiter non monstratur neque infulget, queat ascendere, atque per ipsum ad lumen gloriæ possit pertingere : ita ut non solum lux creata sit ejus possessio, sed per eam luci divinæ æternæ, fontanæ ac infinitæ possit uniri, infigi, immergi, ut Deus sit ejus possessio, suæ fruitionis objectum, suæ felicitatis dator ac terminus.

Digitized by Google

Hæc est una et facilis verborum interpretatio horum : quæ dante ac illustrante Spiritu Sancto, longe subtilius ac multo profundius possunt exponi, prout perfectis dumtaxat conveniunt. Etenim Deus gloriosus et felix, naturaliter, pure ac penitus infinite pius, dulcis ac supermunificentissimus, tanquam superessentialis immensaque bonitas ac superardentissima
Ephes. I, 11. caritas, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, id est sapienter ac libere (juxta Apostolum ad Ephesios), quos vult illuminat, sicut vult, quando vult, quantum vult, et quoties vult. Denique infusæ lucis radium, splendorem, augmentum, sive essentiam, ad libitum suspendit, retrahit, tollit, sapienter et juste omnia agens. Insuper, quos vult, obtenebratos et gratia destitutos relinquit, quemadmodum
Exod. XXXIII, 19. in Exodo Moysi ait : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

Hic itaque Deus supersanctus et superliberrimus, cujus vivere est amare, amantes se amat, sibi conformatis se applicat, transformatis in ipsum se monstrat. Quumque sui amatoris mentem viderit per privati amoris meram atque purissimam evulsionem, a se prorsus aversam, Deoque plene, pure et integre conversive unitam, intentam et inhiantem, toto zelo Dei honorem et gloriam in omnibus fervide cupientem, omniumque conversionem ac salutem cordialiter ac efficaciter appetentem, ac per hoc in ipsum sincerissimum omnis boni honesti affectum mutatam : quum, inquam, talem viderit eam, complacentiam magnam habet in ea, eamque velut amicam et sponsam apprehendit, stringit, amplectitur, et de bonis suis liberalissime ei communicat. Et ecce in momento, in ictu oculi, in instanti, magnitudinis suæ mole sic vincit, sic occupat, sicque non violenter aut pœnaliter, sed caritative atque suaviter opprimit eam, ut ipsa defluat, deficiatque a se ipsa; et victa amore, stupens præ admiratione ejus quam intuetur superclaræ caliginis, præ lucis quam cernit deliciosissima ac amœnissima serenitate, nesciat de se ipsa. Siquidem instantanee inflammatur tam vehementer, ostendente se ei dilecto, ut prorsus succumbat, vires et sensus corporales amittat. Tunc Deus omnipotens et excelsus lucem theoricæ contemplationis, claritatem doni sapientiæ decorativam ac perfectivam, excitativam et elevativam, quam lucem absconsam habet in manibus, menti propalat, per lucem hanc erigens apicem mentis ad increatæ lucis fulgidissimam contemplationem : quæ a principe theologorum magno Dionysio appellatur mystica theologia; estque caliginis intuitio, et secretissima mentis cum Deo locutio, divinæ supersplendidissimæ ac invisibilis lucis amorosa inspectio, dum mens in increatæ lucis abysso demergitur, in immensi amoris igne comburitur, in supervastissimæ ac superplanissimæ solitudinis impermeabili immensaque amplitudine tutissime errat ac feliciter deviat, perdens se ipsam, nesciens ubi vel quomodo.

Verum in hac intuitione mens, ut in pluribus, non diu defigitur; sed Deus adorandus, sanctus ac sapiens, lucem quam menti ostendit, superfudit et propalavit, rursus retrahit et abscondit in manibus, atque post paucum horulæ spatium denuo præcipit ei, ut menti oriatur sive adveniat majori vicissim cum claritate quam ante : qua luce menti micante, iterum intus splendescit, ignescit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Tuncque Deus immensæ amœnitatis annuntiat de ea, hoc est de luce ista, quam paulo ante abscondit in manibus, nuncque menti propalat : annuntiat, inquam, dilecto, id est puro ac fervido divinitatis amatori, quod possessio ejus sit, eo quod ipse cuncta mundana, caduca, præsentia, carnalia, exteriora contempserit, et ad eam Deo suffragante possit ascendere, ita ut quotidie crescens in ea, tandem incessabiliter luci fontali, Deo suavi, creatori æterno, beatifice stet intentus, fruitive immersus, amative absorptus.

Porro lux ista, quam Deus superamabilis, infiniteque bonus, ita abscondit in

Digitized by Google

manibus, proprie ac subtilissime de ea loquendo, non est, ut dicitur, realiter idem quod lumen gratiæ (id est ipsa gratia gratificans, quæ lumen quoddam est), nec caritas, nec donum sapientiæ, nec proprius atque elicitus actus ipsius, nec aliquid habituale et fixum in anima, sicut nec prophetia; sed actualis quidam fulgor lucis divinæ, vultui mentis creatæ instantanee desuper incidens, superque fulgens, ineffabiliter eam clarificans et perlustrans, ita quod sicut in patria lumen gloriæ disponit ad beatificam visionem, ita lux ista elevat, actuat atque clarificat ad præfatam contemplationem, mysticam intuitionem, huicque vitæ possibilem altissimam perfectionem : in qua tamen multi varii ac diversi sunt gradus, secundum quod unus Sanctorum alio sanctior fuisse non dubitatur, quamvis omnes in gradu perfectionis exstitisse ferantur. Nec istud mirum putetur, quum juxta concordem doctorum doctrinam, in omni actu meritorio, præter habitualem caritatem et gratiam, requiratur actualis motio Spiritus Sancti animam excitantis, quæ a quibusdam vibratio nuncupatur, estque infulsio quædam summæ lucis in mente.

Postremo, de præinducta materia sanctus Pater noster, dulcis devotissimusque Bernardus, Dei amicus, juxta experientiam suam sublimem, convenientissime loquitur ad Fratres de Monte Dei, inter cetera dicens : Quidquid hic de visione et cognitione Dei fidelibus impertitur, speculum est et ænigma, tantum distans a futura visione et cognitione, quantum fides distat a veritate et tempus ab æternitate, nisi quum aliquando fit, quod de Deo legitur in libro Job : Qui abscondit lucem in manibus, etc. Electo enim et dilecto Dei, aliquando lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus, quodque patet et latet ad tenentis arbitrium, ut per hoc quod quasi in transcursu vel in puncto videre permittitur, inardescat animus ad possessionem plenam luminis æterni et hereditatem plenæ visionis

A Dei : cui ut innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, et eripit eum sibi, et rapit in diem qui est a tumultu rerum ad gaudia silentii, et pro modulo suo ad momentum et punctum id ipsum ostendens ei videndum sicuti est. Interim etiam efficit ipsum in id ipsum, ut sit et ipse pro modulo suo, sicut illud est. Ubi quum didicerit quid intersit inter mundum et immundum, sibi redditur, et remittitur ad mundandum cor, ut si aliquando rursus admittatur, sit purior ad videndum, et stabilior ad fruendum. Nusquam enim melius se deprehendit modus humanæ imperfectionis, quam in lumine vultus Dei, ubi vicissim in osculo et amplexu Patris et Filii, mediam quodammodo se invenit mens sincera.

B

Ad hanc perfectionem nemo pertingit, nisi per sui ipsius plenariam mortificationem, per omnium mundanorum integerrimam aspernationem, per veram profundissimam humilitatem. Et o quam multi hujus serenissimæ humilitatis naturam et actus aut nesciunt, aut non advertunt, qui tamen se vere humiles putant! Sed nullus vere et pure se humilem arbitretur, qui timet nesciri, qui appetit apparere, qui amat præesse, qui alium sibi similem aut se majorem esse vel fieri aut apparere veretur. Itaque vitam nostram in veræ, serenissimæ ac securissimæ humilitatis virtute fundemus, omnem mundanum, carnalem, vanum et stultum affectum funditus exstirpemus.

C

D Hæc, Deo præstante, de hujus præclari subtilisque verbi interpretatione prolata sint, quatenus sic conversari conemur, quod ad gustum verborum istorum, experientiamque dictorum nunc viriliter consurgamus.

Denique Albertus, quod dictum est, In manibus, exponit ut sit una dictio dativi casus, per immanes intelligendo crudeles, qui metas rationis et æquitatis transcendunt : quibus propter eorum peccata, lux gratiæ et veritatis absconditur. Quam ex-

Digitized by Google

positionem etiam Gregorius tangit. Thomas vero exponit hunc passum de luce corporali solis atque stellarum, quæ divina virtute aliquando nubibus occultatur. Sed hoc ordini litteræ consonum non videtur. Siquidem de ipsa hac luce sub eodem contextu mox subditur, Annuntiat de ea dilecto, quod possessio ejus sit : ex quo clarissime patet, de ea luce fieri mentionem, quæ virtuosis debetur : lux autem solis, bonis et malis communis est, quemadmodum Christus testatur, quod Pater solem suum facit oriri super bonos et malos. Insuper, de luce solis non annuntiat Deus dilecto, quod ad eam possit ascendere ; neque ob hanc annuntiationem Eliu subderet, Super hoc expavit cor meum, etc.

Matth. v, 45.

A

B

Super hoc, id est de his jam dictis mirabilibus Dei effectibus, et de benignitate Dei ad homines electos, et quod homo tam fragilis, ad tam sublimem possessionem lucis deificæ queat ascendere, *expavit cor meum,* pavore admirationis ac reverentiæ; aut certe pavore timoris, formidando ne lucis hujus possessione privetur. Proprie tamen, pavor hic pro ecstasi sumitur, sicut in Psalmo, quo dicitur secundum antiquam translationem : Ego dixi in pavore meo, Projectus sum a facie oculorum tuorum. Ubi Hieronymus transtulit : Ego autem dixi in excessu mentis meæ. Sicut enim in excessu seu ecstasi, sic et in pavore animus a se alienatur. Qui autem prædicta profunde considerat, in excessum mentis mox elevatur, Deique gratiosissimam omnipotentiam ac superpiissimam caritatem intensissime admiratur, quod ita se habet ad hominem, eum videlicet qui ex se ipso tam vilis ac fragilis est, atque ad omne malum proclivis, tam supernaturaliter ac intime sibi applicat et conjungit.

C

Ps. xxx, 23.

D

Et emotum est de loco suo, id est, relictis terrenis et infimis, in quibus ante quievit per complacentiam et amorem, sola cœlestia expetivit post hanc supernam illustrationem. Etenim divina suavitate gustata, et superna luce taliter contemplata, vilescunt menti carnalia et caduca, jamque in cœlestibus demoratur : quia ut Christus fatetur, Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Augustinus quoque disseruit : Ubi amor, ibi oculus. Porro, secundum Albertum, expavescit cor et movetur secundum systolen in consideratione altorum ; naturaleque est, quod quando cor a magnitudine considerata resilit in se ipsum, paulatim redeat considerare illud magnum : et hoc vocat, Motum de loco suo, quando paulatim cor resumit vires, et inquirit de alto quod consideravit. Ex quibus verbis elicitur, quod istud etiam de corde, prout est quid corporale, quodammodo possit intelligi, ut scilicet ex magnitudine pavoris et admirationis in mente, facta sit redundantia pavoris in partem sensitivam et cor corporale, ita quod corporaliter sit concussum et motum secundum systolen, ut tangit Albertus. Cujus tamen verba satis obscura sunt. Cordi namque, cui competit secundum systolen moveri, non competit contemplari divina, considerareque alta.

Matth. vi, 21.

Præinducto autem Eliu verbo consonat illud Habacuc, secundum translationem Septuaginta interpretum : Domine, consideravi opera tua, et expavi.

Habac. iii, 2.

Audiet homo, vel cor meum : de quo statim prædixit, Expavit cor meum ; *auditionem,* id est divinam instructionem seu allocutionem, qua dilecto lucem præfatam propalat, *in terrore vocis ejus,* id est cum timore reverentiali, quo vocem instructionis divinæ suscipiet, timens ne ad Deum indecenter se habeat. Vel, In terrore vocis ejus, id est cum exteriori voce terribili seu tubali, quia frequenter per exteriores sonos horribiles, fiunt revelationes divinæ : quemadmodum in Exodo scribitur, quod in datione legis primo cœperunt audiri tonitrua. Ezechiel quoque primo sui libri capitulo, et in Apocalypsi Joannes testantur sonum se audisse, quasi sonum castrorum et aquarum multarum seu tonitrui magni, in revelationibus sibi factis. Per talia enim exteriora realiter vel imagi-

Exod. xix, 16. *Ezech.* i, 24; *Apoc.* i, 15; xiv, 2.

Digitized by Google

narie facta, manuducitur homo in reverentiam Dei. Hinc Thomas affirmat : Sicut per visionem lucis corporalis, homo reducitur in cognitionem et exspectationem cujusdam altioris spiritualisque lucis ; ita per auditum corporalium sonorum divina virtute formatorum, homo manuducitur ad audiendam spiritualem Dei doctrinam.
Joann. XII, 27-29. Idcirco Joannes ait, quod Christo Patrem orante, Pater, clarifica Filium tuum, venit vox de cœlo : quam audiens turba, dixit tonitruum factum esse ; alii dicebant, Angelus ei locutus est.

Et sonum de ore illius procedentem. Hoc, secundum Thomam, expositorie additur, ut sit explanatio verbi præcedentis, videlicet quod homo audiet in terrore, ut dictum est, sonum de ore Dei manantem, id est doctrinam sapientiæ Dei ex divino intellectu exortam, quam infundendo Deus loquitur menti. Vel sonus iste spiritualis, est interna concussio qua Deus animam suo movet concutitque timore. Hinc ait Gregorius : Sonus de Dei ore, est vis timoris de superna irruens adspiratione. De hujusmodi sono Sponsa in Canticis : Sonet, inquit,
Cant. II, 14. vox tua in auribus meis.

Super omnes cœlos ipse considerat : id est, Deus omnibus præsidens cœlis et altior eis, omnium superiorum providentiam habet, motus et actus cœlorum disponit, per quos et inferioribus influit. Sic Albertus et Thomas litteram legunt. Porro Gregorius legit : Subter omnes cœlos, etc. ; ut sit sensus, quod Deus etiam inferiora sub cœlo contenta ordinat, cognoscit, gubernat, quamvis per causas secundas providentiam in talibus exsequatur. *Et lumen illius super omnes terminos terræ.* Lumen Dei potest intelligi, claritas sapientiæ ejus : quæ est super omnes terminos terræ, quoniam omnia quæ in terra sunt, intuetur. Est quoque lux divina super omnes terminos terræ, quia sublimior est atque præstantior omni luce terrena. Insuper lumen istud Dei intelligi potest, lumen quod per luminaria cœli, solem, lunam et stellas, super omnia climata terræ expandit A et spargit. Rursus lumen hoc Dei est doctrina legis divinæ, quam cunctis terræ habitatoribus communicavit.

Post eum rugiet sonitus : id est, imperium, influentiam seu effectum Dei consequetur quicumque sonitus magnus a Deo imperatus, sicut tonitruum, aliique fragores, et venti, et motus obedientium divino imperio creaturarum. In hominibus vero, post Dei illuminationem, consurgit rugitus lamentationis pro propriis culpis, et sonitus laudis divinæ pro ejus bonitate ac do-B nis. *Tonabit voce magnitudinis suæ,* id est voce a sua majestate causata, suamque excellentiam condecente. Per quam vocem quidam intelligunt tonitruum ; alii, spiritualem vocem, quæ est infusa doctrina sapientiæ Dei illam donantis. Denique, juxta Gregorium, tonat Deus voce magnitudinis suæ, quum nobis majestatem suam insinuat, et quam magnus sit ipse in cœlestibus pandit. Sicque, tonare Dei, est menti ad intra magnifice loqui, magnaliaque monstrare. *Et non investigabitur, quum audita* C *fuerit vox ejus :* id est, ipsi quibus Deus ad intra loquitur, quos item illuminat, verba sapientiæ sibi infusa perfecte penetrare non poterunt, nec sensum verborum plenarie capient. Vel sensus est, quod mens humana Deum tonantem investigare perfecte non queat, etiam quum vocem ejus perceperit : quia ex suis creaturis Creator plene cognosci non valet, quum sit omnibus infinite sublimior, nec potestatem ejus effectus adæquat. Tonitruum quoque et aliæ impressiones quæ fiunt in aere, quam-D vis quantum ad causas naturales et proximas valeant investigari, tamen quoad causas primas et altissimas rationes ob quas Deus talia facit, perfecte ac particulariter investigari a nobis non possunt, secundum Albertum.

Tonabit Deus voce sua : sicut expositum est ; *mirabiliter,* id est ex alta et incomprehensibili ratione sapientiæ suæ, et taliter ut homines admirentur, propter eminentiam divini effectus, cujus rationes et causas perscrutari non queunt. *Qui facit*

Digitized by Google

Job v, 9. *magna et inscrutabilia.* Hoc supra habitum est atque expositum. Opera quippe Dei, in se ipsis sunt magna et nobis imperscrutabilia; et sicut Deus est incomparabilis sapientiæ ac potentiæ operator, sic incomparabilia et præclarissima sunt opera ejus, prout etiam Plato in primo Timæi insinuat.

Qui præcipit nivi ut descendat in terram : quia ad Dei ordinationem ac jussionem nix generatur in aere, labiturque deorsum, secundum illud Ecclesiastici : Eccli. XLIII, 14. Imperio suo acceleravit nivem. Et in Psal- B mo : Qui dat nivem sicut lanam. Ps. CXLVII, 16. Opera autem naturæ tam particularis quam universalis, Deo principaliter adscribuntur, ad ostendendum perfectissimam cognitionem ac providentiam ejus : quod etiam in libro isto potissime agitur. *Et hiemis pluviis.* Pluviæ hiemis appellantur, quia tunc magis abundant, solis cessante calore, qui in æstate vapores frequenter consumit et nubes dispergit. His pluviis præcipit Deus ut producantur et ruant in terram. *Et imbribus fortitudinis suæ,* id est pluviis cum C impetu et copia descendentibus : qui dicuntur imbres fortitudinis Dei, quia ab ea proveniunt, eamque ostendunt, quibus præcipit Deus generari in aere et venire.

Qui in manu, id est operativa potentia, *omnium hominum signat,* id est, disponit, ingenerat, imprimit, aptat quid quo tempore facere debeant. Talem enim operativam virtutem dedit hominibus, ut secundum varietates temporum dispositionumque ejus ac aeris, ad diversas operationes sit magis disposita : quia ad alios actus aptus est D homo in die, et ad alios nocte ; ad alios in æstate, ad alios hieme ; ad alios tempore siccitatis et serenitatis, atque ad alios tempore pluviositatis et tempestatis. Hinc subditur, *ut noverint singuli opera sua,* id est, quibus operibus intendere debeant diversis temporibus. Iterum, manus seu vis ista operativa, specialiter accipi potest ratio practica : in qua Deus signat, id est, vim discretivam inter bonum et malum constituit, ut noverint singuli opera sua, A an sint virtuosa vel vitiosa : quod homo per naturalem rationem in pluribus cognoscere potest et noscit. Nam et conscientia atque secundum multos synderesis, a Deo rationi sunt inditæ. Talis autem ingeniatio sive signatio, etiam brutis a divina providentia quodammodo est impressa. Deus enim tanquam auctor naturæ et institutor ordinis universi, singulis de necessariis providit, et unicuique naturalem contulit inclinationem ad ea quæ suæ naturæ conveniunt. Unde irrationalia naturali moventur instinctu ad opera connaturalia sibi. Itaque, secundum Damascenum, potius aguntur quam agant. Hinc subditur :

Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur. Certis enim temporibus bestiæ intrant suas speluncas, et manent in eis brevius sive diutius, secundum diversas naturarum suarum dispositiones. Hinc in Psalmo dicitur Deo : Posuisti Ps. CIII, 20. tenebras, et facta est nox ; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Ortus est sol, Ibid. 22. et congregati sunt ; et in cubilibus suis collocabuntur. Et apud Jeremiam Dominus loquitur : Milvus in cœlo cognovit tempus Jer. VIII, 7. suum ; turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui. Denique, secundum Albertum, tempore frigido, quando generatur phlegma, ingreditur suum latibulum quælibet bestia frigidæ complexionis, frigidi et viscosi nutrimenti, spissæ pellis, parvi caloris digestivi, ut serpens, rana, ciconia, hirundo, glis, coturnix, et quædam alia. Hæc enim viscosos contrahunt humores circa locum digestionis, et nisi ad tempus jaceant et dormiant, scilicet tempore generationis phlegmatis, ut in hieme, calor digestivus in eis suffocaretur et moreretur. In somno enim calor confortatur, et humor viscosus subtiliatur, ut membra possit nutrire.

Ab interioribus, id est a polo antarctico nobis semper occulto, interiori atque depresso, et a locis quæ sunt versus polum hunc, *egreditur tempestas :* quia ab illis locis veniunt nubes tempestuosæ et motu involutionis flantes. Meridionales quoque

Digitized by Google

venti inde flantes, videlicet a parte quæ est versus polum antarcticum, tempestates pluviasque producunt; *et ab arcturo,* id est a parte plagaque terræ quæ est versus polum arcticum seu septentrionalem et aquilonarem, egreditur *frigus.* Venti quippe septentrionales producunt frigus in aere. Propter quod Ecclesiasticus dicit : *Eccli.* XLIII, 22. Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. Arcturus autem proprie dicitur constellatio, quæ movetur circa polum arcticum, et dicitur Ursa major, ut superius plenius dictum est super illud *Job* IX, 9. Job : Qui facit Arcturum, et Oriona, et interiora austri. Et ex illa parte procedit Aquilo, qui causat frigus propter remotionem solis ab illa plaga cœli.

Flante Deo concrescit gelu : id est, ad Dei imperium flante vento boreali seu septentrionali, congelatio oritur et augetur, *Eccli.* XLIII, 21. juxta illud Ecclesiastici : Gelu sicut salem Dominus fundet super terram; *et rursum latissime funduntur aquæ :* id est, flante vento australi, fit degelatio, et aquæ gelu constrictæ laxantur, et undique diffunduntur, ac pluviæ producuntur latissime distillantes. Auster equidem conducit aquas, aperit terram, et evocat eam, ger- *Ps.* CXLVII, 18. minareque facit. Hinc ait Psalmista : Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Frumentum desiderat nubes. Nubes enim frumento sunt necessariæ, tam ut melius crescat, quam ut umbra nubium protegatur contra solis ardorem ne desiccetur. Mystice, frumentum, id est electi et boni desiderant nubes, id est doctorum irrigationes doctrinales, consolationesque spirituales, ut magis fructificent, nec æstu tentationum urantur. *Et nubes spargunt lumen suum,* id est, lumen quod a sole ceterisque planetis ac stellis suscipiunt, super latitudinem terræ diffundunt, non solum ad aliqualem terræ clarificationem, sed ad ejus fecundationem. Virtute enim lucis illius, nubium aqua descendens in terram, eam fecundat. Unde, secundum Albertum, quum nubes elevantur a terra, virtutes stellarum per lumen influuntur eis, et beneficio illa- A rum virtutum fiunt fecundativæ : ideoque circa terram moventur. Aqua enim, quum sit frigida et humida, de se virtutem germinativam non habet, sed a stellis eam sortitur.

Quæ lustrant cuncta per circuitum, id est, super omnia terræ climata successive impulsu ventorum feruntur, ut lumen suum et vim germinativam undique influant, *quocumque eas voluntas gubernantis duxerit,* id est, imperium Dei ferri voluerit : secundum cujus dispositionem pro- B videntialem, nunc hic, nunc ibi nubes discurrunt et pluunt. Nam et Deo ordinante, ventorum impulsum sequuntur. Venti autem communiter gyrum facere solent sequendo motum solis. In mane namque communiter flant venti orientales, postea meridionales, de vespere autem occidentales. *Ad omne quod præcipit illis super faciem orbis terrarum :* id est, quidquid Deus per nubes fieri voluerit in superficie terræ, in hoc statim Creatori obediunt, cujus in ditione cuncta sunt posita. Unde *Esther* XIII, 9. C per nubes diversi descendunt effectus in terram, videlicet grando, nix, pluvia, fulgura atque tonitrua. *Sive in una tribu.* Quandoque enim nubes deveniunt solum ad unam familiam sive provinciam aut etiam urbem. *Sive in terra sua,* id est in terra ex qua seu ex cujus aquis vapores nubium sunt accepti. Interdum enim manent in tali terra, dum non impelluntur a fortibus ventis. *Sive in quocumque loco misericordiæ suæ,* id est omni loco cui misericordiæ suæ effectum voluerit imperti- D ri, *jusserit eas inveniri,* id est apparere et conspici a desiderantibus eas. Ex grandi etenim Dei procedit clementia, quod de pluviis provideat regionibus temporibus congruis, et præsertim in calidis terris, in quibus sunt pluviæ rariores.

Præterea, spiritualiter nubes, id est doctores, prædicatores et boni prælati, atque idonei admonitores, instar nubium per contemplationem amoremque divinorum elevati, sapientia splendidi, virtute boniflui, spargunt lumen suum, dum per sapientiam

Digitized by Google

et scientiam sibi concessas, aliorum corda illuminant : quæ lustrant cuncta per circuitum, quia ubique inveniuntur hujusmodi illuminatores, ubicumque Spiritus Sanctus eos adduxerit. Interdum enim divinitus prohibentur alicubi seu aliquibus prædicare, quemadmodum in Actis legitur : (Act. xvi, 6.) Vetati sunt (Paulus et sui) a Spiritu Sancto loqui verbum Dei; (Ibid. 7.) Et non permisit eos Spiritus Jesu. Ezechieli quoque Dominus ait : (Ezech. iii, 26.) Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Itaque, in quocumque loco et populo misericordiæ suæ præceperit Deus prædicatores tales esse et loqui, ibi et illic fluenta pluunt doctrinæ.

Ausculta hæc, Job, quia sublimia sunt, et advertentia digna, utpote in quibus sapientia atque potentia Dei evidenter patescunt. *Sta,* id est, rursum mente te erige, recteque vivendo ad contemplationem te præpara ; *et considera mirabilia Dei* quæ dixi et dicam : quæ quamvis sint naturalia, nihilo minus mirabilia appellantur, in quantum ab hominibus plene comprehendi non valent.

Numquid scis quando præcepit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? id est, quo tempore jussit a principio et inde frequenter pluvias in terram descendere, quatenus per earum casum nubibus rarefactis, lux nubium appareret, quam a luminaribus cœli suscipiunt, nec apparet quamdiu nubes sunt densæ et grossæ. *Numquid nosti semitas nubium,* id est motus et processus earum, quomodo et ex qua causa ad diversas partes propellantur ex impulsu ventorum; *magnas et perfectas scientias?* id est in quarum rerum cognitione consistunt scientiæ magnæ atque perfectæ, secundum quod ista referuntur non solum ad causas suas naturales et proximas, sed insuper ad causas primas et summas, videlicet ad rationes sapientiæ Dei, quas in vita hac comprehendere non valemus, cur scilicet Deus cuncta hæc taliter instituerit. Porro, secundum Tho- A mam, nubium cognitio, est principium cognoscendi omnes aeris permutationes, utpote ventos, pluvias, nives, grandines, tonitrua, atque similia. Ideo pluraliter dicit, Magnas et perfectas scientias : magnas, propter hoc quod hujusmodi impressiones in sublimi corpore fiunt; perfectas autem, quoniam nubium scientia comprehendit omnem notitiam et scientiam prædictarum impressionum atque effectuum, qui ex eis consequuntur in inferioribus istis.

Nonne vestimenta tua calida sunt, quum B *perflata fuerit terra Austro?* Ventus enim australis ex calidis regionibus venit, et calidus est, aeremque et vestes ac corpora calefacit : qui ventus quasi ab imo veniens, vapores congregando condensat, quos ventus Aquilo magis dispergit. Spiritualiter, Auster est Spiritus Sanctus, seu fervida inspiratio ejus. Vestimenta autem animæ, sunt virtutes et dona Spiritus Sancti, quæ cum Spiritu Sancto afflantur, excitantur et actuantur, fervescunt et potissime agunt.

Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos. C Hoc ironice ait, tanquam dicat : In tantum te erigis, quasi cooperator Dei fuisses in creatione cœlorum, quum tamen aeriarum impressionum scientiam non attingas. *Qui solidissimi quasi ære fusi sunt :* id est, corpora cœlestia nec divisibilia nec pertransibilia sunt, ut aer et aqua, ac cetera mollia; sed tam firma et indivisibilia sunt, quasi fusa essent ex ære, quod non cedit tangenti. Quo verbo redarguuntur, dicentes corpora cœlestia esse divisibilia, ita quod stellæ transirent per cœlos dividendo D eosdem sicut avis per aerem, et piscis per aquam. Cujus etiam opinionis fuerunt Plato in primo Timæi, et Ptolemæus, qui secundum Hieronymum, in dogma Platonis cadere videbatur. Qui insuper asserebant orbes cœlestes non moveri aut circumferri, sed planetas et stellas per illos meare choreamque ducere. Spiritualiter, cœli sunt angelici spiritus, quorum natura firma ac stabilis est, atque per gratiam sic confirmata in bono, ut æri merito comparetur. Similiter homines virtuosi, propter robo-

Digitized by Google

rationem mentis in gratia et virtute, æri A assimilantur. Solus autem Deus est institutor et actor naturæ ac gratiæ.

Insuper irrisorie subdit : *Ostende nobis quid dicamus ei :* id est, quum tantæ te sapientiæ reputes, ut disputare cum Deo velis, doce nos qualiter nos quoque Deo respondere possimus, vel quomodo dignum aliquid ei seu in laude ejus dicamus, qui major omni est laude. *Nos quippe involvimur tenebris,* id est, ignorantiis variis implicamur, ideo instructione hac tua egemus, quum putes te tenebris non involvi. B Quamvis autem Eliu hoc ironice dicat, nihilo minus verum est quod omnes nos in sæculo isto variis errorum, vitiorum et ignorantiarum tenebris offuscamur, et ea quæ scimus, minima sunt respectu eorum quæ ignoramus. Demum, quæ scimus, non tam plene ac limpide scimus, ut res ipsa cognoscibilis exstat. Idcirco scriptum est : *Sap.* IX, 14, 15. Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ ; corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa co- C gitantem. Hinc dicit Albertus : Ex reverberatione incircumscriptæ lucis, oculus nostri intellectus involvitur tenebris, sicut corporeus oculus inspiciens lucem in rota solis. Quod significatur in Exodo, ubi Moy- *Exod.* XX, 21. ses dicitur ingressus ad Dominum in caliginem : quæ caligo fuit reverberatio intellectus Moysis ab incircumscripta luce præsentis Dei.

Quis narrabit ei quæ loquor ? quasi dicat : Quum ipse omnia sciat, nil ei quasi ignoranti potest narrari. Vel sensus est, D quod sicut ista quæ dixit, nullus hic perfecte intelligit, ita nec Deo potest narrare. *Etiam si locutus fuerit homo,* id est, si de Deo et ejus operibus mirabilibus loqui immoderanter præsumpserit, *devorabitur,* id est, magnitudine materiæ prorsus vincetur, ita quod velut quadam voragine tenebrarum ac profunditatis absorbebitur, *Prov.* XXV, 27. juxta illud Proverbiorum : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Imperscrutabilem enim, incomprehensibilem et immensum præsumptuose scrutari, maxima est stultitia. Potest quoque sic legi : Etiam si locutus fuerit ipse Deus homini, homo devorabitur, id est, parvitatem suam cognoscet, et respectu Dei quasi nihil se esse conspiciet, neque tam sublimem rem capere poterit, juxta illud Deuteronomii : Quid est omnis *Deut.* V, 26. caro, ut audiat vocem Dei viventis ? In Exodo quoque filii Israel loquuntur ad Moysen : Loquere tu nobis, et audiemus ; *Exod.* XX, 19. non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Similiter in Joanne ait Salvator discipulis : Multa habeo vobis dicere, sed *Joann.* XVI, 12. non potestis portare modo.

At nunc non vident lucem, id est, homines in hac vita lucem veritatis clare non intuentur, nec Deum qui prima lux est, per speciem contemplantur. Nunc vero vident eum per suos effectus, postea eum clare visuri. *Subito aer cogetur in nubes :* id est, vapor elevatus in aere, constringetur in formam ac spissitudinem nubis, ex quo aer ingrossatur, ac tenebrosus efficitur. *Et ventus transiens,* id est volitans, *fugabit eas,* id est, ad diversa loca impellet, quo Deus eas pluere jusserit : quod ventus Aquilo potissime facit, juxta illud Proverbiorum, Ventus Aquilo dissi- *Prov.* XXV, 23. pat pluvias.

Ab aquilone aurum venit. In septentrionalibus namque regionibus multum de auro invenitur, quoniam ibi calore propter circumstans aeris frigus recurrente ad interiora viscera terræ, efficacius ibi operatur ad auri generationem. Hinc ait Albertus : Aurum inter metalla melioris est digestionis ac commixtionis. Ad hoc autem exigitur, ut frigus extrinsecum circumstans, ad interiora viscerum terræ reprimat calorem mineralem, ut fortis sit ad digerendum metalli materiam. Ideo in aquilone ubi frigus circumstat, melius aurum generatur. Hæc est etiam causa, quare in arenulis fluviorum frigidorum sæpe generatur aurum. Frigus enim aquæ, calorem repellit in profundum, ut melius digerat

Digitized by Google

materiam, et faciat puriorem. Unde in Ge-
Gen. II, 11, 12. nesi habetur, quod Phison, qui est fluvius turbidus, circuit omnem regionem terræ Hevilath, quæ est ad aquilonem, ubi nascitur aurum; et aurum terræ illius optimum est. Hæc Albertus. Verumtamen, per Hevilath, intelligitur India, quæ videtur esse in oriente posita magis quam ad aquilonem. Denique, in libro de Proprietatibus rerum, fertur quod in montibus Saxoniæ, qui sunt versus aquilonem, omnia fere metalla fodiuntur præter stannum. Spiritualiter, aquilo terram gentilitatis designat : ex qua aurum venit, id est Ecclesia ex gentibus electa atque collecta.

Et a Deo formidolosa laudatio venit, id est, ex gratia Dei confertur, quod Deum reverenter ac timorate laudemus : cui cum timore cultum et laudem debemus impen-
Ps. II, 11. dere, juxta illud Psalmi, Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Non enim digni et idonei sumus ad laudem ipsius, nisi quantum ipse misericorditer
Eccle. IX, 1. tribuit et acceptat; nec scimus an digni simus amore, ideo formidare debemus ne laus nostra sibi displiceat, dicatque
Is. XXIX, 13; Matth. XV, 8. de nobis : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; et
Ps. XLIX, 16. quod rursus ait Scriptura : Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas?

Digne eum invenire non possumus, id est, ex creaturis eum cognoscere non valemus secundum dignitatem, perfectionem et excellentiam qua in se ipso subsistit : imo a perfecta repræsentatione divinæ essentiæ, omnes creaturæ deficiunt infinite, quemadmodum in infinitum imperfectiores sunt Deo. Ideo, in Elementatione theologica Procli Platonici, et in libro de Causis habetur, quod primum seu prima causa, superior est omni narratione. Ec-
Eccli. XLIII, 35. clesiasticus quoque : Quis, inquit, vidit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? *Magnus fortitudine :* quia omnipotens, et ei idem est esse, fortemque esse, ita quod sua infinita essentia est sua infinita potentia. Ideo omnia sunt ei

A non solum non impossibilia aut difficilia, imo cuncta sunt ei æque facilia, nec potest in tot, quin possit in infinities plura. *Et judicio.* Justa namque et incomprehensibilia sunt ejus judicia. *Et justitia ejus enarrari non potest :* quæ etiam est ipsemet Deus justus, cujus non minor est justitia, quam clementia atque essentia. Unde et pro uno peccato mortali pœnam infligit æternam.

Ideo timebunt eum viri, qui vere digni sint nomine viri, tanquam virtute viren-
B tes, animique vigore viriles : quorum est non servili, sed filiali vel saltem initiali timore Deum timere, qui effeminatis et fatuis, utpote intimoratis, loquitur per Je-
remiam : Audi, popule stulte, qui non ha- Jer. V, 21, 22.
bes cor, me non timebis, qui posui arenam terminum mari? Quum enim laus sit virtutis, secundum Philosophum, is cujus virtus propter suam excellentiam perfecte non noscitur, cum timore laudatur. *Et non audebunt contemplari,* id est, Deum per contemplationem adspicere non præsu-
C ment, quasi valentes comprehendere eum, aut per speciem in vita hac cernere, seu perfecte cognoscere; *omnes qui sibi videntur sapientes,* id est, qui vere sunt sapientes in sæculo isto. Quo enim fuerint sapientiores, eo Dei incomparabilem excellentiam ac propriæ mentis imbecillitatem clarius noscunt, discretiusque perpendunt. Idcirco non ingerunt se ad impossibilia peragenda, sed honorem dant Deo. Unde et Plato ait in primo Timæi : Genitorem opificemque universi tam difficile invenire,
D quam inventum impossibile digne profari. Perfectissima quoque contemplatio, qua Deum in vita hac contemplari valemus, est per abnegationem : per quam etiam in mystica theologia mens Deo intendit, prout divinus Dionysius docet.

Itaque Eliu, ad confutandum præsumptionem quam sancto Job imposuit, sermonem suum in conclusione incomparabilis excellentiæ Dei finivit. Et in disputatione præfata quæ inter Job ejusque fuit amicos, Eliu personam determinantis assum-

Digitized by Google

psit, nunc ipsum Job, nunc ejus amicos redarguens : in quo etiam per præsumptionem excessit.

Porro, secundum Thomam, Job non respondet ipsi Eliu : quia in principalibus magis secum concordat, quam alii tres amici, vel quam cum aliis tribus amicis. Secundo, quia ex juvenili quadam præ- A sumptione more contentiosorum aliqua verba imposuit Job, quæ non dixit, vel quæ aliter dixit, et multa opprobria effudit in eum : ideo, ut a contentionibus abstineret, maluit non respondere, secundum illud Apostoli : Noli verbis contendere ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. II *Tim.* II, 14.

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

II, 7. Formavit... Dominus Deus hominem de limo terræ, 373 A. 448 C'.
III, 17. Maledicta terra in opere tuo, 341 B'.
VI, 3. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, 416 C'.
XII, 3. Maledicam maledicentibus tibi, 341 B'.
XXII, 12. Nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me, 333 B.
XXVII, 40. Tempus... veniet quum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis, 40 C'.
XXXVII, 35. Descendam ad filium meum lugens in infernum, 507 C, 538 D'.
XLVII, 9. Dies peregrinationis meæ... non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt, 184 D'.
XLIX, 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea,... prior in donis, major in imperio, 128 B'.

EXODI.

VIII, 19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem : Digitus Dei est hic, 78 B.

NUMERORUM.

VIII, 25, 26. Quum... quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum, etc., 168 B.
XI, 15. Obsecro ut interficias me... ne tantis afficiar malis, 355 B', 434 B'.
XIV, 21. Implebitur gloria Domini universa terra, 78 D.

DEUTERONOMII.

XVI, 18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, 376 B'.
XXXII, 7. Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi, 418 A.
— 34. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? 508 A'.
— 39. Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam et ego sanabo, 382 A', 434 A, 482 D.

JUDICUM.

XII, 3. Posui animam meam in manibus meis, 492 B.

I REGUM.

XIV, 6. Non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis, 219 D.
XV, 29. Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur, 431 B.
XVI, 7. Homo... videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor, 447 D.
XIX, 5. Posuit (David) animam suam in manu sua, et percussit Philistæum, 492 B.

II REGUM.

XIV, 14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur, 403 D'.

III REGUM.

XI, 11. Dixit... Dominus Salomoni : Quia... non custodisti pactum meum,... disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo, 215 B.
XIX, 12. Post ignem sibilus auræ tenuis, 371 C'.
XXII, 19. Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei, 306 B.

Digitized by Google

IV REGUM.

I, 12. Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, 341 B'.

I PARALIPOMENON.

XXIX, 15. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora, 406 C', 497 D'.

II PARALIPOMENON.

VI, 13. Fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ,... stetitque super eam, 87 A.
XXXII, 7, 8. Nolite timere,... multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo... est brachium carneum ; nobiscum Dominus Deus noster, 33 A'.

II ESDRÆ.

IX, 6. Domine,... exercitus cœli te adorat, 80 C, 148 B'.

TOBIÆ.

II, 15. Sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, 335 D'.
III, 6. Et nunc, Domine,... præcipe in pace recipi spiritum meum ; expedit enim mihi mori magis quam vivere, 351 B'.
XII, 12. Quando orabas cum lacrimis,... ego obtuli orationem tuam Domino, 306 D'.
— 20. Tempus est... ut revertar ad eum qui me misit, 306 A', 307 B.

ESTHER.

XIII, 9. Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, 426 C.
— 9. Non est qui possit tuæ resistere voluntati, 426 B'.

JOB.

V, 17. Beatus homo qui corripitur a Deo, 505 A'.
VII, 7, 8. Non revertetur oculus meus ut videat bona; nec adspiciet me visus hominis, 530 A'.
XII, 4, 5. Deridetur... justi simplicitas; lampas contempta apud cogitationes divitum, 12 C'.
XXIII, 11. Vestigia ejus secutus est pes meus, 72 C'.
XXVII, 6. Neque... reprehendit me cor meum in omni vita mea, 310 A'.
XXXI, 23. Semper... quasi tumentes super me fluctus timui Deum, 302 B, 310 A'.
XXXIV, 10, 11. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis, 230 A.

PSALMORUM.

I, 6. Iter impiorum peribit, 419 B.
VI, 7. Lavabo per singulas noctes lectum meum, 403 A.
XI, 7. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, 344 D.
— 9. In circuitu impii ambulant, 309 C'.
— 9. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum, 482 B.
XXI, 8. Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput, 525 D'.
XXII, 4. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt, 24 A'.
XXX, 21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, 345 D'.
XXXII, 7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, 276 B.
— 10. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, 380 D.
— 11. Consilium autem Domini in æternum manet, 479 A'.
XXXVI, 2. Tanquam fœnum velociter arescent (iniqui), et quemadmodum olera herbarum cito decident, 367 B.
XXXVIII, 3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, 352 A.
— 6. Universa vanitas, omnis homo vivens, 467 D'.
— 12. Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, 419 A'.
XLI, 2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, 402 D'.
— 9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus, 299 C'.
XLIII, 23. Exsurge, quare obdormis, Domine? 417 A'.
XLIX, 3. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida, 342 B'.
L, 8. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, 465 B'.

Digitized by Google

LVI, 5. Filii hominum... lingua eorum gladius acutus, 381 A'.
LVIII, 8. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum, 381 A'.
LXII, 12. Obstructum est os loquentium iniqua, 381 C'.
LXXI, 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, 378 D'.
LXXXVII, 17. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me, 391 B'.
LXXXIX, 15. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala, 354 A', 469 B.
XCIII, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, 465 D.
— 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, 380 B.
CI, 28. Tu... idem ipse es, et anni tui non deficient, 447 C'.
CII, 15. Homo sicut fœnum dies ejus; tanquam flos agri sic efflorebit, 497 D'.
CIII, 2. Extendens cœlum sicut pellem, 428 B.
— 4. Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem, 12 D.
— 32. Qui respicit terram, et facit eam tremere, 427 C.
CXVIII, 106. Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ, 221 B'.
CXXXIV, 6. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terra, etc., 324 D'.
CXL, 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, 321 A'.
CXLII, 2. Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, 372 B.
CXLIII, 3, 4. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, 407 B.
CXLVI, 8. Qui (Deus) operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam, 379 D.
CL, 5. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, 153 D'.

PROVERBIORUM.

II, 13. Relinquunt (perversi) iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas, 301 A'.
— 21. Qui... recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea, 302 A.
III, 32, 34. Abominatio Domini est omnis illusor... Ipse deludet illusores, 380 B'. *Adde* 477 C.
IV, 3. Unigenitus (fui) coram matre mea, 120 C.
V, 21. Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat, 404 C, 496 D.
— 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 344 D', 547 B.
VIII, 27, 29. Certa lege et gyro vallabat abyssos,... et legem ponebat aquis, 276 A.
IX, 9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere, 395 B.
X, 11. Vena vitæ, os justi, 368 D.
— 19. In multiloquio non deerit peccatum, 464 C.
XIV, 2. Ambulans recto itinere et timens Deum despicitur ab eo qui infami graditur via, 477 C.
— 12. Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem, 346 A.
— 13. Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat, 314 A, 359 D.
— 26. In timore Domini fiducia fortitudinis, 518 A.
— 27. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis, 302 B.
— 29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam, 514 A.
— 30. Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, invidia, 375 C'.
XVI, 1. Domini (est) gubernare linguam, 24 A'.
— 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, 172 D'.
XVII, 24. In facie prudentis lucet sapientia; oculi autem stultorum in finibus terræ, 19 A.
— 28. Stultus... si tacuerit, sapiens reputabitur, 490 A.
XXI, 1. Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud, 482 A'.
— 15. Gaudium justo est facere judicium, 184 A.
XXVII, 7. Anima saturata calcabit favum; et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet, 392 C.
XXVIII, 1. Fugit impius, nemine persequente, 517 D'.
— 14. Beatus homo qui semper est pavidus, 436 D.
XXIX, 1. Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, 245 A.
XXX, 14. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, 381 A'.

Digitized by Google

ECCLESIASTÆ.

I, 8. Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone, 466 C'.
— 14. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus, 497 C'.
VII, 1. Quid necesse est homini majora se quærere, quum ignoret quid conducat sibi in vita sua ? 359 D.
— 2. Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa, 303 C'.
IX, 1. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, 351 C'.
— 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet, 302 D.
XII, 14. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit, 498 D'.

CANTICI CANTICORUM.

V, 2. Ego dormio, et cor meum vigilat, 370 C.
— 3. Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? 437 B.

SAPIENTIÆ.

I, 10. Auris zeli audit omnia, 378 B'.
— 11. Os... quod mentitur, occidit animam, 433 D.
II, 3. Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, 418 C.
— 3. Spiritus diffundetur tanquam mollis aer, 535 D'.
— 24, 25. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius, 375 D'.
III, 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos (justos), et quasi holocausti hostiam accepit illos, 185 C, 407 A'.
IV, 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, 123 D.
V, 9. Transierunt omnia illa tanquam umbra, 185 B.
— 15. Spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, etc., 469 D'.
IX, 15. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, 373 D.
— 16. Difficile æstimamus quæ in terra sunt ; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, 466 C'.
XI, 21. Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti, 378 B'.
— 24. Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, 277 B.
— 26. Quomodo... posset aliquid permanere nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ? 467 A'.

ECCLESIASTICI.

II, 5. In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis, 365 D.
— 14. Væ duplici corde... et peccatori terram ingredienti duabus viis, 301 B.
VI, 7. Si possides amicum, in tentatione poside eum, et ne facile credas ei, 336 B, 393 A'.
— 14. Amicus fidelis, protectio fortis ; qui autem invenit illum, invenit thesaurum, 336 C.
— 16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis, 336 D, 554 C'.
X, 2. Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea, 212 D.
— 11, 12. Omnis potentatus brevis vita... Sic et rex hodie est et cras morietur, 376 C.
XIII, 31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala, 509 D.
XIX, 10. Audisti verbum adversus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet, 364 A'.
— 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti, 364 B.
— 26, 27. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo, 19 A, 147 B'.
XXI, 2. Quasi a facie colubri fuge peccata, 302 C.
XXVII, 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis, 365 D, 407 A'.
— 30. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniat illi, 380 D'.
XXX, 22. Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo, 316 A.
XXXIX, 6. Cor suum tradet (sapiens) ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, 304 D, 407 D.
XLI, 3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, 351 B'.

Digitized by Google

XLI, 15. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni, 303 C'.
XLII, 16. Gloria Domini plenum est opus ejus, 478 A'.
XLVIII, 14, 15. Mortuum prophetavit corpus ejus; in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est, 57 A.

ISAIÆ.

I, 6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus, et livor, et plaga tumens, 333 C'.
— 15. Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis... manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, 468 A'.
XIII, 10. Stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo, 427 C'.
XIV, 11. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes, 496 D'.
— 29. Ne læteris, Philistæa, omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui, 73 C.
XIX, 11. Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, 480 C.
— 25. Hereditas... mea Israel, 81 D.
XXIV, 21. Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, 80 C.
XXVI, 9. De mane vigilabo ad te, 304 D, 407 D.
XXXV, 3. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate, 365 A.
XXXVIII, 11. Non adspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis, 404 B.
— 12. Præcisa est velut a texente vita mea, 403 B'.
— 13. De mane usque ad vesperam finies me, 373 A'.
XL, 7. Exsiccatum est fœnum et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo, 366 D'.
— 22. Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum, 428 B.
XLII, 1. Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, 322 B
XLIII, 24. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis, 48 C, 277 A.
XLV, 9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicet lutum figulo suo, Quid facis? 430 C', 467 C'.
LIII, 8. Propter scelus populi mei percussi eum, 338 C.
— 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, 319 D'.
LV, 10. Descendit imber et nix de cœlo, et... inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, 379 D.
LVII, 1. Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo, 366 B.
— 21. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus, 426 C'.
LIX, 10. Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus; impegimus meridie quasi in tenebris, 381 C.
LXIII, 16. Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos, 509 B'.
— 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? 482 D'.
LXIV, 6. Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, 372 B, 425 C.
— 8. Domine, pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu, 372 C, 373 A, 448 C'.
LXV, 20. Puer centum annorum morietur, 165 C.
LXVI, 1. Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, 179 A.

JEREMIÆ.

II, 20. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non serviam, 468 D.
IV, 30. Quum vestieris te coccino, .. et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris, 43 D', 183 C.
V, 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis, 515 D'.
XII, 1. Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum, 489 B'.
XIV, 19. Quare... percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? 274 A.
XV, 1. Ejice illos a facie mea, et egrediantur, 313 B.
XX, 7, 8. Omnes subsannant me,... et factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die, 273 D'.
— 13. Laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum, 381 B'.
XXIII, 20. In novissimis diebus intelligetis consilium ejus, 515 A.

Digitized by Google

XXXI, 22. Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum, 318 B'.
XLVIII, 10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, 305 A'.

THRENORUM.

I, 8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, 468 D'.
— 12. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus, 338 A'.
II, 4, 5. Effudit quasi ignem indignationem suam; factus est Dominus velut inimicus, 352 A.
III, 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, 528 B.
IV, 8. Adhæsit cutis eorum ossibus; aruit et facta est quasi lignum, 403 A', 554 B'.

BARUCH.

III, 19. Exterminati sunt,... et alii loco eorum surrexerunt, 482 D.
— 22. Non est audita (sapientia) in terra Chanaan, neque visa est in Theman, 363 B'.

EZECHIELIS.

IX, 6. A sanctuario meo incipite, 97 C'.
XIV, 9. Propheta quum erraverit,... ego Dominus decepi prophetam illum, 481 C.
— 13, 14. Terra quum peccaverit mihi,... si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc., 296 C'.
XVI, 42. Auferetur zelus meus a te,... nec irascar amplius, 382 B.
XVII, 15. Qui dissolvit pactum, numquid effugiet? 95 C'.
XXI, 3. Ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium, 366 B.

DANIELIS.

II, 22. Ipse (Dominus) revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, 481 C'.
VII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei, 306 A.
X, 16, 17. Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium,... sed et halitus meus intercluditur, 370 B'.

OSEE.

XIII, 14. De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne, 507 B'.
XIV, 10. Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis, 301 A'.

JOEL.

III, 8. Venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, 313 C'.

AMOS.

V, 8. Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ; Dominus nomen est ejus, 379 A'.

MICHÆÆ.

III, 3. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, 555 D.

NAHUM.

I, 7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, 481 A'.

HABACUC.

II, 2. Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum, 555 D'.
— 5. Vir superbus... dilatavit quasi infernus animam suam,... et non adimpletur, 547 A'.

ZACHARIÆ.

IX, 11. Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, 505 D', 507 A'.

MALACHIÆ.

III, 6. Ego... Dominus, et non mutor, 332 A.
— 11. Increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ, 366 C'.

Digitized by Google

I MACHABÆORUM.

II, 61. Omnes qui sperant in eum (Deum), non infirmantur, 217 D.

MATTHÆI.

V, 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, 380 A.
VI, 22. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, 301 B.
VII. 8. Omnis... qui quærit, invenit, 180 C.
X, 16. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, 301 D'.
— 24. Non est discipulus super magistrum, 9 D.
XII, 34. Ex abundantia... cordis os loquitur, 514 A'.
— 37. Ex verbis... tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis, 433 A'.
XIII, 17. Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, 344 B'.
— 25. Quum... dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, 308 B.
XVI, 23. Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, 339 A'.
XVIII, 10. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, 305 D'.
XXV, 30. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, 452 A', 549 A.
XXVI, 24. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, 356 C', 362 A'.
— 38. Tristis est anima mea usque ad mortem, 356 D.

MARCI.

X, 18. Nemo bonus, nisi unus Deus, 435 C'.
XIV, 33. Cœpit (Jesus) pavere et tædere, 446 C.

LUCÆ.

I, 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, 379 C'.
X, 4. Neminem per viam salutaveritis, 21 B'.
XXI, 33. Cœlum et terra transibunt, 507 A.

JOANNIS.

I, 17. Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, 22 A.
III, 8. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat, 429 A'.
— 27. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, 317 C.
V, 28. Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, 508 C.
VI, 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, 324 D'.
VII, 38. Qui credit in me... flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 520 B.
VIII, 12. Ego sum lux mundi, 343 B.
— 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? 325 A'.
— 58. Antequam Abraham fieret, ego sum, 556 C.
XIV, 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, 345 B.
— 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, 12 B.
— 30. Venit... princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam, 337 C.
XVI, 13. Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, 12 B.

ACTUUM.

XX, 27. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis, 515 B.

AD ROMANOS.

V, 10. Quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, 507 A'.
VIII, 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 536 B'.
— 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, 338 C.
XIII, 11. Hora est jam nos de somno surgere, 370 C.
XVI, 19. Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo, 301 D'.

I AD CORINTHIOS.

II, 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, 276 B'.
V, 6. Modicum fermentum totam massam corrumpit, 302 D.

Digitized by Google

VII, 7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic, 72 B', 310 D.

X, 12. Qui se existimat stare, videat ne cadat, 222 C'.

— 13. Fidelis... Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, 311 D'.

XIV, 38. Si quis... ignorat, ignorabitur, 373 B', 536 C'.

XV, 51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, 508 A.

— 52. Canet... tuba, et mortui resurgent incorrupti, 508 C.

II AD CORINTHIOS.

I, 8. Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere, 446 C.

IV, 7. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, 373 B, 448 C'.

AD EPHESIOS.

I, 11. Qui (Deus) operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, 76 D'.

IV, 30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, 277 A.

VI, 10. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, 222 A'.

AD PHILIPPENSES.

IV, 12. Scio et humiliari, scio et abundare, 335 B'.

AD COLOSSENSES.

II, 5. Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, 30 C'.

I AD THESSALONICENSES.

II, 16. Pervenit ira Dei super illos usque in finem, 384 C.

IV, 12. Nolumus... vos ignorare, fratres, de dormientibus, 370 C.

V, 22. Ab omni specie mala abstinete vos, 29 B'.

II AD THESSALONICENSES.

II, 10, 11. Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, 5 A'.

I AD TIMOTHEUM.

VI, 7. Nihil... intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus, 316 D'.

II AD TIMOTHEUM.

II, 14. Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium, 395 B'.

III, 13. Mali... homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes, 547 C.

AD HEBRÆOS.

I, 14. Nonne omnes (angeli) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi? 305 D'.

VII, 19. Nihil... ad perfectum adduxit lex, 21 D'.

X, 28. Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione... moritur, 58 D.

XII, 1. Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, 408 C.

— 7, 8. Quis filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis... ergo adulteri, et non filii estis, 382 C.

— 11. Omnis... disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ, 382 A'.

XIII, 8. Jesus Christus heri et hodie; ipse et in sæcula, 536 D.

— 9. Optimum est... gratia stabilire cor, 468 D'.

— 14. Non... habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, 184 D'.

JACOBI.

I, 5. Si quis... indiget sapientia, postulet a Deo... et dabitur ei, 374 D.

— 20. Ira viri justitiam Dei non operatur, 375 A.

II, 10. Quicumque... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, 84 D, 180 A, 302 D.

— 13. Judicium... sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, 394 C.

III, 2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, 318 A'.

Digitized by Google

V, 10, 11. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, Prophetas... Sufferentiam Job audistis, 296 D'.

I PETRI.

V, 8. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, 309 D', 527 A.

I JOANNIS.

II, 3. In hoc scimus quoniam cognovimus eum (Deum), si mandata ejus observemus, 549 B'.

JUDÆ.

5. Jesus populum de terra Ægypti salvans, etc., 556 D.

APOCALYPSIS.

III, 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, 344 C.

— 19. Ego quos amo, arguo et castigo, 382 A, 505 A'.

XXII, 11. Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc, 538 A.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON, frater Moysis. Ei varia nomina tribuunt Hebræi : Jether, 124 C, Jesba, 124 D. — Inter ejus posteros partitur David ministerium templi, 170 B.

ABDIAS propheta, tertius ex quinquagenariis ad Eliam missis, 6 C', bona consumpserat, ut dicitur, nutriendo prophetas, 18 A. — Uxori ejus quomodo succurrerit Eliseus, 17 D. Mystice, figurat Ecclesiam, 23 C.

ABI, mater Ezechiæ regis Juda, quænam fuerit, 71 D.

ABIA, IIus rex Juda, quam habuerit matrem, 213 D. — Licet in Deo imperfecte speraret, 216 C', ab eo tamen adjuvari meruit, 217 A, et Jeroboam devicit, 217 C. — Sed factus ingratus, 217 A', idololatra, 217 B', et lascivus, 217 C', a Domino percussus obiit, 217 A'. — Mystice quid, 218 B.

ABISAI, quartus inter fortes David, quæ fecerit, 145 C'.

ABNER avunculus Saulis fuisse videtur, 137 C.

ABRAHAM, prius Abram, cur « Abraham » nomen acceperit, 110 B. — Tria nomina habuit, 653 D'. — Ubi natus sit, 113 C, D, et cur dictus Hebræus, 113 C, C'. — Astronomiæ peritissimus, eam docuit Ægyptios, 78 B'. — Quot filios habuerit, 110 C, D.

ABSTINENTIA. Virtus abstinentiæ acquisita quomodo distinguatur ab infusa, 411 B.

ACCARON, urbs Philistinorum. Ibi fuit fanum Beelzebub celeberrimum, 5 B.

ACHAB, VIIus rex Israel, bellicosus et potens, 5 A, quomodo septuaginta filios habuisse dicatur, 45 C. — Stirps ejus prorsus deletur, 46 B, B'. — Templum Baal exstruxerat in Samaria, 47 A'.

ACHAN, de tribu Juda, quomodo Israel turbaverit, 114 A'.

ACHAZ, filius Joathan, XIIus rex Juda, quo anno regnare cœperit, 64 D'. — Obsessus in Jerusalem a regibus Syriæ et Israel, 65 C, 249 B, munera mittit regi Assyriorum, 65 B'. 250 D, B'; ab eo auxilium petens, 65 A', 250 B. — Pravissimus idololatra, 65 A, 66 B, 248 C, altare conficit ethnicis altaribus simile, 65 C', quod in templo collocat, 66 A, amoto æneo, 65 D'; et templum spoliat, 66 A'. — Undique conteritur, 250 B, nec resipiscit, 250 A', et extra regum sepulcra tumulatur, 250 C'.

ACRISIA, quid sit, 33 C'; et quinam eam passi sint, 33 C', 34 B.

ACTUS. Ad actum meritorium eliciendum, non sufficit gratia sine actuali motione Spiritus Sancti, 688 B. — An sint actus humani indifferentes, 496 A'.

ADADREMMON, rex Charcamis, 271 A, cum universo exercitu Josiam deplangit, 271 C'.

ADAM, protoplastus. Cur ex eo Deus voluerit totum genus humanum oriri, 105. — Docuit posteros suos astrologiam, 78 D'.

ADAM Parisiensis (a S. Victore) allegatur, 105, 106. (Migne *Patrol. lat.* tom. 196, col. 1422.)

ADDO propheta. Ejus vaticinium contra Bethel a Josia impletur, 90 A, post CCCLXI annos, 90 C; et ejus ossa impolluta servantur, 90 C. — Librum scripserat, qui non superest, 209 C', 217 C'.

ADULTERIUM, quantum sit peccatum, 646 B. In eo est injustitia, perjurium et furtum, 646 D. Omnem gratiam perdit, 646 B', et virtutem, 646 C'. — Adulter lucem reformidat, 596 B', et levis est, 597 B. Quæ ejus pœna, 597 C; et quid tropologice signet, 596 B'.

ÆNEAS patientia commendatur, 291.

ÆQUITAS, quid sit, 589 A'. — Parentibus anteponenda est, 651 C', amicis, 364 C, et hominum favori, 651 B'. — Judicibus maxime congruit, 443 C'.

ÆS, quid sit, 569 A, et quomodo gignatur, 614 D', 615 B. — Ex ære facta sunt multa vasa templi, 197 D, 198 C, 199 C.

Digitized by Google

AGAR, uxor Abrahæ, an fuerit eadem quæ Cetura, 110 A'.

AGNES (S^a) fuit immensæ senectutis, 485 B'.

AGNUS paschalis in qualibet domo immolari poterat, 269 B, a mundis, 255 B'. 269 C, quarta decima die primi vel secundi mensis, 255 D. — Non nisi a mundis edebatur, 256 D'. — *Cf.* Pascha.

AHIAS propheta, regnum promisit Jeroboam, 214 C', 215 B. — Librum scripserat, qui non superest, 209 B'.

ALBERTUS Magnus (de Bollstædt) O. P. theologus celeberrimus, Episc. Ratisbonensis, « vir ingeniosus », 470 A', et « subtilissimus », 297 A', et « studiosus doctor », 355 D', passim allegatur, 293 B, 295 D', 296 B, etc. — Nonnulla ejus asserta non videntur omnino sibi consentanea, 348 A, 352 B, 369 A', C', 415 B, B'.

ALCUINUS (B. Flaccus Alcuinus) Caroli Magni præceptor, 109 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 100 et 101.)

ALEXANDER de Hales, O. M., « magnus theologus et irrefragabilis doctor », 76 A', pluries citatur, 257 A, 269 D.

ALEXANDER peripateticus (ab Aphrodisia), errasse perhibetur circa originem animæ, 462 B', et Providentiam, 583 A'.

ALLEGORIA, quid sit, 298 C', 318 C.

ALTARE holocausti æneum erat, 191 B', seu de ligno setim æneis laminis cooperto, 197 D', et in atrio tabernaculi positum, 132 C. — Ad reverentiam Moysis, usque ad Romanos servatum est, 198 B; sed aliud, in nonnullis dissimile, a Salomone erectum est, 197 D, quod rex Achaz amovit, 65 D'.

Altare thymiamatis aureum erat, 182 A, et in Sancto positum, 132 D.

AMARITUDO duplex habetur, una vitiosa, altera salutaris, 540 A'.

AMASIAS, filius Joas, IX^us rex Juda, primo bonus, 58 A, et justus, 58 C, Idumæos in prælio vincit, 58 A', 244 D. — Sed idololatra factus, 244 B', regem Israel temere provocat, 58 D', 245 B, et ab eo superatur, 59 A', 245 A'. — A suis occisus est, 59 D'. — Quid spiritualiter exprimat, 61 A'.

AMBITIO, quanta mala operetur, 52 A, 60 D', et jurgia suscitet, 64 A'.

AMICUS in adversis probatur, 336 B, 393 D, 563 C, et multum prodest animæ, 336 C. — Amicus falsus proprium commodum quærit, 394 B; amicus verus afflictum consolatur, 526 C, 554 C', 563 D, discrete, 530 B, quia compassio lenitiva est, 336 C, B', 337 A'; erranti condolet et succurrit, 477 A, 483 D'. — Amicorum est concordare in veritate inquirenda, 395 A', et sibi omnia communicare, 554 C'. — Amicum deridere, non est parvum peccatum, 477 A. — Amici Dei dici possunt omnes prædestinati, 562 B. — *Adde* Job.

AMMONITÆ a David debellati, 160 B, 161 D, atrociter dissecantur, 162 A'.

AMON, filius Manassæ, XV^us rex Juda, quo anno regnare cœperit, 82 C. — Fuit malus, 265 D, et quodam sensu pejor patre suo, 82 A' B'. — A suis interfectus est, 82 C'.

AMOR, qua ratione pondus rerum dicatur, 621 D. — Amor improbus sui est omnium radix vitiorum, 546 D. — Amor eros quædam est insania, 644 B'.

AMRAM, pater Moysis, dictus est etiam, juxta Hebræos, Ezra, 124 C.

ANGELI innumerabiles sunt, 600 D'. — Recte dicuntur virtutes, 278 A', Dei filii, 307 D, et milites, 600 D'; et summam inter se tenent concordiam, 600 B'. — An peccare possint, 372 B'. — Quomodo Deo adsistere et ministrare dicantur, 305 D', 307 A, ab eo exire et ad eum redire, 307 A, C'; et quomodo moveantur, 306 C. — Certis diebus, speciali modo coram Deo adsistunt, 306 B', vel in terra degentes, 308 B. — Deum in natura sua vident, 627 A', sed non plene, 627 C'. — Essentiale lumen gloriæ a Deo immediate sortiuntur, accidentales illuminationes a majoribus, 601 B. — Quæ sint eorum munia circa materialem naturam, 431 D, et quid in eam possint, 315 C. — Ad ministerium hominum deputantur, 306 C, 343 D', quorum deferunt divino judicio causas, 306 C', et preces, 328 A'. — Testimonium pro nobis Deo reddunt, 433 B; sed in die judicii contra impios testificabuntur, 569 B'. — Angeli judicia Dei exercent, 38 B', et quanto subliniores sunt, tanto humilius parent, 431 A'. — Quid de eis doceant philosophi Judæi, 312 D. — *Cf.* Dæmones.

ANIMA rationalis infima est inter intellectuales substantias, 461 C; sed in ea relucet imago SS. Trinitatis, 461 C'. — Ejus immortalitas insinuatur, 358 B'. — In corpus infantis intra maternum uterum per creationem infunditur, 462 B'. Quomodo dicatur tota a Deo creata, 460 D'. — Est in corpore quasi fundatum, 373 A, et nauta, 373 B; et

Digitized by Google

dicitur spiraculum et flatus, quare, 658A. — Licet in principio sit velut tabula rasa, 461 C, innatum habet quoddam seminarium scientiarum et virtutum, 449D', et infusum rationis lumen, quod est quasi impressio lucis divinæ, 660A'. — Animæ potentiæ, quomodo agere dicantur, 665D. — Luto non immerito comparatur, 456B, et materiæ primæ, 461 C ; et anima puerorum, lacti, 461B'. — Quadruplici vulnere per originalem noxam sauciata est, 396D', 442C'. — Totius boni in ea inchoatio, conservatio et consummatio a Deo est, 457C; sed multum juvatur bona corporis dispositione, 448D, 648A, et sanitate, 445C. — Duplici morte interire potest, 681 A'; et in qua affectione recedit a corpore, in ea inavertibiliter perseverat, 462B, 623B. — In anima separata inferiores potentiæ virtualiter manent, 539 C'. — Quid sint animæ genua, 278A, vestes, 329C', 636A, et semitæ, 496C; quid animam in manibus ponere aut portare, 492A. — « Anima » pro vita sensitiva sæpe sumitur, 662B'. — Anima Dei, quid, 592A.

Anima fidelis semper pace gaudet, 439B, et caritate dilatatur, 550C'. — Sit humilis, 387A, 442C, A', 587A', casta, 25C, 643B, patiens, 290, recta, 301 A', 537 C'; et simplex, 185D, triplici modo, 301 B; sapientiam jugiter quærat, 17B, A', et devotionem, 17C', et semper timorate incedat, 225B', 243B. — In unione cum Deo summa est ejus felicitas, 586C; verumtamen jugiter nequit ei esse intenta, 90D'; nec in eo simul delectari et in terrenis, 610B'. — Deo adhærere debet, 542D; in eo sperare, 455C, 500D', 501 D, etiam post lapsum, 455B', 492D, maxime in orando, 457C', et in desolationibus, 25C', 486B'; et semet ei gratam præbere, 389D. — Necesse habet abhorrere mundum, 613C, conversationem exemplarem tenere, 635A', evagantes cogitationes devitare, 542D, quæ eam cæcant, 542D', succurrere infirmioribus, 635B', 636B', et in bono usque perseverare, 613 A'. — Quadruplici consideratione ad compunctionem movetur, 662A, et eam bis ad minus in die de suis excessibus dolere decet, 501 B'. — Natura instabilis est, 432A', 461 A', 498A, sed sapientia efficitur fortis, constans, 474A', et quieta, 625D'. — Quæ sint ejus ossa et nervi, 461 C'; gustus, 485C; vestimenta, 636A, 693B'; fenestræ, 643A'; nidulus, 637A. — Folium est hujus arboris, 503D, et culmus hujus grani, quod est Christus, 503B'. — Mystice, figuratur per mulierem Sunamitidem, 23D'. — *Cf.* Caro, Corpus, Defuncti, Homo, Purgatorium, etc.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

ANIMALIA irrationabilia naturali moventur instinctu, 691 A', et plus aguntur quam agunt, 691B'. — Quædam in hyeme dormiunt, quare, 691 C'. — Præcipuæ erant antiquorum divitiæ, 303C. — *Cf.* Jumenta, Pecus.

ANTICHRISTUS propter peccata Judæorum suscitabitur, 672B'. — Multa prodigia faciet, quare, 5A'.

ANTIOCHIA, urbs Syriæ, olim dicta Reblatha, 97C, Emath et Epiphania, 108C', 150B'. — Ibi captus est Joachaz, 91 D', et occisi filii Sedeciæ, 97C.

ANTONIUS (S.) anachoreta, stabilitatem commendat, 636D'. (Acta SS. 17 Januarii.)

APOLLINARIS hæresiarcha e traduce animam erui mentitus est, 462B'.

APOSTOLI, quanto præstent Prophetis, 25A'. — Varie figurantur : per Eliseum, 11D', 12A, D; per nubes, 605D.

AQUA in Scripturis potum quemlibet significat, 34C, 582A'. — Cur universam terram non cooperiant aquæ, 604A', 605C'; cur et quomodo in nubes convertantur, 604D', 621A', et unde vim fecundandi accipiant, 604D'. — Spiritualiter, varia significant : populos, 606A, 625B, B'; gratiarum charismata, 605D, 628C, 632A ; tribulationes, 603C', 612B'. — *Adde* Jericho.

AQUILO, quid ad litteram, 604A, et mystice, 604B', 695B.—Frigus et gelu affert, 692B.— Ad aquilonem nascitur aurum, quare, 694C'.

ARABES auctores: Albumasar (Abu-Ma'schar), Albategni (El-Battâni), Alfraganus (El-Fargâni), Anavalpetras (Ibn-el-Bitrôdji), astronomi, 79B. — Alphorabius (El-Farâbi), peripateticus, 618B. — Avicenna (Ibn-Sina), 616B', 621D, 638B'.—Averroes (Ibn-Roschd), 461 C, 583B'.

ARADII, ex Aradio, filio Chanaan, orti, ubi habitaverint, 108C'.

ARBOR. Hostium arbores in bello succidere non licebat, 16B. — Arbor excisa repullulare potest, 506B, et decrepita revirescere, quomodo, 506D. — Allegorice, arbor est Christus, cujus folia sunt animæ fideles, 503D; tropologice, quid, 510A. — *Cf.* Joram, Josias.

Digitized by Google

ARCA fœderis in Cariathiarim reposita, 150D', et in domo Obededom, 151B', solenniter defertur in arcem Sion, 152D, 154B', et in templum, 200A, 203C', ubi in Sancto sanctorum collocata est, 132A'. — Diebus Manassæ aut Amon a templo exsulavit, 268C', forsan in domo Holdæ prophetissæ, 268D; sed, curante Josia, pristinæ sedi restituta est, 268C. — Cur arca fortitudinis Dei vocetur, 203D. — *Cf.* David, Ostia, Oza.

ARCTURUS sidus, quid sit, 428D, 441D, 692A, et quid significet, 440D'.

ARGENTUM, ubi et quomodo gignatur, 614A'. — Quanta vis argenti in opere templi adhibita, 166D, 183B', D'. — Multa vasa templi ex eo facta sunt, 181A, B, C, D. — Quam commune tempore Salomonis, 208D'. — Spiritualiter, varia signat, 344C, 585D', 611D', 622C, 626A.

ARIANI, asserentes Christum meram esse creaturam refelluntur, 428B.

ARISTOTELES, vel absolute « Philosophus », utrum librum de Causis ediderit, 684A. — Sæpius allegatur, 14D', 28B, 88A, etc.

ARISTOTELICI, seu peripatetici philosophi, quid de passionibus senserint, 316B, D. Eorum opinio veritati consona est, 356A. — *Cf.* 583B', 590A. — Nonnulli citantur : Alexander (Aphrodisius), 462B', 583B'; Alphorabius, 618B.

ASA, filius Abia, III^{us} rex Juda, pius, 218D, pacificus, 218D', sapiens, 219A, et potens, 219B, Æthiopes depellit, 219C. — Non peccavit Geraram vastando, 219C'. — Idola aufert a Juda, 221B, et fœdus renovat cum Deo, 221D. — Sed mox Deo male fidens, auxilium petit a Syris, 223A, 224C, et Hanani prophetam in carcerem conjicit, 224A'. — A Deo percussus, 224B', pompatice sepelitur, 224D'. — Non obstantibus his delictis, fuit rex bonus, 225A, 233D', et est figura optimi præsidis, 222B. Anni regni ejus, quomodo computentur, 223A'. — Tropologice, quid nos doceat, 222A.

ASALELPHUNI, abneptis Judæ, fuit mater Samsonis, 122B'.

ASAPH, Gersonita, dux chori dextri cantorum, 131B', regi vicinior, 172B. — Cantica vel psalmos composuisse dicitur, 172C, 253C'.

ASER. Generationes Aser describuntur, 136A.

ASINÆ Job, quot, 303C, 320A'. — Spiritualiter varia significant, 320D, 323B, 326D, 328D'.

ASPIS, quid sit ad litteram, 567A', et mystice, 572D. — Aspidum caput sugere, quid, 567C, 572A'.

ASSYRII multoties bella gesserunt cum Israel, 63B, C', 68A, 130A', et cum Juda, 73B', 250C, 261A. — Eis munera et tributa solvebant reges Israel, 63C, 67D', et Juda, 65A', 250B. — Sic nonnunquam vocantur Babylonii, 265A. — *Cf.* Phul, Salmanasar, Sennacherib.

ASTAROTH, dea Sidoniorum, 89B', et Philistinorum, 142C, templum in Oliveti monte habebat, quod dextruxit Josias, 89B'.

ASTRONOMIA, quandonam et a quo inventa, 75C', 78A'.

ATHALIA, uxor Joram, VII^{a} inter reges Juda, quomodo filia Amri vocetur, 41B. — Impia et ambitiosa, 49C, omnem stirpem regiam Juda aufert, 49A, 238A'; templum Dei spoliat, 52D', 240C', et fanum Baal instruit, 51C', 52D'. — Interficitur, 51C, 239C.

ATLAS, magnus astronomus, diu ante Moysen vixit, 78B'. — Cur cœlum ab eo sustentari poetæ fabulati sint, 604C.

AUDITUS sensus disciplinæ dicitur, quare, 478D'. — *Cf.* Auris.

AUGUSTUS (Octavius), quam patienter convitia tulerit, 290.

AURIS, quam sapienter disposita, 478C'. — Aures interiores, seu mentis, ad quid valeant, 485A.

AURORA, quid ad litteram, 350D, et mystice, 343B, 347B'.

AURUM, metallorum purissimum, 614D, B', quomodo gignatur, 616A', 694D'. Ubi potissimum inveniatur, 614B', 694C'. — Aurum obryzum, quid, 196D, et cur sic dictum, 618D'. — Quanta vis auri in opere templi adhibita, 166D, 183A', C'. — Multa vasa ex eo facta sunt in templo, 181A, C, 182A, 198B, C', 199A', et in domo regis, 208C'; et aureis laminis tegebantur parietes templi, 196D, B'. — Moraliter, quid per aurum designetur, 344C, 622C, 626D, et per aurum obryzum, 625D'.

AUSITIS terra, ubi sita, 109A, 294B. — Ibi Job habitasse fertur, 294C.

AUSTER, ventus calidus, vapores condensat, 693B', glaciem solvit et germinationem fovet, 692B. — Allegorice, figura est Spiritus Sancti, 693B'.

AVARITIA condemnatur, 649C'. — Grave est vitium, 524B', ex quo multa mala oriuntur,

Digitized by Google

30 A'. — Avarus spe bonorum supernorum frustratur, 610 B; in Deo delectari nequit, 610 B'; et pacem nescit, 573 C. — Avaritiæ occasionem præstat interdum proles, 303 A. — Qua ratione bona corporalia appetere liceat, 649 D'. — *Cf.* Prosperitas, Simonia.

AVERROES. *Vide* Arabes auctores.

AZARIAS, seu Ozias, filius Amasiæ, x^us rex Juda, quo anno regnare cœperit, 61 C. — Pius, 62 A, 246 B, dives, 246 A', et potens, 246 B', victoriis claruit, 246 C; sed ex superbia, 247 A, vel forsan ex indiscreta devotione, 247 C', quum sacerdotale affectaret officium, 247 A, lepra infectus est usque ad mortem, 62 B, 247 C, et extra sepulcra regum conditus, 247 A'. — Tropologice, quid exprimat, 64 C'.

AZARIAS, propheta, desolationem et captivitatem Juda vaticinatur, 220 B.

AZARIAS pontifex, resistit viriliter Oziæ regi Juda, 247 B. — Azariam alium, itidem pontificem, forsan hujus filium, require, 259 A'.

B

BAAL, deus Tyriorum, 47 A', templum habuit in Jerusalem, 51 C', 52 D', destructum a pontifice Joiada, 51 C'; et in Samaria, 47 A', 55 C, quod abstulit Jehu, 47 D', occisis universis ejus cultoribus, 47 D. — Templum Baal, mystice quid, 52 A'.

BAASA, III^us rex Israel, quo anno regnare cœperit, 223 C.

BABEL turris, quomodo constructa sit, 108 D, 109 A'. — Babylonii, cur vocentur Assyrii, 265 A.

BALAAM, an dormiendo visiones habuerit, 369 B', D'. — Idem videtur fuisse qui Eliu Buzites, amicus Job, 295 A, 661 B. — *Cf.* Eliu.

BALDAD Suhites, amicus Job, cujus opinionis circa Providentiam fuerit, 415 C, B'. — I^a ejus argumentatio, 416 A'. Perperam asserit neminem absque demerito plagari, 417 A, justis semper adesse prosperitatem, 417 C', 418 D, 420 B, et impiis adversitatem, 419 A. Arguit Job hypocrisis, 420 D'. — II^a argumentatio, 545 A. Insimulat Job insipientiæ, 545 B, et quinque vitiorum, 545 A'. Falso contendit neminem sine culpa hic exerceri, 549 C'. Miseram impiorum sortem describit, 546 D. — III^a argumentatio, 600 B. Excellentiam Dei prædicat, 600 C, et vilitatem hominis, 601 C. — *Cf.* Job amici.

BANAIAS, quintus inter fortes David, quæ fecerit, 146 A. — Factus est princeps tertiæ turmæ Davidis, 176 B', et totius exercitus Salomonis, 207 B.

BAPTISMUS circumcisioni præfertur, 31 D. — In Baptismo habitus gratiæ et virtutum infunduntur animæ, 330 D. — Infantes post Baptismum morientes non suo, sed Christi merito, salvantur, 330 D. Quæ pœna puerorum absque Baptismate defunctorum, 442 D'. — Per Jordanem figuratur, 31 C.

BEATI in cœlo Deum in natura sua vident, 627 A', sed non plene, 627 C'. — Ab eo lumen essentiale gloriæ immediate sortiuntur, illuminationes accidentales, mediate, 601 B. — Deum vocaliter laudant, 424 C', et inter se summam tenent concordiam, 600 B'. — Eorum mens cunctis patebit, 626 D, sicut et corporis dispositio, 626 B'. — In eis manet memoria culparum, 345 B, et timor Domini, 600 C. Quo sensu malorum hujus sæculi obliti dicantur, 474 C. — Non sunt omnino immutabiles, 516 A'. — Gesta viventium norunt, 509 B'; et de damnatorum tormentis quodammodo gaudent, 385 A'. — Eos orare debemus, 17 C, 374 D; sed nominatim non invocamus, nisi quos canonizavit Ecclesia, 475 A'; et quandoque suffragia eorum impedit Deus, 440 A. — Quæ sint Beatorum gaudia, 422 A', et media supernaturalia ad ea pertingendi, 457 B.

BEELZEBUB, deus Philistinorum, celeberrimum habuit fanum in Accaron, 5 B.

BELLUM. De jure belli : Tubis clangendo, prælia inchoabant sacerdotes, 216 B'. Hostium arbores succidere non licebat, 16 B. Pretiosa quæque inter spolia Deo communiter consecrabantur, 175 A. Bellum clericis interdicitur, 167 B. — In bello victoria pendet a Deo, 244 B, et occulto judicio nonnunquam accidit reges justos profligari et occidi, 272 A. — Quæ virtutes bellatores maxime deceant, 147 B. — *Cf.* Rex.

BENADAD, rex Syriæ, Eliseum comprehendere nititur, 33 B, quem postea ægrotans consulit, 39 A'. — Ab Hazaele interficitur, 40 D. — Spiritualiter, figura est diaboli, 36 A.

BENEDICERE Deo, quid sæpe in Scripturis significet, 304 C', 305 B, 335 A. — Non de omnibus licet benedicere Deo, 305 B. — Benedictio Dei, quid, 311 A.

BENENNOM vallis prope Jerusalem, cur sic dicta, 65 B. — Ibi sacrificabat Achaz, 248 C'.

Digitized by Google

BENJAMIN. Generationes Benjamin describuntur, 134D, 136B. — Quot in ea tribu potuerint esse bellatores, 137B'. Ad regnum Juda pertinebat, 69A. — Multi de Benjamin Davidi adhæserunt, 147C, 148A.

BETHEL, oppidum regni Israel. Ibi erat schola prophetarum, 8A', et vitulus aureus, 217B'. — Pueri Bethel, in Eliseum contumeliosi, puniuntur, 11B. — Altare Bethel a Josia polluitur, 87A', et destruitur, 89D', juxta verba Addo prophetæ, 90A. — Propheta Bethel, *Vide* Addo. — Mystice, quid Bethel, 12B', et pueri ejus, 12B'.

BETHLEHEM. Aqua de cisterna Bethlehem Davidi affertur, 145B'.

BETHSAN, civitas Philistiim, in terminis Israel, quomodo interpretetur, 142B'. — Ibi suspensum est cadaver Saulis, 142A'.

BOETIUS (B.) philosophus, allegatur, 356D, 505C, 517B', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, col. 538.)

BONUM triplicis generis est, 303B'. — Bene faciendum est, 327D; nam bonum indiscretum in malum vertitur, 327D'. — Bonum Deo, malum nobis tribuendum est, 327A'. — Bona spiritualia tanto desiderabiliora sunt quanto digniora, 634A; bona corporalia, quatenus quærenda et diligenda, 649D'.

BOVES Job, quot, 303C, 320C. — Bos pro vacca sæpe accipitur, 575A'.— Spiritualiter, varia significat, 320C, 323B, 326D, 328D'.

BRAGMANI philosophi in solitudine degebant, quare, 350C'.

BRIGITTA (Sª). Allegatur ejus Revelationum liber, 411B', 533A'.

BRITO (Guillelmus) Ord. Min. theologus et lexicographus, 349D. (*Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 196, col. 1421.)

BUTYRUM, quid designet, 572C'. — Pedes in butyro lavare, quid, 630D, 634D'.

C

CAATH, filius Levi. Ex posteris ejus eligebantur sacerdotes, 133D.

CÆSAR (Julius). Ejus patientia laudatur, 290.

CAIN, filius Adæ, auctor est civitatis diaboli, 297B'.

CALEB, seu Calubi, filius Hesron, 114C', quem putant aliqui alium ac filium Jephone, 115B', perperam dicitur duxisse Mariam, sororem Moysis, 115D, et Bethiam, filiam Pharaonis, 125A. — Cur dictus sit filius Jephone, 124B. — Quot habuerit fratres, 123B', et filios, 124B, C'.

CALENDÆ. In calendis festivitatem agebant Judæi, 169D'; et ad Prophetas convenire solebant, 20B'.

CALLIDI, quid, 309C', 680D'. — Simplicitati Dei potissimum adversantur, 681B; ignobiles sunt, 681B', et gravissime peccant, 681A; raro convertuntur, 681D, et in novissimo male habent, 681A'. — Eos decipit Deus, 380A', C', D', sive in præsenti, sive in futura vita, 381A, et excæcat, 381C.

CAMELI Job, quot, 303C, 320C. — Spiritualiter, varia signant, 320C, 323C', 326C, 329A'.

CANDELABRA aurea decem a Salomone in templo posita, 198B', septem lucernas habebant, quarum tres de die, et septem de nocte ardebant, 216D.

CANTORES templi. Quæ eorum institutio, 131A', nomina, 131C', 153B', numerus, 168D, et ordinatio, 171D. — Musicis instrumentis utentes, 153A', spiritu prophetiæ plerumque replebantur, 171D'. — Ab Ezechia denuo ordinantur, 253B.

CAPTIVITAS. Babylonicæ captivitatis anni varie computantur, 95D.

CAPUT radere, apud antiquos signum erat mœroris, 315C'. — Caput movere, quid significet, 525C'. — *Cf.* Coma.

CARDUUS, quid sit ad litteram, 59A, et metaphorice, 59A, et mystice, 61A'.

CARECTUM, quid sit, 418C', D', et cur aqua continua indigeat, 418B'. — Typus est impiorum, 419A.

CARIATHIARIM, civitas Juda, prope Gabaa. Ibi diu reposita est arca, 150D'.

CARITAS. Nihil caritate latius, 440A', 550C', quæ ad omnes, etiam inimicos, extenditur, 550C', 650B'. — Ei connexa sunt dona Spiritus Sancti, 463C'; et nullus est actus meritorius, quin ab ea imperetur, 454C'. — Caritas perfecta foras mittit timorem, 445B'. — *Cf.* Amor.

CARMELUS mons. Ibi solitus erat orare Elias, 11B', demorari Eliseus, 20D'.

CARO hominis alimentorum admixtione paulatim sordescit, 28B. — In quantum caro, non est causa peccati, nec doloris, 377B'; sed est carcer animæ, 411C', et fomes peccati, 373C. — *Cf.* Corpus.

CASSIANUS (S.) Episcopus Augustodunensis, de sepulcro respondit, 475B. (Acta SS. 5 Augusti.)

Digitized by Google

CASTITAS commendatur, 25 B, D. — Castis præcipue necessaria est humilitas, 487 C, et oculorum custodia, 643 B. — *Cf.* Luxuria, Oculi.

CATO (Uticensis) illicite sibimet mortem conscivit, 141 D'.

CATO (Dionysius), poeta, allegatur, 677 A'.

CAUSA prima comprehendi nequit, 473 C. — Deus nihil sine causa facit aut permittit, 385 C. — Omnia causam habent efficientem, 377 A; sed non omnia causam determinatam, 377 C, aut meritoriam, 377 C.

Liber de Causis, a quo et unde compilatus sit, 684 A. — Citatur, 473 B, C, 695 D.

CETURA vera fuit uxor Abrahæ, 110 A'; an eadem quæ Agar, 110 A'. — Quas regiones occupaverint ejus filii, 111 A.

CHALDÆI crudelissimi, 314 A', Jerusalem et templum subvertunt, 96 B, 97 B', 99 C', 274 A. Allegorice persecutores signant Christi, 323 C', et Ecclesiæ, 100 C'; et dæmones, 329 D. — *Cf.* Nabuchodonosor.

CHAM, qui et Zoroaster dicitur, magister astrorum, liberales artes in XIV columnis scripserat, 78 C'. — Quot gentes genuerit, 108 C, et terras occupaverit, 109 D'.

CHAMOS, deus Moabitarum, fanum in monte Oliveti habebat, quod diruit Josias, 89 B'.

CHELEAB, filius Abigail, primo Daniel, postmodum Cheleab dictus est, quare, 119 B.

CHERUBIM duo in Sancto sanctorum, 196 C', quomodo dispositi, 197 A.

CHRISTUS nunquam peccavit, 319 B', nec peccare potuit, 325 A', et omnino immaculatus est, 522 A'. — Summus est legislator, 684 D, et habet gratiam capitis, 439 D', licet quibusdam non influat, 440 A, 625 A'. — Spem, ut est virtus theologica, habere non poterat, 387 D'; et quoties deliberate oravit, exauditus est, 559 B. — Spiritualiter ditissimus fuit, 532 D', licet corporaliter pauperrimus, 533 A. — Omnia illi subjecta erant, 320 A, 667 B', et inimicos sua creata potentia dejicere potuisset, 559 C'. — Genealogiæ ejus series non semper per primogenitos texitur, 116 B'. — Atrocissime flagellatus est, 533 A'; in Calvario sedit, usquedum pararetur crux, 533 D'; et uberrime flevit, ita ut deficerent oculi, 533 D'; clamor ejus in cruce naturæ vires excedit, 562 A. — Sua passione judiciariam potestatem meruit, 683 B. — Quantum a nobis diligendus, 563 C'. — Assimilatur stateræ, 396 B, avi, 624 C, vulturi, 624 A'; arbor est, cujus folia sunt animæ, 503 D, granum, cujus culmus sunt fideles, 503 A'.

Varie in Scripturis figuratur: 1° Per Eliam: discipulis pallium suum reliquit, 12 C. — 2° Per Eliseum : solus humano generi vitam conferre valuit, 21 D'. — 3° Per David : ad eum congregata est turba maxima credentium, 149 B'. — 4° Per Job : fuit vir, 318 B', vir dolorum, 318 C', rectitudinem cum simplicitate socians, 319 C, semper vigil, 321 D, et servus Dei, 322 B. A diabolo summopere exercitatus est, 337 B, et a suis derisus, 558 A. Etc.

Christus Domini. Sic vocabantur reges, 204 A; sic dici possunt omnes Christiani, 204 A'.

Christiani, exigentibus culpis, jam multas regiones Turcis relinquere coacti sunt, 71 B.

CINÆI, postmodum Rechabitæ, unde orti, 118 C. — In Jabes habitabant, Deo jugiter psallentes, 118 B. — Primitivam Ecclesiam præfigurabant, 118 C'.

CIVITAS. Duæ habentur civitates, altera diaboli, e Cain orta, 297 B', altera Dei, quam fundavit Seth, 297 C'. — Civitatis bonum bono particulari præstat, 303 B'.

CLIMACUS (S.), citatur, 82 B', 275 B. (Migne *Patrol. gr.* tom. 88, col. 631.)

COELUM a Deo immediate creatum est, 428 A. — Quomodo super nihilum dicatur expansum, 604 A. — Orbiculariter ambit terram, 604 A', et volvitur ab oriente ad occidentem, 604 B. — Impenetrabile est, 693 C', et mobile, 693 D'. — Destrui nequit substantialiter, 506 D'; sed in fine mundi, quoad modum essendi destruetur, 507 A. — Solium Dei vocatur, 605 B, et in eo Deus specialiter habitare dicitur, quare, 529 A', 586 D. — Cœli luminaria, quomodo obscurari dicantur, 427 B'. — Cœlum empyreum, locus est Dei et angelorum, 258 A, dæmonibus impervius, 307 A'. — Quid cœlorum columnæ, 606 C, virtutes, 278 A', B', militia, 80 B. — Moraliter, cœlum varia significat, 440 D, 606 C', D', 693 D'.

COGITATIONES malæ mentem polluunt, 643 B. — Non semper abigi possunt, 645 B'.

COLLYRIDA, quid sit, 155 D.

COLOCYNTHIDÆ, quid ad litteram, 22 B', et mystice, 24 B', 25 C'.

COMA. Abradere comam, lugentibus olim consuetum, 315 C'. — Coma Christi, quid, 324 A'.

Digitized by Google

COMMENTATOR, 448 C, etc. — Sic antonomastice vocatur Averroes. — *Cf.* Arabes auctores.

CONCUBINA. Sic interdum in Scripturis dicitur uxor secundaria, 110 C', 120 D, 135 A.

CONSOLATIO, animæ in præsenti vita conceditur, 662 B, sed raptim, 662 C.

CONTEMPLATIO. Gratia contemplationis non est in manu hominis, 672 A'. Ad eam per viæ purgativæ exercitia pervenitur, 389 B', D', per privati amoris eversionem, 687 C, per omnimodam abnegationem, 688 B'. — Lux contemplationis, quid sit proprie, 687 D'. In ea sunt gradus multi, 688 B; non jugiter animæ lucet, 371 A, 502 A', 672 C, 687 C'; sed tempore opportuno, operante Deo, animæ subito infunditur, 687 D. — Contemplatio altissima hujus vitæ, quæ, 687 B'. Deum non nisi per negationem ostendit, 695 D'; et semper subobscura est et ænigmatica, 543 C. — Tristitiam aufert, 406 A; dolores lenit, 412 C; summum est animæ viatricis gaudium, 586 C, et visionem beatificam inchoat, 410 D. — Vita contemplativa sepulcrum vocatur, 389 C', lectulus animæ, 543 C, et mensa justi, 682 B'.

Anima, quomodo ad contemplationem aptetur, 389 D', 471 C, 586 B, C, 672 D. — Ut Deo vacare valeat, omnium curarum sit expers, 437 C', humilis maneat, 688 B', nec pluribus intenta, 538 A'. — Quanto Deum clarius intuetur, tanto magis desiderio ejus accenditur, 410 C, 458 C', de se ipsa timet, 370 A, B', et peccatorum dolore torquetur, 458 D'. — Anima contemplativa a Sunamitide figurata, 23 D'; quod ejus cœnaculum, 24 A. — Avi comparatur, 386 A.

CONTENTIO, quid, 395 C', et quotuplex, 426 C. — Veritatis inquisitionem impedit, 395 B'; nunquam prodest, 696 A'. — Perversi animi signum est, 438 B. — Contra prælatum contendere, maxime dedecet, 438 B'.

CONVIVIA junioribus permissa, seniores non decent, 305 C'. — Multis peccatis locum faciunt, 304 B'. — De convivio virtutum, 326 B'.

COR sæpe pro intellectu sumitur, 667 A. — Illud custodire, nihil laboriosius, 386 A; et Dei est illud immutare, 482 D, 488 D', et emollire, 592 D. — Quomodo confirmetur, sive in bono, sive in malo, 473 C'. — Justi mollia corda habent, 592 B'; impii vero corde carent, 666 D'.

CORPUS hominis, quomodo generetur, 449 B. — Animæ rationali optime respondet ejus conformatio, 677 C'. — Ex naturali corporis complexione, alii ad virtutes, alii ad vitia disponuntur, 648 A; et multum juvant animam bona ejus dispositio, 448 D, et sanitas, 445 C. — Animæ vestimentum est, 496 C', et carcer, 411 C'; et quo magis anima in divinis proficit, eo amplius corpus debilitatur, 668 A'. Multis de causis luto assimilatur, 448 B', et naturaliter dissolutioni obnoxium est, 448 D'. — In resurrectione commutabuntur electorum corpora, 507 D'; et in patria translucebunt, 626 A', B'. — *Cf.* Anima, Caro, Generatio.

CORREPTIO ostium est judicii, 490 B; ideoque sapientis est illam æquanimiter suscipere, 500 B', 571 D. — Corripientem contemnere, valde nocet, 245 A, 541 C.

CRATON, philosophus Stoicus, a Joanne evangelista conversus, quid de bonis exterioribus senserit, 316 D.

CREATURÆ sunt radius Creatoris, 478 D, quem esse demonstrant, 466 A', 478 C, D, mirabilem, 378 C', 379 A, perfectum, 675 C, et immensum, 675 A'; sed valde imperfecte eum repræsentant, 465 B', 466 D', 589 C', 695 C. — Creatura quælibet aliquid potentialitatis habet, 516 C', 522 D', et nonnisi Deo servante permanet, 372 C', 467 D, 478 A'. — Rationalis creatura ex se semper labilis est, 372 B', 516 B'. — Irrationales creaturæ ad bonum universi diriguntur, 379 A', 405 A'; et illis inest naturalis instinctus, 691 A', et innata quædam obedientia, 428 A. — Quomodo creaturæ fallant hominem, 548 A. Eis aliter justi utuntur, et aliter perversi, 547 C'. In eis vera quies inveniri nequit, 423 D, et nihil insanius quam Creatori creaturam præferre, 423 B, B'.

CULTUS exterior in V. L. prævalebat, interior in N. L., 182 D'.

CURRUS ignei Eliam asportantes, 9 C', et Eliseum circumdantes, 33 B', quid ad litteram, 9 C', et mystice, 12 D. — Currus pro ascensoribus sæpe sumitur, 161 A'. — Currus vacui reges comitabantur ad bellum, 271 D. — Currus Israel : sic vocatur Elias, 9 D', et Eliseus, 55 C'.

CUSTODES templi. Quæ eorum officia et distributio, 174 C'.

CYRUS, rex Persarum, cur Judæis benefecerit, 274 D'. — Ejus edictum, 274 B'.

Digitized by Google

D

DÆMONES et diabolus. Cur eos Deus ad pœnitentiam non admiserit, 342 D. — Eis est amens furor et irrationabilis concupiscentia, 313 C', 453 B, 526 D'. — Eorum opera suo modo ad Deum referuntur, 307 D'; imo a Deo quandoque procurantur, 308 C'. — Cœlum empyreum penetrare non valent, 307 A. Varia tamen in elementis efficere possunt, 314 C, 315 C; sed non ultra quod eis permittitur, 311 D'. — Ad exercitandum homines deputantur, 306 C, et eis insidiantur multimodis, 309 B', 328 C, 329 A; qui, nisi tentarentur, ad tantam impietatem non devenirent, 435 C. — Juge eorum consilium est animarum impedire salutem, 455 A'; et hominum demerita Deo præsentare non cessant, 307 A', 433 C. — Semel victi, adhuc tentare possunt, 12 D'; pro libito tamen homines infestare nequeunt, 434 C'. — Quo sensu rectores mundi vocentur, 434 C', et testes Dei, 459 B; quomodo judices excæcent, 434 D', et super impios vadant, 573 C'. — Olim per idola dabant responsa et remedia, 5 A', 244 B'. — Ursis aptissime comparantur, 12 C'. — *Adde* Satan.

DAVID, alio nomine Recha, 123 C', ter unctus est in regem, 144 A. — Quamdiu regnaverit, 119 D'. — Quo jure filiam regis Gessur duxerit, 119 C; et quot liberos ex Bethsabee genuerit, 120 B. — Ejus victoriæ enarrantur, in Philistiim, 151 D', 162 A, Syros, 159 B, et Ammonitas, 160 B, 161 D. Quanta ejus gloria, 152 A', potentia, 176 A, quæ divitiæ, 166 D, 177 B'. — In superbiam lapsus, 163 A, divinitus castigatur, 163 D. — Licet a construendo templo fuerit prohibitus, 165 C', ex revelatione formam ejus accepit, 182 B, et in eo varia disposuit officia Levitarum, 167 D, 207 A', sacerdotum, 170 B, 207 A', cantorum, 131 A', 168 D, 171 D, janitorum, 173 C, et custodum, 174 C'. — Utrum omnes Psalmos composuerit, 172 C, 205 C. — Ad ejus nominis invocationem ostia templi ultro aperta sunt, 203 C'. — Commendantur ejus humilitas, 149 D', 150 B, et pietas, 157 B', 158 C'. — Allegorice fuit figura Christi, 149 B', 166 D'.

DECIPULA, quid sit, 547 C'. — Creaturæ sunt decipula hominis, quomodo, 547 C'.

DEFUNCTI, utrum sciant quæ geruntur in terra, 509 A'. — Non, uti falso opinati sunt quidam, ad pristinum statum revertentur, 404 B', 530 A', 556 A'. — Quænam pœna infantium absque Baptismo defunctorum, 442 D', et damnatorum in inferno, 452 C. — *Adde* Officium *et* Purgatorium.

DELECTATIO. Anima sine delectatione esse non potest, 610 B'. — Quis aptus sit delectari in Domino, 610 B'.

DERISIO. Pertinaces deridere licet, ut corrigantur, 464 C'; sic nonnunquam Sancti verba impiorum deriserunt, 574 B. — Amicum deridere non est parvum peccatum, 477 A. — Quæ pœna puerorum Eliseum deridentium, 11 C.

DEUS, quo sensu dicatur solus esse, 499 A', 591 B'; solus orbi præsidere, 667 B'. — Nomen ejus est « esse » 499 B'. — Solus est omnino sanctus, 522 D', et immutabilis, 331 D', 516 A', 591 C'. Solus habet scientiam perfectam sui ipsius, 627 C', et omnium rerum, 581 C, B', 685 C. — Ejus æternitas nullo tempore mensuratur, 447 A'; immensitas nullo limite coarctatur, 313 C, 467 B. — Quatenus ipsi competant consilium, 479 D, 480 B', intelligentia, 479 B', ratio, 480 D. — Ipse est sua cogitatio, 591 C', sua sapientia, fortitudo, 479 C, omnipotentia, 695 D, et justitia, 695 A'. — Sapientia est infinita, 426 B, 621 A, omnia sapienter ordinans, 385 C, etiam malum, 385 D, et secreta sua, 465 B', 471 D, quibus vult revelans, 471 B'; justitia infallibilis, 325 A, 416 D', 421 D, 433 B, omnem justitiam creatam in immensum superans, 425 B, 432 A, B, 434 B, 438 C. — Ejus voluntas est prima entium causa, 325 A; in omnibus liberrime agens, 76 D'; cui nemo resistere valet, 426 A'. — Nihil facit frustra, 332 B, 615 B'; sed omnia operatus est ut timeretur, 276 C; et quidquid agit, necessario bonum est, 467 B'; et nihil inordinatum relinquit, 567 C'. — Quomodo cognoscat creaturas, 333 A, 479 B', 621 C, electos et reprobos, 486 A'. — Quo sensu dicatur sedere alicubi, 178 D', se movere, 491 D, se abscondere, 494 C', 502 A', C', 672 C, dormire et vigilare, 422 A, ad hominem venire et ab eo recedere, 430 C, oblivisci et meminisse, 403 D', irasci, 331 D'; homines perdere, 434 A, 488 C', decipere, 481 B, excæcare, 536 B', indurare, 458 B. — Multipliciter loqui dicitur, 308 D', 369 A, 660 C, quibus, 471 C; et eloquia ejus tonitruo comparantur, 607 A'. — Quid sint Dei anima, 592 A, os, 591 C, labia, 465 A', manus, 448 A, 686 C, lumen, 690 D, dies,

Digitized by Google

447 A', B', 593 C, viæ, 594 A, 607 C, vestigia, 72 C', 466 A', 472 C', 590 A', benedictio, 311 A, visitatio, 413 D, etc.

Mirabilia et inscrutabilia operatur in spiritualibus, 386 C, et in corporeis, 378 B', 691 A, etiam minimis, 379 A, et in conceptione hominum, 448 A. Omnia sua potentia conservat, 467 D, et sua providentia gubernat, 378 B, 430 B. — Omnis boni inchoatio et consummatio ab eo est, 457 C; et non nisi eo auxiliante, aliquid meritorii operari valemus, 399 B', 423 A; imo sic ab eo pendet omne meritum, ut ipsi tribuantur nostra peccata, 458 B, et induratio, 317 D. — Licet peccatis provocari dicatur, 675 B', et tristari, 276 D', nullatenus eis læditur, 675 C', sicut nec bonis operibus juvatur, 675 D'. — Cur hominem tentet, 407 D, et tam stricte judicet, 413 A. — Quanta providentia electos gubernet, 429 D, 430 B, 432 D, B'; et quanta misericordia peccatores, 276 C', 277 A, 381 D', 501 C', 663 A. — Ad indigentiores et contemptiores inclinatur, 476 C', quos variis modis relevat, 481 A', 488 D; callidos autem odit et confundit, 380 A', C', D'. — Cur justos in hac vita vexari sinat, 334 A', 372 D, 377 D, 455 B. Non delectatur afflictione justorum, 434 A', 447 D'; nec sine causa eos dolore afficit, 381 D', 408 D', 411 B', 430 C, etc. — Omnium vult salutem, 580 B; et electis supra condignum, reprobis infra condignum rependit, 422 A', 423 D'.

Omnibus naturaliter insita est cognitio existentiæ Dei, 684 D'; et ex creaturis aliquo modo innotescit, 466 A', 478 D, 590 A; sed in hac vita eum non nisi imperfecte novimus, 466 D', 589 C', 685 A, 695 C; et multa de eo nobis incomperta sunt, 465 A'. — Duobus modis in via cognosci potest, positive et negative, 472 D', et hoc modo perfectius, 473 A; sed aliqualiter tantum cognoscibilis est, 466 D'; si non prorsus incomprehensibilis, 593 D, 694 D, et inscrutabilis, 695 C. — Nullus viator illum videre potest, 627 A'; sed in patria intuitive videbitur, 627 B', etsi non comprehensive, 627 C'. — Cuilibet fas est Deo loqui, 499 C'; imo cum illo licet reverenter disputare, 500 A. — Quomodo quærendus sit, 180 C, 220 C, 221 C'. Utrum illi propter retributionem servire, repugnet perfectioni, 222 B'. Timendus est, 426 A, 442 B, 648 C', etc.; sed non serviliter, 445 B', C'; quia mavult ut pater amari quam ut Dominus formidari, 445 A'. Illi nos oportet confidere, 500 D', 501 D, et gratos esse, 389 D. — Quomodo Deo appropinquare valeamus, 540 C', scire consilium ejus, 515 A, et cum illo currere, 666 B'. — Deo resistere quomodo quis possit aut non possit, 426 A'. Qui Deo resistit, pacem habere non potest, 439 A; qui illi obedit, pace vera gaudet, 439 B. — Dei injuriam tolerare impium est, 335 D; sed eum per mendacium defendere, iniquum, 491 B. — *Cf.* Providentia.

Dii gentium prius fuerant homines vitiosi, 571 D'. — Alii aliis terræ partibus præesse credebantur, 69 C'.

DEVOTIO, quomodo impetretur, 17 C'.

DIES. Sub diverso respectu clarus vel tenebrosus dici potest, 357 C. — Cur partui deputetur, 349 B, 357 B. — An congruenter prolongatus sit dies tempore Josue, 75 B', et Ezechiæ, 74 D, 76 C'. Sub Ezechia, ad minus per decem horas productus est, 76 A', et forsan per viginti, 76 B'. Cur de hoc signo non scripserint astrologi, 75 A, 77 A'. — Dies Dei, quid, 447 B', 593 C; dies hominis, quam labiles, 435 B'; dies impiorum vacui, 409 B'. — Quid mystice, 320 C', 321 C'.

DINA, filia Jacob, uxor Job, XIV filios et VI filias genuit, 112 B. — *Cf.* Uxor.

DIONYSIUS Areopagita, « sacratissimus princeps theologorum », 76 B', 601 C, « theologicissimus », 76 B', « divinus et sanctus », 278 A', sæpe allegatur, 301 C, 313 C', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 3 et 4.)

DIONYSIUS Cartusianus Ecclesiæ sui temporis deflet scandala, 458 D', et infelicem statum, 623 D'; lubricam clericorum vitam, 487 D, et fidelium duritiam, 624 B.

DOCTOR. Vituperandi sunt qui doctores catholicos ex superbia nunquam allegant, 523 D, vel eorum dicta irrationabiliter negant, 523 A'.

DOEG, armiger Saulis, 141 A, a voluntaria nece non est excusandus, 141 C'.

DOLOR. Quæ sit ejus causa, 377 A'. — Præpedit rationis actum, 437 C', 493 D', et locutionem, 438 A'. — Ejulatu alleviatur, 436 C, 460 A, et lacrimis, 451 D', et oratione, 412 C. — *Cf.* Pœnitentia, Tribulatio, Tristitia.

DOMUS quatuor virtutibus regitur, 303 D. — Bonum domus bono particulari præstat, 303 B'.

DOTHAIN, urbs Ephraim. Illic Eliseus a Syris obsessus, 33 C, eos acrisia affecit, 33 C'.

Digitized by Google

E

ECCLESIA vestis est Christi, 324 A'. — Auroræ comparatur, 343 B, 347 B'. — Varie figurata est : 1° Per regnum Juda : ejus deformatio ex prælatorum negligentia maxime venit, 100 B. — 2° Per Jerusalem : undique ab hostibus lacessitur, 100 C'. — Etc.

EDOM. *Vide* Idumæi.

EFFEMINATI, turpis cultus sacerdotes, a Josia auferuntur, 87 D'. — Quid mystice, 681 B'.

EGLA, quæ proprie uxor Davidis vocatur, an eadem quæ Michol, 119 A'.

ELDAD et Medad, fratres Moysis, a Judæis Epher et Jalon etiam dicuntur, 124 C.

ELEAZAR, inter fortes David secundus, quæ fecerit, 145 D.

ELIACIM, filius Josiæ primogenitus, *Vide* Joakim.

ELIAS propheta, Ochoziam carpit, 5 B', 6 D'. — Inique impetitus, juste ignem de cœlo super milites descendere fecit, 6 C, A'. — Quomodo ad cœlum translatus, 9 B'. — Cur ascensurus, Eliseum a se amovere voluerit, 8 C, et ei pallium reliquerit, 10 B. — Currus Israel vocatur, quo sensu, 9 D'. — Vaticinium ejus in domum Achab, quomodo impletum, 43 C, 45 A'. — Spiritualiter, Elias est figura Christi, 11 D, 12 A ; pallium ejus, Eucharistiæ, 12 C ; translatio ejus, resurrectionis electorum, 11 D. — *Cf.* Carmelus, Currus, Galgala, Joram, Jordanis, Spiritus.

ELIMELECH, vir Noemi, prior in tribu Juda, 125 A, qui et Sesan dictus esse videtur, 116 D', solem stare fecit, 125 D, 126 D. — Filii ejus, an fuerint principes in Moab, 125 B', 126 A.

ELIPHAZ Themanites, filius Esau, 111 A, inter amicos Job præcipuus, 363 C, et carissimus, 554 A', quid senserit de gubernatione Dei, 378 B, A', 379 B', 415 B, et de immortalitate animæ, 393 A, 401 C. — 1ª argumentatio, 363 C. Perperam asserit neminem sine culpa affligi, 365 D', 372 C, et justos a malis semper præservari, 383 D ; arguit Job impatientiæ, 363 C', 364 B', 365 C, 382 C, crudelitatis, tyrannidis, 367 D, et astutiæ, 381 D ; visionem narrat, 368 A, vel fingit, 374 A. — 2ª argumentatio, 513 C. Insimulat Job iracundiæ, 514 A, præsumptionis, 514 B, superbiæ, 514 D', 515 D', hypocrisis, 516 B, 520 B', et avaritiæ, 520 A ; horrendam tyrannorum sortem describit, 517 C', 519 A. Non videtur sermones Job intellexisse, 514 B ; et ipse superbe loquitur, 515 D. — 3ª argumentatio, 581 B. Excellentiam Dei prædicat, 581 B ; objicit Job multas iniquitates, 582 B ; et pœnitentiæ fructus describit, 584 D'. — Mystice, quid, 520 C. — *Cf.* Job amici, Thamna, Visio.

ELISEUS, de Galgala. Ortus ejus miraculis insignitus est, 22 D. — Fuit minister Eliæ, 14 A', carissimus, 8 C, cujus duplicem spiritum accepit, 9 B, et cui successit in regimine prophetarum, 10 D. — Fuit item magnus Dei amicus, 34 A ; et multo plura fecit prodigia quam Elias, 9 C. — De Elisei signis : Jordanem dividit, 10 B ; aquas Jericho sanat, 10 C', 12 A' ; periclitanti Josaphat auxiliatur, 14 D ; pueris irridentibus ursos immittit, 11 B ; oleum multiplicat, 17 D, 23 C, 25 A, et panes, 22 C', 24 D' ; Sunamitidi filium impetrat, 19 D', et resuscitat, 22 B ; amarum dulcorat pulmentum, 22 A', 25 C' ; ferrum ex aqua educit, 32 C, 35 C' ; a Syris obsessus, eos cæcitate afficit, 33 C', et mirabiliter salvatur, 33 D, 36 A ; ad ossium ejus contactum cadaver reviviscit, 57 A, B'. — De Elisei vaticiniis : Sunamitidi filium repromittit, 19 D' ; famem prænuntiat, 38 B, liberationem Samariæ, 36 D, mortem Benadad, 39 C, Hazaelis regnum, 40 A, et victorias regis Israel, 56 C. — Commendantur ejus zelus et constantia, 14 C', pudicitia, 25 B, et caritas, 34 B. — Melodia in se fervorem excitabat, 15 A. — Cur Giezi mandaverit ne quemquam salutaret, 21 D. — Cur Naaman immediate sanare noluerit, 27 B', et ejus oblata recusaverit, 28 B'. — Quid circa simulationem idololatriæ Naaman permiserit, 29 A'. — Regibus probatus, 19 A', 55 C', et gentibus, 39 C', magnifice sepelitur, 56 D'. — Currus Israel vocatur, quo sensu, 55 C'. — Mystice, fuit figura Christi, 23 D', 57 A', Apostolorum, 11 D', 12 A, D, et sapientium prælatorum, 36 A. Quid ejus baculus, 24 D. — *Cf.* Carmelus, Elias, Giezi, Jordanis, Joas, Naaman, Sunamitis, Uxor.

ELIU Buzites, nepos Nachor, 294 A, 653 C', an idem qui Balaam, 295 A, 661 B. — Juvenis erat, et imperfectus, 656 B, et loquax, 656 C. — Ex vanitate et impatientia disputare aggressus, 656 D, ex vana gloria partim loquitur, 657 C', et multoties arguitur superbiæ, 655 C, A', 657 D, 658 C, 665 A, et arrogantiæ, 659 A, 668 D', 673 D', 695 D' ; insuper verba Job non semper rite intellexisse videtur, 659 A', 665 C', 666 A, C, 674 D. — Verumta-

Digitized by Google

men ceteris amicis Job acutius et verius disputat, 653 B, et verba ejus valde notabilia sunt, 653 B', licet non semper verificentur, 664 B, 667 C. — Quid de Providentia senserit, 415 A'. — Eliu argumentatio, 654 D : Deus multipliciter instruit hominem, 660 C, C', 662 D, 677 A'; summopere justus est, 667 A, 669 B, et providus, 670 A, 678 D, justis vicem rependens, 662 C', 680 B, 682 B, et injustis, 669 D, 670 B', 680 C'; infinite præstans homini, 675 C, 683 D', et in operibus mirabilis, 685 B' et seq.; Job vero peccavit superbia, 659 B, et blasphemia, 665 C', 666 D, 674 D, et stultitia, 673 C'.

EMATH. Duæ civitates sic vocatæ sunt, 150 B', quarum una fuit Damascus, terminus septentrionalis Israel, 150 C'. — *Cf.* Antiochia.

EPHOD. Varia erant ephod genera, 155 B.

EPHRAIM, filius Joseph. Generationes ejus describuntur, 135 C. — Filii Ephraim, quandonam a Gethæis fuerint occisi, 135 D.

EPHRATA, uxor Caleb, an eadem quæ Maria, soror Moysis, 115 D. — Sic prius dicta est Bethlehem, 116 D.

EPICURUS philosophus, qui felicitatem in delectatione constituit, oleribus victitabat, 88 A. — Epicurei omnia casualiter fieri opinabantur, 298 A.

EPINICION, quid sit, 154 A.

EPIPHANIUS, (id est Pseudo-Epiphanius, de Vita et morte Prophetarum,) allegatur, 84 B', 242 A', 263 A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 43, col. 393.)

EQUI ignei Eliam asportantes, 9 C', et Eliseum circumdantes, 33 B', quid ad litteram, 9 C', et mystice, 12 D. — Equi consecrabantur soli, 88 B', quare, 88 D'.

ESDRAS, qui et Josedec, filius Saraiæ, 131 B, an Paralipomenon libros composuerit, 106. — Nonnihil Scripturæ addidit, 156 C'.

ETHAN. *Vide* Idithun.

EUNUCHI. Qui apud Hebræos sic vocati, 178 B. — Ita dicebantur officiales aulæ regiæ, 98 A'.

EUSTACHIUS (S.) martyr, Job comparatur, 331 A. (Acta SS. 20 Septembris.)

EUTRAPELIA virtus, quæ sit, 632 B'.

EVILMERODACH, filius Nabuchodonosor, in carcerem trusus, ibi amicitiam cum Joachin junxit, 99 B', quem postea exaltavit, 99 A', quare, 99 C'.

EXCELSA a regibus etiam piis servata sunt, 52 D, excepto Josia, 88 B; et causa fuerunt cur castigaretur populus, 64 A'. — Sacerdotes excelsorum ad offerenda sacrificia in templo non admittebantur, 88 C; verumtamen oblationes in excelsis non videntur fuisse sub gravi vetitæ, 234 B.

EXERCITUS Hebræorum, quomodo ordinatus sit sub David, 176 A, et Salomone, 207 B.

EZECHIAS, xiii[us] rex Juda, filius Achaz, quando regnare cœperit, 71 D. — Ab Isaia instructus, 77 B, optimus fuit, 72 B, etsi non absolute optimus regum Juda, 72 D. — Templo solenniter mundato, 251 A, 252 B, cultum collapsum studiose restauravit, 255 B, ubique simulacra confringens, 258 B, cantorum officia ordinans, 253 B, et Levitarum, 258 C, et de suis facultatibus sacrificiorum præstans impensam, 258 B'. — Ezechiæ victoriæ, 73 C. A Sennacherib oppugnatus, 73 B', 261 A, cujus imperium detrectaverat, 73 B, mirabiliter liberatus est, 262 D. — Quantæ ejus opes et fama, 263 C. — Ad momentum in superbiam lapsus, 262 D', 263 B', mox resipuit, 263 B. — Cur a Deo signum quæsierit, 77 B. — Præclarius solito sepultus est, 263 C'. — Allegorice, speculum est bonorum prælatorum, 254 D'. — *Cf.* Abi, Dies, Pascha, Sennacherib, Sol.

EZECHIEL propheta, epistolam Jerosolymam mittit, 97 A'.

F

FAMA, quantum fieri potest, servanda est, 331 C.

FAMES inter quatuor pessima Dei flagella recensetur, 232 A, et idololatriæ pœna consueta erat, 22 A', 38 B, 163 C. — Fames in Samaria obsessa, quanta, 34 B'. — In inferno viget infelicissime, 388 D'. — Mystice quid, 611 D.

FERRUM, ubi et quomodo gignatur, 614 D', 615 A, 622 D; et quid significet, 568 D'.

FERVOR musto comparatur, 656 B'. — A fervore deficere nequissimum est, 634 A'.

FESTIVITATES Judæorum, quot et cur institutæ, 169 C'. — *Cf.* Calendæ, Pascha, Sabbatum.

FETUS, quomodo in utero formetur, 449 B. — Ejus materia a matre, vis autem formativa a patre ministratur, 449 D, 539 B. — *Cf.* Generatio.

FILII gaudium sunt patris, 630 C. — Ob parentum peccata non sunt puniendi, 58 C. — Corporaliter pro parentibus quandoque ca-

Digitized by Google

stigantur, 577 C'; nunquam vero spiritualiter, 578 A; quare, 578 B, B'. — Filius pro nepote sæpe sumitur, 554 A. — *Cf.* Job.

FORNICATIO. Sic vocatur idololatria, 43 A.

FORTITUDO et fortitudinis donum, quid, 365 B'. — Ad perfectionem Dei necessaria est, 426 C. — Fortes David recensentur, 145 A.

FRATRES. Sic in Scriptura vocantur consanguinei, 393 B'.

FRUSTRANEUM a vano differt, 332 C. — Deus et natura nihil faciunt frustra, 332 B, 667 D, nec in vanum, 332 D.

FUNUS. Mortui septem diebus lugebantur, cum jejunio, 142 C'. — Super magnatum cadavera incendebantur aromata, 224 D', 236 A'; et in domibus defunctorum spargebatur sulfur, 548 B'.

FUSCINULA, quid sit, 53 C', 181 C.

G

GABAON, quomodo interpretetur, 157 B, C. — Urbs metropolis Hevæorum, 157 C, cecidit in sortem Benjamin et facta est civitas Levitarum, 191 B'. — Ibi, in fano celeberrimo, asservabatur tabernaculum Moysis, etiam arca translata in Jerusalem, 157 A; ibi Dominus Salomoni apparuit, 192 A.

GAD propheta, librum scripserat, qui non superest, 186 B'; ubi descripta erat historia mundi, tempore David, 186 C'. — Cantoribus templi præerat, 253 C.

GALAAD diversimode accipitur, 116 B.

GALENUS, medicus, allegatur, 333 D'.

GALGALA, locus sanctissimus, patria Elisei, 22 D. — Eo frequenter accesserunt Elias, 8 A, et Eliseus, 22 D.

GENERATIO hominis, cui tribuenda, 448 C. — In generatione semen viri est vis activa, 449 D, et quasi coagulum ad semen mulieris, 449 D. — Pater vim formativam confert, mater materiam passivam, 539 B. — Hominis generatio resolutione seminis inchoata, 449 B, compactione massæ procedit, 449 C, et membrorum distinctione, 449 A'; demum infusione animæ terminatur, 449 C'.

GETH, patria Jonæ prophetæ, ubi sita, 60 C. — Gethæi, quomodo filios Ephraim occiderint, 135 C.

GIEZI, minister Elisei, 19 C, vir superbus, 21 C', cupidus, 30 C, 32 B, et mendax, 30 D, B', fuit in V. T. auctor et initiator simoniæ, 30 D'; unde simoniaci Giezitæ vocari possunt, 30 D'. — Ad Sunamitidem missus, 21 D, cur neminem salutare jussus sit, 21 A', et puerum ad vitam revocare nequiverit, 21 C'. — Propter munera a Naaman extorta, 30 D, lepram incurrit, 31 A', a qua postea mundatus fuisse videtur, 39 C. — Samariæ salutem paravit, 36 D'. — Spiritualiter, typus est prædicatorum, 24 D, et pater simoniacorum, 31 C'.

GIGANTES diluvio deleti, 603 D, superbos optime repræsentant, 603 A'.

GLADIUS ad litteram arma quæcumque sæpe significat, 518 B, et tropologice, judiciariam potestatem, 231 D', et divinam justitiam, 557 C, 611 C. — Inter quatuor pessima Dei flagella recensetur, 232 A. — Clericis interdicitur, 167 B. — Gladius oris, quid, 381 A'.

GLAREA, quid sit ad litteram, 580 B', 638 D', et mystice, 580 C'.

GLOSSA Hebraica (Raschi), 268 B'. — Glossa Hieronymi, 111 B. Quo nomine intelligendæ videntur Quæstiones Hebraicæ in libros Regum et Paralipomenon, (Migne *Patrol. lat.* tom. 23, col. 1330.) — Glossa interlinearis (Anselmi Laudunensis), 111 B, 115 D, 129 A, etc. (*Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 162, col. 1187.) — Glossa ordinaria, vel simpliciter Glossa (Walafridi Strabi), 107 B', 108 A, B, 112 D', 115 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

GODOLIAS, vir justus et mansuetus, a Chaldæis Judæorum reliquiis præpositus, 98 C', dolose ab optimatibus occiditur, quare, 99 B.

GRATIA habitualis. An scire possit homo se esse in gratia, 429 D, 433 B'; et quibus signis id conjectare valeat, 443 D. Multi justi certissime noverunt se esse in gratia, 429 C', 686 C'. — Gratia actualis. De fide est hominem sine gratia nihil meritorium agere posse, 556 A, nec in bono perseverare, 422 D', 634 B. — Dei solius est gratiam conferre, 485 C', et illam, quibus vult et prout vult, concedit vel denegat, 686 C, 687 A. — Justis ad mensuram datur, 628 C; Christo absque mensura collata fuit, 628 D. — Gratia quantum licet occultanda est, 8 C, tempore opportuno ceteris communicanda, 38 A'.

GREGORIUS (S.) Papa, « divinus et sanctus », 313 C, et « illuminatus », 402 A, a Deo prædestinatus fuisse videtur ut librum Job enuclearet, 299 C, « cujus mysteria diserte ac luculenter exposuit », 318 B. — Pulchra ejus

Digitized by Google

verba de infinitate Dei, 313 C. — Passim allegatur, 293 A, 294 B', 298 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75, col. 510.)
GUILLELMUS (Alvernus), dictus Parisiensis, episcopus Parisiorum, 215 D', 257 A, 269 D.
GULA, quantum sanitati noceat, 568 A'.
GUSTUS in gutture viget, 665 B. — Quomodo sapores percipiat, 407 B'. — Gustus interior, quid, 485 C.

H

HANANI propheta, Asam corripiens, 224 C, ab eo in vincula conjicitur, 224 A'.
HAYMO, Halberstatensis episcopus, 76 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 116, col. 185.)
HAZAEL, quomodo Syriæ dominationem arripuerit, 40 C. — Num ei Eliseus permiserit mentiri, 39 C'. — Quantum nocuerit regno Juda, 40 B, 54 A, et Israel, 48 C, 54 D', 55 C.
HEBER, filius Arphaxad, 109 B, propheta, 109 C, et justus, 109 D, primævam hominum linguam in confusione Babel retinuit, 109 D.
HEBRÆI, a quo nomen acceperint, 113 A. — Quatuor regiminis formis successive adhæserunt, 111 C'. — Ex dispensatione divina plures uxores accipiebant, 116 A'. — Lingua Hebraica, omnium antiquissima, 109 D; in ea sunt multa verba æquivoca, 126 C'. — *Cf.* Israel *et* Juda.
HEBRON, urbs refugii, 133 B, cujus fuerit, 133 A. — Ibi unctus est et regnavit David, 144 A.
HELCIAS, pontifex, 83 C, pater Jeremiæ prophetæ, 138 D', quomodo legis librum in templo repererit, 83 C'. — Josiæ regi in restaurando cultu præsto fuit, 83 C, 87 C. — Cur ipse non consuluerit Dominum, 84 D, B'.
HEMAN, Caathita, dux medii chori cantorum, 131 B'. — Filii ejus Videntes regis dicuntur, quare, 172 D.
HER, filius Juda, pessimus, a Domino occiditur, 114 C.
HEREDITAS Domini, quid, 643 D'. Ab ea excluduntur luxuriosi, 643 C'. — Sic olim vocabatur Israel, 81 D. — Deus est hereditas justorum, 644 A.
HERMES (Trismegistus), 615 B.
HEVILATH terra, ubi nascitur aurum, quæ, 695 A.
HIERONYMUS (S.) a S. Spiritu in transferendis Scripturis directus est, 126 A', 181 B'. — Quantam in hoc labore adhibuerit curam, 126 B', 181 B'. — Se Hebraicam veritatem ubique secutum esse testatur, 567 D.
HIPPOCRATES, medicus, 641 D'.
HIRAM, rex Tyri, Salomoni epistolam mittit, 194 A', et quasdam donat civitates, 206 C.
Hiram alius, artifex Tyrius, cujusnam generis fuerit, 194 C'. — Ob excellentem artem vocatur pater regis, 194 B', et Salomonis, 199 B.
HISTORIA scholastica (P. Comestoris) passim allegatur, 19 D', 114 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.) *Cf.* Magister in historiis, *et* Petrus Comestor.
HOBAB, pater Cinæorum, 118 B, et Rechabitarum, 118 C, quis fuerit, 118 C.
HOLDA prophetissa, mulier magnanimis, 85 C, a Josia consulitur, quare, 84 B. — Mala vaticinatur Israeli, 85 C, 267 A, bona vero Josiæ, 85 B'. — Apud eam arca aliquantisper mansisse dicitur, 268 D.
HOMO sub triplici respectu in Scriptura designatur, 346 D'. — Cur ex uno parente totum humanum genus manet, 105. — De hominis generatione, 448 B, 449 B. Quo sensu dicatur de limo formatus, 658 A', nocte conceptus, die natus, 346 C, 349 B, 357 B. Unusquisque, saltem quoad esse naturæ, de muliere nascitur, 497 B. — Ipsi data est virtus operativa, qua variis temporum rationibus accommodetur, 691 C, et intellectus, quo bonum a malo discernat, 665 B', 677 B', 691 D; et siderum influxu non gubernatur, 378 B. — Non nisi ut minister Dei mundo præsidet, 667 B'. — Cur hominem lapsum ad se revocaverit Deus, non vero dæmones, 342 D. — An æquum sit eum a Deo secundum ordinem humanæ justitiæ gubernari, 348 C. — In fine mundi resurget, 506 D'. — *Cf.* Anima, Corpus, Generatio, Vir.
Homo, quum omnia a Deo acceperit, de omnibus gratus esse debet, 456 C', et omnia ad ejus honorem impendere, 657 D'. — Pro singulari gratia est quod Deum potest semper alloqui, 432 A, 499 C'; et cum Deo versari, optima ejus occupatio, 499 D', ac summa felicitas, 586 C. Quomodo fiat servus ejus, 310 A'. — Non nisi imperfecte Deum cognoscit, 685 A, et substantias separatas, licet sint ceteris magis cognoscibiles, 685 C; imo nullius rei plenam notitiam habere valet, 466 B'. — Propter quintuplicem finem agere potest, 332 C; et omnes actus ejus meritorii sunt vel demeritorii,

Digitized by Google

496A', et a Deo juste judicabuntur, 443A. — Vilis est, 407A, et instabilis, 498A ; imperfectus, 498A', et ad malum pronus, 373C, 375C, D' ; ideo peccata ejus aliqualiter excusantur, 461B, et cum eo non est utendum regula strictiori, 450B, 490C'. Homo imprimis homini misericordiam debet, 555A. — Quomodo a Deo justificetur, 457A, 493B ; et quot modis immaculatus dici possit, 522A'. Justitia ejus, respectu divinæ justitiæ, nulla est, 425B, 434B, 436D', etc. — An quandoque scire possit se esse in gratia, 429D, 433B', 443D ; et quibus signis id conjectare valeat, 443A'. — Cur a Deo probetur, 407D. Falsum est eum non nisi pro peccatis affligi, 667D ; tribus de causis flagellari potest, 408D'. — Quomodo Dei adjutor fieri possit, 602B'. — Ejus non est de operibus Dei judicare, 430C', 437A', 442A. — Comparatur folio, 495A, stipulæ, 495B, et flori, 497C'. — *Cf.* Anima fidelis, Deus, Justitia, etc.

HOSPITALITAS commendatur, 651B. — Quantum placeat Deo, 25B.

HOSTIA. Aliqua hostiarum pars, in quibusdam sacrificiis, offerentibus cedebat, 270A, C.

HUGO (a S. Victore) passim allegatur, 78B', C', 79C', 304C, 379B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS commendatur, 386D', 587A', erga Deum, 442C, A', et homines, 647C. — Sapientibus necessaria est, 483C, B', 500B', divitibus, 648D, castis, 487C, et contemplativis, 688B'. — Quæ sit vera humilitas 550C, 688C'. — Multæ sunt nobis humilitatis causæ, 389D, 399B'. — Humilitas viam parat sapientiæ, 375D, et gloriæ, 587C; sæpe etiam prælationi, 379C'. — Tanto quis Deo pretiosior est, quanto humilior, 625A.

HUR, filius Caleb, an idem qui fuit vir Mariæ, 115D.

HUS, quomodo interpretetur, 319C. — Plures sic nominati sunt : filius Aram, 108D', ex quo ortus est Job, 109A ; et filius Nachor, 293C'. — Terra Hus, ubi sita, 109A, et a quo nomen acceperit, 109A, 293C'. Spiritualiter, varia significat, 318C', 319C, 325C'.

HYADES stellæ, cur sic vocentur, 428C'. — Allegorice, Doctores signant, 441B.

HYPOCRITA, quid sit, 501D', 680D'. — Laudes hominum sectatur, 419C, 423A', et nihil non infructuose agit, 519C', 610B. — Hypocritæ stulti sunt, 419D, 423B, Deo odiosi, 419C, 501D', 610B, 684A, et justis, 537A', quibus insidiantur, 520B ; raro aut nunquam convertuntur, 681D, et in fine peribunt, 419A', 492C', 610C. — *Cf.* Callidi *et* Impii.

I

IDITHUN, seu Ethan, Merarita, 172A, dux sinistri cantorum chori, 131C', prophetiæ spiritu ornatus fuisse videtur, 172C.

IDOLA dabant responsa et remedia, quare, 5A', 244B'. — Idololatria quandonam cœperit, 297C'. Pessimum est scelus, 650B, et spiritualis fornicatio, 43A. An et quatenus eam simulare liceat, 29A'. — Idololatræ Deum sæpe cum idolis colebant, 271A ; et in omni gente paucissimos cultores sibi Deus servaverat, 28D, 293C.

IDUMÆI, vocantur etiam Ammonitæ et Mons Seir, quare, 231B, 232B. — A David subacti, 159B', tributarii Israel fuerunt, 14B, usque ad Joram, 40B', 235A'. — Ab Amasia debellati sunt, 58A', 243C'. — De eorum regibus, 14B, 40B', 111C', et ducibus, 112C'.

IGNIS de cœlo super sacrificia sæpe descendit, 164A, 204B, et certum fuit indicium quod placerent Deo, 204C. — Item, ad precem Eliæ, cecidit super milites Ochoziæ, 6D, A' ; et, operante dæmone, super oves Job delapsus est, 314C. — Pueros suos igne lustrabant gentiles, 65B. — Mystice, quid significet, 323B', 329C, 546D, 550B'. — Ignis inferni ardet, sed non lucet, 452A', 453B' ; cruciat, sed non destruit, 567D' ; perpetuo in suo vigore manet, 569C. Quomodo devoret impios, 569D.

IGNORANTIA affectata non excusat, 576B ; imo potius gravat, 671A'. — Indocti ad docendos alios minime se ingerant, 587D'. Eos instruere, opus est misericordiæ, 631C.

IMMACULATUS. Triplici modo quis sic dici potest, 522A'. — *Cf.* Maria.

IMPATIENTIA caligo vocatur, 592C', et hominem dedecet, 364B'. — Impatientis est mortem ex tædio vitæ affectare, 353B' ; de adversis conqueri, 352B; et loquentes usque ad finem audire non posse, 363C'. — *Cf.* Patientia.

IMPII inimici sunt Dei, 494C', quem nesciunt, 549B', 576C', et a quo frustra se abscondere nituntur, 493B'. — Semper superbi, 517D, tremebundi, 517C', 598C', suspicaces, 517D',

Digitized by Google

inquieti, 573 C, et instabiles, 577 B', nec suis nec sibi parcunt, 578 A', et dæmonibus subjiciuntur, 573 C', D'. — Justo Dei judicio fit ut alii temporalibus bonis abundent, 345 D, 614 A, B, alii adversa incidant, 577 C, A', 603 C'. — Si quando eis favere Deus videatur, 424 A, prosperitas eorum est omnino fallax, 367 A, 376 B, 419 B, 424 D', etc., quia nunc flagella evadunt, 568 C', 575 D, 579 B, ut in judicio finali plenius condemnentur, 580 A. Vera pace carent, 426 C', 573 C, licet sit eis pax quædam carnalis, 426 D; dies eorum sunt vacui, 409 B', et noctes graves, 409 C'; delectationes eorum brevissimæ, 376 C, 546 A', 565 D', 572 A, respectu vitæ futuræ, 424 D', 565 C, 571 D'; tandem Dei judicio dispereunt, 366 B', 549 A, 599 A', etc. Eorum vita sæpe abbreviatur, 578 C', 584 A, et laus eorum transit, 548 C', 565 C, 571 C'; eos manet desperatio, 523 A', et in inferno pœnas debitas sortiuntur, 381 A, 423 D'. — Ex hodierna impiorum prosperitate constat ulteriorem esse vitam, 542 B. — Sed sæpe, etiam in hac vita deprimuntur, 48 C', 519 A, ad terrorem aliorum, 671 A, Deo eorum consilia subvertente, 380 C, 480 C. 546 D', et malitiam vertente in ipsorum damnum, 380 A', 486 C', atque in justorum bonum, 380 C', 486 D'. Eorum sors describitur, 567 B, 611 B. — Justos accusant, 444 C', et derident, 477 B; arguunt, 421 A, et increpant, 421 B', 470 B, 471 A, etc., eisque interdum prævalent, 383 A', quia ad eorum purgationem deserviunt, 424 A. — Impii justificatio est quid majus quam creatio mundi, 499 A. — Recte terræ comparantur, 310 A, et mari, 440 B'; scirpo et carecto, 419 B, D'; paleis et favillæ, 577 B'. Eorum societas vitanda est, 229 C, et eis mala precari licet, 530 B'. — Quo sensu in judicio non resurrecturi dicantur, 511 B. — *Cf.* Peccatores.

INCARNATIO Christi merito dies vocatur, 321 C'. — Per sanationem aquarum Jericho præfigurata est, 12 A'.

INDIA a Jectanitis occupata est, 109 C'. Optimos dat colores, quare, 619 A. — Tropologice, figura est mundi, 626 B.

INFANTES absque Baptismo defuncti, quamnam pœnam sustineant, 442 C', 511 B'.

INFERNUS multipliciter accipitur, 452 B, 507 C, 511 A'. — Immensus est, 682 A', in medio terræ, 603 A'. — Ibi sunt spissus aer, 452 D, tenebræ interiores et exteriores, 452 B, 569 B, ignis ardens, sed non radians, 453 A', nisi quantum sufficit ut appareant turpissima damnatorum corpora, 452 A', crucians, et non destruens, 567 D', et nunquam exstinguendus, 569 D; ibi calor intensissimus horrendo frigori succedens, 597 A', dirissima fames, 388 D', et extrema inopia, 612 A'; ibi nullus ordo, 452 C', licet tormenta ordinentur, 453 A, et pœna respondeat culpæ, 568 A; ibi demum cumulus miseriæ, 453 C. — Damnati, doloris vehementia, a libero rationis usu impediuntur, 463 B'; et subsannantur ab omnibus, 613 A; verumtamen puniuntur citra condignum, 598 B. Præ eorum multitudine, electi pauci dicuntur, 580 D'. — Quantum prosit inferni meditatio, 464 A.

INIMICUS. De inimicorum ruina lætari non licet, 650 A'.

INIQUITAS, et malitia, et peccatum, quid, 582 A. — Falsum est iniquitatem Deo placere tanquam ipsi utilem, 675 A.

INTELLECTUS, multipliciter accipitur, 617 C'. — Cur homini datus, 665 B', 677 B'. — Ipsi tribuendæ sunt sensuum operationes, 368 C, 485 C. — In somno quomodo operetur, 369 A', D'.

Intelligentia, quid sit proprie, 192 D. — Principium et sedes est sapientiæ et scientiæ, 618 A. — Per fugam peccati monstratur ac perficitur, 622 A'. — In Deo idem sunt intelligens et intelligentia, 625 D. — *Cf.* Mens.

INTERROGATIO multis de causis fieri potest, 27 D. — Quomodo Deus interroget Satan, 308 D, et hominem, 441 C'.

INVIDIA, quid sit, 375 B'. — Peccatum est diaboli, 375 C', ac parvulorum, 375 B', mentem excæcans, 388 B, animæ et corpori pariter nocens, 375 C'.

IRA, quid sit, 375 C, et ubi resideat, 513 C'. — Ex se gravis est, 374 D', et plurimum nocet, 375 B; mentis oculum turbat, 15 A', 537 C, et corpus quasi deficere facit, 537 D; signum est stultitiæ, 375 A, 513 D', et hominem intolerabilem efficit, 550 D. — Magnanimis potissimum insidiatur, 375 C. — Ira quædam sancta habetur, 375 D, 537 C. — Ira non nisi improprie Deo tribuitur, 84 B, 674 A', 675 B'. Ira Dei duplex est, 431 A, et flatus vocatur, 366 B'. Valde metuenda est, 431 C; utrum quis ei resistere possit, 430 D'. — « Ira Dei » dici potest tempus V. L., 507 D.

ISAI, pater David, qui et Naas dicitur, 123 C', quot filios habuerit, 115 A.

Digitized by Google

ISAIAS propheta, avunculus Manassæ, 82 C, lignea serra, jussu ejus, sectus fuisse perhibetur, 82 C, 277 B'. — Librum de gestis Oziæ scripserat, qui non superest, 247 A'.

ISRAEL populus, hereditas Domini. Semper in eo fuerunt aliqui boni, 81 D. — Dominus specialiter Deus Israel dicitur, quare, 179 D'. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 100 A.

Israel regnum, quomodo a domo David defecerit, 210 A. — Omnibus tribubus constabat, præter Juda, Benjamin et Levi, 69 A. — Non semel a Deo salvatum est, 36 C, 55 A, 59 A'; sed post Jeroboam, filium Joas, decidere cœpit, 3, 62 D; et sæpius ab Assyriis petitum, 63 B, 68 A, 71 B, et intestinis dissentionibus distractum, 45 C, 62 A', C', 63 A', C', 64 A', sub Osee penitus deletum fuit, 68 A; quare, 68 C et seq. — Multi ex Israel captivitatem evaserunt, 69 B, et ad Juda transierunt, 138 D, 212 A. — *Cf.* Juda *et* Samaria.

ISSACHAR. Generationes Issachar describuntur, 134 B. — Issacharitæ docti erant et litterati, 149 A.

J

JABES varia designat, 118 B. — Jabes, celeberrimus legis doctor, alias Othoniel, cur sic dictus, 122 C'. Cinæos erudivit, 118 A'. Quæ ejus deprecatio, 123 A, et quid significet, 118 C'.

Jabes, urbs Galaad, 142 D. Viri Jabes in Saulem grati, 142 A', cum honorifice sepeliunt, 142 C'.

JAHAZIEL propheta victoriam Josaphat promittit, 232 C'.

JAIR, filius Segub, judex Israel, 115 D', quo jure terram extra tribum suam possederit, 116 A.

JANITORES templi. Quæ eorum officia et ordinatio, 139 B, C', 173 C, et numerus, 168 D. — Figura sunt prædicatorum, 175 B'. — *Cf.* Ostia.

JAPHET. Filii ejus recensentur, 107 B'. — Quas terræ partes occupaverint, 108 B, 109 D'.

JEBUS, quæ et Jerusalem, 144 B, a Jebusæis usque ad David occupata est, 144 C. — Quomodo inde expulsi sint, 144 A'. — *Cf.* Jerusalem.

JECHONIAS. Sic plures vocati sunt, 121 D. — *Cf.* Joakim.

JEHU, filius Namsi, x^{us} rex Israel, quomodo unctus sit, 41 C. — Dolose interfecit Joram, regem Israel, 43 A, cum progenie Achab, 45 C; Ochoziam, regem Juda, 43 A', cum cognatione sua, 46 C'; et universos sectatores Baal, 47 D. — Non peccavit rebellando, 46 D, sed simulatione deliquisse videtur, 48 A'. — Licet zelum Dei habuerit, 47 C, et aliqualem fidem, 43 C, 45 A', vitulos aureos colebat, 48 A; quapropter temporali tantum mercede donatus est, 48 B, et tandem ab Hazaele devictus fuit, 48 D. — Quorumnam typus fuerit, 48 C'. — *Cf.* Jezabel.

JEREMIAS propheta, quandonam innotescere cœperit, 84 C', D'. — Libros Regum compegisse dicitur, 106, 186 B'. — Threni ejus partim de Josiæ morte conscripti sunt, 271 A', C'.

JERICHO, urbs Benjamin. Ibi erat schola prophetarum, 8 B'. — Prophetæ Jericho Eliseo primi se subjiciunt, 10 D, et Eliam frustra requirunt, 10 B'. — Aquæ Jericho nocivæ, 10 C', ab Eliseo sanantur, 10 D'. Quid mystice, 12 A'.

JEROBOAM, filius Nabat, I^{us} rex Israel, quomodo regno potitus sit, 210 A', 214 C'. — Ex præordinatione divina fuit rex legitimus, 215 A; sed peccavit, tempus præveniendo, 215 C. — Idololatriam introduxit in Israel, 13 C, 47 D', 54 D, 69 A', 215 B'. — Contra Roboam prævalens, 214 D', ab Abia superatus est, 216 D'. — Allegorice, quid exprimat, 218 B.

JEROBOAM, filius Joas, XIII^{us} rex Israel, quo anno regnare cœperit, 60 A, 61 C'. — Fortis in bello, 60 C', terminos restituit Israel, 60 B, juxta vaticinium Jonæ, 60 B, A', et regnum ultro citroque dilatavit, 60 A', C'. — Cur ipsi concessa sit tanta prosperitas, 60 B', quum malus fuerit, 60 A. — Eo defuncto decidere cœpit Israel, 62 C.

JERUSALEM, seu Jebus, urbs fortissima, 96 C, et metropolis regni Juda, 138 A', insuper, ad cultum divinitus destinata, 144 C, a David capta fuit, 144 D, et a Joab munita, 144 D'. — Non semel ab hostibus expugnata, 94 B, 212 D', 245 A', a Chaldæis destructa est, 97 C', 274 B. — Quibus postea incolis aucta sit, 138 C. — Allegorice, militantem Ecclesiam exprimit, 100 C'. — *Cf.* Sion.

JESBAAM, primus inter fortes David, quæ fecerit, 145 B. — Factus est princeps primæ turmæ exercitus, 176 C.

JETHER, pater Amasæ, quis fuerit, 115 B.

JEZABEL, uxor Achab, quomodo Jehu susceperit, 43 D'. — E fenestra palatii præcipitata,

Digitized by Google

45A, a canibus devorata est, 45B, juxta comminationem Eliæ, 45A'.
JOAB, cujus filius fuerit, 123D'; et quomodo dux militiæ David factus sit, 144B'. — Munivit Jerusalem, 144D'.
JOACHAZ, xvii^{us} rex Juda, qui Johanan et Sellum æque nuncupatus est, 120D', quomodo primogenitus Josiæ dicatur, 121B. — A populo rex constitutus, 91C', 92D, 121C, post tres menses a Nechao dejectus est, 91D', 272D, et in Ægypto obiit, 272C.
JOACHAZ, filius Jehu, xi^{us} rex Israel, 54D, licet malus, factus est salvator Israel, 55A. — Aliquantulum resipuit, 55D.
JOACHIN, filius Joakim, xix^{us} rex Juda, quomodo regno præfectus, 94C, et quando, 94D, 273A. — Dolose a Nabuchodonosor captus, 94A', 99C', in Babylonem translatus est, 95B, 273B. — Ab Evilmerodach exaltatus est, quare, 99A'.
JOAKIM, prius Eliacim et Jechonias, filius Josiæ primogenitus, xviii^{us} rex Juda, 92D, 121B, a Nechao constitutus, 92C, 272B', a Nabuchodonosor dejectus est, 93C, 272C', et occisus, 94A. — Impius et crudelis, 92A', Uriam prophetam interfecit, 93C', et in corpore stigmata idololatrica portabat, 272D'.
JOAS, filius Ochoziæ, viii^{us} rex Juda, a clade suorum ereptus, 49B, diu in templo latuit, 49D; et septennis, 240A, rex effectus est, 50D'. — Primo bonus, templum restaurandum curavit, 52D, 240C; sed sacrilegis suorum adulationibus deceptus, 242A, in idololatriam corruit, 242B, et homicidium, 242C. — Quæ ejus pœna, 54A, A', 242B'.
JOAS, filius Joachaz, xii^{us} rex Israel, 55A'. — Licet malus, 55B', Eliseum diligebat, 55C', et illi obediendo, 56A, ter victoriam de Syris reportare meruit, 57B. — Regem Juda percutit, 59D, et Jerusalem occupat, 59B', 245A'. — Quæ ejus parabola, 58D, 245C. — *Cf.* Sagitta.
JOATHAN, filius Oziæ, xi^{us} rex Juda, pius, 64A, 248A, et potens, 248A, portam templi Speciosam ædificat, 64B.
JOB, quomodo interpretetur, 318C'. — An vere exstiterit, 296C, C'. — Quis fuerit : Plura de hoc senserunt, 296B. Alii hunc dicunt de stirpe Esau, 110A, 293A, et eumdem qui Jobab, filium Zaræ, de Bosra, 110A, 293B, regem Seir, 112B, 293C : ita Ambrosius, 112C, 293B, Augustinus, 112C, 293B', Gregorius, 293B, etc., quare, 294B; alii, et verius, de stirpe Nachor, 112C : sic Hieronymus, 112C, 293B', et Hebræi, 112D, 294A. — Ante Moysen vixit, juxta quosdam, 294C; post Moysen, juxta alios, 294B'; probabilius, Moysis tempore, 295A, etsi non pauca obstare videantur, 295D. — Ubi vixerit, 109A, 294B. — Fuit dives, 303B, 630D, potens, 630A', et gloriosus, 303B'. — Licet gentilis, 299A', 300D', evangelicas virtutes coluit, 365A, 650A', castitatem, 642D', justitiam, 631A', 646C', 652D, misericordiam, 631C, 647A', divitiarum contemptum, 649D, caritatem, 650D, fidem, 650A, hospitalitatem, 651B, fortitudinem, 651A'; præcipue simplicitatem, 301A, rectitudinem, 301A', 310D, et patientiam, 315D', 316A', 331B, 335C, 352B. Num fuerit omnium coævorum optimus, 310B. — Per eum Deus fideles docere voluit, 299A', et seipsum prædicere, 299B'. Ei culpa hominis et redemptio revelatæ sunt, 556C, et mortuorum resurrectio, 556D, quam evidentius ceteris Prophetis vaticinatus est, 414D'. — Quanta astutia percusserit eum diabolus, 313D', 314B, A', B', 315A', quanta sævitia, 333B', 406B, 451D', 526C', 527D'. Morbus ejus qualis, 333D' : gravissimus fuit, 333B', 528A, imo letalis, 641B; omnes artus, præter linguam, invaserat, 554B'. Supernaturaliter curatus est, 641B. — Sic exercitatus est, partim ob culpas suas, 495C', partim ut probaretur, 299D', partim ut universis fieret patientiæ exemplar, 312A', 332B, 590D.
Sermones Job, 341D, 390B, 401C, 425B, etc. — An occasionem disputandi quæsierit, 353C. — Multa ejus verba litteraliter male sonant, 298D'; in his tamen peccasse non credendus est, 352D'. — Quo sensu diei nativitatis suæ maledixerit, 341D', 348C', 356A', 360C, 362D, et quo jure, 356B'. — An potuerit, absque peccato, conqueri de justitia Dei, 352B, et se injuste damnatum asserere, 552A', 665C'. — Num vere crediderit neminem, nisi pro culpa, affligi posse, 352C. — Quo animo optaverit se natum non fuisse, 343D, 354C', vel in utero matris obiisse, 358B', 362B'. — Quatenus se mundum a peccatis affirmare potuerit, 465A, 601D, 659C, A'. Nunquam mortale peccatum incurrit, 609B'; sed a venialibus non fuit immunis, 433A'. — A præsumptione excusandus est, 390C. — Spiritualiter, figura est Christi, 318B', 337B, 397D, maxime pa-

Digitized by Google

tientis, 300 A', 318 C', 531 A', 557 D, et Christiani, 325 C, 421 A. 530 B, 540 A, maxime pœnitentis, 633 C'.

Uxor Job. *Vide* Uxor. — Filii Job, quomodo perierint, 324 A. Optimi erant, 304 D', et caritate commendabiles, 303 D', 304 A, et salvati creduntur, 315 B. Quid significent, allegorice, 319 C', 320 C', 324 A, et tropologice, 326 A, B', 329 B'. — Filiæ Job, item, 319 D', 321 A', 324 A; 326 A, B', 329 B'.

Amici Job reges fuerunt, 335 D'; plurimum eruditi, 475 D', licet non omnino sapientes, 538 C; et justi, etsi in aliquibus peccaverint, 609 C. — Ex bona amicitia ad eum venerunt, 394 C', et zelo Dei ad eum increpandum concitati sunt, 363 B; sed indiscrete et impatienter disputando peccasse videntur, 364 A, 525 B, 570 D, et mox de illo pessime sentire cœperunt, 527 D. — In quo cum eo consentiant et ab eo dissentiant, 348 A, 360 B'; et quæ eis disputandi materia, 361 A', 416 B, 574 C'. Plerumque verba Job, potius quam mentem reprobant, 516 D. — An remunerationem futuram negaverint, 360 B', 361 D', et de animæ immortalitate dubitaverint, 361 D', 362 C, 383 D', 416 D, 513 B. — Eorum verba sæpe vera et profunda sunt, 520 D', imo, superficie tenus, rationabiliora verbis Job, 417 C; verumtamen non semper verificantur, 376 D', et non sunt in omnibus verba Spiritus Sancti, 377 A. Unde peccent eorum argumenta, 417 B. — Mystice, varia significant, 339 A, 340 B, 421 A, 549 D. — *Cf.* Baldad, Eliphaz, Eliu, Sophar.

Liber Job a quo conscriptus sit, 295 B', 296 B, D, et qua mente, 297 A, 298 B', et de quo tractet, 296 D, 297 D, 348 A. — An veram historiam narret, 296 C, 654 B'. — Rhetorice scriptus est, 504 C. — Luculenter expositus est a B. Gregorio, quoad sensum mysticum, 318 B, 567 D, et a B. Thoma, quoad sensum litteralem, 435 D.

JOBAB. Plures hoc nomine vocati sunt: alter, filius Jectan, 109 D'; alter, rex Edom, 112 B. — Perperam uterque a quibusdam pro Job habitus est, 110 A, 112 B.

JOHANAN, filius Josiæ, quis fuerit, 120 C'. — *Cf.* Joachaz.

JOIADA pontifex, quomodo Joas regem constituerit, 49 C', 238 C. — Fœdere inter regem et plebem renovato, 51 B', cultum restituit, 239 B'. — In sepulcro regum sepultus est, 241 D'.

JONADAB, de stirpe Jethro, 47 B, pater Rechabitarum et amicus Jehu, 47 A, vir valde religiosus, 47 A.

JONAS propheta, unde ortus sit, 60 C, et cur dictus filius Amathi, 60 B. — Diutissime vixit, 60 B'. — Non omnes prophetias ejus habemus, 60 A'. — Quid Jeroboam promiserit, 60 A'.

JONATHAS, filius Saulis, cur a Philistæis interfectus, 143 A'.

JONITUS, filius Noe post diluvium genitus, fuit magnus astronomus, 78 C'.

JORAM, filius Josaphat, v^us rex Juda, crudelis, 235 B, et impius, 235 C, instigante uxore Athalia, 40 A', templum Baal construit, 51 C', et ædem Domini spoliat, 52 D'. — Quæ ejus punitio, 40 B', 236 B. — Extra sepulcra regum conditur, 40 D'. — Quot annis regnaverit, 237 B. — Ad ipsum epistola Eliæ minarum plena mittitur, quomodo, 235 B'.

JORAM, filius Achab, ix^us rex Israel, quando regnare cœperit, 7 B. — Aliqualiter malus, 13 B, et idololatra, 14 B', una cum Deo vitulos aureos colebat, 35 B, sed Chananæorum idola abstulit, 13 C, et zelo Dei non omnino caruisse videtur, 26 D'. — Moabitas expugnat, 13 B', 16 A, sed non penitus, quare, 16 B', C'. — Quamvis ab Eliseo pluries auxilium acceperit, 14 A', 15 A', 32 D', in Samaria tamen obsessus, 34 A', et angustiatus, 35 A, illum interficere conatur, cur, 35 B. — Quo jure Moabitarum arbores succiderit, 16 B. — A Jehu occiditur, 43 B, in ultionem sanguinis Naboth, 43 D.

JORDANIS fluvius ab Elia dividitur, 9 A, et ab Eliseo, 10 B. — Allegorice, Baptismum signat, 31 C.

JOSABA, uxor Joiadæ, 49 C', quæ fuerit, 49 B. — Quomodo parvulum Joas a morte eripuerit, 49 C.

JOSAPHAT, filius Asa, iv^us rex Juda, potens, 225 C, 226 A', D', dives, 226 A, 227 B, et gloriosus, 226 B, sed præcipue justus, 225 C', excelsa, saltem partim, aufert, 226 C, et legem Dei docendam curat, 226 D, C', 229 D. — Præcepta ejus ad judices, 229 B'. Quomodo supremum tribunal constituerit, 230 B. — Mirabiliter ab hostibus liberatur, 231 B, 232 C'. — De sua cum rege Israel amicitia, 13 C', 227 B, increpatur, 229 B, et punitur, 234 C. — Moraliter, speculum est boni prælati, 230 D'.

Digitized by Google

JOSIAS, filius Amon, xvi^{us} rex Juda, quando regnare cœperit, 82 D. — Benignus et pius, 83 B, vix duodennis, idololatriam auferre aggressus est, 86 D, 266 C, etiam excelsa, 88 B; templi reparationem promovit, 83 C, 267 A, et fœdus cum Deo instauravit, 87 A. — Quanta ejus perfectio, 90 D'. — Tempore ejus, liber Moysis in templo repertus est, 83 C', 267 B. — Occisus in prælio, 91 B', 270 D', 271 C, quomodo in pace obiisse dicatur, 86 A. — Eo mortuo, arbor et fons aruerunt, 271 D'; et multi amarissime luxerunt, 271 A', maxime Jeremias, qui partim de eo conscripsit Threnos suos, 271 B'. — Mystice, optimum fuit prælatorum speculum, 86 A', 92 B', 271 D'. — *Cf.* Adadremmon, Bethel, Jeremias, Holda, Nohestan.

JUDA patriarcha, quot filios habuerit, 114 B, 122 B. — Partem primogenituræ Ruben accepit, 128 B'.

Tribus Juda, ampliorem sortem nacta, partem cessit Simeoni, 127 A'. — Ei concessa est regia dignitas, quare, 179 B.

Regnum Juda tribus constabat tribubus, 69 A; insuper ad ipsum confluxerunt multi de Israel, 138 D. — Non pauci principes Juda ad idola declinaverunt, 69 C; et nullus, excepto Josia, 88 B, excelsorum cultum abjecit, 64 A'. — Quo tempore decidere cœperit, 3; et quomodo cessaverit, 96 B. — Judæi ad omne scelus durati, 273 B', et Prophetarum minas parvi pendentes, 273 D', tandem in captivitatem ducuntur, 94 D', 97 D', 98 D, 274 A. — Spiritualiter, quid regnum Juda, 100 A, reges Juda, 100 A', transmigratio Juda, 101 A'.

JUDÆI plurimi circa Providentiam erraverunt, 583 B'. — Sanctitati Christi inviderunt, 319 B'; et perpauci in eum crediderunt, 323 D. Sua ingratitudine, 384 B, a Romanis conteri meruerunt, 384 C. — Eorum cæcitas inexcusabilis, 387 D. — Olim ceteris populis prælati, 488 A, nunc sunt omnium despectissimi, 488 B. — Libros Scripturarum, quomodo in suis scholis legant, 118 B'. — Fabula judaica de filiis Ephraim, 135 D.

JUDÆI auctores : Josephus (Flavius) « fidelis Judæorum historiographus », 110 B', passim allegatus, 15 C', 39 A', 44 A, etc. — Philo, philosophus, 109 A', 112 B, 349 C', etc. — Rabbi Moyses, seu Moyses Ægyptius, (Moses Maimonides) 312 D, 332 C, 378 C, etc. — Rabbi Salomon (Jarchi, vulgo Rasi), « excæcatorum Judæorum excæcatus magister », 664 A, « sæpissime ponit abusiva et frivola », 19 B, et « dictis curiosis incertis frequenter se occupat », 26 B. Sæpius refellitur, 16 D', 18 B', 19 A, etc. — Abraham (ben Chija) astronomus, 312 D, 350 B. — Isaac (Benimiram), philosophus, auctor libri Definitionum, 312 D, 549 B.

JUDAS proditor, Christo carissimus fuit, 561 D'.

JUDICES olim in portis judicia dabant, 376 A', quare, 630 A'. — Vicarii Dei sunt, ideo dii dicuntur, 229 B'. — Eis necessarius est timor Domini, 229 C', 230 A, et matura consideratio, 229 C'. — Tanquam lex viva, passionibus carere debent, 443 C', 683 C, munera recusare, 683 D, potentibus non favere, 683 D, causas diligentissime scrutari, 631 A', 636 C', et justum judicium non protelare, 683 B'. — Quod eorum peccatum qui causas intricare solent, 366 B'. — Quomodo a diabolo excæcentur, 434 D', et a Deo, 480 D.

JUDICIUM necessarium est animæ, 665 A'; qui illud non amat, salvari nequit, 669 A. — Ne pro Deo quidem licet judicium subvertere, 490 D. — Judicia Dei per angelos, sive bonos sive malos, exercentur, 38 B'. Metuenda sunt, 236 B', et occulta, 345 D'; sed nunquam injusta, 668 A, saltem ex parte Dei, 552 A'; et de his non est investigandum, 442 A. — Requirit justitia Dei ut homo de suis actibus judicetur, 498 C' : perpauci ad illud judicium fiducialiter stare queunt, 430 A', et prælatis durissimum erit, 487 D'. — In extremo judicio Christum cuncti videbunt, 563 D'; et reprobis valde terribilis apparebit, 511 D. Judicii hujus quantum prosit meditatio, 571 C.

JUGE sacrificium mane et vespere offerebatur, 193 B', cantantibus Levitis, 169 C'.

JUMENTA, quæ sint proprie, 478 C. — Quomodo nos doceant, 478 B; et quid spiritualiter signent, 484 D', 677 C'.

JURAMENTUM actus est latriæ, 608 B. — Quæ jurandi forma in V. T., 608 C.

JUSTI. Ut justus quis reputetur, quid necesse sit, 493 B. Sic multi se justos certissime noverunt, 429 C', 686 B'. — Dei est hominem justificare, 498 D'; et nullibi majorem exhibet misericordiam, 496 A. — Sub lege naturæ justis revelabantur necessaria ad salutem, 591 D; in V. T. communiter prosperitate donabantur, 366 C, 641 B'; et unusquisque alicujus virtutis exemplar fuit, 300 A, ac figura Christi, 300 A'. — Aliis in exem-

Digitized by Google

plum positi sunt, 310D', et quilibet virtute præstat in qua nullum similem habere dicitur, 72B', 310C. Quomodo Deo adjutorium præbeant, 602B'. — Multis de causis Deus sinit eos in terra probari, 129B', 185C, 334A', 366C, 377D, 536C, et tentari, 432A', et ab impiis derideri, 42A, 477B, 541C', imo et occidi, 366A; sed nunquam eos patitur ultimo vinci, 328B', et eis finale dat auxilium, 424B. Quibus potissimum affligantur, 397A. — Semper se peregrinos reputant super terram, 184C', 623D, et pauperes, 167A'; suspectam et onerosam habent temporalem prosperitatem, 345D, licet eis quodammodo competat, 302C'; sed eorum paupertas impiorum opulentia locupletior est, 614B, quia animum semper in patientia et lætitia possident, 311D, 344A, 573D, ineffabiliter Sancti Spiritus præsentia recreantur, 424B', 481B', 488D, et postmodum omni gaudio perfundentur, 424D, 481C'. — Præ ceteris vivere dicuntur, 664B'; attamen vitæ brevitatem melius norunt, 412B', 504D, et tædium acrius sentiunt, 433D', et mortem vehementius optant, 434C. — Nonnulli injurias vindicasse leguntur, 6D, 7C', 11A'; sua merita recoluisse, 444C', suas virtutes commemorasse, 476C, 642D. — Regibus comparantur, 636C, militibus, 402A', 409A, mercenariis, 402B, cervis, 409B', lampadi, 477D, 484C, et lapidi, 595C. — *Cf.* Beati, Justitia.

JUSTITIA in duobus consistit, 302C; omnium virtutum exercitium amplectitur, 636B, et uno mortali peccato inficitur, 302D. — Virtus quælibet justitia dici potest, 636C. — Deo soli competit omnimoda justitia, 522D'. — Justitia creata, injustitia dicitur, et nullius est momenti, 492A', si divinæ comparetur, 372A, 425B, 589C, vel si stricte judicetur, 432B; in se tamen justitia est, 589A'. — Justitia nostra, et Dei et nostra est, 663C. — Non repugnat justitiæ innocentem affligi, 417A, aut impium florere, 614A. — Propriam justitiam prædicare non semper est illicitum, 654B. — *Cf.* Judex.

JUVENALIS, satiricus, citatur, 680A'.

L

LABOR de conditione est hominis, 377D'. — Qui sint labores magis commendabiles, 385D'.

LAC unicum est alimentum naturaliter aptum homini, 638B'.

LACRIMÆ dolorem levant, 451D'; vultum tumescere faciunt, 528B'. — In afflictione immodica siccantur, 451D'.

LAPIS, quid sit, 615B. — In æs vertitur, quomodo, 614D'. — Spiritualiter, figurat justum, 512C', 595C, et peccatorem, 622C'.

LEO. An fuerint in templo leones argentei et aurei, 181D. — Leæna, quomodo capiatur, 450C'. Allegorice, Ecclesiam exprimit, 624B'.

LEPRA naturaliter insanabilis est, 27A. Naaman, quomodo a lepra mundatus fuerit, 27B'. — Leprosum alloqui lex non vetabat, 39B. A quatuor leprosis Samaria salvata est, 36D'. — Lepra spiritualis, quid, 32A, et quomodo curetur, 32A'. — *Cf.* Giezi, Ozias.

LESBII. Qua regula in construendis ædificiis uterentur, 450C, in proverbium abiit, 450B.

LEVI partem primogenituræ Ruben recepit, 128B'. Generationes ejus describuntur, 130D. — Levitæ undequaque ad regnum Juda confluxerunt, 211B'. Quæ eorum urbes, 132D'. — A David ordinati sunt, 167D, et ab Ezechia, 258C. — Qua ætate ministerio templi applicarentur, 260C, et quamdiu, 168A. — Sub manu sacerdotum ministrabant in atrio et vestibulis templi, 169C, et canebant quotidie, durante jugi sacrificio, 169B', et in festivitatibus, 169C'; nec Sanctum nec Sanctum sanctorum intrabant, 268C. — *Adde* Cantores, Custodes, Janitores, Sacerdotes.

LEVIATHAN, quomodo interpretetur, 342D'. — Piscem grandem designat, 358A, et diabolum, 343A, 350B, 358A.

LEX. De distinctione legum : Quid sit lex æterna, 472A, lex naturalis, 472A, lex divina, 472B, lex humana, 472C. — Ad legem naturalem spectant præcepta decalogi, 591D. Lex divina, quomodo dicatur multiplex, 465C'; mandata ejus duplicis sunt generis, 494A'. — Ad salutem non sufficit aliqualis observatio legis, 84C, 593D'. — Liber legis in templo, tempore Josiæ, repertus est, 83C'. Exemplar ejus regi noviter instituto tradebatur, 51B. — Deus summus est legislator, 684B; similiter et Christus, 684D.

LIGNUM mystice varia significat, 510A. — *Vide* Arbor.

LIMBUS quandoque infernus vocatur, 404D, 507C, 538D; et profundissimus dicitur, quare, 539B'. — In limbo patrum, justi sensibilium pœnarum expertes erant, 452B; sed in tenebris degebant, 452B, 539A, et imperfecta quadam quiete fruebantur, 505D'. De

Digitized by Google

his quæ in terra gerebantur, nihil prorsus sciebant, 509 B'. — In limbo puerorum, an sit pœna sensus, 442 C', 511 B'.
LINGUA, quomodo refrenanda, 364 A'. — Loquacitas signum est stultitiæ, 500 D, 513 D, 529 B', et superbiæ, 550 A. — Linguosus nec sapiens nec justus est, 464 B; custodiam mentis amittit, 470 C, et sibi ipsi nocet, 521 B. — Sapientem non decet cum turbulentia loqui, 521 A, nec sine ratione, 523 C. — Quinque in loquendo vitanda sunt, 545 A', ad quod præcipua requiritur gratia, 521 C. — Lingua hominum pristina apud Hebræos remansit, 109 D.
LONGÆVITAS priscorum hominum fuit supra naturam, 497 D.
LONGOBARDI (*lege*, Galli) Romanos senes reveriti sunt, 44 C'.
LUCANUS (Annæus) poeta, citatur, 429 C.
LUCTUS. Lugentibus olim consuetum fuit vestes scindere, 315 C', comam abradere, 315 C', pulverem capiti imponere, 336 A', cinere et sacco operiri, 528 A'.
LUCUS. Circa templa in lucis gentiles exercebant luxuriam, 55 C. — Luci a lege vetiti erant, 55 C.
LUMEN Dei multipliciter intelligi potest, 690 D. *Cf.* Contemplatio, Gratia, Vultus. — Luminaria cœli, *vide* Stellæ.
LUNA singulis mensibus quasi annum renovat, 350 A. — Quo sensu dicatur obscurari, 427 C', et coram Deo non splendescere, 601 B'. — A gentibus colebatur, quare, 650 C.
LUXURIA, quot gradus habeat, 643 A. — Quam nociva, 644 D, et vitanda, 644 B. Hominem maxime a Deo removet, 643 C', et ab hereditate Domini excludit, 643 B'; mentem in insaniam vertit, 644 B'. — Solita est superborum pœna, 487 C. — Primum luxuriæ remedium, oculorum custodia, 643 B, 645 B'.
LYRA (Nicolaus de) Ord. Min. notissimus postillator, 7 C, 15 D, 18 B', 26 B, etc. Sæpe, tacito nomine, designatur verbo « Quidam », scilicet quum improbanda est ejus sententia, 27 B, 49 B, etc.
LYRA, instrumentum musicum, cujus modi, 153 B'.

M

MAACHA, mater Abia, quæ, 213 D'. — Idololatra famosa, sacerdotio Priapi exuitur, 221 C'.
MADIAN, varia designat, 110 D', 112 A'.
MAGISTER in historiis, 7 A', 14 B, 22 D, etc. Sic vocitatur Petrus Comestor. — Quasi in omnibus Josephum sequitur, 44 B'. — *Cf.* Historia scholastica *et* Petrus Comestor.
MAGNANIMITAS maxime regibus competit, 143 A'. — Magnanimi ad iram proni sunt, 375 C, et ad aspernationem, 14 D'.
MAGOG, filius Japhet, fuit pater Scytharum seu Massagetarum, 107 B'.
MALEDICTIO. Duobus modis maledicitur, 341 A', vel tribus, secundum S. Thomam, 356 A'. — Quatenus alicui maledicere liceat, 341 A'. — Maledicere Deo tantum scelus est, ut nunquam in Hebræo proprio nomine exprimatur, 305 B, 333 B. Qui sic facere censeantur, 328 B.
MAMMOTRACTUS Bibliæ (Joan. Marchesini, Ord. Min. theologi), 183 D, 428 A', 555 D'.
MANAHEM, XVI^us rex Israel. Primo dux militiæ, 62 D', interfecto Sellum rege, 62 C', regnum occupavit, 62 D'. — Crudelissimus, 63 A, et malus, 63 B, factus est Assyriorum tributarius, 63 C, quibus aureos vitulos tradidit, 67 C'.
MANASSES, filius Joseph, neptem Laban duxerat, 135 A. — Quot filios habuerit, 134 D'.
MANASSES, filius Ezechiæ, XIV^us rex Juda. Pessimus idololatra, 80 A, in omnimodas ruit impietates, 80 D, 264 B, et multorum justorum sanguinem fudit, 81 B', inter quos, proprii avunculi, Isaiæ prophetæ, 82 C, 277 B'. — Quæ ejus scelera, ex Josepho, 82 A. — Vix in tota Scriptura invenitur quis eo pejor, 82 B', 265 C, 275 B. — Cur, propter ejus scelera, Deus tantam in Juda iram conceperit, 91 B, 93 C'. — Ab Assyriis captus, 265 A, vere resipuit, 265 B; et solio redditus, 265 D, idololatriam abjecit, 265 B', et quantum potuit, abstulit, 89 B. — In domo sua sepultus, 81 D', 265 D', salvatus creditur, 91 B. — Quid nos doceat, 266 A. — Oratio Manassæ, valde efficax, 275 B, explanatur, 275 D, et commendatur, 278 C'.
MANE quandoque extense sumitur, 408 C'. — Hora est orationi aptissima, 304 D, 407 C. — Mane et vespere, quid agendum, 327 B', C'.
MANICHÆI. Error eorum confutatur, 456 A.
MANUS. Quid manus Dei, 448 A, 686 C, et animæ, 691 C, D.
MARE immensum et sine fundo dicitur, quo sensu, 682 C. — Magnum divinæ potentiæ signum est quod mari legem dederit, 276 A. — Deus quomodo super fluctus maris gra-

Digitized by Google

diatur, 428 C, 440 B'. — Tropologice, varia significat, 440 B', 606 B', 625 C'. — Mare æneum ubi positum, 198 D'. Describitur, 198 C. A Chaldæis ablatum est, 98 A.

MARIA Virgo, ex singulari gratia, nulli peccato fuit obnoxia, 425 D', nec unquam in fide nutavit, 324 C. — Quo sensu immaculata dicatur, 522 A'. — Ejus invocatio commendatur, 374 C'.

MARIA, soror Moysis, cujus fuerit uxor, 115 D. — Non recte a quibusdam Ephrata dicitur, 115 B'.

MARTIALIS (*lege*, Macrobius), super Somnium Scipionis, 368 B.

MARTINUS (S.) nunquam tristis aut dissolutus visus est, 300 C'.

MATERNUS (S.) Coloniæ episcopus, post XL dies Petri baculo resuscitatus est, 25 B'. (Acta SS. 14 Septembris.)

MATHANIAS, minimus filiorum Josiæ, sub nomine Sedeciæ regnavit, 95 A'. *Vide* Sedecias.

MATRIMONIA, quatenus licita fuerint extra tribum, 115 C', et cum alienigenis, 117 B, 119 C. — Inter tribus Juda et Levi frequentabantur, 49 C'.

MAXIMUS (S.), Taurinensis episcopus, allegatur, 637 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 57.)

MELCHOM, deus Ammonitarum, 162 C, templum in monte Oliveti habebat, quod evertit Josias, 89 C'.

MELLO, profunda vorago in Jerusalem, 144 C', ab Ezechia munita, 261 D.

MENS sæpe ventris nomine designatur, 520 B, et uteri, 561 D, 656 D, et stomachi; quare, 513 B'. — Mentis evagatio perfectioni obstat, 542 D, et rationem excæcat, 542 D'. Quomodo depellatur, 542 A'. — Mens Beatorum in patria cunctis patebit, 626 D.

MENSA. Aureæ mensæ decem a Salomone in templo sunt positæ, 198 C'. — Mensa justi, quid, 682 B'.

MERCENARIUS. Mercedem mercenarii subtrahere, gravissimum scelus, 647 A. — Homo mercenario comparatur, 402 B.

MESA, rex Moab, tributarius Israel, rebellat, 13 C. — Ab hostibus obsessus, 16 A, filium sacrificat, 16 D, quare, 16 A', D', 17 A.

METALLA, quomodo gignantur, 614 D. — *Cf.* Æs, Argentum, Aurum, Ferrum.

METHODIUS (S.) martyr, episcopus Tyrius, citatur, 78 C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 18, col. 9.)

MICHOL, proprie uxor Davidis dicitur, quare, 119 A'. — In Hebron pariendo occubuisse asseritur, 119 C'. — *Cf.* Egla.

MIRACULA Deus prout vult operatur, 76 C'. — Quanta mirabilia perpetraverit in creaturis, 378 B', etiam minimis, 379 B, et adhuc quotidie operetur, 386 C. Miracula Dei etiam gentiles fassi sunt, 78 A. — Mundus, omnium miraculorum est maximum, 379 A. — Majus est prodigium cœlestia perturbare quam inferiora transmutare, 74 C', impium justificare quam creare mundum, 386 C. — Apostolorum miracula, quanto præstent miraculis Prophetarum, 25 A'. — Cur portenta a dæmoniis fieri Deus permittat, 5 A'. — *Adde* Eliseus.

MISERICORDIA prælatos maxime decet, 633 B', quia æquum est hominem homines misericorditer habere, 450 B, 490 C', 555 A. — Opera misericordiæ etiam in præsenti vita remunerantur, 25 B, 38 C. — Immisericordes carpuntur, 563 A'.

MOABITÆ diu tributarii fuerunt Israel, 5 A, 13 C. — Ab Hebræis debellantur, 15 C', 16 A, sed non penitus, quare, 16 B'. — Eorum arbores, quo jure succisæ, 16 B. — Mystice, quid Moab, 17 A'. — *Cf.* Mesa.

MOLOCH, deus Ammonitarum, quomodo coleretur, 88 A'.

MONTES deficere possunt, 508 C'. — Montium translatio Deo facillima, 426 D'; fit duobus modis, 427 A. — Moraliter, montes varia signant, 439 C, 512 B', 624 C'.

MORBUS. Deus per morbum hominem visitare solet, 662 D. — Minus confert sanctitati quam sanitas, 445 C. — Morbus Job, quis, 333 D'.

MORIA mons, cur sic dictus, 195 C. — Ibi Abraham filium sacrificare voluit, 195 C; angelus Davidi apparuit, 195 C'; templum Salomon ædificavit, 195 C.

MORS animæ duplex, 681 A'. — Mortem corporalem meretur homo peccando mortaliter, 374 D'. Moriens, ampliori Dei auxilio indiget, 462 A; sortem lucratur æternam, 462 B, 623 B, ad statum præsentem nunquam rediturus, 530 A', 556 A'. — Mors in hoc utilis est quod liberat a sensu malorum, 351 C, 354 D'. — Quibus de causis appeti possit, 392 D, 398 D', 433 D', 446 A, 454 A, 505 B': num quia finis est miseriæ, 351 B', 353 B'; vel propter vitæ adversa, 354 D, 355 A'; vel ob peccata quæ committimus,

Digitized by Google

354 C, 356 C'. Quo animo multi Sancti eam optaverint, 355 B', 406 D, 434 C. — Mortis umbra, quid, 452 C, B', 481 D', 482 A. — Spiritualiter, quomodo nos mori quotidie oporteat, 637 B.

MORTIFICATIO, quid sit, 462 D'. — Semper utilis est, 412 D, maxime tempore adversitatis, 412 A'.

MOYSES. Varia nomina ei tribuunt Hebræi : Mered, 124 C, D', Sammai, 124 D, Jared, 124 A', Heber, 124 B', Icuthiel, 124 B'.

MULIER, unde sic dicta, 497 B. — Ad generationem materiam confert, 539 B ; et ex muliere cuncti procedunt, 497 B, saltem quoad esse naturæ, 497 C. — Feminam dedecet loquacitas, 19 A'. — Cum mulieribus quam caute agendum, 25 C. — *Adde* Sunamitis.

MUNDUS est omnium miraculorum maximum, 379 A, 684 C'. — Angelis committitur regendus, 431 D. — Quomodo finiet, 556 A'. — Nulla gens totius orbis imperium unquam obtinuit, 274 B'. — Dupliciter mundus electos tentat, 677 A.

MUSACH sabbati, quid sit, 66 B', C'.

MUSICA valde animum movet, 15 C. — Olim pueri in musicis primo instruebantur, 575 C', et Prophetæ melodiis se ad fervorem excitabant, 15 A. — Discantus ad contemplationem incitat, 15 C.

MUTATORIA vestimenta, quid, 26 B'.

MYRMICOLEON, quid sit, 367 C'.

N

NAAMAN, Syrus, vir magnus, 26 A, virtuosus, 26 C, benignus, 28 A, et prudens, 28 A, quomodo a lepra sanatus sit, 27 B'. — Quomodo salvaverit Syriam, 26 B. — Cur de Palæstinæ terra secum asportare voluerit, 29 C. — An ab Eliseo idololatriam simulandi licentiam acceperit, 29 A'. — Bona fide munera obtulit Eliseo, 28 A'. — Deum Israel agnovit, 28 C ; sed ad Judaismum non est conversus, 30 A. — Mystice, typus fuit gentilium, 31 B.

NAAS, urbs et vir, qui, 123 C'.

NABLUM, instrumentum musicum, quod, 153 A'.

NABOTH. Filii ejus cum eo necati sunt, 43 D. — In agro ejus occisus et projectus est Joram, 43 A, C.

NABUCHODONOSOR, rex Babylonis, Asiam anteriorem sibi subjecerat, 93 B, et Ægyptum, 94 C. — Tres reges Juda successive exturbat, Joakim, 93 C, 94 A, 272 C', Joachin, 94 B', 95 B, 273 B, et Mathaniam, 96 B, 97 C, cui nomen Sedeciam imposuerat, 95 A'. — Jerusalem bis occupat, dolo, 94 B, et vi, 96 B, et penitus destruit, 97 B', 274 B, plerisque Judæis in Babylonem translatis, 95 B, 97 D', 274 B. — Spiritualiter, typus est diaboli, 101 B, B'.

NABUZARDAN, dux militiæ Babylonis, templum destruit, 97 B', et urbem Jerusalem, 97 C'. — Moraliter, spiritum fornicationis significat, 101 C.

NACHOR, frater Abrahæ, filios habuit Hus, patrem Job, et Buz, patrem Eliu, 293 B'.

NATHAN propheta, nepos Isai, inter filios ejus connumeratus est, 115 A. — Davidem prohibuit a construendo templo, 157 D, quare, 165 C'. — Cantores templi ordinavit, 253 C. — Librum scripserat, qui non superest, 186 B', ubi descripta erat historia mundi tempore David, 186 C' : hic non est liber Regum, 209 C'.

NATHINÆI, qui fuerint, 138 C.

NECHAO, rex Ægypti, a Deo suscitatus ut Assyrios invaderet, 270 D', Josiam profligat et occidit, 271 C. — Joachaz regem Juda deponit, 91 D', 272 B, substituto ei Joakim, 92 C, 272 B. — Num in Jerusalem venerit, 92 A. — A Nabuchodonosor superatur, 94 C.

NEMROD, gigas, filius Cham, auctor turris Babel, 108 D, fuit magnus astronomus, 78 C', et primus tyrannus, 108 D.

NEOMENIA. *Vide* Calendæ.

NOHESTAN. Sic vocatus est serpens æneus Moysis, quare, 72 D. — Ne idololatriæ ansam præberet, 72 C, ab Ezechia destructus est, 72 B.

NOVATUS hæresiarcha refellitur, 664 A.

NOX, cur conceptui deputetur, 346 C', 349 B, 357 B. — Tempus est revelationibus aptissimum, 369 C, et meditationibus, 403 A. — Noctes impiorum graves, quare, 409 C'. — Spiritualiter, varia exprimit, 342 B, 409 C', 669 C', 670 C'.

NUBES, quomodo templum impleverit, 204 C. — Nubes, quomodo et quare formentur, 604 D', 605 C, 621 A'. — Ad nutum Dei præsto sunt, 692 A', ubi vult spargentes pluviam, 692 C'. — Segetes umbra sua contegunt, 692 C, et terram sua luce fecundant, 692 D. — Nubium cognitio, quantam scientiam includat, 693 D. — Quid allegorice, 605 D, 692 D', et tropologice, 605 B'.

NUMERUS. Ternario numerus indeterminatus designatur, 664 C ; senario, perfectio, 57 B' ;

Digitized by Google

septenario, universitas, 252 C', 319 C', 320 B, 388 D. — Octavus mysteriis plenus est, 154 C; Denarius indeterminate sumitur, 664 D; millenarius quantamcumque quantitatem signat, 425 D', 664 D, et perfectionem, 320 C, D.

O

OBSTETRICES Ægyptiæ quantum peccaverint mentiendo, 609 B.
OCHOZIAS, filius Joram, vi^us rex Juda, qui et Azarias et Ahazias dictus est, 41 A, quando regnare cœperit, 43 C', 237 B. — Impietate sua damnationem meruit, 41 A', 237 A'. — A Jehu interfectus, ubi sit mortuus, 43 A', 238 A, et sepultus, 238 A'.
OCHOZIAS, filius Achab, viii^us rex Israel, idololatra, 5 B; ab Elia correptus, 5 B', eum comprehendere frustra conatur, 6 C. — Quomodo mortuus, 7 A.
OCTAVA. « Pro octava », quid significet, 154 A. — Per octavam varia designantur, 154 B, C. — *Cf.* Numerus.
OCULI sunt fenestræ animæ, 643 A'. — Cur palpebris circumsepti, 528 C'. — Incustoditi, plurimum nocent, 643 C.
OFFENSIO. Mons Offensionis, quis et cur sic dictus fuerit, 89 A'.
OFFICIUM defunctorum. Psalmi hujus pro maxima parte de animabus purgatorii exponi nequeunt, 459 A'; cur tamen pro eis legantur, 459 B'. — Lectiones explanantur, 412 C', 459 A', 503 A, 511 C, 543 D', 564 A.
OLEUM viduæ ab Eliseo multiplicatur, 18 B, quomodo, 18 D. — Mystice quid, 23 C'.
OLIVA saxosam terram eligit, 630 A'. — Mons Olivarum quare mons Offensionis dictus sit, 89 B'.
ONAGER, quid sit ad litteram, 391 C', 594 C', et mystice, 398 A.
ONAN, filius Juda pessimus, a Deo occiditur, 114 C.
OPHIR, seu Ophel, ubi natus est Jonas, quid, 60 C.
ORACULUM templi, quid, 197 A'. — Oraculum, quomodo fieret, 242 A'. Mortuo Zacharia, defecit in Israel, 84 B'. — Dæmoniorum oracula cur Deus permittat, 5 A', 244 B'.
ORATIO, est præcipua pars satisfactionis, 421 C'. — Quibus alis volet in cœlum, 231 D. — Quæ sit efficax oratio, 275 B, et quæ magis audiri mereatur, 422 B, 468 A', 586 C', 610 A', 678 B. — Cum fiducia orandum est, 486 B', cum reverentia, 442 C, et perseverantia, 457 C'. Nihil ita fructum orationis impedit, sicut odium in fratres, 521 A', et superbia, 678 A. — Afflictorum votis potissimum annuit Deus, 476 C', 676 B'; sed sæpe tardat audire, 486 D, 559 A', 678 D; vel ad profectum exaudit, non ad votum, 432 D; vel concupitam gratiam insensibiliter infundit, 432 B'. — Expedit orando Sanctorum suffragia invocare, 17 C, 275 D, præsertim B. Virginis, 374 C', etsi non semper liceat eis intercedere pro nobis, 440 B.
ORGANUM, quid sit ad litteram, 642 B', et mystice, 642 C'.
ORIGENES. Reprobantur quidam ejus errores, 13 A, 404 C'.
ORION, quid sit, 428 A', et unde sic dictus, 428 B'. — Allegorice, martyres notat, 441 A.
OSEE propheta, quem patrem habuerit, 129 A.
OSEE, filius Ela, xix^us rex Israel, quando regnare cœperit, 63 D', 67 A. — Subditos adire Jerusalem sivit, quare, 67 C. — Ab Assyriis captus, ultimus fuit rex Israel, 68 A.
OSTIA templi quatuor, 139 A', quid moraliter, 175 C'. — Ad invocationem nominis David ultro aperta sunt, 203 C'. — *Cf.* Janitores, Joathan.
OTHONIEL, alias Jabes, in lege peritissimus, eam Cinæos docuit, 118 A'.
OVIDIUS (Naso) poeta allegatur, 312 C, 677 D'.
OVIS, animal utilissimum, 303 B, quid significet allegorice, 320 B, 323 C', et tropologice, 326 B, 329 C. — Oves Job, quot, 303 B, 320 B.
OZA, filius Abinadab, arcam sustinens, percutitur, 151 B, quare, 153 C.
OZIAS, rex Juda. *Vide* Azarias.

P

PALLADIUS (Rutilius Taurus), auctor libri De agricultura, citatur, 506 D.
PANIS, in Scriptura, quemcumque cibum significat, 518 B. — Quomodo Christus panes multiplicaverit, 18 D. — *Cf.* Eliseus.
PAPIAS lexicographus, 153 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1437.)
PARABOLA, quid sit, 608 A, 629 C. — Semper figurate intelligenda est, 633 C. — Parabola Joas, 58 D', 245 C.
PARALIPOMENON libri, cur sic dicti, 105. — Quomodo in Hebræo vocentur, 106. — Ab Esdra compositi videntur, 106, cujus libro connectuntur, 274 D. — Quibus de rebus in

Digitized by Google

eis agatur, 105, 106; in libro primo, 107 A; in libro secundo, 189. — Eorum utilitas, quanta, 105.

PARENTES quam sæpe filios sibi dissimiles generent, 93 A. — Ex Job officia sua discere possunt, 304 C, 305 B'. — Paterfamilias debet esse exemplaris, 585 A'. Pro filiorum delictis sæpe divinitus flagellatur, 468 C'. — Parentibus anteponenda est æquitas, 651 C. *Cf.* Generatio.

PASCHA. Solennitas paschalis cur instituta, 169 D', 257 A'. — Quoad impeditos, ad secundum mensem transferri poterat, 255 D. — Solenniter ab Ezechia celebratur, 255 B, et solennius a Josia, 90 A', 268 B, 270 A'. — *Cf.* Agnus.

PASSIONES animæ, quatenus sapientem afficiant, 316 B. — Vultu manifestantur, 436 B, 509 C. — Mentem obcæcant, 336 D', et instabilem faciunt, 597 C; hominem a veritate avertunt, 659 C, et verba ipsa frequenter abrumpunt, 202 A'.

PATIENTIA, quid sit, 290, 446 C, 544 D', et unde hauriri debeat, 663 A'. — In adversis manifestatur, 501 C, quæ fortiter sustinet, 353 B'; et jaculum est contra tribulantes, 318 A. — Signum est sapientiæ, 513 D', et virtutis, 365 D. — Omnibus necessaria est, 291, et enixe commendatur, 290, 382 B', 543 C', 651 D'. — Patientiæ fructus, 585 A, et exempla, 290. — Deus patientia animæ dicitur, quare, 544 D'. — *Cf.* Impatientia.

PATRIARCHÆ V. L. quomodo non peccasse dicantur, 277 C.

PAULUS (Rabbi), Judæus conversus episcopus Burgensis, « satis pronus ad contradicendum Lyræ », 126 D, passim allegatus, 17 A, 26 B, etc., modo approbatur, 31 A, 44 B', etc., modo, et forsan sæpius, carpitur, 76 D, 113 D, 205 A', etc.

PAUPERES. Haudquaquam contemnendi, 647 C, imo honorandi sunt, 648 D. — Eorum injuriam singulariter vindicat Deus, 680 B, eisque præcipue paratus est misereri, 681 C'.

PAVOR, quid sit, 370 D. — Sæpe pro ecstasi sumitur, 689 C. — *Cf.* Timor.

PAX creaturæ, in quo consistat, 439 B. — Pax proprie justorum est, 439 B, 584 D'; peccatori non competit, 439 A, nec impio, 426 C', 573 C, licet carnali quadam pace nonnunquam fruantur, 426 D.

PECCATOR prædo dici potest, 484 D, et humo comparatur, 385 B'. — Dei adversarius est, 408 A; pace caret, 439 A; membra ejus in nihilum rediguntur, 531 B; multimodis fallitur, 548 A. — Peccantes ex ignorantia in tenebris ambulant, 482 B'; ex passione, errant sicut ebrii, 482 C'; peccantes ex malitia, malum eligunt, sed non ut malum, 671 B'; ex habitu, iniquitates prædicant et defendunt, 566 B'. — Deus peccatoribus tempus præfixit, quo eos toleraret, 623 A, et dat eis locum pœnitentiæ, 598 D'. Peccator impœnitens Deum provocat, 484 A', et ad supplicia devolvetur æterna, 568 C'. — Peccatoris conversio majus est miraculum quam creatio mundi, 499 A. Quomodo ad Deum redire debeat, 421 C'. — Maxima Dei ira est, peccatorem hic impunitum relinquere, 541 A'. — Peccator semper diligendus est, etsi odiendum ejus peccatum, 484 B. — *Cf.* Impii, Peccatum, Pœnitentia.

PECCATUM. Quid sit peccatum, 408 A, peccatum ad mortem, 597 D'; quomodo ab iniquitate, scelere et delicto differat, 494 A'. Omne peccatum aliquo modo iniquitas est, 408 D. — Amaritudo dicitur, 410 A, 495 A', et rete diaboli, 547 A; et consuetudo peccandi, laqueus, 547 D. — Ex triplici fonte oritur, 123 C, et quadruplici modo perpetratur, 343 A'. Nullum est peccatum, quin a voluntate procedat, 676 D. — Ad illud homo naturaliter pronus est, 373 C, 375 C, D', et ipsum omnino vitare nequit, 407 C', 466 A, 472 D, 516 C. — Stultissimum est, 423 B, et « infinitæ fugibilitatis », 584 A', 636 A, 651 A'; nec unquam, vel propter bonum finem, admittendum, 490 C, 500 C'. — Nemo in hac vita ejus gravitatem capere potest, 523 A; sed quanto quis illuminatior est, tanto plus illud odit, 540 C. — Malum, etiam culpæ, ad pulchritudinem confert universi, 385 D, et justis sæpe utile est, 510 A'; ideo lapsi gratias Deo referre debemus, 330 B'. Veruntamen Dominus culpas nostras nunquam gratas habet, 675 A; sed illas apud se conservat, 512 D, in die judicii manifestandas, 570 A. — Maxima Dei misericordia est electorum peccata impedire, 496 A, vel in hoc sæculo vindicare, 399 A, C, 678 B'. — Peccatorum meminisse dulce esse potest, 354 A'; sed ea jactare, gravissimum est, 484 B'.

De effectibus peccati : Originale peccatum origo est totius nostræ afflictionis, 344 A, et quadruplici vulnere animam sauciavit, 442 C'. — Peccatum animam vulnerat, 661 D, et Deo

Digitized by Google

abominabilem facit, 523 A; naturalia inficit, 550 A'; mentem reddit instabilem, 468 D'; gratiam Dei repellit a nobis, 515 C', et orationes nostras exaudiri non sinit, 468 C'. Ex eo oritur pronitas ad peccandum, 408 B, et si non cito deleatur, semper ad graviora trahit, 547 C, 573 B. — Primum auctori nocet, dein proximo, 676 B. — Peccato cuilibet pœna debetur, 436 D, quia nullum inultum remanere potest, 444 A', 596 B : et quidem mortali, mors corporis, 374 D'. — Peccatum veniale magnum est in se, 390 D, et cuicumque temporali pœnæ non impar, 390 B'; at leve censeri potest, pensata hominis fragilitate, 390 C', nec solet Deus illud in hac vita tam graviter vindicare, 390 D'. — Culpis in adolescentia commissis facilius venia tribuitur, 495 D'. — Peccatum sæpe est causa aut pœna peccati, 670 D'. — *Cf.* Peccator.

De remediis peccati : Peccatores in hac vita semper a delictis possunt resurgere, 421 C', etiam relapsi, 663 D', 664 A'; sed ad hoc requiritur gratia Dei, 592 C. — Præcipua peccatorum remedia sunt sacramenta, 512 A', oratio, 421 C', pœnitentia, 436 D, occasionum fuga, 302 C, maxime tempore prosperitatis, 346 B', 441 B', patientia in adversis, 512 B', et præcipue confessio, 454 C, 492 B'. — Expedit Dei magnitudinem recogitare, 644 B, et præsentiam, 438 C', 496 B', 644 D', et timorem servare, 365 A', 629 A'. — Bis ad minus in die decet conscientiam scrutari, 501 B'. — Peccatorum excusatio, quam nociva, 438 D, et stulta, 443 B. — *Cf.* Pœnitentia.

PECORA præcipuæ erant antiquorum divitiæ, 303 C; inde sumpsit nomen pecunia, 630 D.

PEDICA, quid sit ad litteram et mystice, 547 B'.

PELAGIUS hæresiarcha refellitur, 123 C.

PELLIS hostiarum semper detrahebatur, 254 B, a sacerdotibus, vel saltem a Levitis, 269 D'; et plerumque sacerdotum erat, 254 B. — Pelle cur homo involvatur, 449 A'.

PERFECTIO, sicut Dei gratia inchoatur, sic et conservatur, 457 C. — Ad perfectionem hominis requiritur ut dona Dei recognoscat, 456 C'. — Inferiora facilius ad perfectionem suam deveniunt quam eminentiora, 254 D.

PERSEVERANTIA commendatur, 305 D, 328 C.

PERSONA. Accipere personam, quid sit, 656 D'.

PETRUS (S.) apostolus, juste Ananiæ mortem imprecatus est, 6 D. — Tres mortui baculo ejus suscitati sunt, 25 B'. — *Cf.* Maternus.

PETRUS de Tarentasia (Innocentius V), Ord. Præd. theologus, 76 A'.

PETRUS Comestor, auctor Historiæ scholasticæ, sæpe citatur, 30 C, 49 B, etc. *Cf.* Historia scholastica *et* Magister in historiis.

PHACEE, XVIII^us rex Israel, primo dux militiæ, occiso Phaceia, regnum occupat, 63 A'. — Magna clade afficit Juda, 249 A, A'; sed ab Assyriis devictus, 63 C', interficitur, 63 D'.

PHACEIAS, filius Manahem, XVII^us rex Israel, malus, a Phacee perimitur, 63 A'.

PHALEG, filius Heber, cur sic dictus, 109 C.

PHARAO, an signa Moysis divinæ potentiæ tribuerit, 75 D, 78 A.

PHILISTÆI, an arcæ signa divinæ tribuerint potentiæ, 75 D, 78 B.

PHILOSOPHI Judæi, quid senserint de angelis, 312 D, et Providentia, 583 B'. — Philosophi ethnici, quid docuerint de Providentia, 297 D', 378 B, 583 B, A', de cognitione Dei, 473 B, 590 A, de passionibus, 316 B. — Liber de Virtutibus philosophorum (alias, de Vita philosophorum, Diogenis Laertii) allegatur, 290.

PHUL, rex Assyriorum, an idem qui Theglathphalasar, 71 A. — Regno Israel tributa imponit, 63 B.

PIGNUS sine causa auferre non licet, 582 B.

PLATO divitias despexit, 351 A. — In quibusdam errasse convincitur, 403 C', 404 B', 556 A', 693 D'. — Sæpe citatur, 291, 301 B', 377 B, etc.

PLATONICI auctores : Plotinus, qui ex perfectionibus creaturarum Providentiam demonstrat, 378 D. — Porphyrius, 276 A', « impius et sacrilegus », 557 A. — Proclus, 473 B, 695 D, ex cujus Elementatione desumptus est liber de Causis, 684 B.

PLUVIA, unde veniat, 379 C, 693 C, et qua providentia temperetur, 604 D'. — Sapientiam Dei demonstrat, 479 D', et misericordiam, 692 D'. — Dei est illam emittere, 379 D; et per eam judicia sua super gentes exercet, 686 A'. — Spiritualiter, prædicationem significat, 386 C', 486 A, et gratiæ fluenta, 486 C. — Pluviarum stellæ, quid, 685 C'.

POENA oculum mentis aperit, 578 B. — Pœnæ hujus vitæ non sunt semper vindicta peccati, 581 A', 655 C', 667 D; sed variis de causis infligi possunt, 455 A. Pœnæ innocentium quomodo placeant Deo, 434 A'. — Medicinales sunt, 382 D, 678 B', et, quantumvis graves, peccato semper impares, 472 A',

Digitized by Google

611 D', 678 C'. — Dicuntur iræ Dei, quare, 459 D. — Signum est paternæ dilectionis, hic a Deo castigari, 381 D'; indicium maximæ iræ, non puniri, 382 A, 678 D'; ideo justi adversis agitari cupiunt, 399 B.

POENITENTIA, quid sit, 585 D; et qui fructus ejus, 585 B' et seq. — Cur hominem ad pœnitentiam revocaverit Deus, angelos non ita, 342 D. — Prima via redeundi ad Deum est peccati confessio, 454 A'. Contritio, quanto major est, tanto pœnam peccato debitam minuit, 454 B'. — Pœnitentiæ tempus quam sedulo impendendum, 599 A.

POLUS antarcticus nobis incognitus est et impervius, 429 A. Stellæ ejus sunt principium caloris, 429 C. Inde oriuntur tempestates, 691 D'. — Polus arcticus frigus parit, 692 A.

POLYGAMIA in V. L. ex dispensatione licita erat, 116 A', 240 B.

PORTA. In portis sedebant judices, 376 A', quare, 630 A'. — Porta cœli, quid, 635 A.

PRÆDICATIO pluvia significatur, 386 C'. Certis gentibus quandoque denegatur, 693 A. — Prædicatores nubibus figurantur, 692 D'. Ob sua commoda docentes, stulti sunt, 486 D'.

PRÆLATI sunt aliorum columnæ, 431 B', pedes et oculi, 636 D. — Sic vivere debent ut simul timeantur et diligantur, 637 C', et ceteris sint in exemplum, 72 D'. Illos ambitionem cavere oportet, 52 A, 60 D', et superbiam, 669 C; neminem despicere, 647 D; subditorum requirere consilia, 149 D', 150 B, 263 D', et potestate discrete uti, 150 B. Plebem docere habent, 36 A, 52 A', et delinquentes viriliter corripere, 92 B', 483 B, C'. Quid cum incorrigibilibus agere debeant, 530 C'. — Bonus prælatus est optimum Dei donum, 194 A', 254 C', et valde diligendus est, 92 D'. — Indigni prælati propter peccata populorum promoventur, 672 A', et delinquere permittuntur, 672 C'; gregem dissipant, 594 C, et domum demoliuntur, 100 D', 612 C. Ex eorum impia conversatione maxime venit Ecclesiæ deformatio, 100 B, et subditorum perditio, 439 A': ideo durissimum subibunt judicium, 431 C', 487 D', et pro singulis tormenta patientur, 439 C'. — Quæ obedientia et reverentia prælatis debeatur, 14 D', 52 A'. — *Cf.* Ezechias, Josaphat, Josias.

PRÆSCRIPTIO. Ad præscriptionem requiritur justus titulus, 128 A'.

PRIMOGENITI. Jura primogenitorum, quæ, 128 C. — *Cf.* Ruben.

PROMISSIONES Dei sæpe sunt conditionatæ, 192 B.

PROPHETA. Gratia prophetiæ non a Prophetis pendet, 15 B; non illis semper adest, 21 B; variis modis eis communicatur, 56 B', 158 D'. — Prophetæ melodiis in se fervorem excitabant, 15 C; visione Dei terrebantur, 370 A', D'. Historiam sui temporis diligenter scribebant, quare, 217 C'. Minores sunt Apostolis, 25 A'. — Filii prophetarum, quid ad litteram, 22 A', 32 B, et mystice, 24 B'. Multi erant, 32 B, et pauperes, 32 B'.

PROSELYTI. Sic noviter ad Judaismum conversi vocabantur, 164 C'.

PROSPERITAS temporalis indifferenter bonis et malis conceditur, 298 A', 423 D'; verumtamen quodam jure competit bonis, 302 C'. — In lege naturali et scripta præmium virtutis erat, 362 D, 641 B'; sed omnino insufficiens, 611 D', 641 C'. — Justis suspecta et gravis est, 345 D, quia mentem obnubilat, 518 D, fomes est lasciviæ et superbiæ, 484 D', et multis peccatis dat locum, 346 A', 683 C'. — Nec potentes nec divites, ut tales, abjicit Deus, 679 B'.

PROVIDENTIA divina omnia prospicit, 505 C, ad omnia se extendit, 378 B, 583 A', falli non potest, 505 B. — Varii circa Providentiam errores, 297 D', quorumdam philosophorum, 583 B, A', et Judæorum, 583 B'. — Eam negare impiorum est, 576 A'.

PRUDENTIA, quid sit, 479 B. — Ad practicam pertinet, 479 A. — Apud seniores potissimum requirenda est, 479 B. — *Cf.* Sapientia.

PSALMI, an omnes a David compositi, 172 C, 205 C.

PSALTERIUM, instrumentum musicum, 153 D', idem quod nablum videtur, 153 A'.

PTOLEMÆUS Philadelphus (*lege*, Claudius Ptolemæus) auctor Almagesti, si non astronomiæ inventor, 75 C', 79 A, fuit saltem reparator, 79 C'. — Falso cœlos penetrabiles posuit, 693 C'. — Citatur, 603 B, 671 B.

PUER. Qui sic in Scripturis vocentur, 165 C. — Anima puerorum lacti comparatur, 461 B'.

PURGATORIUM quandoque infernus dicitur, 511 A', 544 B', et sepulcrum, 463 C. — Animæ inibi detentæ sibi sunt graves, 414 A, et de peccatis suis dolent, 459 D'; ita amaritudinibus obruuntur, ut a libero rationis usu frequenter impediantur, 460 D, 463 A', et vix inter verum et falsum discernere possint, 544 D. Maxima earum pœna est gloriæ dila-

Digitized by Google

tio, 413B'. An ex magnitudine doloris se nimium cruciari reputent, 460C, aut non esse vellent, 462B'. — Melius est in tribulationibus hic vivere, quam esse in Purgatorio, 446D. — Attamen animæ purgantes non penitus consolatione carent, 463D; angelorum et Sanctorum visitatione recreantur, 461A'; non spoliantur caritate et donis Spiritus Sancti, 463C', et in certa beatitudinis exspectatione manent, 462D, A', 463D', 511D, etsi quædam de salute sua incertæ dicantur, 460A. — Quæ geruntur in terra aliqualiter norunt, 509C'. — Ser.etipsas juvare non possunt, 412D', 414A', quia jam non merentur, 414A, et proprie orare nequeunt, 460B, 512D; ideo eis succurrere debemus, maxime benefactoribus, 564B, A', tum ex caritate, tum ob præmium nobis inde eveniens, 414A', B'. — Qui earum peccata commemorant aut sequuntur, earum pœnas augent, 564D.

PYTHONES, quid, 80A'.

Q

QUÆSTIO. Liber de Hebraicis quæstionibus Hieronymo tribuitur, 293B', et allegatur, 244B', 268D.

R

RABANUS (Maurus) episc. Moguntinus, citatur, 25C, 130A. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RABBI, RABBINI. *Vide* Judæi auctores *et* Paulus.

RABSACES, princeps militiæ Assyriorum, 74A', ad Ezechiam mittitur, 74A.

RAMOTH, urbs Levitarum, in tribu Gad, 133D', a Syris occupata, 41B', 227C. — Ibi vulneratus est Joram, rex Israel, 41B', 42D, et Achab, 228C'; et unctus est Jehu, 41C.

RASIN, rex Syriæ, quot mala fecerit Juda, 65C, 249A. — Damasci interficitur a rege Assyriorum, 65B', 249A'.

RATIO. Lumen rationis animæ infusum, est quasi impressio lucis divinæ, 660A'; ad ipsam pertinent conscientia et synderesis, 691A'. — Fons est meriti et demeriti, 498C'. — Peccato turbatur, 550A', et ira, 537D; dolore et timore immoderato, 437C'. — *Cf.* Intelligentia, Mens.

RECHAB, de stirpe Hobab, pater Rechabitarum, ferventissimus, 118C.

RECTITUDO, quid sit, 301A'. — Ad justitiam spectat, 301B', 319D, 537C', et simplicitati conjungenda est, 301D', 319D.

REFUGIUM. Civitates refugii enumerantur, 133C.

RELIGIOSI. A recipiendis in Ordinem nihil petere licet, 29A. — Periculosissimum est aliquem a religionis ingressu retrahere, 595B'.

REMIGIUS (Antisiodorensis) Ord. S. Benedicti, Scripturæ expositor, 126B, C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 131, col. 47.)

REPUDIUM, licet permissum, peccato non vacabat, 136B'.

RESURRECTIO mortuorum a B. Job affirmatur, 507B, 556D, et probatur, quomodo, 509B. — In fine sæculi eveniet, 506D', et semel tantum, 556A'. — Electorum corpora immutabuntur, 508A; sed non erunt aurea, 556C'. Quæ eorum dotes, 556D'.

REVELATIO triplici de causa obscura esse potest, 368C'. — Cur plerumque revelationes nocte fiant, 369C, et in somno, 369A', et per sonos horribiles, 689D'. — Vix est homo qui eruditionem de futuris a Deo non acceperit, 661A'. — *Cf.* Oraculum, Prophetia, Somnium, Visio.

REX. Sic sæpe vocabantur duces, 14B. — In V. L. præstantior erat sacerdotibus, 203D', 251C', et pontifice, 87C, 172A. — Regum anni varie computabantur, 223A'. — Reges, quales esse debeant, 180B, 215D; quomodo illos oporteat bellum inchoare, 234B', et gerere, 220A; quomodo eorum delicta vindicentur, 95D'. — Rex, mystice quid, 487B. Sic justus rite appellari potest, 636C.

Liber Regum Israel et Juda periisse videtur, 137D', 138A. — Libri Regum ex multis scriptis compilati sunt, 243A; duo primi scripti sunt a Samuele, vel Jeremia, 186B'; tertius perperam Gad vel Nathan prophetæ attribuitur, 186C', 209C'; quartus, quid contineat, 3.

RISUS quotuplex, 424D. — Aliquando virtus est, 632B'.

ROBOAM, filius Salomonis, 1us rex Juda, potens, 211C, sed libidinosus, 212B', et idololatra, 212D, 213B', insuper rudis et pavidus, 215D, a Sesac debellatur, 212D', et a Jeroboam, 214C', 215A'.

ROMANI virtutibus imperium mundi meruerunt, 26C. — Liber de Gestis Romanorum (Helinandi ?) allegatur, 44C', 548D'.

ROS ad bonitatem fructuum proficit, 632B.

Digitized by Google

RUBEN. Quæ ejus generationes, 128B. — Primogenita ejus partim ad Joseph translata sunt, 128B, partim ad Levi et Juda, 128B'. — Rubenitæ Agarenos expugnant, 129C'; ob idololatriam a rege Assyriorum auferuntur, 130A'.

RUGA, quid sit ad litteram, 526B', et mystice, 531C.

RUYSBROECK (Joannes) « vir magnæ illuminationis », citatur, 626C'.

S

SABA regio, quid significet, 400A'. — Regina Saba Salomonem invisit, 208B. — Sabæi, boves Job auferentes, 313C', dæmones figurant, 323C, 329A.

SABBATUM, cur a Judæis observatum, 169C'. — Hoc die solebant Hebræi ad Prophetas convenire, 20B', et in templo officium suum inchoabant sacerdotes hebdomadarii, 50C.

SACERDOTES V. L. regibus inferiores erant, 203D', 251C'. Quæ eorum officia, 169D, et ordinatio, 170B. In bellis clangebant tubis, 216B'. — Idolorum sacerdotes, quomodo initiarentur, 215B'. — Sacerdotum gloria est profectus subditorum, 487A'; et eis semper debetur reverentia, 487C'. — Sacerdotale officium negligere, quantum scelus, 247D'.

SACRIFICIUM in honorem creaturæ offerre non licet, 215D'. — Sacrificia, sicut primitiæ et decimæ, ante legem fuerunt, 304C. In V. L. ex opere operantis purificabant, 253B'.

SADDUCÆI immortalitatem animæ et angelos negabant, 362A.

SAGITTÆ Joas contra Syriam missæ, quid figurate, 56A; et tropologice, 57A'.

SAL, cur ad sanandas aquas Jericho adhibitum, 11A, 12A'. — Pactum salis, quid, 214A'. — Sal litteræ legis, est spiritualis ipsius intelligentia, 398D.

SALMANASAR, rex Assyriorum, devicto Osee, 67D'. et capta Samaria, 68A, Israelitas apud Medos transfert, 68B, 73D. — Allegorice, typus est diaboli, 71A'.

SALOMON, an electione divina ad regnum promotus sit, 179D, 186C, 191A. — Bis unctus est in regem, 186A. — Quæ ejus sapientia, 192D, 208B, divitiæ, 192D', 207D', 208C', potentia, 206C, et gloria, 209A. — Ejus epistola ad Hiram, 193C, et oratio in dedicatione templi, 201C'. — An pœnituerit, 212A', et sit salvatus, 180D. — *Cf.* Templum.

SALPHAAD, quis fuerit, 135B.

SAMARIA, urbs metropolis regni Israel, a quo condita, 108B'. Ibi communiter habitavit Eliseus, 33D'. — A Syris obsessa, quanta fame laboraverit, 34B', et quomodo liberata sit, 36C. — Ab Assyriis expugnatur, 68A.

Samaritani. Sic vocati sunt extranei et idololatræ, 71A, ab Assyriis in regnum Israel translati, 69B'; qui, leonibus compulsi, 69C', et pestilentia, 70A, ad Judaismum utcumque conversi sunt, 70B, simul gentilium idola retinentes, 70C. — Cur eos ad aliqualem sui ipsius cognitionem devenire Deus voluerit, 70C'. — Judæis erant modo amici, modo infensi, 71A. — Allegorice, quid significent, 71B'.

SANCTUM sanctorum, seu domus propitiationis, 180B', interior pars templi, soli pontifici patebat, 168B'. Ibi reposita erat arca, 132A'. — Sancti, in terra, *vide* Justi; in cœlo, *vide* Beati.

SAPIENTIA multiplex est, 192D, 617D. Ad contemplationem pertinet, 479A; et per eam homo a brutis distinguitur, 545C. — Maxime reges decet, 72D', et senibus ita competit, 479A, ut quicumque sapiens merito senex vocetur, 485A'; ab impiis vero et mundanis derideri solet, 477B. — Modo occultanda est, modo manifestanda, 523C, 610D', et gradatim communicanda, 605A' — Sapientia exemplaris Deus est, 426B. Secreta ejus, quid, 471D; ea pauci valent inquirere, nullus invenire, 471C'; quomodo nobis revelentur, 471B'. — Sapientia naturalis, quomodo acquiratur, 479A, 620B. A Deo petenda est, 17B, A', qui solus habet ejus plenitudinem, 621A. Animum efficit fortem, constantem, 474A', et quietum, 625D'. Respectu divinæ sapientiæ insipientia est, 425B, et de ea minime extolli oportet, 483C, A', 500B'. — Sapientia supernaturalis infusa, quid sit, 617A', et quomodo impetretur, 620A, 627A. Primum est inter dona Spiritus Sancti, 617A', ceteris excellentius, 474D, et prorsus inæstimabile, 618B, D'. In intellectu residet, 618A, qui per eam recte judicat de divinis, 504D, 617A'; et in ejus actu constituitur felicitas, 618D. A voluptuosis elongatur, 618A', et a malevolis, 617B'; justis autem habitualiter inest, 617A', B', licet ab ejus actibus quandoque impediantur, 440C; et in anima separata perseverat, 475D. Quo sensu abscondita dicatur, 620D; et in quo

Digitized by Google

cum timore conveniat, 621 D'. — Sapientia increata, id est Unigenitus Dei, 625 C, a nulla creatura plene comprehendi potest, 625 D, 627 D, C'. Est species, verbum, remedium, 629 A. Ubi resideat, 627 D, 628 B, et quomodo intret in animam, 629 B.

Sapiens docilis est, 395 B, 483 C, 489 D'; semper discere cupit, 422 C'; futuras prævidet calamitates, 359 B'; jactantiam vitat, loquacitatem, 513 D, impatientiam, 513 D', et turbulentiam, 521 A; infirmiores libenter confortat, 526 B. — Quomodo dicatur de corde loqui, 418 C, et solus terram possidere, 517 B.

SAPPHIRUS, ubi et quomodo gignatur, 616 D. — Cujus sit coloris et virtutis, 619 A'. — An sit lapis pretiosus, 619 A'. — Quid tropologice, 624 A.

SARDONYCHUS lapis, cujus speciei et efficaciæ, 619 C. — An sit lapis pretiosus, 619 A'. — Quid figuret, 626 C.

SATAN pater est mendacii, 311 A', et superbiæ, 311 B', fera pessima, 527 A, atrocissimus exactor, 528 C. — Ejus voluntas semper iniqua est, 311 C', et fortitudo maxima, 528 D; attamen, nihil valet ultra quod ei permittitur, 311 D'. — Ipsi tradita est terra, 434 B'; et ante Christi adventum, toti propemodum orbi imperabat, 322 A. — Quomodo inter angelos adfuisse dicatur, 307 A', a facie Dei exiisse, 312 D', terram perambulasse, 309 D. — Quatuor modis ipsi Deus loquitur, 309 B, et tribus modis ipse Deo, 309 C; sed semper per intellectualem illuminationem, 309 D. — Ipse vexasse Job videtur, 526 C': quanta astutia, 313 D', 314 B, A', B', 315 A, A', et sævitia, 333 B', 406 B, 451 D', 526 C', 527 D'. — Christum modo Deum esse suspicabatur, 322 D, modo merum prophetam, 338 B. — Dicitur Leviathan, 342 D', 350 B, coluber tortuosus, 607 A, dies, 342 A, C, et nox, 342 B, C.

SAUL, primus rex Hebræorum, quomodo mortuus, 141 A. — An de voluntaria nece excusari possit, 141 B; num pœnituerit, 143 B, et sit salvatus, 141 B'. — Cur sic obierit, 142 D'. — *Cf.* Doeg, Jabes.

SAXONIA. In montibus Saxoniæ omnia inveniuntur metalla, 695 A.

SCABELLUM pedum Domini, quid, 178 B', C'.

SCANDALUM, quantum peccatum, 521 D, 594 B, 595 A, B'.

SCIENTIA perfecta soli Deo competit, 581 C; homini, secundum certum gradum, tribuitur, 581 C. — Hominum scientia est modica, 607 B', imperfecta et obscura, 694 B; et passionibus obtenebratur, 671 D'; ideo ei congruit humilitas, 483 C, B', 500 B'. — Scientia fons est sapientiæ, 479 A, 620 B. — Per donum infusum scientiæ recte judicatur de creatis, 504 C'. — Scire, quid sæpe significet in Scripturis, 556 A.

SCIRPUS, quid sit, 418 D', et cur aqua continuo indigeat, 418 A'. — Sub ejus figura describitur sors impiorum, 419 B, C'.

SCRIBÆ consiliarii Christi dicuntur, quomodo, 561 C'.

SCRIPTURA SACRA mensa est cunctis parata, 299 B, cibus et potus hominis, 321 B. In ea Deus, quod scire indigemus, nobis aperit, 660 D; et anima, quid valeat, velut in speculo conspicit, 312 B'. — Litteraliter intellecta insulsa est, 398 D; quid sit ejus sensus litteralis, 362 D'. — Annos regum varie computat, 223 A'; multa per hyperbolen dicit, 362 B'; inanimatis actus vitales tribuit, 420 B; profanorum poetarum vocibus quandoque utitur, 580 B', et paganis astrorum nominibus, quare, 441 D. — Judæis facta inutilis, gentilibus translata est, 384 B', 385 A. Nonnulli libri periisse videntur, 138 A, 209 C'. — Spiritualiter, per argentum designatur, 344 C, 611 D', 622 C, et justis præcipue innotescit, 585 D'.

SECURIS ab Eliseo ex aquis erepta, 32 C, quid significet, 35 C'.

SEDECIAS, xx^{us} rex Juda, prius Mathanias, cur et unde Sedecias dictus sit, 95 A'. — An idem qui Sellum, filius Josiæ, 120 D', 121 A. — Malus, 273 D, et contra Nabuchodonosor rebellis, 95 C', 273 A', a Chaldæis comprehenditur, 97 A, C, et, effossis oculis, in Babylonem ducitur, 97 D, juxta vaticinia Ezechielis et Jeremiæ, 97 A'. — Cum eo corruit regnum Juda, 97 B', 274 A. — Mystice quid, 100 D'.

Sedeciam alium, filium Joakim, require 121 D. — Item Sedeciam pseudoprophetam, 227 C', 228 C.

SELLUM, xv^{us} rex Israel, de principibus Israel, occiso Zacharia, regnum invadit, 62 A', mox et ipse trucidandus, 62 C'.

Sellum, filius Josiæ, 120 C', rex Juda, 121 A, idem censendus est qui Joachaz, 120 D'. *Cf.* Joachaz. — Sellum alium, virum Holdæ et patruum Jeremiæ, require 84 A'.

SEM, filius Noe, quot filios habuerit, 108 D', et quas regiones occupaverit, 109 C', D'.

Digitized by Google

SEMEIAS propheta, Roboam prohibet ne contra rebelles Israel pugnet, 211 A, 215 A. — Librum scripserat, qui non superest, 213 B'.

SEMEN, quid sit, 449 B, et cur immundum dicatur, 499 B. — Lacti comparatur, 449 B, et luto, 658 B'. — *Adde* Generatio.

SENECA (Annæus), philosophus, allegatur, 290, 431 C, 500 D, 632 B'.

SENES minus ad scientiam apti sunt quam juvenes, 479 C; sed sunt eis sapientiores, 479 A, 515 A', et prudentiores, 479 B; ideo ab eis exquirenda est sapientia, 417 D', 422 C'. — Sapiens quilibet recte vocatur senex, 485 A'; et senem maxime dedecet insipientia, 479 B, 654 D'. — Senectus tempus est afflictionis, 642 A.

SENNACHERIB, rex Assyriorum, insatiabilis tyrannus, 74 A, regnum Juda invadit, 73 B', 261 A, et contra fœdus, Ezechiæ minatur, 74 A, 261 C'. — Quæ ejus pœna, 262 D.

SENSUS fenestræ sunt animæ, 643 A'. — Quomodo agere dicantur, 665 D. — Eorum operationes intellectui tribuendæ sunt, 368 C, 485 C.

SERPENS æneus Moysis ab Ezechia vocatur Nohestan, 72 C, et confringitur, 72 B, quare, 72 C. — Vestigia ejus a Josia deleta sunt, 89 D. — *Cf.* Nohestan.

SESAC, rex Ægypti, Jerusalem occupata, 212 D', spolia templi aufert, 213 B, exceptis vasis cultus, 216 C.

SETH, filius Adæ, astronomiam didicit, quare, 78 D'. — Auctor est civitatis Dei, 297 C'.

SEVERUS (Sulpitius), historiographus, 300 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 20, col. 159.)

SEXUS masculinus altero præstantior est, 300 D, 303 A.

SIBYLLA passionem Domini vaticinata est, 532 A'.

SIDON varia designat, 108 A'.

SILOE fons ab Ezechia collectus, 263 D.

SIMEON, filius Jacob, quot filios habuerit, 127 A. — Tribus Simeon, infirmior tribu Juda, intra ipsam sortem recepit, 127 B. — Simeonitæ Chananæos Gador licite percusserunt, 127 D', et Amalecitarum reliquias, 128 A.

SIMONIA a Giezi in V. T., a Simone in N. T. incepit, 30 D'. — Quantum sit scelus, et quomodo committatur, 28 C'. — Pro spiritualibus temporalia accipere, quatenus liceat, 29 A, 31 C'. — *Cf.* Giezi.

SIMPLICITAS triplex est, 301 A. — Commendatur, 185 A', si tamen rectitudine temperetur, 301 D'. — Summopere Deo placet, 185 D, 380 B'; a carnalibus deridetur, 477 B, D.

SION. Arx Sion, in Jerusalem, quæ Jebusæis remanserat, 144 C, a David expugnatur, 144 A', quomodo, 144 B', et vocatur civitas David, 144 A', C'. — *Cf.* Jerusalem.

SOCRATES, philosophus, patientia commendabilis, 290, septem annis siluisse fertur, 654 C'.

SOL tempore Josue stetit, non incongrue, 75 B', et tempore Elimelech, 125 A', 126 D; diebus Ezechiæ vere retrocessit, 74 C, quare, 77 C; in passione Christi obscuratus est, quomodo, 74 D'. — Cur de his variis signis non scripserint astrologi, 75 A, B, B', 77 A'; quomodo Babylonii retrocessum solis cognoverint, 75 C, 77 B'; an conveniens fuerit Deum tanta miracula patrare, 74 D', 75 B', 76 C'. — Sol a paganis quomodo depingi solitus, 88 D', et quare, 89 A. Ipsi equi consecrabantur, 88 B', et sacrificia super tecta offerebantur, 89 B; cur, 650 C. — Quo sensu dicatur generare hominem, 448 C, obscurari, 427 B'. — Nihil sub sole novum, quomodo, 556 B'. — Quid mystice, 440 B.

SOMNIA ex quadruplici fonte oriuntur, 412 A; vigiliæ cogitationibus similia esse solent, 406 A; ægrorum somnia terribilia, 406 B. — Cur per somnia potissimum loquatur Deus, 660 C', 661 C'.

SOMNUS et sopor, quid, 369 A'. — An rationis actum impediat, 369 A', C'. — Remedium est tristitiæ, 405 C'. — In somno plerumque fiunt revelationes, quare, 369 B', 660 D'. — Metaphorice, tripliciter sumitur in Scripturis, 370 B, 506 C', D', 511 A.

SOPHAR Naamathites, amicus Job, quid de Providentia senserit, 415 D, et de immortalitate animæ, 470 A, 570 B'. Multa bona dixit, sed temere, 470 C. — Iª argumentatio, 464 B. Arguit Job loquacitatis, 464 C, et ignorantiæ, 465 D; magnitudinem Dei prædicat, 466 D, et pœnitentiæ fructus, 468 B'. — IIª argumentatio, 565 A. Miseram impiorum sortem describendo, 565 C, insimulat Job indurationis, 567 A. — Mystice quid, 470 B. — *Cf.* Job amici.

SPES, quid sit, 470 A. — Christo non competebat, 387 D'. — Impiorum spes non est virtus, 469 D'. — Spes in Deum multipliciter commendatur, 217 D', 455 C, 500 D', 501 D, etiam post lapsum, 455 B', 492 D, et maxime in oratione, 457 C', 486 B'.

SPIRITUS, nunc pro ira, nunc pro anima accipiendus est, 416 B', 535 D. — Spiritus vita-

Digitized by Google

lis, quid sit, 535 C'; quomodo attenuetur, 535 D. Illo deficiente, vita breviatur, 535 D'. — Spiritus duplex Eliæ, quid, 9 B, 12 B.

Spiritus Sanctus, quomodo cœlos ornaverit, 606 C'. — Ab eo omnis profluit cognitio nostra, 571 A', et meritum nostrum, 423 A, 688 C. — Ejus dona semper caritatem sequuntur, 463 C', et theologicis virtutibus connexa sunt, 327 A, quas perficiunt, 327 C; ab anima peccatoris exsulant, 541 B; eis abuti quisque potest, 328 A. Per septem filios Job figurata, 326 A, quomodo in nobis agant convivium, 326 B'. — Sapientiæ donum soli comparatur, cetera dona stellis, 440 B, 474 D. Per donum sapientiæ recte judicatur de divinis, 504 D, per donum scientiæ, de creatis, 504 C': ubi potissimum inveniantur, 483 C'. Donum fortitudinis, quid, 365 B'.

STABILITAS corporalis commendatur, 636 D'. — Stabilitas animæ per patientiam comparatur, 474 A'.

STELLÆ omnes videri nequeunt, nisi sub æquinoctiali, 429 A. — Stellæ poli antarctici principium sunt caloris, 429 C. — Per eas Deus influit elementis vim generationis et corruptionis, 605 B; verumtamen ab eorum influxu non pendet hominis gubernatio, 378 B. — Quo sensu dicantur obscurari, 427 B', immundæ esse coram Deo, 601 B'. — Ab ethnicis colebantur, 650 C. — Quid significent, 343 A, 347 B', 440 C. — *Cf.* Arcturus, Hyades, Orion, Pluvia.

STIBIUM, quid sit, 183 B. — Ad mundum muliebrem pertinebat, 43 D'.

STOICI. Eorum sententia de passionibus, 316 B, D, 331 C, refutatur, 356 A.

STRABUS (Walafridus), monachus Fuldensis, auctor Glossæ ordinariæ, 113 B'. — *Cf.* Glossa.

STRUTHIO, quid sit, 642 C.

STULTITIA sapientiæ directe opponitur, 374 C'. Superbis et iracundis competit, 375 D. — Stultus, quid sit ad litteram, 374 D', et tropologice, 554 B. Quomodo ab iracundia occidatur, 374 D'. Nullus peccatore stultior, 423 B, 554 B.

SUBDITI a prælatorum increpatione abstinere debent, 521 B, et temeraria incriminatione, 673 A. — Prælatorum culpam sibimet imputare debent, 672 C', quia ob plebis delicta ad prælaturam promoventur indigni, 672 A', et juxta subditorum merita disponuntur corda regentium, 263 A. — Correptionem patienter sustineant, 502 D. — Quantum eis prosit bonus prælatus, 36 C. — *Cf.* Prælatus.

SULFUR in funeribus olim spargebatur, 548 B'. — In terra latent venæ sulfureæ, quibus accensis fiunt terræ motus, 616 C. — Sulfur, mystice quid, 551 C'.

SUNAMITIS mulier, Eliseo benefica, 18 C', quæ fuerit, 18 B'. — Dives, 18 B', sapiens, 19 A', honesta, 19 C', « curialis », 20 A, meruit filium sibi supernaturaliter dari, 19 D', et resuscitari, 22 A; et se a fame liberari, 38 B. — Quomodo Elisei merita deprehenderit, 18 D'. — Allegorice, typus est contemplativorum, 23 D'.

SUPERBIA, quid sit, 515 D', et quotuplicis generis, 655 C. — Omnium vitiorum origo est, 551 C, et regina, 661 C. — Vultu manifestatur, 516 A. — Quam nociva, 60 D', 518 B', et cavenda, 264 A. — Superbi carpuntur, 468 B, 647 C; eorum mores describuntur, 522 B, 549 D, 550 C, et pœna, 603 A', 613 B'. Commune superbiæ piaculum, luxuria, 487 C. — Quilibet peccator superbus est, 517 A'.

SUSURRUS et vena susurri, quid ad litteram, 368 D, et mystice, 368 D'.

SYNAGOGA, olim vestis Dei, 324 D, et sponsa Christi, 561 C, facta est adultera, 561 D. — Figura fuit Ecclesiæ in sua deformatione et reformatione, 100 A. — Ab uxore Job significatur, 338 B'.

SYRI, a quo orti et nomen sortiti, 110 C'. — Injusti Israelitarum persecutores, 34 D, multoties cum eis bella gesserunt, 32 C', 34 D, 41 A', etc. — *Cf.* Benadad, Hazael, Naaman, Rasin.

T

TABERNACULUM Moysis, quomodo dispositum, 132 C. — Variæ ejus mansiones, 157 B. — In Gabaon asservatum est, etiam arca translata in Jerusalem, 157 A. — Tabernaculum hominis, quid, 389 C, 560 A', 569 A'.

TECTUM. Super tecta sacrificia soli offerebantur, quare, 89 B.

TEMPLUM. Forma ejus, structura et locus Davidi revelata sunt, 182 B, 195 C', qui necessaria ad illud ædificandum comparavit, 164 C, sed ab illo construendo prohibitus est, quare, 165 C'. — A Salomone exstructum, 193 B, 195 C, ad instar tabernaculi Moysis, 199 C', describitur, 132 C, 180 A'. Quæ ejus dimensiones, 196 A, basilica, 198 D', 201 D', cellaria, 180 B', cœnacula, 196 C', vasa, 197 D, thesauri, 180 D', ornatus, 196 C, 199 A, etc. Supellex ejus multo major fuit supellectili

Digitized by Google

tabernaculi, 199 B'. — Sæpius ab idololatris spoliatum aut profanatum, 52 D', 65 D', 80 D, B', 89 B, 216 C, 241 A, etc., a bonis principibus restauratum est, Joas, 52 D, 240 C, Joatham, 64 B, Ezechia, 251 A, 252 A', Josia, 83 C, 267 A. — Demum a Chaldæis destructum est, quare, 97 B', et quando, 99 C'. — Allegorice, figura fuit Ecclesiæ, 170 A'. — *Cf.* Altare, Argentum, Aurum, Cherubim, Leones, Ostia, Sanctum.

TENTATIO est quædam militia, 401 C', pene indesinens, 397 A, 401 D'. — Cur Deus homines tentari sinat, 330 B, B', 407 D, 443 A. — Justi tentationem desiderant, quare, 399 B. — Multis expedit aliquando tentari, 441 C', et etiam vinci, 330 A, B', 585 B'. — In hora mortis gravior instat tentatio, 462 A. — Tentatis succurrit Deus, 682 A, et consolationem impertitur, 424 B'.

TERMINUS. Transferre terminos, quid ad litteram, 593 C', et mystice, 593 D'.

TERRA, pro quocumque mixto sumitur, 205 A, et varia significat, 529 C. — Terra est centrum mundi immobile, 427 C. Quo sensu super nihilum fundata dicatur, 604 D. — Quæ in superficie ejus nascuntur, aliquid vitæ participant, 615 A', et ipsa communis mortalium mater dicitur, 316 B'. — Terræ columnæ, quid, 427 D; terræ motus, unde, 427 A', 646 C. — Diabolo tradita dicitur, quo sensu, 434 B'. — Quomodo operiat sanguinem, 529 A, in die judicii contra impios consurrectura sit, 569 B', contra possessorem clamet, 652 A', C'. — Sapientes tantum eam possident, 517 B, insipientes ea possidentur, 517 C, et cum ipsa transibunt, 423 D. — Impii recte terra dicuntur, 310 A.

TESTIS. Qui sint testes Dei, 459 B; testes Christi, 534 B'.

THAMNA. Sic vocati sunt uxor et filius Eliphaz, 111 B.

THEGLATHPHALASAR, rex Assyriorum, ab Achaz vocatus, 65 A', tres ex tribubus Israel in Assyriam transfert, 63 C', 68 B. — An idem qui Phul, 71 A.

THEMAN regio, prope Idumæam, sapientium frequentia celebris, 363 B', quid spiritualiter figuret, 400 D.

THEODULUS, Italus, auctor Eclogarum, 296 B'.

THOMAS (S.) Aquinas, cingulo castitatis præcinctus est, 487 D. — Libri Job « expositor inclytus et subtilis, quoad litteralem sensum », 435 D, in quibusdam tamen deserendus videtur, 435 A'. — Sæpius allegatur, 296 C', 307 C', etc., et ab impugnationibus Lyræ vindicatur, 360 C, 361 A.

THRONUS Dei, quid, 588 A'.

THYINA ligna, quid, 194 B.

THYMIAMA quatuor aromaticis speciebus conficiebatur, 216 A. — *Cf.* Altare.

TIMOR ex sua natura infrigidat et debilitat, 164 B', motum impedit, 548 C, et locutionem, 437 D'. — Moderatus, ingenium acuit, animumque facit intentum, 438 A', 445 C; immoderatus, actibus rationis obicem ponit, 437 C', 445 C, 493 D'. — Timor humanus abjiciendus est, 17 B', 651 A'; sed sunt plura nobis formidanda, 397 C, 444 D, 456 D. Damnatio triplici modo timeri potest, 454 B'.

De timore Dei : Quid sit, 302 A, et quotuplex, 474 B, 621 D'. — Commendatur, 426 A, 438 C', 441 B', 445 A, 498 C, 648 C'. — Non debet esse nimius, 445 C, nec servilis, 445 C', alioqui Deo displicet, 445 C'. — Timor initialis ad filialem refertur, 325 D', 622 A. Uterque animæ infunditur cum dono sapientiæ, 622 A, et dicitur causa sapientiæ, quomodo, 622 B. — Timor Domini a carnalibus retrahit, 648 D', expellit peccatum, 365 A', 629 B', 649 C, parit fiduciam, 445 D, 518 A, et patientiam, 365 C', confirmat in bono, 498 C, vanum timorem fugat, 474 C, 518 A, 651 B', C', ducit ad sapientiam, 629 B. Quomodo a sapientia differat, 621 D', 622 B. — Omni creaturæ inest timor Domini, 276 D; et in patria perseverat, 319 A', 609 D.

TITUS imperator, sacerdotes interfecit, qui templo superesse volebant, 86 C.

TOPAZIUS, lapis pretiosus et regalis, cujus formæ, 620 B, et virtutis, 620 C. — Quid moraliter, 627 B.

TOPHET, id est Moloch, 88 D, in valle Benennom colebatur, quomodo, 88 A'.

TREMOR et pavor, quid sint proprie, et unde procedant, 370 D. — *Cf.* Timor.

TRIBULATIO ob tres causas homini accidit, 408 D'. — Per eam Deus homines interrogat, 441 D', quia in adversis virtus innotescit, 299 C', et justus discernitur ab injusto, 501 C; per eam electos suos fovet, 402 A', 443 A, quoniam ipsis est occasio profectus, 377 D, 430 C, 443 A, et meriti, 372 D, 536 C. — Animam a vitiis purgat, 381 D', 382 D', 444 B', intellectum dat peccantibus, 578 C, et etiam justis, 682 A, et si non esset, paucissimi salvarentur, 411 B'; unde inter maxima Dei

Digitized by Google

beneficia est computanda, 411 B', et æquo animo toleranda, 289, 339 B', 382 B, A', etc., imo sæpe appetenda est, 289, 353 C'. — Impiis etiam flagella divina optari possunt, 525 B', 530 B', quia ad correctionem patientis ordinantur, 382 D, 678 B', et melius est in hac vita castigari, 399 C, 542 B, quam æternis deputari suppliciis, 453 C'. — An liceat orare ut tribulatio finem habeat, 434 C, B', 445 B. — In tribulatione expedit beneficia Dei recolere, 335 B', piis considerationibus vacare, 25 C', 340 B, carnales spernere consolationes, 412 A', de Deo nunquam diffidere, 38 A. Quisquis in adversis deficit, Deum oblivisci convincitur, 677 B; et qui per ea non emendatur, stultissimus est, 680 C'. — Quomodo tribulatis compati debeamus, 525 B', 526 C, 530 C, 554 D', D, 558 D, 647 B'. — *Cf.* Impii, Justus, Pœna, Pœnitentia, etc.

TRISTITIA alia est nociva et fugienda, 290, nempe immoderata, 540 A'; alia, bona et salubris, 316 A, 325 C, 380 A, vel saltem licita, 315 D', 356 B. — Multæ sunt justo causæ tristandi, 410 C', 458 A', C', etc. — Utrum dolere liceat de morte propinquorum, 316 C, de amissione bonorum, 317 A, A'. — Remedia tristitiæ, somnus, 405 C', et meditatio, 405 D', 412 C. — *Cf.* Dolor, Luctus.

TROPOLOGIA, quid sit, 325 C.

TULLIUS (Cicero) allegatur, 654 C', 661 B'.

TYRANNUS. Quis sic vocetur, 517 B'.

TYRII, artifices peritissimi, 151 C'. — *Cf.* Hiram.

U

UGUTIO (Pisanus), lexicographus, allegatur, 105. (*Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1440.)

UMBRA. Reversio umbræ in horologio Achaz, unde effecta, 74 C. An umbra tantum solis regressa sit, 76 A, D, 79 C. — Hoc signum cur petierit Ezechias, 77 B, et concesserit Deus, 77 C.

URIAS propheta, a Manasse occisus, 93 C'. — Urias alius, pontifex, regi Achaz in sceleribus adjutor, 65 C', culpatur, 66 D. — Urias Hethæus, inter fortes David connumeratur, 146 B', C'.

URSUS, sub multiplici respectu figura est diaboli, 12 C'. — Ursi duo pueros Bethel discerpunt, 11 B'.

UTERUS, in Scriptura sæpe pro mente accipitur, 520 B, 561 D, 656 D.

UXOR Job, quæ fuerit, 112 B. — Valde imperfecta, 334 D', eum ad desperationem et blasphemiam incitat, 335 A. — Ex rationis debilitate, magis quam ex malitia peccasse videtur, 335 C. — Spiritualiter, figurat Synagogam, 338 B', vel sæcularem prudentiam, 339 D'. — *Cf.* Dina, Generatio, Mulier.

V

VANITAS alia est necessaria, 467 D', 473 B', alia culpabilis, 467 D'. — Vanus, quid sit, 468 A, et in quales errores abire soleat, 468 B. — Vanum, quomodo a frustraneo differat, 332 C. Deus et natura nihil in vanum faciunt, 332 B, D.

VEGETIUS (Flavius Renatus), de Re militari, allegatur, 44 A'.

VELUM sanctuarii describitur, 197 B. — In passione Domini scissum est, 197 C.

VENTUS, quid sit ad litteram, 621 D, et mystice, 628 C. — Venti motum solis sequuntur, 692 B'. — *Adde* Aquilo, Auster.

VERITAS est refectio mentis, 298 C'. — Omni studio defendenda est, 493 A', et cuicumque amico præferenda, 364 C. — Omnia vincit, nec eget mendacio, 490 C, 500 C'.

VERMES ex putredine nascuntur, 579 D. — Cur hominis sorores dicantur, 539 C. — Job vermibus traditus est, 640 D. — Tropologice, quid significent, 544 C'.

VESTIGIA Dei multipliciter intelligi possunt, 72 B', 466 A', 472 C', 590 A', D'. — Quinque distinguuntur, 590 D'. — Quum nobis sint investigabilia, 466 B', quomodo ea sequi possimus, 590 A'.

VESTIS in duobus prodest corpori, 636 A. — Vestes scindere olim lugentibus consuetum fuit, 10 A, 26 D', 315 C'. — Mutatoria vestimenta, quid, 26 B', 30 A'. — Vestes animæ, quæ, 329 C', 437 A, 611 D', 636 B, 693 B'.

VIDUA. Vexatio viduæ et pupilli Deo odiosa, 582 B'. — Viduæ Abdiæ prophetæ quomodo succurrerit Eliseus, 17 D. Allegorice, figurat Ecclesiam, 23 C.

VINEA locum temperatum requirit, 597 A'; refrigerium parit, 597 D. — Per viam vinearum ambulare, quid, 597 D.

VIPERA, cur sic vocetur, 572 D. — Quid sit et significet, 567 B', 572 D.

VIR. Quis sic dici mereatur, 300 D. — Virilis sexus altero præstantior est, 300 D, 303 A. — *Adde* Generatio, Semen.

Digitized by Google

VIRGILIUS (Maro) poeta citatur, 291.
VIRGO amplius ad concupiscentiam movet, 643 C. — Cogitare de virgine, quid, 643 B.
VIRTUS, quid sit, 327 D', 473 C'; in duobus prodest animæ, 636 A; nec auctori tantum, sed et aliis proficit, 676 D, A'. — Debita diligentia acquiritur, 436 A', et exercitio perficitur, 422 D, 538 A. Virtutum actus ex rationabili causa intermitti possunt, 21 D; quid requirant, 444 C. — Virtutis signum est operantis delectatio, 184 A, 254 B', et laudabilis conversatio, 18 D'. Odor ejus per tribulationem fragrat, 299 C'. Aliquando bonum est suam virtutem manifestare, 499 D. — Virtutes dicuntur viæ, 365 C'; caritate et sapientia sapidæ efficiuntur, 413 C'; et sibi invicem auxiliantur, 326 C'. — Habitus virtutum non sufficiunt ad eliciendos actus meritorios, sine actuali motione Spiritus Sancti, 440 C. — Virtutes theologicæ perficiuntur donis Spiritus Sancti, 327 C; virtutes cardinales corporis complexione foventur, 448 D. An virtute quis ad malum possit abuti, 328 A. — Quatuor virtutibus gubernatur domus, 303 D. — In quolibet justo, tum V. tum N. T., præfulsit peculiaris virtus, 72 B', 300 A, 310 C. — Virtutes sunt quasi animæ vestes, 636 B, 693 B'. — *Cf.* Abstinentia, Castitas, etc.
Virtutes cœlorum, quid, 278 A', B'.
VISIO. De nocte potissimum fiunt visiones, 369 B, et homines tremore concutiunt, 370 C, D'. — Quid intersit inter apparitionem boni et mali spiritus, 371 C'. — Eliphaz visio explanatur, 368 A. An vere ei facta fuerit, 374 A, et quomodo, 368 B, 371 C. — *Cf.* Revelatio.
VISITATIO Dei duplex est, 413 D. — Quam necessaria sit animæ in hora mortis, 462 A.
VITA hominis peregrinatio est, 184 C', et via ad aliud sæculum, 345 D'. — Caduca, instabilis, 185 B, 403 A', 498 A, et brevis, 185 A, 418 B, 497 D, vento comparatur, 403 C', cursori, 435 B', navi institoris, 435 D', flori, 497 C', umbræ, 497 D', etc. Aliis brevis, aliis longa videtur, quare, 504 C'. An breviari vel prolongari possit, 505 B. — Omnis generis repletur miseriis, 497 A', et recte dicitur militia, 401 C', 402 D, 409 A, et dies mercenarii, 402 B, D, D', 409 C; attamen melius est sic vivere, quam omnino non esse, 446 D, vel in Purgatorio degere, 446 A'. — Quatenus vitæ tædere liceat, 446 A, 454 A. Num vitæ finis optari possit, 353 A', ob ærumnas temporales, 353 B', 446 C, vel peccata, 354 C, 433 D'. Pro servanda vita, exteriora danda sunt, 332 D'. — Justi proprie vivere dicuntur, 664 B'; sed vita eis est tædiosa, 433 D', quia nullus vivens Deum videre potest, 627 A'. — In præsenti vita non fit plena retributio, 579 D'; et ex impiorum prosperitate certo constat ulteriorem esse vitam, 542 B. — *Adde* Longævitas, Mors, Spiraculum.
VITULI aurei a Jeroboam erecti, 13 C, 215 B', in Bethel et Dan, 48 A, causa fuerunt cur deleretur Israel, 48 C. — Ab Assyriis ablati sunt, 67 B'.
VOLUNTAS. Deus solus in voluntatem immediate agere potest, 440 A'. — Voluntati Dei num quis resistere possit, 426 A'.
VOLUPTAS. Voluptuosis vita brevis videtur, quare, 504 D'. — In eis non habitat Christus, 625 A', nec sapientia, 618 A'.
VOTUM est actus latriæ, 586 D'. — Quæ voveri possint, 123 D. — Vota transgredi, quantum peccatum, 594 A.
VULTUR ad ccccc leucas cadavera videre dicitur, 616 B'. — Allegorice, Christum signat, 624 A'.
VULTUS passiones animæ patefacit, 436 B, 509 C, 516 A. — Justorum vultus quasi attonitus videtur, 522 B. — Lux vultus, quid sit, 632 C'. Lumen vultus Dei ad nutum ejus communicatur, 688 D; et imperfectiones animæ mirabiliter revelat, 688 A'.

Z

ZACHARIAS, filius Jeroboam, XIV^{us} rex Israel, quandonam regnare cœperit, 62 D. — Malus, a suis interfectus est, 62 A'. — Quartus et ultimus rex fuit de stirpe Jehu, 62 B', juxta verbum Domini, 48 A.
ZACHARIAS, filius Joiadæ, pontifex, jussu regis interficitur, 242 D, quare, 242 C. — Iste est de quo in Evangelio loquitur Christus, 242 A'. — Eo mortuo, siluit oraculum, 242 A'.
Zacharias alius, filius præcedentis, a clade fratrum ereptus est, 243 A.
ZELUS, quid sit, 642 B. — Pro veritate et justitia exhibendus est, 364 B.
ZOROASTER, magnus astronomus. Sic vocatus est Cham, filius Noe, 78 C'.
ZOROBABEL, cujus filius, 121 C', et quot liberos habuerit, 121 D'.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN QUARTUM LIBRUM REGUM.

Procemium 3
Articulus I. Enarratio capituli primi : Prævaricatus est autem Moab in Israel. 5
Articulus II. Expositio capituli secundi : Factum est autem, quum levare vellet Dominus Eliam per turbinem 8
Articulus III. Expositio ejusdem capituli secundi mystica 11
Articulus IV. Expositio capituli tertii : Joram vero filius Achab. 13
Articulus V. Expositio capituli quarti : Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum. 17
Articulus VI. De spirituali ejusdem capituli quarti intellectu 23
Articulus VII. Elucidatio capituli quinti : Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus 26
Articulus VIII. De spirituali intelligentia hujus capituli quinti 31
Articulus IX. Elucidatio capituli sexti : Dixerunt autem filii prophetarum . . 32
Articulus X. Expositio capituli septimi : Dixit autem Eliseus : Audite verbum Domini. 36
Articulus XI. Expositio capituli octavi : Eliseus autem locutus est ad mulierem. 38
Articulus XII. Expositio capituli noni : Eliseus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum 41
Articulus XIII. Declaratio capituli decimi : Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria 45
Articulus XIV. Explanatio capituli undecimi : Athalia vero mater Ochoziæ . . 49
Articulus XV. Expositio capituli duodecimi : Anno septimo Jehu regnavit Joas. 52
Articulus XVI. Declaratio capituli tertiidecimi : Anno vicesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda 54
Articulus XVII. Elucidatio capituli quartidecimi : In anno secundo Joas . . . 57
Articulus XVIII. Elucidatio capituli quintidecimi : Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel 61
Articulus XIX. Expositio capituli sextidecimi : Anno septimodecimo Phacee filii Romeliæ 64
Articulus XX. Expositio capituli septimidecimi : Anno duodecimo Achaz regis Juda. 67
Articulus XXI. Expositio capituli octavidecimi : Anno tertio Osee filii Ela regis Israel 71
Articulus XXII. De his quæ Rabbi Paulus scribit circa reversionem umbræ per lineas decem in horologio Achaz, etc. . 74
Articulus XXIII. Declaratio capituli vicesimi primi : Dormivitque Ezechias cum patribus suis. 80
Articulus XXIV. Expositio capituli vicesimi secundi : Octo annorum erat Josias quum regnare cœpisset 82
Articulus XXV. Declaratio capituli vicesimi tertii : Et renuntiaverunt regi quod dixerat. 86
Articulus XXVI. Elucidatio capituli vicesimi quarti : In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor 93
Articulus XXVII. Expositio capituli vicesimi quinti et ultimi : Factum est autem anno nono regni ejus 96
Articulus XXVIII. Expositio ejusdem capituli vicesimi quinti spiritualis. . . . 100

ENARRATIO IN PRIMUM LIBRUM PARALIPOMENON.

Procemium 105
Articulus I. Expositio capituli primi : Adam, Seth, Enos, Cainan, etc. . . . 107

Digitized by Google

Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Filii autem Israel, Ruben, Simeon, etc. 114
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron 119
Articulus IV. Explanatio capituli quarti : Filii Juda, Phares, Hesron et Charmi, etc.. 122
Articulus V. Expositio capituli quinti : Filii quoque Ruben primogeniti Israel. 128
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Filii Levi : Gerson, Caath et Merari . . 130
Articulus VII. Explanatio capituli septimi: Porro filii Issachar : Thola et Phua, Jasub et Simeron, quatuor. 134
Articulus VIII. Declaratio capituli octavi : Benjamin autem genuit Bale primogenitum suum. 136
Articulus IX. Declaratio capituli noni : Universus ergo Israel dinumeratus est. 137
Articulus X. Elucidatio capituli decimi : Philistiim autem pugnabant contra Israel. 140
Articulus XI. Declaratio capituli undecimi : Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron. 143
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Hi quoque venerunt ad David in Siceleg 147
Articulus XIII. Elucidatio capituli tertiidecimi : Iniit autem consilium David cum tribunis 149
Articulus XIV. Declaratio capituli quartidecimi : Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David 151
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Fecit quoque sibi domos in civitate David 152
Articulus XVI. Elucidatio capituli sextidecimi : Attulerunt ergo arcam Dei. . 155
Articulus XVII. Expositio capituli septimidecimi : Quum autem habitaret David in domo sua. 157
Articulus XVIII. Expositio capituli octavidecimi : Factum est autem post hæc. 159
Articulus XIX. Expositio capituli nonidecimi : Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon 160
Articulus XX. Expositio capituli vicesimi : Factum est autem post anni circulum. 161
Articulus XXI. Expositio capituli vicesimi primi : Consurrexit autem Satan contra Israel 162
Articulus XXII. Expositio capituli vicesimi secundi : Dixitque David : Hæc est domus Dei 164
Articulus XXIII. Declaratio capituli vicesimi tertii : Igitur David senex et plenus dierum 167
Articulus XXIV. Explanatio capituli vicesimi quarti : Porro filiis Aaron hæ partitiones erant 170
Articulus XXV. Declaratio capituli vicesimi quinti : Igitur David et magistratus exercitus 171
Articulus XXVI. Declaratio capituli vicesimi sexti : Divisiones autem janitorum . 173
Articulus XXVII. Elucidatio capituli vicesimi septimi: Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum. 176
Articulus XXVIII. Expositio capituli vicesimi octavi : Convocavit igitur David omnes principes Israel 178
Articulus XXIX. Elucidatio capituli vicesimi noni et ultimi : Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam 182

ENARRATIO IN SECUNDUM LIBRUM PARALIPOMENON.

Præfatiuncula 189
Articulus I. Elucidatio capituli primi : Confortatus est ergo Salomon. . . . 191
Articulus II. Expositio capituli secundi : Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini 193
Articulus III. Explanatio capituli tertii : Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem. 195
Articulus IV. Explanatio capituli quarti : Fecit quoque altare æneum. 197
Articulus V. Expositio capituli quinti : Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater ejus 199
Articulus VI. Declaratio capituli sexti : Tunc Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine 201
Articulus VII. Declaratio capituli septimi: Quumque complesset Salomon fundens preces 204
Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : Expletis autem viginti annis 206
Articulus IX. Expositio capituli noni : Regina quoque Saba, quum audisset famam Salomonis 208

Digitized by Google

Articulus X. Expositio capituli decimi : Profectus est autem Roboam in Sichem. 210
Articulus XI. Expositio capituli undecimi: Venit autem Roboam in Jerusalem . . 211
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : Quumque roboratum fuisset regnum Roboam 212
Articulus XIII. Explanatio capituli tertiidecimi : Anno octavodecimo regis Jeroboam 213
Articulus XIV. Expositio capituli quartidecimi : Dormivit autem Abia cum patribus suis 218
Articulus XV. Declaratio capituli quintidecimi : Azarias autem filius Oded, facto in se spiritu Dei 220
Articulus XVI. Expositio capituli sextidecimi : Anno autem tricesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa 223
Articulus XVII. Expositio capituli septimidecimi : Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo 225
Articulus XVIII. Expositio capituli octavidecimi : Fuit igitur Josaphat dives et inclytus multum 227
Articulus XIX. Expositio capituli nonidecimi : Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem 228
Articulus XX. Elucidatio capituli vicesimi : Post hæc congregati sunt filii Moab et filii Ammon 231
Articulus XXI. Expositio capituli vicesimi primi : Dormivit autem Josaphat cum patribus suis. 235
Articulus XXII. Expositio capituli vicesimi secundi : Constituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam, filium ejus minimum, regem pro eo 237
Articulus XXIII. Expositio capituli vicesimi tertii : Anno autem septimo confortatus Joiada, assumpsit centuriones. . 238
Articulus XXIV. Expositio capituli vicesimi quarti : Septem annorum erat Joas quum regnare cœpisset 240
Articulus XXV. Declaratio capituli vicesimi quinti : Regnavit autem Amasias filius ejus pro eo 243
Articulus XXVI. Explanatio capituli vicesimi sexti : Omnis autem populus Juda filium ejus Oziam annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo 246
Articulus XXVII. Expositio capituli vicesimi septimi : Viginti quinque annorum erat Joathan quum regnare cœpisset. 248
Articulus XXVIII. Expositio capituli vicesimi octavi : Viginti annorum erat Achaz quum regnare cœpisset . . . 248
Articulus XXIX. Expositio capituli vicesimi noni : Igitur Ezechias regnare cœpit 251
Articulus XXX. Elucidatio capituli tricesimi : Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam. 255
Articulus XXXI. Declaratio capituli tricesimi primi : Quumque hæc fuissent rite celebrata 258
Articulus XXXII. Explanatio capituli tricesimi secundi : Post quæ et hujuscemodi veritatem, venit Sennacherib . . 260
Articulus XXXIII. Expositio capituli tricesimi tertii : Duodecim annorum erat Manasses quum regnare cœpisset. . . 264
Articulus XXXIV. Declaratio capituli tricesimi quarti : Octo annorum erat Josias quum regnare cœpisset 266
Articulus XXXV. Expositio capituli tricesimi quinti : Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino 268
Articulus XXXVI. Elucidatio capituli tricesimi sexti : Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ 272
Expositio orationis Manassæ regis Juda quum per captivitatem humiliatus esset. 275

ENARRATIO IN LIBRUM JOB.

Prooemium 289
Articulus I. De persona, tempore et origine sancti Job ; et quis sit auctor libri hujus 293
Articulus II. De materia et intentione libri hujus; et an quod in libro isto narratur, fuit res gesta, vel tantum parabola. 296
Articulus III. De quibusdam præambulis documentis, ex verbis S. Gregorii . . 298
Articulus IV. Expositio litteralis primi capituli libri Job : Vir erat in terra Hus, nomine Job 300
Articulus V. Elucidatio allegorica ejusdem capituli primi 318
Articulus VI. Expositio tropologica seu moralis ejusdem capituli primi. . . 325

Digitized by Google

Articulus VII. Expositio litteralis capituli secundi : Factum est autem quum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino 331
Articulus VIII. De spirituali seu mystico ejusdem capituli secundi intellectu . . 337
Articulus IX. Expositio capituli tertii : Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo 340
Articulus X. De verbis Alberti Magni circa expositionem præsentis capituli . . . 348
Articulus XI. Introductio dubiorum et difficultatum circa præscripta verba. . . 352
Articulus XII. De expositione S. Thomæ circa idem capitulum. 356
Articulus XIII. Quid de intellectu hujus capituli rationabilius dictum videatur. 360
Articulus XIV. Expositio capituli quarti : Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit. 363
Articulus XV. Expositio litteralis capituli quinti : Voca ergo, si est qui tibi respondeat 374
Articulus XVI. Mystica ejusdem capituli explanatio 384
Articulus XVII. Explanatio litteralis capituli sexti : Respondens autem Job, dixit. 390
Articulus XVIII. Elucidatio ejusdem capituli sexti mystica 396
Articulus XIX. Elucidatio litteralis capituli septimi : Militia est vita hominis super terram 401
Articulus XX. De intellectu tropologico ejusdem capituli septimi 409
Articulus XXI. Expositio capituli octavi : Respondens autem Baldad Suhites, dixit 415
Articulus XXII. Mystica elucidatio ejusdem capituli octavi 421
Articulus XXIII. Declaratio capituli noni : Et respondens Job, ait : Vere scio quod ita sit 425
Articulus XXIV. De moralitate et mysteriis ejusdem capituli noni 438
Articulus XXV. Elucidatio litteralis capituli decimi : Tædet animam meam vitæ meæ 446
Articulus XXVI. De mystico ejusdem capituli decimi intellectu 454
Articulus XXVII. Elucidatio litteralis capituli undecimi : Respondens autem Sophar Naamathites, dixit. 464
Articulus XXVIII. De spirituali hujus capituli undecimi intelligentia 470
Articulus XXIX. Declaratio capituli duodecimi : Respondens autem Job, dixit 475
Articulus XXX. De tropologica ejusdem capituli duodecimi intelligentia . . . 483
Articulus XXXI. Elucidatio capituli tertiidecimi : Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea. 489
Articulus XXXII. De tropologia ejusdem capituli tertiidecimi 499
Articulus XXXIII. Elucidatio litteralis capituli quartidecimi : Breves dies hominis sunt 504
Articulus XXXIV. De moralitate ejusdem capituli quartidecimi. 510
Articulus XXXV. Declaratio litteralis capituli quintidecimi : Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit 513
Articulus XXXVI. De moralitate ejusdem capituli quintidecimi. 520
Articulus XXXVII. Expositio litteralis capituli sextidecimi : Respondens autem Job, dixit. 525
Articulus XXXVIII. De mystica ejusdem capituli sextidecimi intelligentia. . . 530
Articulus XXXIX. Expositio litteralis capituli septimidecimi : Spiritus meus attenuabitur 535
Articulus XL. De moralitate ejusdem capituli septimidecimi. 540
Articulus XLI. Elucidatio capituli octavidecimi : Respondens autem Baldad Suhites, dixit 545
Articulus XLII. De tropologico ejusdem capituli octavidecimi intellectu . . . 549
Articulus XLIII. Explanatio litteralis capituli nonidecimi : Respondens autem Job, dixit. 551
Articulus XLIV. De mysteriis ejusdem capituli nonidecimi 557
Articulus XLV. Declaratio litteralis capituli vicesimi : Respondens autem Sophar Naamathites, dixit. 565
Articulus XLVI. De intelligentia morali ejusdem capituli vicesimi 570
Articulus XLVII. Declaratio litteralis capituli vicesimi primi : Respondens autem Job, dixit. 574
Articulus XLVIII. Elucidatio litteralis capituli vicesimi secundi : Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit. . . . 581

Digitized by Google

Articulus XLIX. Declaratio litteralis capituli vicesimi tertii : Respondens autem Job, ait 587
Articulus L. Elucidatio litteralis, partimque mystica capituli vicesimi quarti : Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora. 593
Articulus LI. Explanatio capituli vicesimi quinti : Respondens autem Baldad Suhites, dixit 600
Articulus LII. Expositio capituli vicesimi sexti : Respondens autem Job, dixit. . 602
Articulus LIII. Expositio capituli vicesimi septimi : Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit 608
Articulus LIV. Expositio litteralis capituli vicesimi octavi : Habet argentum venarum suarum principia 613
Articulus LV. Expositio mystica ejusdem capituli vicesimi octavi 622
Articulus LVI. Explanatio capituli vicesimi noni : Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit : Quis mihi tribuat, etc. 629
Articulus LVII. Pertractatio moralis ejusdem capituli vicesimi noni 633
Articulus LVIII. Expositio capituli tricesimi : Nunc autem derident me juniores tempore 638
Articulus LIX. Elucidatio capituli tricesimi primi : Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. 642
Articulus LX. Elucidatio capituli tricesimi secundi : Omiserunt autem tres viri isti respondere Job. 653
Articulus LXI. Explanatio capituli tricesimi tertii : Audi ergo, Job, eloquia mea. 657
Articulus LXII. Expositio capituli tricesimi quarti : Pronuntians quoque Eliu . 665
Articulus LXIII. Elucidatio litteralis capituli tricesimi quinti : Igitur Eliu hæc rursum locutus est 674
Articulus LXIV. Elucidatio capituli tricesimi sexti : Addens quoque Eliu . . . 679
Articulus LXV. Declaratio capituli tricesimi septimi : In manibus abscondit lucem 686
Index locorum S. Scripturæ 699
Index analyticus 709

EMENDANDA. Pag. 44 C', lin. 7, et 548 D', lin. 6 : de gestis Romanorum, *lege* de Gestis...; — 150 D, lin. 4 : cx... ex; — 169 C', lin. 2 : agniculus... anniculus; — 386 A, lin. 3, et 402 B, lin. 10 : laborosius... laboriosius.

NOTANDA. Pag. 100 A', lin. 5 : Teucri (*vide* Cangium) pro Turci; — 133 C, lin. 9 : sex, *vulgo*, tres; — 243 C', lin. 10 : *triginta millia*, in Bibliis communiter, *trecenta millia*.

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 105 205 983